RMIr. IV
409/a.

R. M. Dr.
IV. 409. a

# IO. DVBRAVII
## OLOMVZENSIS
## EPISCOPI
# HISTORIA BOIEMICA

A' CL. V.
THOMA IORDANO Medico nouis Genealogiarum, Episcoporum, Regum, Ducum CATALOGIS, necessariis quinetiam ANNOTATIONIBVS sic ornata & illustrata, vt nunc demùm edita dici possit.




*Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.*

BASILEAE
APVD PETRVM PERNAM,
M D LXXV.

M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA

# RVDOLPHO ET ERNESTO,

## REGI ET REGNIS EXOPTATISS.

### FRATRIBVS AVSTRIACIS.

### IMPER. CAESARIS MAXIMILIANI AVGVSTI FF.

IOANNES CRATO à Crafftheim
Medicus, S.

NON sum nescius, consimili plerunq; fortuna & aliorum libros in publicum edi, & alienos liberos educari, vt nimirum pro gratia & laude, quam ij consectari videntur, quos labor & aliorum vtilitas delectat, vituperationem subeant. Est autem hic liber ante annos XXIII. instituto atque sumptu autoris Ioannis Dubrauij Olmucensis Antistitis in oppido Morauiæ Prostanna typis descriptus, sed (quod sciam) in celebri aliquo mercatu nunquam diuulgatus. Diu enim autor ipse exemplaria continuit, quæ eo demortuo in vicinis saltem locis sparsa fuisse comperimus. De veritate autem historiæ huius, aut styli puritate vel impuritate, nullum meum iudicium interponere debeo. Ad res ipsas verò respicienti attentius, cùm absq; temporum annotatione in magna obscuritate versentur, sæpe ista legens lucem atque ordinem in iis desideraui. Et cùm alios aliter illa ipsa quæ Dubrauius narrat, exposuisse scirem, veritatem in collatione limandam esse necessarium putaui. Itaque Thomæ Iordano, ingenio & iudicio, artis etiam medicæ vsu præstanti viro, Marchionatus Morauiæ Medico hortator fui, vt cum Hungaricis, Polonicis & Slesiacis Historiis ista conferret, & si quo modo posset, dilucidiora & meliora faceret. Extant enim de Bohemicis & Morauicis rebus perpauca Latinè scripta, & præter Aeneæ Syluij Commentaria, seu potius opinionum commenta, fortasse nulla. Quid præstiterit Iordanus, in medio est. Mihi cũ hac in re morem gesserit, vt illi vicissim, dum has partes librum commendandi daret, obsequar, æquissimũ videtur. Quid verò Medicis cum historiis? & tantúmne à curationibus vestris otij? qui in alios inquirunt cupidè, forsitan obiicient? Velim sanè mihi otij esse plurimum: certè in nulla rè quàm historiarum lectione consumerem libentius, non quòd Luciani præceptum, qui in Medicis historiarum cognitionem requirit, & illorum proprium esse historias scribere statuit, tanti faciam, sed quòd nulla verior, nulla rectior ad communem vitam rectè instituẽdam, seu, vt Polybius scripsit, πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, via atq; ratio, historiarum cognitione esse videatur. Hæc enim, vt præclarè Marcus Cicero affirmat, est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia veritatis. Vtinam autem ea lege, qua Historicum summus Latinitatis autor astringit, se teneri ij qui scribunt meminissent: cùm ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, vt suspicionem gratiæ omnem & simulta

tis vitet, sapienter præcipit. Verùm longè aliter euenire res ipsa nobis tacentibus loquitur. Nam & noster autor suæ personæ quasi oblitus, Germanis hominibus verborum atrocitate sæpe odia aspera mouere conatur, & in narrationibus, quæ vt picturæ coloribus, quo eminere vel depressa esse videantur, illustrari oratione possunt, ita sui loci atq; ordinis fauet, ita præiudicat, vt planè ζῆλον ἄζηλον demonstret. Hæc verò, sicut multa alia, quæ credere pietas vetat, vel exagitare, vel deplorare hoc in loco nobis non est propositum. Illud vnum cauendum putaui, ne si Typographo, nulla mẽtione facta vel consilij nostri, vel operæ à Iordano sumptæ, detur, inconsideratus aliquis alieno labore parta verbis in se transferret, & hunc librum, quem autor in nomine Sacratissimi Imperatoris Cæsaris Maximiliani, parentis vestri primùm apparere voluit, à laudatissima familia Austriaca alienum faceret. Vobis autem, Serenissimi Principes, eum deberi nemo est qui nesciat, vtque hoc debitum publicè quasi profiterer, præclara vestra hoc tempore in regno Bohemiæ occupatio me admonuit. In ea verò cùm ita sitis coniuncti, vt perpetuò fraterna caritate estis coniunctissimi, ambos scripto isto, licèt timor & verecundia non mediocriter suspensum me teneret, compellandos existimaui. Explorato autem iudicio & sententia verè nobilis viri, D. Vuolfgangi Rumpfij, summi atque intimi à cubiculo vestro familiaris, cœpi confidere, hæc, quòd & libenter multumq; legitis historias, & verò quòd Vngarica atq; Bohemica singulari animo & cura amplectimini, non quidem tanquam ignota nec visa prius, sed vt debita & propria, grata acceptaq; habituros. Sciunt multi, & propemodum res ipsa in oculos incurrit, vos pietatis & sapientiæ studio nihil prius & antiquius ducere. Nihil verò ad hoc conducibilius esse, cùm historia omnme sapientiam contineat, (quemadmodũ Nazianzenus inquit, ἱστορία συμφέρῃ ἐστὶ σοφία, & initiũ atq; fons omnis sapientiæ, ἀρχὴ φρονήσεως καὶ σοφίας, vt Dionysius Halicarnasseus scripsit) quis nisi rerũ omniũ imperitus non intelligit? Quid autẽ Principem magis ornat? Quid Reipubl. Principis sapientia & prudẽtia vtilius. Itaq; præclarus autor Diodorus Siculus in historiarum neglectionẽ publicarũ calamitatũ causam confert, quòd nimirum, cùm tot aduersis casibus homines vrgeantur, & in eosdem toties incurrant, non lectione & consideratione exemplorum erudiantur. Sapere autem eos felicius, qui alieno periculo sapiunt, vetus est dictum: & à multis obseruatum, maximo & suo & suorum damno, Principes & qui ad gubernacula sedent, atq; cum imperio sunt, in historiarum ignoratione versari. Minus enim non necessaria mouerent, & maiori studio necessaria facerent, si vel ipsi, vel quos in consilium adhibent, historiarum periti essent, & quid sit Rempubl. constituere, quid item destituere, nossent. Siciliæ Regem Renatum, Andium ducem, Regnum & Neapolim amisisse inscitia historiæ, Gallici Scriptores testantur. Ac in promptu essent exempla, quæ regularum obsides à Platone vocantur, si exemplis in re manifesta opus esse videretur. Quosdam verò destitui in cognitione, literarum bono, quosdam inertiam tardare, vel alias occupationes pluris facere, compertum habemus. Proinde vulgatum est magis quàm intellectum illud, quod de Platonis principis ingenij & doctrinæ sententia M. Cicero refert: Beatas fore Respubl. si aut docti, aut

cti aut ſapientes homines regere eas cœpiſſent, aut qui regnant, omne in doctrinæ ſuum ſtudium collocaſſent. Aliter autem olim ac nunc iudicatum, & melioribus temporibus in primis approbatam fuiſſe hanc ſententiam Flauius Vopiſcus teſtatur. Cum enim de nouo Imperatore creando Cornificius Conſul ad Senatum retuliſſet, & Tacitum placere oſtenderet, acclamatum ab vniuerſo Senatu: Quis melius quàm literatus imperet? Neq; verò hoc de placido illo imperio quod legum auctoritate continetur, intelligendum eſſe, ſapientiſſimus Rex Alphonſus, tum alijs ab eo præclarè dictis & factis, tum iſto oſtendit, quòd ſignis militaribus librum appingi iußit, & armorum leges ijs contineri multis verbis grauiſſimis teſtatus eſt. De L. Lucullo verò à quo M. Cicero omnem liberalem, & dignam homine nobili doctrinam perceptam affirmat, Plutarchus ſcripſit, & Cicero confirmauit, eum cùm ad Mithridaticum bellum à Senatu miſſus, Roma profectus, rei militaris rudis fuiſſet, in itinere & nauigatione legendis rebus geſtis, tantum Imperatorem factum, vt nõ modò, quemadmodum M. Cicero inquit, opinionem omnium quæ de virtute eius erat, vicerit, ſed etiam gloriam ſuperiorum. Idq; eò fuiſſe mirabilius, quòd ab eo laus Imperatoria non admodum expectaretur, qui adoleſcentiam in forenſi opera conſumpſerat. Non vtar pluribus exemplis, ne currentes, quod aiunt, incitare videar: nec meo teſtimonio in re manifeſta opus eſt. Quis enim non videt, vos paterna illa elegantia, ſuauitate, humanitate, moderatione & facundia tinctos, & vt naturæ bona optimis literis confirmentur, ſtudioſiſſimos? Non eſt meum in os laudare, neq; ad veritatem verbis addere quicquam didici: fateri tamen verum & honeſtè poſſumus, & debemus. Quàm multos ex omni memoria tot linguarum peritos Imperatores fuiſſe legimus, quot ſummus Imperator, & moderatiſſimus Chriſtianæ Reipubl. Moderator Parens veſter eſt? Huius exemplo vos non tam excitare, quàm ea quæ facitis, & ab ineunte ætate feciſtis, comprobare æquum eſt. Memini cùm ante annos XI. D. Ferdinandus Imp. ſacratiſſimæ memoriæ Auus veſter epiſtolas primò ex Hiſpania à vobis miſſas acciperet, magna cum voluptate non modò literarum picturam nobis commonſtraſſe, verùm etiam diligentiam ſcribendi collaudaſſe. Imitantur hoc præclarum exemplum laudatiſſimi Fratres veſtri, Matthias atque Maximilianus inclyti Archiduces, ac maiori etiam ſtudio, quàm quibuſdam nulla liberali doctrina perpolitis, qui nimios quaſi & immodicos eos in literis eſſe arbitrantur, rectum videatur. Sed verum hercle hoc verbum eſt: Homine imperito nihil quicquam eſt iniuſtius. Apollinaris quidam ſcripſit, vnicum nobilitatis iudicium literarum cognitionem virtutis ſtudijs vigentibus fuiſſe. Quibus igitur notis iſti belli æſtimatores nobiles agnoſcentur? Certè ſi vel princeps, vel in excelſo Reipublicæ loco poſitus, literas Latinas neſciat, cùm res magnæ vbique ferè gentium Latinis literis contineantur, hunc nimium pauca ſcire conſentaneum eſt. Macte igitur virtute atq; ingenio Matthia, Maximiliane, Alberte & Vuenceslae, Cæſarum progenies, ea via qua cœpiſtis ad ſummum decus pergite, & hiſtoriarum cognitionem, in qua toto animo eſtis, ſapientiæ & politicæ prudentiæ fontem, rectèq; gubernandi certiſſimam normam & regulam ſtatuite. Vos autem Sereniſſimi Principes, Ru-

dolphe Rex atq; Erneste, ad quos magnorum regnorum cura spectat, & iam propè in manibus est, cùm suos nosse salus sit Reipublicæ, haud dubiè ad ista quoque, qualiacunq; ea sunt, interdum cùm per occupationes licebit, respicietis: & quæ Regno Bohemiæ atq; Austriæ fuerit adiunctio, quæ multorum annorum, diuina quasi virgula monstrata, successio, videbitis. Vt verò quasi oculis obijciã, præcipua in pauca conferam. Ottocharus, hoc enim cognomẽtum Premislao Regi Boemiæ fuit, siue eò se à Polono discernere, siue Otthoni charum esse ostendere voluerit: is, inquam, Ottocharus Margaretham vnicam Austriæ hæredem in vxorem duxit, eamq; (vt opinio est) deinceps veneno sustulit. Diuinitùs verò in Rom. Regem electo Rudolpho Habspurgio, & Imperatore creato, quia in Austria minimè iusto dominatu Bohemus esse videbatur, sui officij eum admonuit: cumq; apud elatum animo Regem monitis nihil proficeret, ne quid detrimenti Respublica caperet, iusta aduersus illum arma sumpsit. Sed prius quàm armis contenderent, persuasus Rex obseruantiæ onus sibi imponi patitur, & vt in more est positum, acceptis vexillis, se clientem Imperatoris profitetur. Ibi Cæsar vt arctiori necessitudinis vinculo Austriam, (in qua de sentẽtia Imperij primogenitus Rudolphi Albertus, Archidux Austriæ, Norimbergæ in comitijs, anno Christi 1284. celebratis, nominatus & Austriæ præfectus fuerat) cũ Bohemia coniungeret, filiam Cuitam, quam Dubrauius Iuditham appellat, Vuenceslao filio Regis Ottochari despondet. Agnes verò Ottochari filia Rudolpho II. Imperatoris filio in manum conuenit. Ad hæc Iglauiæ pactionem conficiunt, vt nullo legitimo hærede in Regno Bohemiæ relicto, vel superstite, ad Rudolphi posteritatem regnum deferatur. Verùm infelix Rex, cùm in Bohemiam reuertisset, Bulgaræ mulieris iracundia exagitatus, tanquam graui dedecore se contaminasset, quòd Cæsari subiectum se palàm ostendisset, filiam monasterio includit, & sumptis armis Imperatori bellum mouet. Sed cùm, secundùm Aeschyli sententiam, Deus superbiæ & perfidiæ vindex sit, in eo bello non sine graui Imperatoris Rudolphi dolore, quem veris & manifestis indicijs ostendit, Ottocharus trucidatur. Itaque optimus Cæsar nihil eorum, quæ in rem filij Venceslai essent, qui octo annorum puer erat, prætermisit, & vt rectè educaretur, Regnumq; optimè administraretur, singulari fide & voluntate procurauit. Simulac verò Venceslaus ex ephebis excessit, & regere Bohemos imperio cœpit, filiam Cæsaris, ciuitate Egra in dotem accepta, & singularibus dignitatum ornamentis auctus, quæ etiam nunc Bohemici Reges obtinent, in matrimonium duxit. Cæterùm cùm demortua Imperatoris filia, Elizabetham vnicam Regis Poloniæ Premislai natam duxisset, Poloni licèt Vladislaum Locticum, præteritis Silesiæ principibus, ad quos Regnum optimo iure pertinebat, iam elegissent, repudiato tamen Loctico, Venceslaum Bohemum splendida legatione ad gubernationem Poloniæ vocant. Adit quidem Regnum: verùm consecratus, Henrico à Leippa Bohemo, præcipuæ nobilitatis viro, & alijs paucis in administratione absens vsus est, & filio Venceslao ex Polona nato, Hungaricum etiam Regnum consilio & armis acquisiuit. Verùm quia sibi ætatem grauem, filium in adolescentia leuitate quadam lubricum animaduerteret, nec tot Regna

à rerum

à rerum imperito iuuene regi posse videret, Otthoni Bauarico, qui Hungaricum ambiebat, Hungariæ Regnũ quasi de manu in manũ, cùm Coronam eam, quam Hungari Sanctam appellant, in sua potestate haberet, tradit. Moriens verò filio sexdecim annorum regnum Bohemiæ & Poloniæ singularibus verbis commendat. Sed cùm adolescens homo, vitæ suæ modum tenere nondum sciret, biennio post Olmutij, non quidem in tumultu, vt Austriacus scriptor commemorat, sed ex improuiso, à nescio quo adortus, occiditur. Reliquerat verò cum potestate in Bohemia affinem suum Henricum Carinthiæ Ducem, cui sororem Annam, quam Austriaci scriptores Agnetam nominant, in matrimonium dederat. Is igitur extincto Venceslao dominari incipit. Verùm Imperator Albertus Rudolphi primi filius, memor qua ratione Bohemi ex pactione Iglauiensi (cuius Dubrauius, quemadmodum etiam illius, quæ de successione in Regno Poloniæ hac ipsa in vrbe Vienna, cùm trium Regnorum, Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ Reges hic cum Imperatore Maximiliano conuenissent, laudabiliter conflata est, nullo verbulo in sua Historia meminit) obstricti Austriacis essent, Regnum filio Rudolpho iustè & legitimè appetebat, & cùm Henricus cedere nollet, armis illum è Bohemia expulit, & vt Rudolphus filius occuparet, perfecit. Mortua verò erat Viennæ Rudolphi coniunx Philippi Franciæ Regis filia Blanca. Itaque vt maiori beneuolentia Bohemos sibi deuinciret, Venceslai senioris viduam relictam in vxorem duxit. Verùm cùm vix integro anno in Bohemia fuisset, vitam nescio quomodo amisit, & ex Austriacis principibus primus Pragæ sepultus est. Henrici verò Carni, vt hoc quoq; addam, deinceps non diuturna fuit gubernatio. Bohemi enim illius coniugis sororem Elizabetham, quam inclementius quasi carceri inclusam tractabat, è custodia liberatam, Henrici Imperatoris septimi filio Ioanni Comiti Lucelburgio in matrimonium Spiræ collocarunt. Ita rursus neglecta Austriaca familia in Lucelburgiorum potestate Bohemia fuit. Verùm non multo post Carolus Imperator quartus Ioannis Regis Bohemiæ filius, Rudolpho in Austriaca familia quarto, viro summo & Fundatori dicto, (quòd is ea, quæ à patre Alberto secũdo, cognomẽto Sapiente in Academia Viennensi, & summi templi ad Diui Stephani ædem administratione inchoata fuerant, absoluit & perfecit) filiam in matrimonium dedit. Sed minimè diuturna fuit hæc adiunctio. Nam cùm Rudolphus socerum Imperatorem singulari splendore equestri in Italiam comitatus esset, Mediolani obyt, eiusq; cadauer primum conditorio in æde Diui Stephani, quod sepulchrum ipse Archiducibus construxit, illatum est. Extinctum autem die Iacobi, quo D. Ferdinandus Imperator placidissimè ante annos decem ex hominibus beato exitu decessit, annotatũ reperimus. Filius deinde Caroli quarti Sigismundus, cùm fratri Venceslao, qui non modo imperij dignitatem amisit, sed & Bohemiæ Regnum, & se suosq; otio & negligentia perdidit, successisset, Archiducem Austriæ Albertum quintum, filiæ suæ Elizabethæ maritum, & sibi generum atq; successorem in Regnis & Imperio esse voluit. Voluntati huic fortuna quidẽ respondit, verùm minimè diuturna ea fuit. Nam cùm ex melopeponum intemperantiori esu dysenteria correptus esset, ea optimũ & in familia Au

ſtriaca Imperatorem quartũ altero Regni anno extinxit. Albæ regali is ſepultus eſt, cùm viuus Albam Græcam Regno Hungariæ adieciſſet. Ex eo verò Elizabetha Ladislaum poſthumũ ad Comarum peperit, cuius tutelam Fridericus tertius ſingulari fide ſuſcepit, & nõ modò diadema Hungariæ & Bohemiæ ſibi oblatum reſpuit, verùm Auſtriam ipſam anno 1457. Ladislao reſtituit. Hic Fridericus tertius, (quẽ rectius quartum, ſi Fridericum Pulchrum numeremus, appellare licet) ex Erneſto Archiduce Auſtriæ, matre Cymburga, Vithuldi Ducis Lithuaniæ, Regis Poloniæ, fratris filia, natus eſt. Res Imperij poſt Auguſtum diutiſſimè adminiſtrauit, & Ladislao adoleſcente in Bohemia extincto non modò Auſtriam totam recuperauit, verùm ſingulari beneficio Dei ad Oceanum vſq; illius iura extendit. Fuit enim magni illius Maximiliani primi pater, cui ducta in vxorem Maria Burgunda, Dei munere Belgium, Burgundiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Lucelburgi, Lotharingiæ Ducatus, denique Comitatus ſummi Flandriæ, Holandiæ, Selandiæ, Hannoniæ, Picardiæ, Artheſiæ, Namurci acceſſerunt. Maximiliani verò filius Philippus non modò Hiſpaniam vniuerſam, verùm & Atlantici maris inſulas & Mediterranei, interq; has comprimis nobiles Corſicam, Sardiniam, & Siciliam, non ſine Dei numine, per quod Reges regnant, adiecit. Quæ verò & quanta, quàm magna atque ſingularia præpotens Deus & Regum Rex munera & beneficia in Carolum quintum, & Ferdinandum Imperatores ſummos, & paternum & maternum auum veſtrum cõtulerit, quantis & quàm veris bonis domum Auſtriacam & Rempublicam Chriſtianam eorum opera auxerit, hoc in loco commemorare & nimis longum eſſet, & cùm illa etiam nunc oculis omnium obuerſentur, ſuper uacaneum. D. Ferdinandus certè poſt diuturna ex Ladislai poſthumi obitu trium Regum, Georgij Bodebratij Bohemi, Matthiæ & Uladislai, certamina, ducta in matrimonium, extincto miſerè optimo Rege & adoleſcente Ludouico fratre, Anna Regina lectiſſima, Uladislai Regis Hungariæ & Bohemiæ, Poloniæ verò Sigiſmundi fratris filia, in Regno Hungariæ & Bohemiæ Ludouico ſucceſſit. Huius Imperatoris laudes nulla vnquam ſecula, licèt nondum ſcriptis comprehenſæ ſint, tacebunt. Eum ego ante vitæ exitum ſingularia quædam de optima in Rempublicam Chriſtianam voluntate ſua commemorãtem audiui. Poſſem recitare plurima, niſi mihi ſubuereri quiddam, quod ſcribere non debeo, in mentem veniret. Dion Hiſtoricus Titum Imperatorem moriturum dixiſſe, ſe vnius rei pœnitere, id verò quid eſſet nunquam aperuiſſe, ſcribit. Idem D. Ferdinandum Imperatorem dixiſſe multi ſciunt, verùm cùm nemo interrogaret, apertè protuliſſe. Vereret hoc quoſdam, continere igitur ſatius eſt. Illud reticere non debeo, quod crebris ſermonibus ante obitum vſurpauit, inter ſumma beneficia, quæ Deus in gubernatione Imperij conceſſiſſet, primum atque maximum, vero animi iudicio, optimaq; conſcientia hoc ſe ducere: quòd ad ſedandas diſcordias publicas animum adieciſſet, & tolerantiæ in religione formulam benigniſſimus Deus ſibi in mentem dediſſet. Eſt in viuis Ioannes Næuius, vir integerrimus, qui à Sereniſſimo Archiduce Ferdinando nobis in valetudinis Cæſareæ curatione additus erat, eo præſente mihi legendam dedit, atque vt apertis

verbis

verbis legerem, iussit, epistolam bene longam sua manu ad Electorem Mauritium multis verbis & sententijs accuratissimè de pace publica, conscientiarum libertate, & Reipublicæ salute scriptam. Hanc, inquam, si Censores quidam viderent, haud dubiè animaduerterent, quàm insigni, non modò Italus quidam & Gallus, verùm etiam nostri homines, qui de vna religione, (cùm nullo vnquam tempore non modò in vniuerso mundo, sed ne in vna gente quidem, vna & per omnia similis sibi religio fuerit, semperq; Abelis iusti, & Cainica soboles, consimilia illis, quæ principiò facta sunt, fecerint) clamitant, D. Ferdinandum Sacratissimæ memoriæ Imperatorem iniuria afficiant. Sed hos quasi in vlcere vngues non commouere satius est, ne commoti, exulcerata, quæ D. Ferdinandus Imperator sanare studebat, grauius dilacerent. Istos verò ipsos autores esse sermonum omnium, quæ de vobis mitissimis & concordiæ atque tranquillitatis studiosissimis Principibus per Germaniam improbissimis sermonibus nuper sunt disseminata, nemo nisi qui hæc non alibi, quàm in Cainico pectore atque cerebro nasci posse intelligit, dubitare potest, vel debet. Quæ autem, malùm, hæc confingendi & conficta spargendi licentia? De Alexandri Seueri Imperatoris imperio hoc præconium refertur, fuisse illud αὐαίμακτον. Multò verius de optimi Parentis vestri Imperatoris Maximiliani secundi moderatissima Imperij moderatione hoc dici posset, nisi fata obstarent, & non modò furor bellicus, sed furiæ Theologicæ arma ministraret. Aeternus Deus, qui suo iustissimo arbitrio Regna dispensat, & progeniem iusticiæ atque clementiæ (quibus virtutibus, optimi Principes, proximè ad Deum homines accedere nō ignoratis) obseruantium benignè fortunat, vt Dauid cecinit, vobis & posteritati vestræ placida, felicia (quid aut est felix, nisi sit placidum & moderatum?) omnia concedat: & vt difficultates, quæ rebus ruituris, & ad interitum accelerantibus incumbunt, sustinere possitis, præpotenti suæ fortitūdinis manu vos fulciat, sustentet, & defendat. Viennæ, Idib. Iunij.

CIↃ IↃ LXXIIII.

## DUCES SIVE PRINCIPES BOHEmiæ, post & ante assumptum Christianismum.

I. CZECHVS gentis conditor.
II. CROCCVS. Huic tres filiæ:
III. LYBVSSA, Bela, Techa.
IIII. PREMISLAVS arator ducit coniugem Lybussam. Ex hoc coniugio,
V. NEZAMISLIVS. Ab hoc
VI. MNATHA. Huius filius
VII. VOGENVS. Duo huic liberi,
VIII. VNESLAVS & Vratislaus, cui Lucensis & Zatecensis principatus destinati. Filius verò Vladislaus à Siderio confossus. Huius filius septennis Zbislaus à Duringo pædagogo interemptus. Vneslai filius
IX. CREVOMYSLIVS. Huius
X. NECLAN. Istius verò duo filij
XI. HOSTIVITIVS & Mystibogius, cui Gurimẽsis attributa ditio, qui à diabolo est suffocatus, superstite filio Radislao Gurimense.
XII. BORIVORIVS, sed primus Christianus. Huic è Ludmilla Slauiborij Melnicensis filia
XIIII. SPITIGNEVS.
XV. VRATISLAVS & Boleslaus. Vratislaus è Drahomira Lucense.
XVI. S. VENCESLAVS cœlebs.
XVII. BOLESLAVS sæuus, & Premislaua, quę fratris Venceslai aurem abscissam ad limen templi repertam arcula incluserat. Boleslaus è Brenna genuit Strachy quam monachum Ratisbonæ, post Episcopum Pragensem tertium.
XVIII. BOLESLAVS Pius, Mladam monialem ordinis Diui Benedicti (postea Maria à Pontifice Max. denominata) Dombrauam, siue Dambroucam Meschonis Poloniæ Principis coniugẽ, ex qua natus Boleslaus primus Rex Poloniæ, ab Otthone tertio Imperatore salutatus. Boleslaus ex Hemma è Principibus Saxoniæ
XIX. BOLESLAVM à consobrino Polono oculis orbatum. Hic
XX. IAROMYRIVM, &
XXI. VDALRICVM filios habuit. Iste ex Beatrice rustica coniuge suscepit
XXII. BRETISLAVM primum Marchionem Morauiæ, qui ex Iuttha vel Iuditha Otthonis Ruffi Cæsaris filia è monasterio Ratisbonensi rapta, genuit
XXIII. SPITIGNEVM, Vratislaum Olomuzñ dominũ & primum Regem, Cunradum Brunnæ dominum, Otthonem Znoymę dominum, & Iaromyrium Episcopum Pragensem.

PRINCI-

# PRINCIPES BOHEMIAE XXIII.

*numero, Stoymiro fratre Sucoslai Bilinæ exule in Bauaria, quem Stilfridum vocabant Germani, adnumerato, qui tertium locum obtinuit, licèt citò exauctoratus.*



VRATISLAVS, Conradus, Ottho, filij Bretislai Marchionis primi Morauiæ, Principis Boiemiæ 22.

CONRADVS Brunnæ dominus, ex Valdburgi suscepit Vdalricum & Leopoldum.

VDALRICVS Vratislaum, cui fuit coniunx Vasilca, fortassis Basilia Rutheni principis filia.

LEOPOLDVS Conradum Marchionem, cui tribuitur vxor Palatina Bauarica N. aliis Maria Henrici V Cæsaris filia.

OTTHO Znoymæ dominus, ex N. Belæ VI in ordine Regis Hungariæ filia, genuit Suatoplucum Marchionem, & Otthonem Nigrum: hic Venceslaum.

VRATISLAVS diademate regio primus ab Henrico III Cæsare dicto seniore cohonestatus est: huius vxor prima N. exulẽ maritum in Hungaria visitatura cum fœtu in itinere moritur: secunda Adelheid, Regis Hungarię Andreę filia, ex qua suscepit Bretislaum, Boryuorium, Boleslaum, Iudithã Vladislao I principi Polonię post Reges abrogatos nuptam. E tertia Boleslai Audacis siue Feri Poloniæ Regis F. Suataua, Vladislaũ: N. Vicberti Lusatię Marchionis coniugem, ex qua Venceslaus Marchio Lusatię, Sobieslaum Principem Lucensem, & Henricum Episcopum Olomuzensem.

I. Interregnuum. 6. Interreges. VRATISLAI successores annis 60. dicuntur solo principis titulo regia dignitate neglecta vsi: nimirũ Conradus Brunnę dominus I. BRETISLAVS Vratislai F. II. Boryuorius Vratislai F. III. Suatoplucus Otthonis Znoymæ domini F. IIII. Vladislaus Vratislai Regis F. V.

II. BRETISLAVS è Lucretia principis Rhenani filia genuit Vladislaum iuuenem, ductorẽ copiarum in Italia loco patris pro Cęsare.

III. BORYVORIVS ex N. Leopoldi Austriæ ducis sorore Iaromyrium VI. Sobieslaus Princeps Lucensis ex Adleida filia Colomanni Regis Hungariæ. Vladislaũ, Mariam Leopoldo Duci Austriæ locatam, Sobieslaum, Vdalricum, Venceslaum (qui Spitigneum à Premislao Ottogaro excæcatum) liberos suscepit.

II. Interregnum. 8. Interreges. VLADISLAVS Vladislai F. Vratislai primi Regis nepos, repetita regia dignitate à Friderico Barbarossa Cæsare coronatus, fratres habuit Theobaldum, Italica expeditione in castris Cæsaris mortuum, & Henricum Episcopũ Pragensem, & N. Friderici Ducis Bauariæ vxorem. Coniuges duas, Gertrudin Conradi Cæsaris filiam, & Iuditham Landtgrauij filiam. Liberos quinque, Fridericum primum Interregem, qui ex Elizabeth coniuge genuit filiam N. Petro Nepotulo Emanuelis Imp. Constantinop. desponsam: Suatoplucum, cuius vxor fuit N. Geisæ II Regis Hungarię filia:

Albertum

Albertum Archiepiſcopum Saltzburgenſem, Vladiſlaum Marchionem Morauiæ (& huic filius Vladiſlaus Marchio) Premiſlaum, poſtea Ottogarum. Vdalricus Sobieslai Lucenſis filius, ſecũdus Interrex. Sobieslaus frater, tertius Interrex. Conradus Leopoldi Znoymenſis filius, quartus Interrex. Venceslaus Otthonis Nigri filius quintus Interrex. Premislaus Vladislai filius poſtea Ottogarus, ſextus Interrex. Henricus Epiſcopus Pragenſis Vladislai filius Regis frater, ſeptimus Interrex. Vladislaus Marchio Morauię, Vladislai Regis filius, octauus Interrex.

PREMISLAVS Ottogarus Vladislai Regis filius III. Rex, è Conſtantia Belæ II. Regis Vngariæ filia genuit

VENCESLAVM Ottocarũ IIII. Regem, & Annam Henrico II. pio, Henrici Barbati Principis Vratislauiæ & Poloniæ filio, qui à Tartaris cæſus eſt, nuptam. N. filia Otthoni Marchioni Brandenburgenſi locata, ex qua Ottho Longus Marchio, comes expeditionis Ottocari in Pruſsiam. Agnes ſpreto Friderico II Cæſ. monialis facta. N. filia Vdalrico Carinthiæ Principi nupta. Theodorici Marchionis Miſniæ F. ſterilitatis prætextu repudiauit Premislaus R.

VENCESLAVS Ottocarus è Kunigundi filia Philippi Cæſaris ante Otthoni à Vittelſpach Palatino pacta, Ottocarum quintum Regem produxit.

OTTOCARVS quintus Rex Margaretham Henrici VI Cæſaris viduam fratris Friderici Ducis Auſtriæ filiam hæredẽ prætextu ſterilitatis in cœnobium detruſit, ſuperinducta Kunigundi Roſcislai Regis Bulgariæ filia, è qua ſuſcepit Agnetẽ Rudolpho Duci Sueuiæ Rudolphi Habſpurgenſis Cæſaris filio nuptui traditam (hinc natus Ioannes Cæſaris Alberti parricida) & Venceslaum ſextum Regem. E concubina Nicolaum Ducem Oppauienſem cũ tribus filiabus locatis Vartẽbergo, Straconicenſi & Crauato Baronibus,

VENCESLAVS è Iuditha Rudolphi Habſpurgenſis Cæſaris filia genuit Venceslaum ſeptimum Regem, & Iuditham Ruperti filij Adolphi Naſſouij Cæſaris vxorem. Ex Elizabetha filia Premislai Principis maioris Polonię (poſt Rudolpho miti Alberti Cæſaris filio nupſit) Annam Henrico Principi Carinthiæ, & Elizabeth Ioanni Cæſaris Henrici ſeptimi Lucemburgenſis F. Regi Bohemiæ octauo, coniugio traditas procreauit. Habuit etiam præpoſitum Viſſegradenſem ſpurium.

VENCESLAVS ſeptimus iunior dictus, Violam Ducis Teſchinij filiam vxorem duxit: hæc poſtea Petro Roſenſi nupſit. Rex Olomuzij à ſicario interfectus liberis caruit.

III. *Interregnum. Interreges tres.*

I. HENRICVS Carinthiæ Princeps maritus Annę.

II. RVDOLPHVS mitis Dux Sueuiæ.

III. FRIDERICVS Dux Auſtrię filij ambo Alberti Cæſaris.

IOANNES

IOANNES octauus Rex ex Elizabetha genuit Carolum (postea IIII. Rom. Imperatorem) Premislaum (infans hic cessit humanis) Ioannem Ducem Carinthiæ, Comitem Tirolis: demùm Marchionem Morauiæ. Eius filij Iodocus Barbatus Cæsar designatus, & Procopius Marchiones Morauiæ: Mariam Caroli V. Regis Galliæ vxorem: Margaretham Ducis Palatini Bauariæ Hermãni coniugem, post viduam Casimiro Poloniæ Regi desponsam, sed ante nuptias mortua: Iuditham Friderico Marchione Misniæ repudiato, Ioanni II. Regi Francorum nuptam. E' Beatrice Borbonij Ducis filia coniuge secunda, Venceslaum Comitem Lucemburgensem & Ducem Brabantiæ.

CAROLVS nonus Rex & Cæsar quartus, quatuor habuit coniuges, Blancam Philippi Comitis Valesiæ, post Regis Galliæ VI sororem: deinde Annam Palatini Rheni filiã: tertio Annam Bulconis Ducis Suidnizensis in Silesia filiam. Ex hac

VENCESLAVS decimus Rex & Cæsar. Extremùm Elizabethã Bugislai Ducis Stetini Pomerani filiam, Casimiri Regis Poloniæ neptim, Ludouici I Regis Hungariæ consobrinam. Ex hac

SIGISMVNDVS vndecimus Rex & Imp. & Ioannes Lusatiæ Gorliziiq; Marchio. Ex aliis Margaretham Ludouici I Regis Hungariæ Poloniæq; vxorẽ, tum Elizabeth Alberti tertij Ducis Austriæ coniugem. Venceslao Regi duæ fuêre coniuges, Ioanna Comitis Hollandiæ filia prior: Sophia Palatini Baioari filia posterior. Totidem Sigismundo: Maria nimirum Ludouici I Regis Hungariæ & Poloniæ filia hæres: secunda Barbara Hermanni Comitis Ciliæ filia: hinc Elizabeth, quam

ALBERTVS duodecimus Rex & Cæsar Dux Austriæ, vxorem duxit: ex qua

LADISLAVS decimus tertius Rex posthumus. Incidunt

GEORGIVS à Kunstat Podiebradij dominus XIIII Rex, &

MATTHIAS Huniades XV Rex Bohemiæ & Hungariæ, nec non Elizabeth Casimiri Regis Poloniæ, & Anna Vilhelmi Ducis Saxoniæ coniuges.

VLADISLAVS XVI Rex, Casimiri filius, qui ex Anna Gandala Vascone

LVDOVICVM XVII produxit, & Annam

FERDINANDI Austrij, post Imp. Rom. Regis XVIII coniugem. Huius filius

MAXIMILIANVS XIX ex Maria Caroli V Rom. Imp. filia.

RVDOLPHVM XX procreauit.

*Vratislai*

*Vratislai primi Regis successores primum interregnum constituunt, qui vt Principes Rempubl. Bohemam administrarunt.*

1. Conradus septimestris Rex, Vratislai frater.
2. Bretislaus, Vratislai filius.
3. Boryuorius, Vratislai Regis filius.
4. Suatoplucus Otthonis Znoymæ domini filius.
5. Vladislaus, Vratislai Regis filius.
6. Sobieslaus, Vratislai Regis F.

*Vladislaus* II *Rex, Vladislai Principis filius, Vratislai Regis* N.

*Interregnum secundum.* *Interreges* VIII.

1. Fridericus Vladislai Regis F.
2. Vdalricus Sobieslai Principis F. Vratislai Regis N.
3. Sobieslaus, Sobieslai F.
4. Conradus Leopoldi Znoymensis F.
5. Vēceslaus Otthonis Nigri F.
6. Premislaus Vladislai Regis F. post Rex tertius.
7. Henricus Episcopus Pragensis Vladislai F. Vladislai Regis frater.
8. Vladislaus Marchio Morauiæ Vladislai Regis F.

De his Aeneas Syluius. Et hos regis nomine abstinuisse constat, siue quia magis vi quàm iure imperarunt: siue quòd indultum Imperatoris Romani sumendæ coronæ more maiorum obtinere non valuerunt.

*Episcopi & Archiepiscopi Pragenses.*

1. Dethmarus.
2. Adalbertus.
3. Strachyquas.
4. Theodatus.
5. Hellichardus.
6. Iso.
7. Seuerus.
8. Iaromyrius.
9. Cosmas.
10. Hermannus.
11. Maynardus.
12. Ioannes.
13. Ottho.
14. Daniel à Lippa.
15. Fridericus.
16. Valentinus.
17. Henricus Interr. 7.
18. Daniel.
19. Andreas.
20. Ioan. Scholasticus.
21. Nicolaus.
22. Ioannes.
23. Tobias.
24. Ioannes.

1. Ernestus 1. Archiepiscopus.
2. Ioannes, post Cardinalis.
3. Sbinco à Leporib.
4. Albicus.
5. Conradus Vuestphalus.
6. Rokizana.

*Aliorum, si qui fuerunt, nulla hoc libro fit mentio.*

Ob gentis cognationem & commercia: fœdera pacta & rescissa: connubia contracta: bella cũ Hungaris & Polonis gesta: & quia multorum Boemiæ Principum rebus desperatis Hungaria non minus quàm Polonia tutum præbuit asylum, tam qui Hungariæ, quàm qui Poloniæ rerum potiti sunt, ad historiæ perspicuitatem (vt quæ quò locorum referenda sint, constet) nomina ascribere placuit.

Mieſcho, alijs Miecislaus I Princeps Chriſtianus, qui Dombrauam Bohemam vxorẽ duxit, pacto Chriſtianiſmo.

1. Boleslaus Rex I ab Otthone Cæſare ſacratus.
2. Mieſco, vel Miecislaus Rex.
3. Caſimirus Monachus Clunienſis in Burgundia.
4. Boleslaus Ferus vel Audax Regno priuatus.

Vladislaus princeps I.

Boleslaus Criuouſtus. Huic filij quatuor,
- Vladislaus II.
- Boleslaus Criſpus eius filius, Leſco exauguratus.
- Miecislaus ſenex.
- Caſimirus.

Sbignèus nothus.
- Leſcus Albus.
- Boleslaus Pudicus.
- Leſco alter. Huius frater Lochtecus, alia matre.

5. Premislaus Rex.
6. Vladislaus Lochtecus.
7. Venceslaus Bohemus monoculus.
8. Caſimirus Magnus II.
9. Ludouicus Rex Hungariæ.
10. Vladislaus Iagello Dux Lithuaniæ.
11. Vladislaus Varnenſis.
12. Caſimirus.
13. Ioannes Albertus.
14. Alexander.
15. Sigiſmundus I.
16. Sigiſmundus II.
17. Henricus Dux Andegauenſis, Caroli IX. Francorum Regis frater, & ſucceſſor, Henrici III. filius.

# Reges Hngariæ.

TO S

Geysa.—*Saroltha.*

S. Stephanvs I. *Rex.*—*Gisela Henrici Imp. F.*

S. Emericus. Gisela.—*Vuilhelmus frater Sigismundi ducis Burgundiæ.*

Iudith *vidua Bretislai ducis Bohemiæ 22. Otthonis 3. F.*—Petrvs II. *Rex.*—*Soror Alberti ducis Austriæ.*

Andreas IIII. *R.*—*Ag*

Salomon V. *R. Sophia Henr. Imp. filia.* Dauid. Adelheit *Vratislai I. R. Bohemiæ.*

Michael.—*Russa siue Ruthena.*

Ladislaus *Caluus.* Vazul.

*uthena.*

Bela VI. *Rex.*—*Meschonis R. Poloniæ filia.* Leuentha.

Geisa *magnus.* S. Ladislavs VII. *Rex.* Lampertus. N.—*Zelemirus Rex Dalmatiæ.* N.—*Ottho Marchio Morauiæ.*

Colomannvs VIII. *Rex.* Almus. Pyrisca.—*Emanuel Græcus Cæsar.*

Bela 2. X. *Rex.*—*Helena Vri Macedonis filia.*

Adelheit.—*Boryuorius princeps Bohemiæ.* Ladislaus. Stephanvs 2. IX. *Rex.*—N

*Guiscardi liæ filia.* Nicolaus. Borychius *ex adulterio coniugis Russæ.* Geisa 2. XI. *Rex.*—*Minoslai Ruthenorũ principis F.* Ladislaus. Stephanus. Almus.

Stephanvs 3. XII. *Rex.* Bela 3. XIII. *Rex.*—*Philippi Regis Galliæ soror.* Arpad. Geiza.

Constantia.—*Premislaus III. Rex B*

Venceslaus *Ottocarus IIII. Bohemiæ.*

Emericvs. XIIII. *R.*—*Constantia Aragonia.* Ladislavs 3. XV. *R.*

Andreas *Hierosolymitanus* XVI. *Rex.*—*Gertrudis filia Bertoldi ducis Morauiæ soror S. Heduigis.*—*Filia Marchionis Estensis post expeditionẽ Hierosolymitanã.*

Stephanus.—*Tomassina Maurocena Veneta.*

Andreas *Venetus* XX. *Rex.*

Bela 4. XVII. *sub quo Tartari.*

*np. Græci F. alijs Miecisziensis principis F.* Colomannus *Rex Haliziæ in Russia.*—*Salome Lesci albi Poloniæ principis soror.* Andreas. S. Elizabeth *Landtgrauij Thuringiæ vxor.* N.—*Iacobus R. Arragoniæ.*

gundis—*Boleslaus Pudicus princeps Poloniæ.*

Stephanvs 5. XVIII. *Rex.* Bela. Kinga

N. *Vestalis primùm, pòst Zauissio Rosensi Bohemo nupsit.* Ladislavs 4. *Canus* XIX. *Rex.*—*N. filia Caroli de Apulia.* Maria.—*audus ciliæ.*

Carolus *Rex Siciliæ.*—*Clementia Rodolphi Imp. filia.*

N.—*Maria Casimiri ducis Poloniæ filia.*—*Be*

Carolus. Ladislaus.

*ici VII. Cæsa*—Carolvs *Robertus* XXI. *Rex*—*Elizabeth Ladislai Lokteci Regis Poloniæ filia.*

*Elizabeth nensis*

*Bos*—Lvdovicvs XXIIII. *Rex.*—*Margaretha Caroli IIII. Imp. filia.* Andreas *Rex Neapol.* Stephanus.

Catharina. Maria XXV. *Regina.*—Sigis *Rex*

XXVII.—*Barbara Ciliensis.* Adluga—*Lagello Rex Poloniæ.*

Elizabeth.—Albertvs *Cæsar* XXVIII. *Rex.*

Carolvs *paruus* XXVI. *Rex à Forgatio interfectus.*

Ladislaus *Rex Neapol. Iadram in Dalmatia Venetis vendidit, vocatus in Hungariam contra Sigismundum.*

—*Casimirus Rex Poloniæ.* Anna.—*Vilhelmus dux Saxoniæ.*

Ladislavs XXX. E

—*Anna Gandala.*

Vladislavs X

XIII. Anna.—Ferdinandvs XXXV.

*Maria Philippi filia.*—Lvdovic

vs XXXVI.—*Maria Austriaca Caroli V. Imp. filia.*

Max

Rvdolphvs XXXVII.

Qui Geisam magnum septimũ, Ladislaum secundum, filium Belæ cæci, eiusque fratrem Stephanũ annumerãt, XL. constituunt Reges.

Intercedunt Venceslaus Bohemus XXII. & Ottho Bauariæ Dux XXIII. Reges.

Intercedit Ladislaus 4. Polonus Varnensis XXIX. Rex. Intercedit Matthias XXXI. Rex.

Iohannes Sepusius XXXIV.

# Re Boiemiæ.

CHARACTERum significatio.
—Coniuges.
| Liberi.
N. Nomina ignota.
Pr. Princeps à rege primo.
Int. Interrex.
D. Dux.

BRETISLAVS I. Morauiæ, 22. Princeps Boiemiæ.

N. Cum fœtu mortua.—Adleida Andreæ Regis Hungariæ filia.—Suataua Boleslai Feri Poloniæ Regis filia.

LAVS I. Conradus. I. Pr.—Valpurgis.

Ottho—Belæ Regis Hungariæ filia.

Vdalricus. | Vratislaus.—Vasilea Ruthena.

Leopoldus. Coradus 4. Int.—Palatina Bauarica.

Ottho Marchio.

Suatoplucus 4. Princ. | Suatoplucus.

Ottho Niger. | Venceslaus 5. Interrex.

Bretislaus.—Lucretia Princ. Rheni F. | Vladislaus iuuenis ductor copiarum in Italia.

Boleslaus.

Boryuorius. 3. Princ.—N. Leopoldi Austrij soror. Hiaromyrius.

Vladislaus 5. Pr.

rtus Lusa- Marchio. s Marchio.

Sobieslaus Princeps Lucensis 6. Princ.—Adleida Colomani R. Hung. F.

Henricus Episcopus Olomuzensis Zdyck dictus.

Iudith.—Vladislaus I. à regibus Prin. Poloniæ.

ia.—Leopoldus dux Austriæ.

Sobieslaus 3. Int.

Vdalricus 2. Int.

Venceslaus. | Spitigneus exoculatus à Premislao.

Vladisl

N.—Fridericus Dux Bauariæ.

Theobaldus in Italia mortuus.

Gertrudis Conradi Cæs. F.—VLA II.

—Iudith Landtgrauij filia.

Henricus Episcopus Pragensis 7. Int.

Fridericus I. Int.—Elizabeth. | N.—Petrus nepotulus Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani.

Albertus Archiepiscopus Saltzburgensis.

Suatoplucus.—Geisæ R. Hungariæ filia.

Vlad

io Morauiæ 8. Int.

PREMISLAVS Ottocarus 6. Int. postea III. Rex.—Constantia Belæ Regis Hung. filia.—Theodorici Marchionis Misniæ F. repudiata.

Vlad altrus IIII. R.

ESLAVS Ot-—Kunigundis Philippi Cæs. filia.

N.—Ottho Marchio Brandeb.

Agnes monialis.

Anna.—Henricus Pius Vrat. Pr. à Tartaris cæsus.

N.—Vdalricus Carinthiæ Pr.

OTTOCARVS V. Rex.—Kunigunda Bulgara.—Margaretha Henrici VI. Cæs. vidua.—N. concubina ex qua

Nicolaus Dux Oppauiæ.
N.—Vartembergus
N.—Straconicensis
N.—Crauarus
} Barones.

N.—Iudith R phi Cæs

eth Premislai- oloniæ filia.—VENCESLAVS VI. R. senior.

Agnes.—Rudolphus Dux Sueuiæ Rudolphi Cæs. filia.

Ioannes Præpositus Visegradensis pòst Episcopus Olomuzēsis 24. spurius, Volko dictus.

Iudith.—Rupertus Nassouius Adolphi Cæsaris filius.

VII. R.—Viola Ducis Teschinij filia.

Elizabeth.—IOANNES Comes Lucemburgi VIII. Rex.—Beatrix Ducis Borbonij filia.

Venceslaus Dux Brab.—N. Alberti Comitis Hollan. F.

V

Blanca Philippi Comitis Valesiæ F.—CAROLVS IX. R. Boiemiæ, pòst quartus Imp.—Anna Palatini Rhen

—Anna Bulconis D dnieccsis F.

—Elizabeth D. Stet sis F.

Premislaus. Ioannes Marchio Morauiæ.—Margaretha Carinthia.

Maria.—Carolus R. Galliæ.

Margaretha.—Henricus D. Bauariæ.

Iudith.—Ioan. R. Galliæ.

docus Barbatus Cæs. designatus.

Procopius Marchio Morauiæ.

Ioan. prius Episcop. Olomuzensis, pòst Patriarcha Aquilegiæ.

Margaretha.—Ludouicus R. Hungariæ.

Elizabeth.—Albertus Dux Bauariæ.

Ioanna Comitis Hollandiæ F.—VENCESLAVS X. R & Imp.

Maria Lud. R. Hung. F.—SIGISMVNDVS XI. R. & Imp.—Barbara Comitis Ciliæ F.

Ioannes Lusatiæ & Gorlizij Marchio.

ALBERTVS XII. R. & Cæs.—Elizabeth.

Magdalena Sponsa Regis Galliarum

LADISLAVS XIII. Rex.—Elizabeth.—Casimirus Rex Poloniæ.

Anna.—Vilhelmus Dux Saxoniæ.

na Gandala Vasco.—VLADISLAVS XV. Rex.

Maria Burg Hispan

LVDOVICVS XVI. Rex.

Anna.—FERDINANDVS XVII. R. & Imp.

MAXIMILIANVS XVIII. Rex & Imp.—Maria Caroli V. Cæsaris filia.

Intercedit GEORGIVS à Kunstat XIIII. Rex.

*Duces.*

1. Czechus.
2. Croccus.
3. Lybussa.
4. Premislaus.
5. Nezamyslius.
6. Mnatha.
7. Vogenus. Voien Cromme ro. Vorcius Syluio.
8. Vneslaus.
9. Creuomyslius.
10. Neclan.
11. Hostiuitius.
12. Boryuorius I Christianus.
13. Stoymirus, Germanis Stilfridus.
14. Spitigneus.
15. Vratislaus.
16. S. Venceslaus.
17. Boleslaus sæuus.
18. Boleslaus pius.
19. Beleslaus excæcatus.
20. Hiaromyrius.
21. Vdalricus.
22. Bretislaus.
23. Spitigneus.

## SERIES REGVM PRINcipum, & Interregum.

1. Vratislaus Rex.

*Principes* VI.

1. Conradus.
2. Bretislaus.
3. Boryuorius.
4. Suatoplucus.
5. Vladislaus.
6. Sobieslaus.

2. Vladislaus Rex.

*Interreges* VIII.

1. Fridericus.
2. Vdalricus.
3. Sobieslaus.
4. Conradus.
5. Venceslaus.
6. Premislaus postea Rex tertius.
7. Henricus Episcopus Pragensis
8. Vladislaus.

3. Premislaus Rex, postea Ottocarus.
4. Venceslaus Ottocarus.
5. Ottocarus.
6. Venceslaus.
7. Venceslaus iunior.

*Interreges* III.

Henricus Dux Carinthiæ.
Rudolphus Dux Sueuiæ.
Fridericus Dux Austriæ, vtriq; filij Alberti Cæs.

8. Ioannes Comes Lucemburgensis.
9. Carolus quartus Rom. Imp.
10. Venceslaus Rom. Imp.
11. Sigismundus Rom. Imp.
12. Albertus Rom. Imp.
13. Ladislaus.
14. Ceorgius à Kunstat Podiebradius.
15. Vladislaus.
16. Ludouicus.
17. Ferdinandus Rom. Imp.
18. Maximilianus II. Rom. Imp.
19. Rudolphus Rex Hungariæ.

Epitomen hiſtoriarum Liuij Florus: Trogi verò Iuſtinus, non pari ſucceſſu meditati ſunt: cùm hîc amiſſorum Trogianorũ commentariorum reus agatur: Compendium hîc minimè inſtituitur, ſed Lectoribus occupationibus (non ſegnibus pigritiæ fomenta addendo) Summaria ſingulorum librorum indicis conſummatiſsimi loco eſſe poterunt.

## SVMMA PRIMI LIBRI.



*ROPOSITIO operis. Situs, ambitus, fines, oppida, fluuij, Bohemiæ, deliciæ ſoli, ritus, mores, primordia gentis: vbi Slauinorum omnium luculenta deſcriptio. Occaſio migrationis Croatarum in Bohemiam. Zechius patria ob homicidium extorris in Bohemiam cum Lecho fratre profugit. Hic in Poloniam gentis auctor. Polonorum & Bohemorum hi quaſi indigetes Dij. Democratia eiusq; incommoda. II Princeps Croccus vates Slauinorum cultus ſacer. Suatouitus Rugiorum idolum. Croccus Rempubl. apud Polonos legibus exornat. In illius memoriam Cracouia extructa. Filiæ Crocci Bela, Teſcha, Lybuſſa diuinatrices magæ. III Lybaſſa patri ſurrogatur. Traducitur muliebris dominatus. Apologus Aeſopico ſimilis de Rege ranis dato. Deo auctore principes creandi.*

## SVMMA SECVNDI LIBRI.

*IIII Premiſlaus (promethea dixeris) aruſpex agricola in maritum & dominatus conſortem à Lybuſſa adoptatus. Equi indicio deprehenſus ſuper vomere prandens. Præſagia de incrementis & duratione imperij Bohemici. Praga condita, etymon, & augurium de illius vrbis potentia. Vlaſta amazon. Conſpiratio muliebris. Prælium atrox. Aſylum mulieribus conſtitutum. Dolus in amatorios adoleſcentes Stiradius fraude circumuentus, crudele fœminarum ſubit ſupplicium. Immanis amatorum in infantes ſæuitia. Ars arte deluditur. Milada Vuiſſegradi conuiuij prætextu cum complicibus necatur. Vlaſta prælians ſuccumbit. Septenne puellarum imperium. Fodinas metallicas primus indagauit Premiſlaus. Morituras crepidas & peram ſacris coronationis vſibus poſteris dicauit. V Nezamiſlius (epimetheus) huic Gurymenſis eſt æmulus. Cruenta acie captus truncatur nare & auribus. Salinæ repertæ & inuidia amiſſæ. VI Mnatha venator. Familia Verſouicenſis cæteris illuſtrior. Ambit principatum: ſuo ſe iugulat re comperta gladio. Mentio Caroli Magni ac bellorum cum Saxonibus & Hunnis geſtorum. VII Vogenus Martialem dixeris. Impubi tutor Rohouitius Verſouicenſis datus. Senem opulentum è ſublimi dat præcipitem. Viſſegrado excludit Vogenum. Fugit ad Zatecenſes: affectat vrbis dominium. Populatur Lucenſes. Legatum principis capite truncat. Expugnatur latronum receptus: ipſe ſibi laqueum innectere cogitur. Prima Miſnenſium prædonum in Boemiam irruptio. Streka arx illis objcitur: ea direpta à Miſnenſibus. Vogenus Morauorum compeſcit incurſus. Saxones Miſnis coniunctos ingenti clade afficit. Lipniciam & Betouiam arces Morauorum ſuccendit & diripit profligato eorum exercitu. VIII Vneſlaus fratri Vratiſlao Lucenſem & Zatecenſem regiones concedit. Suppetias vterque ferunt popularibus contra Carolum Cæſarem. IX Creuomyſlius (cereus in vitium flecti) metallorum plus iuſto indagator.*

*Hormirij lepida fabella.*

# SVMMA TERTII LIBRI.

X Neclan (hebes obtusus) contra quem Vlastislaus patruelis ad fastigium principatus aspirat. Vrbem Cognominem condit. Ferocia Vlastislai arroganti responso respuentis pacem oblatam. Edictum cruentum. Sagarum mendacia & impostura. Imbellis princeps. Siderio à Chaynouo equiti strenuo suas partes obeundas delegat. Vlastislaus confoditur. Siderius ab inuidis interemptus. Septennis filius Vladislai captus cum Duringo pædagogo in conspectum Neclan adducitur. Vita donatus à Duringo perfido necatur. Flagitium suspendio expiatur. Crasnizius Garimensis tetrarcha inhiat principatui. Montani elabitur casses. Curimum obsidetur & occupatur. Fugit Crasnitius ad Hormidurum Morauiæ Regem. Impetrat auxilia. Prælium inter Morauos & Bohemos commissum. Profligati Moraui. Crasnitius in acie occumbit: Rex verò peste obit. XI Hostiuitius princeps, cui frater Mystibogius instinctu Crosmilÿ Versouicensis bellum indicit. Casinum oppugnat Mystibogius. Luditur opera. Arbitris res commissa, qui controuersias sopiunt. Succoslaus Bilinæ præfectus res nouas molitur aduersus principem. Ei apponitur Cressus. Milesius Sucoslai filius in prælio interfectus. Mystibogius clàm coniuratis arma submini-strat. Succoslaus arce expugnata à militib. obtruncatur: tum vndis mergitur. Factiosus & seditiosus Versouicensis. Mystibogius exercitum ducit contra Suatoplucum Morauiæ Regem. Huius filium Suatobogium Arnulphus Cæsar è baptismo suscipit. Dono dat annuũ boũm tributum à Bohemis Cæsaribus pendi solitum. Suatoplucus Nosislaum Mystibogio obÿcit. Cæsi primò Bohemi, pòst redintegrato prælio victoriæ potiuntur. Giula Pannoniæ profectus Morauiam infestis armis impetit. Fulmine ictus animam reddit. Vagus fluuius Pannoniæ & Morauiæ limes. Mystibogius à Diabolo strangulatus.

# SVMMA QVARTI LIBRI.

XII Boriuorius primus Christianus princeps. Occasio assumpti Christianismi. Methudium & Cyrillum Marouiæ prophetas audit. Regium titulum Slauini in Morauia à Constantio Pogonato Cæsare Græco acceperunt. Raslaus Morauiæ rex à Ludouico Cæsare oculis priuatus: ab eo Hormidurus, Suatobogius, Suatoplucus: cuius fœdes Vesprinÿ. Per dolum Hunni extorserunt Pannoniam. Velegradi regiam condit. Simultates inter Arnolphum Cæsarem & Suatoplucum, eò quod hic plus iusto Græcis esset addictus Cæsaribus. Filius Suatoplucus (vel Suotobogius) Cæsare in Normannis bellum gerente vastat Noricum. Sacrilegium in Methudium præsulem commissum. Proscribitur Suatoplucus à Cæsare, & regiones illius publicantur. A vicinis diripiuntur: ipse heremum ingreditur. Nitria Marcomanni regni vmbilico. Arnulphus Phtiriasi obit. Filius Ludouicus à Berengario regno & oculis exuitur. Morauiæ graphica delineatio, cum oppidis, fluuijs, terræ bonitate. Boryuorius suis inuisus ob susceptum Christianismum. Cedit furori coniuratorum ad Suatoplucum confugit. Comitia de nouo principe creando. XIII Placet Stoymirus frater Sucoslai Bilinæi ab Hostiuitio proscriptus. Reuocatur ab exilio Bauarico Stilfridus nominatus. Ob linguæ obliuionem priuatur dignitate. Armata comitia vincit Boriuorÿ factio. Reuocatur secum adducto Methudio. Ludmilla principis vxor cum patre totaq; familia sacra tinguntur lympha. Templa sacris vsibus eriguntur: scholæ extruuntur. Lingua vernacula in sacris vsi Bohemi. Quando ea exoleuit consuetudo, & cuius indultu permissa. Methudius & Cyrillus Romæ mortui in diuorũ accensentur catalogum. Quinquennium sedes vacat. Secundus Iohan. Morauus præsul. Principatu Boryuorius abdicat Spitigneo filio surrogato. XIIII Spitigneus, Deconius & Myrso gubernatores morũ additi. E bona indole malus fructus emergit. Proteruè patri monenti respondet.

Ex

*Ex improuiſo vitam finit. XV Vratislaus quem Methodius in pietate, Dobroſinus in ciuilibus erudyt. Boleſlaus natu minimus filiorum Boiruorij moritur infans. Drahomira Lucenſis Chriſtianiſmum pollicita coniunx datur Vratislao. Fallit fidem datam. Venceſlaus naſcitur. Pietati addictiſſimus Vratislaus. Hunni Germaniam inuaſuri in tranſitu Morauos populantur. Vratislaus exercitum conſcribit aduerſus Hungaros. Sumptum belli & ſtipendia ſoluunt iſti impetrata pace. Henricus Cæſar Saxo Hunnos profligat. Venceſlaum nepotem Ludmilla auia educandum ſuſcipit neglecto Boleſlao. Moritur Vratislaus. Drahomira Iezabel ſacra Chriſtiana prohibet. Perſequutio in Chriſtianos inſtituta iuſſu Drahomiræ. Vatinianum in Chriſtianos odium, & crudelis Laniena Pragæ patrata.*

## SVMMA QVINTI
### LIBRI.

*XVI S. Venceſlaus principatum init. Boleſlao portio hæreditatis trans Albim aſſignatur. Religioni eſt addictiſſimus Venceſlaus. Ludmilla ſicarijs ſubmiſſis à Glote in templo interficitur. Vltio diuina in parricidas. Vindictæ neglectus in Venceſlao. Radislaus Gurimenſis tetrarcha inſultat Venceſlao. Duellum. Auxilium cœlitùs miſſum Venceſlao. Venia datur Radislao, inque integrum reſtituitur. Ottho Vormaciam ad conuentum Imperialem Venceſlaum euocat. Prodigium in conſeſſu principum. Diuorum petit à Cæſare reliquias. Rex ſalutatur. Abnuit. Tributum Carolinum remiſſum: inſignia illi collata. Sanctæ Ludmillæ tranſlatio. Aedes diuo Vito extructa. Moraviæ & Ratisbonæ antiſtites in Bohemia ſacris præſunt. Drahomira in ſacerdotes impia, econtrà Venceſlaus beneficus. Venceſlaus celebs perpetuò. Boleſlao filius naſcitur. Inuitatur ad natalitia Venceſlaus. Trucidatur à fratre orans in templo. Strachyquas à terrore conuiuij dictus filius. Daniæ Regis ſomnium. XVII Boleſlaus ſæuus amicos fratris potiſſimum ſacerdotes perſequitur. Terræ hiatu abſorpta Drahomira. Necis auctores diuinitùs puniti in perpetuam generationem. Prodigijs territus Boloſlaus de ſæuitia nonnihil remittit. Ottho Cæſar Hunnos ad Auguſtam ad internecionem cedit. Senem operas ſeruiles detrectantem obtruncat Boleſlaus. Ottho Cæſar Boleſlauiam obſidet. Supplex Boleſlaus pacem certis conditionibus impetrat. Tranſlatio corporis Diui Venceſlai additis miraculis. Emeranus Ratisbonenſis Epiſcopus Venceſlai templum ſacrat. Strachyquas illi traditur erudiendus. Dombrauam filiam Meſchoni Poloniæ principi pacto Chriſtianiſmo deſpondet. Hungari Morauia, Boiemiáque vaſtatis Auſtriam & Styriam petunt, illic profligantur. Morauj venas metallicas & argentarias diripiunt. Mulctantur à Boleſlao. Deliberatio de Epiſcopatu Pragam inuehendo. Schiſmata Pontificum obſtiterunt.*

## SVMMA SEXTI
### LIBRI.

*XXVIII Boleslaus Pius. Strachyquas Monachus fit. Aureum ſacerdotum ſeculum. Mlada, pòſt Maria, ſoror, Romam profecta monialis ius nominandi Præſulis à Pontifice fratri impetrat. Dethmarus Saxo primus Epiſcopus Pragenſis: ſecundus Adalbertus anteà Voytichius Slauonici Lybicenſis comitis filius. Ab inimicis fidei malè accipitur. Fratio commiſſo Chriſtiani ſuperiores euadunt. Strachyquati Epiſcopatum reſignare vult. Hic reijcit. Adalbertus Romæ fulmen pontificium in Boiemos procurat. Crabrones irritat. Fratres illius quinque iugulantur, quod ille Miſſam celebrans Romæ vidit. Strachyquas Epiſcopus Pragenſis tertius. A dæmone inaugurandus occiditur. Reuocatur Roma Adalbertus. Diuertit cum Gaudentio ad Stephanum Hungariæ ducem, quem baptiſat & Reggm ſalutat*

Eidem Cæsar sororem locat. Hinc sex comitibus in Bohemiam proficiscitur Adelbertus. Pluuia sub ingressum: hinc ortum adagium ominosum. Breunouiensem abbatiam è patrimonio extruit. Anastasius Episcopus Strigoniensis ex hoc contubernio. Noua conspiratio in Christianos. Velitantia certamina. Auxilio Iudæorum pagani ceduntur: quibus ob rem bene gestam synagoga conceditur. Adalbertus transit ad Polonos cum Gaudentio. Hunc Gnesnæ Episcopum constituit, ipse in Prussiam contendit. Pecudibus illic concionatur. Martyrium subit. Gneznæ corpus redemptum & sepultum miraculis claruit. Ottho tertius Cæsar religionis ergo Gneznam proficiscitur: votum soluit. Stephanus rex Hungariæ Adalberto Strigonij basilicam erigit. Hemma princeps Saxoniæ coniunx Boleslai. Theodatus Saxo sextus Pragensis Episcopus. Socij Breunouienses vitam asperam & solitariam eligunt. Mescho Poloniæ princeps eos veneratur. Interfecti à prædonibus. Boleslaus rex Poloniæ Boleslao Bohemo auunculo bellum indicit Versouicensis instinctu. Silesiam Glaziumq; vastat. Domum reuersus Voldimarum Russiæ principem hostem habuit. Boleslaus Bohemus damna vlturus Cracouiam deditione occupat. Crassotam vrbi præficit. Triumphans domum reuertitur, primus princeps Poloniæ salutatus. Polonus frustra Cracouiæ recuperationem molitur. XIX Boleslaus cæcus, auarus, imbellis. Digressio de Electoratus institutione. Bersomitus Crasotæ filius. Cracouia ob negata stipendia in Poloni potestatem venit. In Silesia occurrit Polono Bohemus. Astu colloquium instituitur. Cracouiensi conuiuio Bohemus oculis priuatur, consiliarij trucidantur. XX Hiaromyrius patre inepto ob cæcitatem Principatus excipit habenas. Cochanus Versouicensis fraudis auctor sese insinuat Hiaromyrio: venationibus indulget princeps. Cochanus prætextu venationis principem arbori alligatum, telis confodere incipit vnà cum suis gentilibus. Houora venator ex improuiso superuenit. Liberationem princeps diuo Iohanni Baptistæ & Houoræ acceptam refert. Hinc Baronis titulum ab Henrico Cæsare impetrat à Quercu: prædia donat: summum Boiemiæ venatorem constituit. Tredecim Versouicenses vita mulctati. Polonus Boleslaus Vdalrico principis fratri custodes ponit in aula Cæsarea ipso assentiente Cæsare. In Bohemiam exercitum ducit Polonus. Pragam occupat Hiaromyrius Vissegradi sesquiennium tolerat obsidionem. Vdalricus delusis custodibus euadit in Boiemiam. Cochanus Vdalrico recuperationem Pragæ spondet. Stratagema vsurpatum in recuperatione vrbis. Cochanus Polonum aucem saluum dimittit. Lis de principatu inter fratres. Vdalricus fratrum Hiaromyrium luminibus priuat, & ineptum Reipublicæ administrandæ facit consilio Cochani. Solus rerum potitur.

## SVMMA SEPTIMI LIBRI.

XXI Vdalricus Beatricem rusticam vxorem ducit. Bretislaus primo anno nascitur. Ab Hellichardo Episcopo baptisatur. Boleslaus Poloniæ rex Glacium tentat. Peste reijcitur. Morauiam populatur. Deinde Prussios petit & Saxones. Reconciliatur Hiaromyrio fratri. Aequo iure à fratribus Boiemia administratur. Lis de decimis inter agricolas & Episcopum. Versouicenses suspecti, Lithomirizium oppidum muniunt. Syba venenatum telum in cubiculum Vdalrici irrito euentu torquet. Latet auctor. Bretislao pater Morauiam regendam tradit sub Marchionis titulo. Expeditio Bretislai in Poloniam felicibus auspicijs. E manubijs Vngaricis Reheradense cœnobium erigit. Iuttam vel Iudittham Otthonis Cæsaris filiam à monialibus Ratisbonæ rapit, Coniugem ducit. Bellum conflatum inter Henricum II Imperatorem & Boiemos. Iutta Cæsarem cognatum placatum reddit elusis iuramentis. Spitignæus nascitur Bretislao. Bellum Henrici Cæsaris in Hungaria Bretislai ope confectum, restituto Petro Rege pulso ab Aeba. Albertus Bauarus primus Austriæ Marchio. Vdalricus mori tur.

XXII Bre

XXII Bretiſlaus victor. Iaromyrij ad Vdalrici cadauer contra Verſouicenſes querimonia. Cochanus Iaromyrium interficit. Deprehenſus plectitur diro ſupplicio. Meſcho Poloniæ Rex Boleſlai F. mortem obit. Caſmirus Meſchonis F. Monachus Cluniacenſis. Vindictæ auidus Bretiſlaus fecialem ad Polonos mittit. Iniquum fert reſponſum. Bellum denunciat. Expeditio Bretiſlai in Poloniam Cracouiam, Sydecam, Gneſnam occupat. Hic ſanctorum corpora & Eccleſiæ theſauros aufert. Innumeros abducit captiuos. Præter dictas vrbes Poſnaniam & Vratiſlauiam nondum emensa æſtate expugnat. Accuſatur Bretiſlaus apud tres Pontifices. à Caſmiro apud Cæſarem. Huic arrogans ſatis datum reſponſum. Bannus imperij in Bretiſlaum. Bellum indictum. Cæſaris copiæ deletæ. Saxones meliore fato præda onuſti domos repetunt. Procopius Belinæ comes ob rem malè geſtam crudele ſubit ſupplicium. Caſmirus Polonus ope Cæſaris in paternum deducitur regnum. Ob Caſmiri votum ſolutum (Cluniacenſis iam fuerat Monachus) ieiunia, & tributum à P. M. Polonis indicta. Cæſar Pragam obſidet. Conciliatur Seueri Epiſcopi interceſſione Bretiſlaus. Penduntur 150 argenti libræ, & ſolennis promittitur obedientia. Ad Caſimirum Polonia tranſit ſola Vratiſlauia excepta. Ea pacto annuo tributo quoque Caſmiro reſtituta. Hieronymus primus Epiſcopus Vratiſlauienſis. Latrones Vngaros binis prælijs ſuperat Bretiſlaus annuente Andrea Rege Vngariæ. Diui Procopij vita & ἀποθέωσις. Borimius Verſouicenſis ſemina iacit diſſenſionum inter Bohemum & Polonum: Triginta comitibus crucis adijt ſupplicium. Pax perpetua inter Polonos & Bohemos ſancita. Moritur Bretiſlaus quinque filijs ſuperſtitibus. Moribundi oratio & ſuprema voluntas de ſucceſſione. Omnes Bohemiæ principes victorijs ſuperauit.

## SVMMA OCTAVI LIBRI.

XXIII Spitigneus μισογέρμανος. Intra triduum Cermanos ſolùm vertere mandat. Neque matre & Veſtali comitiſſa exceptis. Occaſio huius in Germanos odij. Mater Iuditha Petro Regi Vngariæ nubit: eo mortuo in Morauiam ad alios filios reuertitur. Cœnobium Prak ad Znoymam erigit. Tercentum nobiles Morauos ob Germaniſmum ſpoliat & carceribus addicit. Inhumanus in fratres. Vratiſlaus maior in Hungariam fugit. Cunradus & Ottho Pragam abducuntur aulicis miniſterijs deſtinati. Coniunx Vratiſlai grauida in maritum ſuſceptam indignationem excipit. Belinæ præfecto cuſtodienda traditur. A Seuero Epiſcopo corripitur durius. Dimittit Vratislai coniugem incolumem. Hæc maritum conuentura, abortu facto, in itinere expirat. Andreas Rex Hungariæ ſororem Adleitam Vratislao coniugem tradit. Spitigneus princeps fratribus reconciliatur reſtitutis bonis, ſomnio eiúſque interpretatione per Epiſcopum facta, territus. Bretislaus filius natus Vratislao ex Adleida. Seuerus principum victus precibus renunciat Epiſcopatum Olomucenſem Iohanni. Vidua petit audiri à Spitigneo, ſat memorandum facinus. Pragæ templum condit.

XXIIII Vratislaus. Diuidit inter fratres Morauiam Iaromyrius minimus ſe neglectum queritur. Spes Epiſcopatus Pragenſis ipſi injicitur. Placatur: poſt habitu reiecto ad ingenium redit. Copijs Boleſlai Audacis regis Poloniæ adiutus fratrem principatum obtinentem impetit irrito conatu. Mors Adleidæ coniugis Vratislai. Vratislaus primæ coniugis carcerem vlciſcitur in præfecto. Deliberatio de ſucceſſore Seueri in Epiſcopatu. Iaromyrius inuito principe palmam obtinet. Vratislaus Stanislaum Poloniæ Regis ſororem coniugem tertiam ducit. Sileſiæ deſcriptio. Iaromyrus Gerardus dictus confirmatur ab Henrico Cæſare per Moguntinum Archiepiſcopum. Repetit à Iohanne Olomucenſem Epiſcopatum. Hinc diſſenſionum longa ſeries. Excommunicatur. Romam citatur. Monaſterio mancipatur. Mathildis in-

gratiam Pontificis reponit Gerardum. Bella parricidialia in Germania, inter Cæsares Henricos patrem & filium. Henrico à Pontifice exauctorato sufficitur Rudolphus. Eo cæso Henricus filius. Patri ob Lusatiam stipulatam Vratislaus filio Henrico Leopoldus Austriæ Marchio auxilia tulêre. Leopoldus Morauiam infestis signis inuadit. Profligatur à Vratislao. Htc Henrico patri ad Rhenum suppetias fert. Simultates inter Cæsarem & Vratislaum. Pater carceri Leodiensi à filio inclusus moritur. Boleslaus Ferus Rex Poloniæ à Pontifice Maximo regno priuatus ob necem diui Stanislai. Vratislaus cum fratre Gerardo Episcopo animaduertit in Magos & Iudæos.

## SVMMA NONI LIBRI.

Vratislaus regium decus ab Henrico Cæsare Maguntinis comitijs adeptus. Coronatur Pragæ cum coniuge à Gilberto Treuirense Archiepiscopo. Gerardo à Cæsare adijcitur Olomucensis Episcopatus. Insolescit Gerardus. Aemulus illi à Rege frater datur. Collegium siquidem Canonicorum Pragæ instituit: eius præpositus & Cancellarij Regni dignitate cohonestatus. Lusatij inclinant ad Saxones. Vt in officio retineantur, mittitur Bretislaus filius cum Alexio strenuo milite. Conflictus Saxonum & Misnensium cum Boiemis. Interfecto Alexio Bretislao saucio cruentam reportant victoriam Boiemi. Lotharius vindex ex Italia. Infensus Vratislao ob antecessorem Henricum Cæsarem, cuius beneficio tenebat Lusatiam: huic Lotharius factus erat supplex. Deprecatur culpam vel potius excusat factum Vratislaus, & sic lis dirempta. Ottho frater Vratislai obijt filijs Suatoplaco & Ottone relictis. Hæres vult esse Rex ipse. Cunrado fratre assentiente Gerardus in possessionem pupillos locat. Gerardo à Rege obijcitur Venceslaus litem moturus de Episcopatu Olomuzensi. Gerardus Romam ad Pontificem profecturus Strigonij moritur. Rex Pragensem Episcepatum ab Olomuzensi in perpetuum separat. Exuit patrueles Olomuzio. Substituit Bretislaum filium. Oppugnat Cunradum fratrem Brunnæ. Desiderius assentator aulicus iussu Bretislai necatur. Valdpurgis Conradi coniunx marito veniam impetrat. Bretislaus rebellis patri. Conciliatur per Conradum. Diffisus paternæ beneuolentiæ ad Ladislaum Regem Hungariæ confugit, benignè illic habitus cum proscriptis compluribus Vratislaus præterito rebelli, contumacique filio, Cunradum fratrem successorem designat: illi quatuor liberorum tutela commendat. I. Cunradus primi Interregni primus à Rege Princeps septimestris. Vdalrico & Leopoldo filijs Znoymam & Brunnam assignat. Episcopus Cabilionæus impostor. II Bretislaus secundus à Rege princeps auxilio Ladislai Regis Hungariæ patriæ principatum repetit. Filiam principis Rhenani ducit. Relapsi Boiemi ad Paganismum. Cosmæ Episcopi exhortatio ad Bretislaum. Decretum contra gentilismum. Bellum contra Vladislaum primum Poloniæ principem ob non soluta annua vectigalia. Nemine aduersante peruastata Silesia reuertitur. Sacri milites multa nefariè in Boiemia agunt. Vladislaus Polonus in Morauiam Boleslao filio damnis damna æquat. Morauiam populatur. Vlciscitur illatas iniurias Bretislaus capta & direpta Briga. Post Camineciam condit arcem munitam. Pecunia debita numerata Polonus pacem impetrat. In Lusatiam Versouicenses exulatum deportati. Mulsat Bretislaus Iudæos prætextu Apostasiæ. Exuit Brunna & Znoyma Cunradi filios. Præfecit fratrem Beryuorium. Illi in Austriam profugiunt. Pax æterna sancita. Filij Cunradi Morauia pulsi. Rex oppidum à Gotfrido Marchione pignori accipit: hinc ex Morauia prædas agit. Vdalricus capitur. Glacij carceri committitur. Rezium expugnatum à Bretislao & Godefrido restitutum. Boryuorius sororem Leopoldi Austrij coniugem ducit. Pestis atrox. Bretislaus ad conuentum Imperij Ratisbonam proficiscitur. Feudum accipit. Boriuorius

*uorius ſucceſſor inſtituitur. Boleslaus Polonus Vladislai filius ad auunculum Bretislaum venit, illic aulæ fit magiſter. Reuerſus à venatione princeps à Loreco Verſouicenſe ſagitta confoditur. Ipſe per auia fugiens, præceps gutture fracto, quoque animam efflat.*

## SVMMA LIBRI DECIMI.

*BORIuorius tertius à rege princeps: filios Conradi in integrum reſtituit. Vdalricus toti inhiat prouinciæ: Prenſat aulicos, ipſum denique Cæſarem. Optio datur Bohemis. Amici reducunt Vdalricum: qui viſo Boriuorij aduerſario agmine, fuga ſibi conſulunt: hinc conatus Vdalrici fracti. Reſtituuntur duo Verſouicenſes ægrè aſſentiente Boriuorio. Bellum in Polonia inter Boleslaum diſtortum & Sbignæum nothum filios Vladislai principis. Boriuorius & Suatoplucus ſpurio fauent. Muneribus placati reducunt exercitum. Suatoplucus à Boriuorio muneribus acceptis fraudatus aſpirat ad regnum. Prehenſat potiores Boemorum procerum etiam ipſos Pragenſes.: Pragam obſidet irrito conatu: vulpina omiſſa leoninam induit. Fingit Budiuoius per Hiruinum, Verſouicenſes (qui Pragam ſtrenuè contra Suatoplucum defenderant) prodituros Boriuorium. Iuſſi puniri Boleslauiam ad fratrem principis tranſeunt. Ingens coniuratio aduerſus Boriuorium. Fugit in Poloniam Sobieslao fratrum minimo ſpontaneo comite. Suatoplucus regnum vacuum occupat. IIII Suatoplucus à rege princeps Bohemiæ. Othoni fratri Olomucium tradit: patruelibus Znoymam & Brunnam reſtituit. Boriuorius Cæſari fit ſupplex. Citatur Suatoplucus. Reducitur à Saxonibus Boriuorius. Obſtat Otho Suatopluci frater. Pragenſes alieni à Boriuorio: omnia reperiēs aduerſa exilium Polonicum repetit. Epiſcopus Bambergam concedit. Suatoplucus ius ſuum ære redimit apud Cæſarem: Non eſt ſoluendo. Otho frater traditur obſes. Iudæos, eccleſiaſticos & mercatores expilat. Filius Suatopluci Bambergæ baptizatur. pecuniam debitam Cæſar remittit, & Othonem dimittit. Bellum Cæſaris in Hungaria. Suatoplucus in commilitium accerſitus. Nihil actum. Boriuorius à factione Verſouicenſi reuocatur abſente in Hungaria Suatopluco. Inuectiua in Verſouicenſem, quam ſequutum extremum ſupplicium cum totius familiæ internecione. Vltum veniunt Hungari à Morauis acceptas iniurias duce Suatopluco. Is ſeſe opponit. Læuus à ramo illi excutitur oculus. Repetit Hungariam: diripit vicos & oppida celebria, prædaſq; agit Suatoplucus. Colomanni regis Hungariæ bellum ſopitum. Expeditio in Poloniam cum Cæſare. Glogouia vrbs ab vtroque obſeſſa. Suatoplucus à Sicario in caſtris Cæſaris occiditur. Soluitur obſidio dilapſo milite Boiemo. Comitia Pragæ prætoria habita. Irrita habetur Cæſaris, qui fratrem Othonem ſuffecerat in caſtris electio. V. Vladislaus à rege princeps Bohemiæ. Othonem patruum Marchionem Morauiæ conſtituit. Hic Epiſcopo Olomuzenſi Cremſirium vendidit. Boriuorius repetit Bohemiam à fratre. Ad comitia Ratiſponam profecturus occaſionem præbet Boriuorio clam Pragam ingrediendi. Reuertitur. Conſligit feliciter cum Venceslao filio Egberti Marchionis Morauiæ. Otho tria milia Morauorum affert auxilio. Suſpectæ vires Othonis. Epiſcopus ad Cæſarem ablegatur nomine Vladislai. Cæſar in Boiemiam venit. Luſatius cuſtodiæ traditur. Boriuorio adduntur cuſtodes. Deliberatio de principe. Vladislaus Othoni prælatus. ſuffragatore Epiſcopo. Otho locupletior redditur donatione bonorum patrui Leopoldi. Vladislaus iunior Bretislai filius auxiliares copias ducit pro Cæſare in Italiam. Vladislaus Verſouicenſem ignominioſè multat, & prætorem Pragenſem inſolito contumeliæ modo afficit.*

# ARGVMENTA

## SVMMA LIBRI VNDECIMI.

SOBieslaus fratrum minimus Polonis adiutus Bohemiam inuadit, Reprimuntur præda recepta. Suataua mater Sobieslaum principi reconciliat. Conceditur illi fruenda Lucensis regio. Otho conuiuij prætextu capitur: in carcerem Creuoclatensem abducitur suspectus de ambitu. Colloquium Stephani secundi regis Hungariæ cum Vladislao duce. Zolthus ambos committit principes suspicione repletos. Hinc prælium atrox. Zolthi supplicium. Fœdus ictum. Sobieslaus ducit sororem regis Stephani. Vladislao Bretislai filio ex Italia redeunti equestres instituti ludi. Semina dissensionum falsarumq; suspicionum à susurronibus iacta inter Vladislaum & Sobieslaum. Vaceconem tanquam delatorem Sobieslaus interficit magno principis dolore. Fugit Sobieslaus ad Marchionem Lusatiæ affinem: ab Erknbergo capitur: scribæ ope euadit: Marchionis Lusatiæ consilio Cæsarem compellat: repellitur cum Marchione incerceſsore. Othonem, coniugis suæ & illius (sorores erant) interceſsione pristinis restituit bonis & dignitati. Boriuorium fratrem regni consortem admittit. Terræmotus Tridenti. Vultauiæ exundatio insolens. Ruina arcis Vicegradensis læuo omine. Perperam accipitur, quòd Boriuorius fauet Germanis. Ne occulta odia in manifestum erumpant incendium in Bauariam Boriuorius, pòst in Hungariam (vbi fato fungitur) concedit. Germano Episcopo & Iudæo quæstore instituto Vladislaus offendit proceres. Iudæus baptizatus aram Christianam noctu demolitur. Punitur cum cæteris Iudæis. Sobieslaum Vladislaus à matre exoratus succeſsorem instituit morituros. Sobieslaus sextus à Rege princeps Bohemiæ. Otho Vicegrado non cedit, nisi omnium suffragio audiat Sobieslaum electum. Spoliatur Otho Brunnensi regione: ea Vratislao Vdalrici filio restituitur. Monasterij Tralizensis fundatores. Otho ad Lotharium Cæsarem quæstum confugit. Cæsar in Boiemos. A Sacellano Sobieslai Duci Venceslai hasta munito profligatur exercitus Cæsarianus. Captiuis restitutis pax facta. Sobieslaus Cæsari auxilia pollicetur aduersus Conradum & Fridericum competitores. Cum Bela cæco rege Hungariæ fœdus init Sobieslaus: Vratislaum Brunnæ Dominum capit: Venceslao Othonis filio Olomuzium donat: Bambergam cum Cæsare obsidet: Bauariam depræda tur: spolijs opimis onustius reuertitur. Lotharius baptismo filij sui (cui Vladislao nomen) interest, & confirmat Lusatiæ donationem. Cunradus Marchio capitur: Vicegradi detinetur. Insidiæ in Sobieslaum detectæ. In conspirationis auctores seuerè animaduersum. Religio percellit Sobieslaum ob sublatos insidiatores. Episcopus Pragensis Hierosolyma reuersus innocens neque coniurationis conscius deprehenditur. Absoluitur & restituitur Episcopatui. Conradus & Vratislaus carcere liberantur. Venceslaus Othonis filius Sobieslao charus: Arcem suam templo Diuo Venceslao construendo donat. Cæsari Sobieslaus Romam ad coronam suscipiendam proficiscenti 300. equites addit Iaromyro Boriuorij filio duce. Certamen inter Bohemos & Germanos de statiuis. Belæ cæco regi Hungariæ auxilia mittit contra Boleslaum Polonum, qui Borichium Colomanni spurium in regnũ Hungariæ intrudere conabatur. Conradus Polonorum sternit exercitum. Bela sororem Cunrado offert. Sobieslaus triennij neglecta tributa à Polono repetit. Hic falsè oratores mordet. Boemus in Silesiam, Morauiam petit Polonus cum exercitu. Damna vtrinque data. Lotharius Cæsar intercedit. Inducia triennales constitutæ, pax pòst perpetua Glazij sancita. Nuptiæ Cunradi cum Belæ sorore. Vratislai cum Vasilia Ruthena, Mariæ filiæ Sobieslai cum Leopoldo Austriæ duce. Sobieslaus vacat vrbibus condendis & exornandis. Lotharius Cæsar moritur. Cunradus succedit. Astipulatur illi Sobieslaus. Proscriptus Henricus Bauarus competitor. Vladislaus Vladislai fratris filius à Cæsare succeſsor instituitur. Gertrudis soror illi à Cæsare coniunx datur.

Summa

## SVMMA LIBRI DVODECIMI.

*Vladislaus princeps postea rex secundus. Solitudo nobilium cùm magistratuum iniret, & sacramentum exigeret fidelitatis. Suspicio. Cunradus caput aduersæ factionis. Consilium prudens de conniuendo Henrici præsulis. Cunradus Belæ auspicijs Vladislaum profligat. Vladislaus cum fratre Henrico ad Cæsarem. Cunradus Praga excluſus sacra delubra arcis incendio absumit. Lotharius in Bohemiam profectus omnia pacata restituit Vladislao. Suspectus à functionibus ciuilibus amouet. Bellum Cunrado mouet, Bela iam mortuo. Eludit. Patrueles alij conciliantur. Syon cœnobium. Præmonstratensis ordo seminalium Episcoporum Olomuzensium. Vladislaus corrigit magistratus, causis, earumq; dijudicatione ad se translata. Episcopi censuram in sacerdotes agunt. Henricus domi parum proficiens Pontificem adire cogitat. Deflectit ex itinere, concordiam pariturus inter Vladislaum & Cunradum. Spoliatur viatico à Cunrado. Persequitur Romanum iter. Eugenius Papa Guidonem legatum mittit coercitum licentiam sacerdotum. puniuntur sacerdotes. Cunradus excommunicatur: censuram ecclesiasticam spernit. Vladislaus obsidet Cunradum Znoymæ: pellitur Cunradus. Henricus præsul montem Olineti monasterium Lithomyslij condit. Cunradus in gratiam à Cunrado Cæsare recipitur, nomine dato sacræ militiæ. Bellum sacrum Cæsaris Cunradi, regum Galliæ, Hispaniæ & Angliæ. Manuel Græcus Cæsar prodit exercitum. Cunradus Cæsar à reditu conatur in Poloniæ regnum restituere Vladislaum à fratribus exactum. Boleslaus Crispus Cæsarem ludificatur. Christiana coniunx Boleslai Polonis infensa & ijs quoque exosa. Mors Conradi Cæsaris turbat transactiones Polonicas, Gertrudis quoque Bohema soror Conradi Cæsaris moritur: ita etiam Episcopi Pragæ & Olomuzij humanis cessêre. Cæsari Conrado Fridericus Barbarossa Episcopis alij sufficiuntur. Cæsar iturus in Italiam Vladislaum constituit vicarium. Nuptijs cum Beatrice Burgunda celebratis. Vladislaum regem Bohemiæ declarat, illiq; Iudith filiam Lantgrauij coniugem tradit. Comes est Cæsari expeditione suscepta contra Insubres. Non æquos domi habet censores ob coronam susceptam, coniugium contractum, & militiam externam. Excusatio verè heroica. Verona omissa rex Brixiam occupat. Brixiani coguntur auxilia conferre Cæsari contra Mediolanenses. Nobiles Boiemi vadum reperiunt in fluuio Abduæ & primi transeunt. Pontem sternunt pulsis Mediolanensibus pontis custodiæ relictis. Laudenses accusant Mediolanenses: hi verò veniam supplices à Cæsare petunt. Anshelmus Rauennas Episcopus Mediolanensibus aduersatur: hostes declarantur imperij. Crudelitas patrata in Ekberti comitis aulæ præfectum à Mediolanensibus. Cingitur obsidione Mediolanum. Gualuaginus Angleriæ Comes præfectus Mediolani Pontifex Mediolanensibus fauet. Statius castra Ludouici Palatini inuadit: repellitur ab Vladislao rege. Specula Mediolanensibus erepta. Fridericus regis filius castellum capit. Virginum pudicitiam rex redimit à milite, & gratis suis puellas inuiolatas restituit, Statius erumpit. Confoditur. Bohemi vrbis portionem muro conscenso, portis effractis diripiunt. Deliberatio in vrbe de deditione. Obstat Gualuaginus, cui aduersatur Blateranus. Rege Bohemiæ apud Cæsarem intercessore vtuntur. Conditiones propositæ & acceptæ. Triumphans Cæsar ingreditur vrbem. Sacramentum fidei coronatus solenniter à ciuibus exigit. Coronam gratitudinis ergo Bohemiæ regi imponit. Præmia militibus Bohemis distributa. Mutata regni insignia ex aquila in leonem. Fuluus leo in album mutatus cauda bifurcata. Iocus. Cui competat auctoritate Cæsarea vis coronandi regem Bohemiæ. Sobieslaus Sobieslai filius cepit, rege absente, & diripuit Olomuzium. Captus carceri Prendæ mancipatur. Longo pòst tempore Cæsaris intercessione liberatus. Pons Pragensis ab architecto Italo extructus. Noua Mediolanensium rebellio.*

# ARGVMENTA

## SVMMA LIBRI DECIMI TERTII.

*Daniel Episcopus Pragensis mittitur ad Regem auxilia accersitum contra Mediolanenses. Decernuntur auxilia ductoribus Friderico filio & Theobaldo Regis fratre. Rex bellum Hungaricum suscipit. Occasio belli. Præfertur ab Hungaris Stephanus Belæ, Stephano Geysæ filio. Huius mater Vladislaum petit adiutorem, pacto filiæ matrimonio cum Suatopluco regis filio, adiecta dote satis ampla. Manuel Constantinopolitanus Imperator Stephani Belæ partes fouet. Pugna commissa. Græculi Hungarorum gens bellicosa & Albanorum. Rokitha miles Bohemus conciliationi studet. Ius Imperatoris Græci in reges Hungaros. Bohemus successionem non ætatem vrget. Causa potitur. Congressus Imperatoris cum Rege. Friderici filia desponsatur Petro nepotulo Manuelis. Reginæ Hungariæ munificentia. Mediolano ludæorum ope potitur Cæsar. Excidium vrbis. Gualuagini pœna, Theobaldus regis frater in Italia militiam continuat. Daniel Episcopus apud Cæsarem manet. Fridericus reuertitur. Odia inter Cæsarem & Pontificem, Cæsarianis & Pompeianis similia. Alexandria extructa. Theobaldus & Episcopus in Italia moriuntur. Albertus frater regis fit Archiepiscopus Salizburgensis. Rex ob senium deses Vogislaum onerum non honoris participem facit: apud monachos Strahouienses solitarius degit. Ob inuidiam Vogislaus à Suatopluco regis filio pugione vulneratur. Spontaneum subit exilium Suatoplucus. expiatum facinus. Rex Fridericum filium successorem designat, regni administratione prorsus abdicata. Patri & filio duobus seruire regibus molestum esse aiunt Bohemi. Vdalricus Sobieslai filius fratris Sobieslai decennalem carcerem remitti postulat à Cæsare. Hic ab Vladislao non impetrat. Noribergam rex euocatur. Dimittit liberum Sobieslaum. Hic non satis acceptus Friderico regis filio. Suspicionibus vtrumque replent gnathones aulici. Sobieslaus aulam Cæsaream in Fridericum commouet. Vladislaus à Cæsare filij Friderici in regno confirmationem petit: haud æquum fert responsum. Cedit Rex cum coniuge in Lusatiam. Fridericus à Sobieslao pulsus, ad Hungariæ regem Belam fugit. Quarto post mense Rex fato functus:* Interregnum, *præfuit regno 35 annos.* Interregnum. *Fridericus Interrex. Vladislaus secundus, Sobieslaus frater tertius. Præfectum Prindæ, sub cuius custodia fuerat aseruatus, sua manu iugulat: facti pœnitet, quod publica pœnitentia testatum facit. Gualuaginus carcerem Germanicum effugit: concitat Insubres. Genua rebellis. Vdalricus auxiliares copias Cæsari ducit. Bohemi rapaces Vlmæ & in Alpibus palantes occiduntur. Genua subacta. Exiguo comitata redux Vdalricus. Domi in desertores animaduersum. Bellum Henrico Austriæ cum Conrado Znoymæ Marchionibus. Sobieslaus huic fauet. Austrius profligatus è ponte decidens ceruicem frangit. Causa mortis à Cæsare in Sobieslaum transfertur. Emericum regem Hungariæ fratri prodit Sobieslaus: citatur: morbum simulat. Fridericus princeps declaratur: Pragæ recipitur. Sobieslaus in Lusatiam. Popularis Fridericus cum coniuge. Cæsar Fridericum in Germaniam euocat. Sobieslaus noua domi molitur. Redeuntem Fridericum profligat concisso exercitu, tam Cæsariano quàm Bohemo. In Cæsaris contumeliam Germanum cataphractum terra obruit. Reparato prælio Sobieslaus ad Pragam sternitur: manu Friderici vulnus accepit. in exilio moritur. Ob rem bene gestam copias auxiliares præmijs afficit Fridericus.*

## SVMMA LIBRI DECIMI QVARTI.

*Fridericus exactionibus onerat Boiemiam: Notam delet electione fratris in Episcopum Pragensem. Nouum odium nobilitatis conflatum ex collatione magistratuum hominibus Germanis. Conradus Marchio captat occasionem regni inuadendi.*

Clam

Clam agit. Friderico ad conuentum Imperij Ratisponam euocato Vicegradum occupat. Pragenses sesquimensem resistentes se dedunt. Cæsar Conradum cum Bohemis proscribit. Palatinus Bauarus mediator. Superbum accipit responsum. Conradus mansuetior. Pro tribunali solenne à Bohemis de Friderici restitutione Cæsar exigit iuramentum. Hæresis Picardæ origo & auctores. Petrus Valdensis. Pauperes de Lugduno. Ludouicus rex Galliæ multos interimit, In Bohemiam reliquiæ eorum. Conradus extimulat Vdalricum & Venceslaum Sobieslai filios contra Fridericum. Tumultuario milite collecto Pragam inuadunt. Aduentu copiarum Friderici dilabitur latronum cuneus. Nouum exigit à nobilibus iusiurandum Fridericus. Fratrem minorem aduersus Cunradum (eò se Venceslaus receperat) armauit. Betouiam obsidet. Frustratus expectatione reuertitur cum exercitu incolumis. Ratiborius Versouicensis gentis suæ infamiam vindicaturus principumq; Bohemiæ gratiam demeriturus, collecto equitatu Polonico Premislao aduersus Cunradum sese coniungit. Cruenta pugna. Victor Premislaus, quod Ratiborio acceptum habetur. Ea propter in gratiam recipitur. Insignia mutantur: pro nassa secures. Prinda donatur, vt fines Germanicos tueatur. Premislao Olomuzium assignatum. Cunradus habitu tabellarij fit supplex Friderico. Ius eligendi episcopi Olomuzensis cui nam competat? Saladinus Aegypti Sulthanus occupat Hierosolymam. Comitia Noribergæ. Fridericus Cæsar dux sancti belli. Fridericus Cunradum mittit. Philippus rex Galliæ & Richardus Angliæ socij belli. Armeniam Cæsar subiugat, Iconium capit. Fluuio mergitur. Anglus et Gallus æmuli. Saladini apohtegma. Fridericus: moritur. ei suffectus Cunradus IIII. Interrex. Henricus Barbarossæ filius Siculum regnum inuadit contra Tancredum. Cunradus opem fert ipse. peste Neapoli moritur cum Othone patruele. Venceslaus Othonis filius. V. interrex trimestris à Premislao oppressus fugit Bambergam ad Cæsarem. Premislaus Vladislai regis filius. VI. interrex quadrimestris. Citatur à Cæsare. Venceslaum reponi mandatur. Redit Venceslaus. A Marchione Lusatiæ interceptus vitam carcere finit. Filium Spitigneum Henrico episcopo commendat. Henricus Vladislai regis filius & episcopus & princeps. interrex VII. Confirmatur pacta pecunia à Cæsare. Soluendo non est. Purgat latronibus Bohemiam. Premislao Vladislao fratre in Marchionatu Morauiæ substituto ad Lusatium Saxoniam affligentem se confert. Henricus iussu Cæsaris Vilhelmum contra Lusatium & asseclas cum exercitu mittit. Victoriam reportant. Miles coerceri nequit. Emericus rex Hungariæ ad nuptias Henricum inuitat. Strigonij fœdus ictum. in reditu Morauicas euadit insidias. Vlciscitur inuitus. Seuerus sacerdotum censor. Petrus Cardinalis à via lata auxiliator. Tumultus à coniugatis sacerdotibus ad arma erupit. Puniuntur sacrifici. De bello vltra marino benignè Cardinali respondet Henricus. Resignat principatum fractis è morbo viribus. Premislaus & Vladislaus fratres ei regnum eripere conantur. Vladislaus capitur Henricus Egræ moritur. Vladislaus VIII. interrex. Premislai sors misera in officinis lapidarijs. Morte Henrici Cæsaris exhilaratus in Boiemiam accelerat. Colloquium inter fratres. Spitigneus Premislaum intercipere conatus oculos amittit. Premislao cedit Vladislaus sola Morauia contentus.

## SVMMA LIBRI DECIMI QVINTI

Duo Cæsares, quod antea nunquam auditum. Philippus dux Sueuiæ & Otho dux Saxoniæ. Premislaus anceps cui fauere debeat. Saxones prædas agunt in Lusatia. Conquerenti Premislao iniquiùs responsum. Philippo roganti suffragatur renunciato Othone Premislaus. tum etiam totam populatur Saxoniam. Premislaus Moguntiæ à Philippo Cæsare Rex Bohemiæ coronatur. Perpetua serie sibi postea

*reges succesſerunt. Philippus primo prælio inferior, pòſt duobus ſuperat Othonem. Bauarus Epiſcopus apud Philippum conqueſtus de effreni Bohemorum in prædando licentia. Alienatur à Philippo Premislaus. Corruptus à Lantgrauio Thuringiæ factioni Othonis adhæret: repudiat Miſnenſem coniugem in deſpectum Philippi. ducit Conſtantiam Vngaram. Quia eſſet Ottiſchar, Ottogari nomen à Bohemis inditum. longè lateq; Philippi vaſtat ditionem. Subornat Philippus Theobaldum contra Premislaum ex conſilio Marchionis Miſniæ. Ferro & igne graſſatur Premislaus in auctores. Congreſſus Cæſaris Philippi cum Premislao Egræ. Simultates depoſitæ. Venceslao Premislai filio datur ſponſa Kunigundis Cæſaris filia prius Palatino pacta. Theobaldus in gratiam collocatus. Othonem Coloniæ Philippus obſidet. Ille ferox ex vrbe prodit. deſeritur: in Saxoniam profugit. Vrbem Philippus occupat. A Palatino obſpretas nuptias Bambergæ interficitur. Otho Cæſar malo animo aduerſus Premislaum. Magdeburgenſis Epiſcopi prudens conſilium. Principes reliqui tranſigunt inter Cæſarem & Regem. Ter centum cataphractos Cæſari coronam Romæ ſuſcipienti addit. Domi filium Venceslaum coronat. Theobaldo Henrici Barbati filiam coniugem tradit. Armat eum vt ſocero contra Polonos opem ferat. Lis abſq; prælio dirempta. Tartari primùm innotuerunt. Otho Cæſar à Pontifice excommunicatus, illiq; imperium abrogatum. Surrogatur Fridericus Henrici filius 20. annorum. Otho vindicatum iniurias ſeſe accingit. A Ludouico Galliarum rege profligatur in Flandria. obyt præmœrore. Fridericus munificus in regem Boiemiæ. Summa priuilegiorum ampliſſimorum. Rex parum religioſus ſacerdotibus vectigal indictum: monachi prædæ expoſiti. Abbas Strahouienſis oratiuncula regem demulcet. Epiſcopus ex Auſtria regem anathemate petit. hinc Romam abit. Monaſteria ſunt penu regum Bohemiæ. Monachi ſunt diſpenſatores. Decretum impetrat pro religioſis. Reuocatur Roma Andreas Epiſcopus cum legato Honorij Pontificis. Placatur Rex. Fridericus Cæſar excommunicatur. Vladislaus Marchio Morauiæ regis frater moritur Velegradi, vbi nouum templum condiderat. Laudes huius Marchionis & Roberti Britanni Epiſcopi Olomuzenſis. Vladislaus filius patri in Marchionatu ſuccedit. De Pragenſi Epiſcopatu lis. Iohannes Scholaſticus palmam obtinet. Cæſar conuentus agit Argentinæ. Rex Bretislaum agnatum cum ampla poteſtate eò mittit. Agitur de ſucceſſore. Henricus filius eligitur ſtipulata in Palæſtinam expeditione. Contra Pontificem Cæſar. Guelphorum & Gibellinorum nomen primùm innotuit. Leopoldus Auſtrius Cæſari militat in Italia, domui Fridericum filium præficit. Auſtrij latrones populantur Morauiam. Vladislaus cum Venceslao filio Regis par pari referunt. Leopoldus in Apulia moritur. Cæſar ab Innocentio Pontifice maximo ad Parmam cæditur. hinc ad Cremonenſes fugit. Diluuium in Phriſia. Cometes. Meſco Poloniæ princeps moribus arroſus. Terræmotus in Bohemia. Prodigia hæc regi veternum excutiunt. Filiæ regiæ iam nuptæ patrem inuiſunt. Agnes repudiato Cæſaris coniugio fit veſtalis. Fridericus Auſtrius Batouiam obſidet, Boeccus à Kunſtat vel terret vel admonet hoſtes Fuga Auſtriorum. Oppugnatur Rezium. Fridericus prouocat ad duellum. Venceslaus accipit conditionem: tum ille fingit morbum. Auſtria vaſtata. Premislaus I. Ottocarorum moritur.*

## SVMMA LIBRI DECIMI SEXTI.

*Venceslaus Ottogarus Luſcus IIII rex Bohemiæ. Filium Premislaum Marchionem Morauiæ conſtituit addita Oppauia & Olomuzio. Conſtantia auia nepotis gubernatrix. Ea ſupra ſexum prudentiſſima: arces in Hungaria & Morauia erigit: hic etiam cœnobia condit. Morchiones Brandeburgenſes feudo accepto regis implorant contra vicinos epiſcopos auxilia. Decernuntur tria milia peditum, & equites tercentum. Vincuntur Epiſcopi vno eorum capto. Cæſar Fridericus Bambergæ conuentus*

uentus agit. Filium Henricum perduellem in Apuliam relegat. pòst interficit. Magdeburgensis Episcopus Venceslaum regem illic accusat pacis publicæ perturbatorem. Priuatum in conclaui inter Cæsarem & Regem iurgium. Venceslaus Cæsari extorquet de incolumi dimissione stipulationem. Abbas Fuldensis regi insultat. A Vogirio Comite malè accipitur. Ea propter dono accipit arcem Belinam. Rex Monoculus pro Ottocharo dictus, ob excussum à ramo inter venandum oculum. Cæsar offensarum immemor regem ad nuptias inuitat. Bello Austriaco cum Bauaro præficit. Occasio belli. Viennenses se regi dedunt. Nouæciuitatis irrita oppugnatio. Venceslai fidei commissa à Cæsare omnia bello parta. Fridericus Austrius viginti aureorum millibus redimit Viennam. Eam summam militibus congiarij loco distribuit. Liberalis rex. Historia de massa auri somnum impediente. Liberalibus liberaliter omnia affluunt, Regis apophtegma. Prodigus rex postea eget. Aeri dissoluendo nouæ instituit vectigalia. Nobiles instigant Premislaum Marchionem aduersus patrem. Sternitur acies Premislai. Veniam petit filius. Custodiæ traditur. Digressio de Tatharis. Eorum Tetrachiæ quatuor. Ruthenis domitis Poloniam inuadunt, Batto & Peta ducibus. Boleslaus verecundus Poloniæ princeps cum matre & vxore Velegradum in Morauiam secedit. Diuiditur Tatharorum exercitus. Batto in Hungariam, Peta in Silesiam proficiscuntur. Vratislauiam expugnant vt prius Cracouiam. Henricus dux Lignicensis se illi opponit. Magister Prussiæ, Dipoldi filius Boleslaus, Mesco dux Opolij auxiliatores. Conciditur vniuersus exercitus à Tatharis. Lignizium resistit. Tathari Morauiam petunt. Sternbergius à rege auxilio Morauis mittitur. Tathari Olomuzium obsident. Incendijs in suburbana graßantur ædificia. Monasterium Gradicense euertunt. Duce Peta interempto cæduntur Tathari. Dux Sternbergius ob rem feliciter gestam fundo donatur, & primus Morauiæ appellatur Capitaneus. Quid Tathari in Hungaria gesserint. Bela rex fugit. Colomannus frater occumbit prælians. Malè Bela à Friderico duce Austriæ tractatus: hinc in Dalmatiam fugit. Venceslaus rex munit oppida metuens reuersus Tatharorum: filium recipit, dignitatiq; pristinæ restituit. Veleslaus nobilis Hebræam virgunculam deflorat & iugulat. A virginis patre sicarius subornatus eundem interficit Veleslaum. Absoluitur in iudicio Iudæus. Indignè fert nobilitas, Iudæum nobili homini antelatum. Coniuratur in regem, Stiborio regni prætore duce. Premislaus cautior quàm antè cunctatur. Conspiratione detecta, auctores cum duce pœnam luunt. Cum sorore Agnete Rex Xenodochium Pragæ extruit. Odit campanarum strepitum. Reducitur in regnum Bela à Rhodiensi magistro & Comite de Frangepanibus. Diuertit ad Austrij ditiones. Hic vectigal exigit à singulis militibus. Dum negaretur, pugna oritur: Fridericus saucius paulo pòst moritur. Margaritha Leopoldi fratris Friderici filia hæres. Vdalricus Carinthiæ princeps Morauis adiutus Austriam sibi vendicat. Hi Bauarica accersunt auxilia. Vdalricus capitur. Moraui membris mutilantur. Ignominiam vlciscitur Premislaus. Vdalricus dimissus. Præfecti duarum arcium domino fidissimi. Austrij dominum quærentes, ad regem Venceslaum confugiunt. Filium Premislaum concedit. Ducit Margaritham hæredem, & legitimus Austriæ princeps declaratur. Bela rex Hungariæ ob interfectum Austriæ ducem ius sibi vendicat in Austriam. Bellum Ottocaro motum communi Hungarorum decreto. Concurritur infestis signis. Cæduntur Hungari, & iniquas pacis accipiunt conditiones. Styri subiugati. Moritur rex Venceslaus. Celatur mors, donec arces oppignoratæ redimerentur.

***

# ARGVMENTA

## SVMMA DECIMI SEPTIMI LIBRI.

Ottocarus V. Rex Bohemiæ. Armatus ad regnum capeßendum ingreditur. Borißium ab Oßek patrem contra ſe irritantem capit: complices fugiunt. Admonitus rex eos perſequi ceßat. Domi magiſtratus conſtituit: iudicia corrigit. Equitatus copiam vt pater equeſtria inſtituit certamina. Pacta pecunia Vdalrichus Carinthus prole deſtitutus ditiones ſuas Ottocaro concedit. Bellum Prutenicum Ottocarus ſuſcipit. Crucem induit. Hoſtes aperto Marte non agunt. Profligantur duo duces anteſignani. Baptizantur: eorum alteri Regium, alteri Marchionis nomen impoſitum. Regius mons ab Ottocaro, Brumſperg ab Epiſcopo Olomuzenſi extructa oppida. Ampliauit Bohemicum imperium à Baltico ad Adriaticum mare. Bellum aduerſus Belam regem Bohemiæ & Stephanum filium Styriam incurſantes. Vtres in Morauiam conuerſa. Ottocarus inducias petit: interea res arbitris commiſſa. Stephanus errore ductoris regia in caſtra defertur, cùm Epiſcopum petijſſet. Tumultuarium initiò, pòſt iuſtum prælium. Memoranda Belæ ſtrages inter Pohorlizium & Lauaz. Ingens præda & triumphus. Foroiulienſes cum vicinis patrocinium Ottogari flagitant. Aureum abacum loco argentei mutat. E manubijs Hungaricis Hradiſtiæ oppidum & cœnobium condit locupletißimum. Brumonis Epiſcopi Olomuzenſis patria, genus: Quomodo ad Epiſcopatum peruenerit. Eius laudes & beneficia in amplificando epiſcopatu. Lis Ottocaro cum coniuge de ſterilitate. E pellice coniugis permiſſu prolem vtriuſque ſexus ſuſcipit. Nicolaus ſpurius Oppauienſi ducatu donatus. Coniunx in cœnobium detruſa. E Kunigundi coniuge ſecunda Venceslaum ſuſcipit. Stephanus Bela patre mortuo bellum Ottocaro mouet. Poſonium Ottocaro ſe dedit. Arx expugnatur. theſauri regij direpti. Nauibus inſtructus Ottocarus Stephanum ad Iarinum inuadit. Ponte ſucciſo merguntur Bohemi. Stephanus ſolutis caſtris Budam, hic Pragam redit victoriam vterque præ ſe ferens. Imperium Romanum per legatos Pragæ Ottocaro defertur. Quatuor imperij competitores domeſtici duo, totidem exteri. Deliberatio. Epiſcopus cum patre Burgrauio ſuadent. Camerarius aduerſatur. Repudiat oblatam dignitatem Liberalis Ottocarus. Flagellariorum ſecta deleta. Pondera & menſuræ reſtitutæ. Latronibus viæ purgatæ. Rodolphus de Habsburg Imperator pronunciatus. Ad conuentum Norinbergenſem recuſat venire Ottocarus. Repetitur ab eo Auſtria à Cæſare, ita etiam Styria cum Carinthia. Iuramentum exigitur. Contemnit Ottocarus Cæſarem, paulò antè aulæ ſuæ præfectum. Delectus militum. Bellum exardeſcit. Congreſſus fraudulentus in inſula Danubij Kamberg. Paciſcuntur nuptias. E quinque vexillis duo recipit Ottocarus. Præſtat iuſiurandum. Tentorium doloſum. Germanis deridendus, Bohemis execrandus exhibetur Ottocarus. Domi malè accipitur à coniuge: multat conſiliarios: filiam Cæſaris filio deſponſam ſacrat. Bellum redintegratum. Milota Morauiæ capitaneus à Cæſare corrumpitur. Droſendorffio rex potitur. Cæſar ad Lauam. Dimicatur. Milota loco cedit ſuo, & viam fugæ aperit. Stirij fratres regem interficiunt. Dies Ruffi nefaſtus. Rudolphus Cæſar ſacra & profana tam in Morauia quàm Bohemia populatur. Venceslai octennis filij tutoriam adminiſtrationem à Cæſare impetrat Otho Marchio Brandeburgenſis maritus ſororis Ottogari. Milota & Poloni mercedem proditionis accipiunt.

Summa

# SVMMA LIBRI DECIMI OCTAVI.

*Venceslaus Ottogari filius VI Bohemiæ rex, & Poloniæ rex declaratus. Marchio Brandeburgensis tutor. Perfidum Othonis consilium Bohemis exitiosum, nisi obstitisset Cæsar. Magistratibus constitutis Otho discedit. Bohemis arcis ingressu interdictum Reuersus Episcopum Brandeburgensem adducit æquè aut minus religiosum. Vicarium relinquit. Sacellum hic regium spoliat, prædam cum Marchione partitus. Thobias episcopus Pragensis minitatur Pontificis indignationem. irritat crabrones. Multantur sacerdotes & subditi Tobiæ. Regina fallit custodes Germanos. ad Nicolaum mariti spurium Oppauiam fugit. Marchio reuersus curam administrandi regni episcopo Thobiæ & Theobaldo prætori regni concedit. Venceslaum in Marchiam suam abducit. Bene illi rem administrant. Regina Zauissio Rosensi adultero nubit, prius grauida ex eodem. Venceslaus quindecim annorum reducitur. solutis sexaginta milibus aureorum pro sumptu. Lætus Pragæ excipitur. Multis veniam delicti impertitur: illa & marito gratiam impetrat. Primum hic in aula dignitatis gradum adipiscitur. Insolens perinde vt Marchio, Rosensis, coniuge omnes querimonias apud filium diluente. Mortua regina auctoritas Zauissii imminuta. Nuptiæ Pragæ celebratæ cum Iudith Rodolphi Cæsaris filia:. Sumptus insani facti, conuiuis splendidissimis adhibitis. Premislaus (potius Venceslaus) natus. Egram Cæsar venit. Dos ampla & priuilegia summa. Rex Bohemiæ elector et pocillator perpetuus. Zauissius eques Iohannita ducit Ladislai regis Hungariæ sororem, sacer sacram. Coniuratio in regem à Rosensi factione. Pietas Venceslai. Zauissius capitur. Restituit arces reginæ dotales. capite priuatur. Rex Hungariæ conscius à Cumanis trucidatur. Henricus quoque Vratislauiensis socius coniurationis veneno sublatus. Hæres Venceslaus ex pacto. Opolienses princeps se Venceslao subijcit in perpetuum. Ab amita Griphina Leschi nigri vidua hæres Poloniæ instituitur. Thobias episcopus præcedit. Cracouiam ingreditur. Sandomiria obstat. Premislai maioris Poloniæ principis præsidia fulta. Siradum quoque Vladislaus Loktecus munit. Venceslaus Othone Marchione auxiliatore ambo occupant præsidia. Cæsar moritur. Albertus filius dotem reginæ Austriam inuadit. Reditum Venceslaus maturat. imperij decus sibi oblatum Adolpho Nassouio confert. Hic filio Roperto Venceslai filiam coniugem impetrat, Regina partu filiæ Iudith humanis rebus perfungitur, & filiola extincta. Poloni de rege deliberant, vsi Alexio inrecousulto bilingui. Premislaus coronatur rex Poloniæ. Octauo mense in Pomerania à Marchionibus Brandeburgensibus interficitur. Vladislaus ambit regiam dignitatem. Ob mores peruersos repulsam fert. Venceslaus rex Poloniæ inauguratus, ducta Premislai filia hærede. Gnesnæ coronatus. Posnaniæ nuptiæ peractæ, Vladislaus bonis exuitur in Hungariam profugus. Gubernatores à Venceslao in Polonia constituti. Redit Venceslaus in Bohemiam. Monetam meliorem cudit. Cotius legisperitus iudicia Bohemorum perscribere & ordinare vult. Impedit nobilitas. & gymnasium condere ab ijsdem prohibetur. Fulgura metuit Venceslaus. Adolphus Cæsar ob auaritiam exosus. Ab Alberto Austrio prælians interficitur, & Cæsar hic declaratur. Pontifex Andream Venetum reijcit, & Carolum Robertum Hungaris obtrudit. Archiepiscopus Colocienses dissentit à Pontifice res nouas in Hungariam moliente. Venceslaus ad regnum Hungariæ capessendum inuitatur. Abnuit: verum filium Venceslaum Hungaris concedit. Pontifex excommunicat Caroli aduersarios: cùm nihil proficit, indignationem in Venceslaum seniorem transfert. incitat Albertum Cæsarem aduersus Venceslaum. Cæsar nouo exemplo decimas poscit ex argentarijs Cuthnensibus. (Rex pauper calumniator) Negatur. Conscribitur vtrinque exercitus. Albertus adiutus Pontifice factionem Caroli fouet in Hungaria filio Rodolpho duce, Hic Moraviam vastat. Cæsaris præcursores montibus Cuthnensibus expilandis*

*inhiant. Aquis venenatis pereunt. Cæsar exercitum reducit infecta re. Venceslaum filium ex Hungaria pater reducit. Dissolutè vixit filius in Hungaria. Corona redimitus in conspectum patris prodit. Corona quoque cum filio in Bohemiam abducitur.* Petermannus *Budæ præfectus. Otho dux Bauariæ in regem Hungariæ electus aduersus* Carolum. *Recipit coronam & ius regni gratuitò à Venceslao. Iudæorum enorme facinus* Christianis *contumeliosum, sed seuerè punitum.* Cachecticus *Venceslaus. Moritur* Pragæ *habita exhortatoria ad filium quàm pientissima.*

## SVMMA DECIMI NONI LIBRI.

*Venceslaus iunior VII* Bohemiæ *rex. Vix sedecim annorum cum regnare incepit. Lugubrem habitum citò deponit. increpatur à Dobisio gubernatore. in arces ab vrbe secedit. æqualibus colludit & compotat. Regnum Hungariæ oblatum. consentit.* Captus Otho Bauarus *rex Huugariæ à præfecto Transsyluaniæ, abdicat se regno. Carolus rerum potitur in Hungaria. Oppignoratas arces vi extorquet Venceslaus.* Bona Marchioni in Misnia *vendit. Ducit Violam Ducis Teschini filiam. Annam sororem locat Henrico Carinthiæ duci. Vrgetur ad occupandum hæreditarium Poloniæ regnum. Vladislaus Loktecus ab exilio Hungarico reuersus, arces in* Polonia *occupat. Conscribitur exercitus contra Polonos. Venceslaus à sicario Olomuzij interficitur. Conradus Thuringus in scalis discerptus. Mala Venceslai educatio. Regum apud Persas institutio.*

### Interregnum.

*Comitia cruenta.* Bechinus *à Crussina interfectus. Henricus* Carinthus *ratione coniugis occupat regnum.* Pellitur *à Cæsare. Substituitur* Rudolphus *dictus Mitis Cæsaris Alberti filius. Ducit Elizabetham Polonam viduam* Venceslai *senioris. Auaritiæ deditus Rudolphus mercaturam exercet* Cuthnæ. *Excusat factum.* Contumaces Barones *ad officium cogit. Zuicouiam obsidet Henricus Rosensis, Hoditium ipse* Rudolphus. *Moritur in castris Rudolphus alui proluuio.* Repetunt ius *Anna & Elizabeth.* Vincit factio *aduersa. Fridericus dictus Pulcher frater Rudolphi Cæsaris Alberti filius. Cæsar filium deducit in* Bohemiam. Cuthnæ *exercitus casus: deducitur in hyberna. Regina senior in Cæsaris clientelam se se tradit. Cæsar à nepote Iohanne interficitur. Henricus* Carinthus *interrex absque æmulo. Præsidia Germanica ex oppidis reginæ eijcit. Henricus comes Lucenburgensis Cæsar creatus. Pontifex Adamitas Lugduni delet. Henricus non rex sed administrator conuasat omnia & in* Carinthiam *ablegat. Pragenses cum* Cuthnensibus *fauent Henrico præ cæteris, lucri gratia. Henricus odium sibi accersit. Tribunal erigit, citatis proceribus & condemnatis insontibus. Vitam promercantur, ductis Pragensium ciuium filiabus in vxores. Diffidentia inter Henricum & proceres. Patrio præsidio se munit Henricus. Elizabetham coniugis sororem Baroni à Quercu despondare vult. Recusat virgo.* Carceri Vuissegradi *includitur.* Nymburgum *euadit.* Ciuibus *eius oppidi minatur Henricus nisi puellam dediderint. Rosembergius &* Vuartembergius *præsidio oppidum muniunt.* Cohors *prætoria Henrici* Carinthia *ob insolentiam* Pragæ *multata. Petit Henricus opem à Marchione Misniæ. Mittitur Hoffensteinius, qui in aditu arcis sternitur & capitur. Marchio sinistro pugnæ exitu territus domum reuertitur.* Cuthnenses *deficiunt ab Henrico, alium postulantes regem. Nymburgi conuentus. Legatio ad Cæsarem Henricum pro rege decreta. Damnatur iudicio principum Henricus, quòd triennio feudum regni* Bohemiæ *à Cæsare non petiuerit. Fratrem Vualramum offert Cæsar. Bohemi filium flagitant. Scrupulosus Cæsar. Moguntinus Cæsari persuadet dandum filium. Spiram puella adducitur. Iohannes accersitus, amore puellæ exardescit. Colonienſis*

*Archie-*

Anchiepiſcopus coniungit. Nuptiæ celebratæ. feudum etiam traditum. Splendido comitatu Iohannes in Bohemiam proficiſcitur. Henricus Pragam & Cuthnam munit. Oppugnatur Cuthna, pòſt Praga. Irritata Miſnenſium præſidiariorum prædatoribus ſeſe dedit. Henricus & Marchio diſcedendi poteſtate impetrata domos quisq; ſuas repetunt. Iohanni liberum relinquitur regnum.

## SVMMA LIBRI VICESIMI.

Iohannes Henrici ſeptimi Cæſaris filius VIII. Bohemiæ Rex. Inauguratur Pragæ cum regina à Moguntino. Ad concordiam exhortatur Moguntinus, & nomine regio veniam largitur omnibus aduerſarijs. Monet ſui quoque regem officij. Latronibus vias tutas reddit. Morauiam purgat prædatoribus, arcibus quibuſdam funditus euerſis. Securitas reſtituta agricolis. Iohannes vicarius Cæſaris per Germaniam. Matthæus Comes Trincinienſis in Hungaria Morauiam vaſtat. Reprimitur à Iohanne, & ad pacem petendam cogitur. A Boleslao duce Vratislauienſe Oppouiam emit. Naſcitur regi filius Venceslaus, pòſt Carolus dictus. Plurimùm cum Germanis conſultat: illis magiſtratus confert ſuccenſentibus Boemis. Reſpondet ingeniosè. Iohannes indicit conuentum Norinbergæ vice patris. Auxilia decernuntur in Italia contra Robertum regem Neapolitanum. Ipſe expeditionem ſuſcipit: in itinere patrem ſublatum veneno in euchariſtia propinato accipit. Pergit cum Balduino Treuirenſium Archiepiſcopo Mediolanum. à Matthæo Vicecomite benignè accipitur. Hic diſſuadet vltionem necis Cæſarianæ, Duo Imperatores: Fridericus Auſtriæ dux, & Ludouicus Bauariæ dux. Magnum imperij hinc detrimentum. Bohemi apud Iohannem repetunt priſtinas de præfectis Germanis querimonias. Subſtituuntur Bohemi paruo regis lucro. Iohannes indignabundus ſecedit Lucemburgum. Abſente rege opes corradit & cumulat Lyppanus. Reginæ ditiones illi quoque creduntur. Epiſcopus ad Pontificem Auenionem profectus, diuertit ad regem. detegit Henrici perfidiam. Reuertitur rex in Boiemiam. Capitur Henricus. Fugiunt complices. Dimiſsionem Henrici minis additis vrgent. Roſenſi concedit Violam Venceslai coniugem, vt ſibi ſe coniugat. Reginæ ſenioris oppida capiuntur. Vartembergus perit. Setdislaus à Stellis veniam ſupplex poſcit. Vere nouo in Lanſteinum arma conuerſa. intercedit ſpirans minas Petrus Roſenſis. minus gratum accipit reſponſum. Abalienatus etiam Roſenſis, quapropter vterque ſe Friderico Auſtrio dedunt, rege valedicto. Rex auxilia Germanica accerſit. Moguntinus partibus euocatis arbitrum agit, & feliciter componit diſsidia. Rex Lucemburgum proficiſcitur. Ludouicus ad Neuaium ſternit Fridericum Auſtrium. idem Iohanni partem Marchionatus Brandeburgi (abſq; liberis mortuus erat Vuoldemarus) pollicetur, ſi ſe in prælijs non deſerat. Fridericus Mildorfi capitur. Henricum fratrem Iohannes capit. Magno ære redemptum dimittit. Ludouicus ſexaginta Bohemos nobiles ob rem ſtrenuè geſtam ornat. Solam Budiſsinam regi concedit gratis, pignori prius apud Marchionem depoſitam. Filio ſuo Marchiam aſsignat. Rex Gorlizium præterea in Luſatia ſibi occupat. Aemulatio domi inter reginas. Calidam ſuffundit Henricus. Iohannes magiſtratibus conſtitutis filium Venceslaum in Gallias educandum abducit. Carolus hic vocatur. Regina Iohannem tertium filium enixa. Premislaus medius vita exceſſerat. Regina nullis regni negotijs ſe immiſcet. Concitat Bohemiam Iohannes permutatione Bohemiæ cum Palatinatu. Ludouicus Cæſar apud Bohemos irritum facit hunc contractum, & reconciliat ſuis Iohannem. Reginam ſeniorem in Morauiam ablegat permutatis ditionibus. Claustrum reginæ in Suburbanis Brunnæ illa condit. Rex noctu amoribus indulgens vagatur, & parum abfuit, quin occideretur. Conuiuijs & compotationibus vacat, & ludis equeſtribus. Dulcianos fratres quatuordecim exurit. Bellum Lithuanicum ſuſcipit. Vernerus Magiſter Pruſsiæ inuitat. Maſſouiam, Pomeraniam, omniaq;

parta bello Magistro donat. Oculum rex in Lithuania amittit. Vladislaus Loktecus à Pontifice regni diadema obtinet, soluto denario Diui Petri. Inter Cæsares & Pontifices ferales dissensiones. Coniugia contracta à rege Iohanne. Maria soror Carolo regi Galliæ. Philippi Valesii soror Blanca Carolo desponsata Bohemo. Margaretham HenricoBauaro, Iuditham filias Marchioni Misniæ tradit. Iohanni filio iuniori procatur hæredem principis Carinthiæ filiam cum spe successionis. Redit Lucemburgam. Malè excipitur à Metensi & Leodiense Episcopis, & in Bauaria mulctatur. Regina è Bauaria reuersa & ipso rege splendidius excipitur, quod regem malè habet. Iudith filiam regina Dresdam ducit ad sponsum Marchionem Fridericum Misniæ. Delatores accusant reginam quasi tributa impedientem. Reginæ arces oppignorat rex. Præpositum Vuissegradensem capit. Carinthiam filij hæreditatem mortuo Henrico occupat. Vocatur in Italiam à Brixianis aduersus Ludouicum Cæsarem à Pontifice excommunicatum. Suscipit eorum patrocinium promisso stipendio. Præpositus carcerem effugit. Episcopo & Misniæ Marchione deprecatoribus reconciliatur. & Episcopatu Olomuzensi donatur.

## SVMMA LIBRI VICESIMI PRIMI.

Bellum in Italia: Brixiani, Bergomates auxilio Iohannis oppugnant. Captum à Iohanne Bergomum. Roccam arcem illic condit. Cremenses pari modo se dedunt. Beltrandus Pontificius legatus vrbes expugnandas & possidendas Iohanni defert. Mutina cum Regio se dedit & Parma. Lucenses eijciunt Florentinos admissis Bohemis. Papia regi se subijcit. Encomia Iohannis in Italia. Ludouicus Cæsar Iohannem in conuentu imperij accusat. Treuirensis patruus impedit, quo minus declaretur rebellis. Cæsar vicinos Marchionem Misniæ & Ducem Austriæ contra Iohannem instigat. Marchio Misniæ filiam regi remittit, ducta Cæsaris filia. Otho Carinthiam postulat. Carolus è Gallijs reuocatus, magna Gallica nobilitate comitatus, summæ rerum Italicarum præficitur. Dux Allobrogum affinis Carolo ceu inspector morum additus. Reuersus Iohannes demulcet Cæsarem. Misnium Gorlizio & Lusatia eijcit. Filiam illi pactam Iohanni regi Galliæ despondet. Otho Austrius quinquaginta millibus hominum Iohannem inuadit. Negligentia Othonis supina dilabitur exercitus. Iohannes ad populationes conuersus, damna dat Austriacis. Antipapa à Cæsare creatus à Bonifacio Pisano mittitur Papæ Auenionem. Culpa in Iohannem reijcitur. Carolo venenum Papiæ propinatum, Vicecomite auctore. Congrediuntur in pugna Etrusci & Vicecomes cum Carolo. Clades immensa. victor Carolus. Iohannes pergit in Italiam. Otho Austrius amissa recuperat intra septimum mensem. Carolus cum patre in Bohemiam reuersus. Marchio fit Morauiæ præstito iusiurando vt Vasallus. Rex petit Lucemburgum: dehinc Auenionem Pontificem Cæsari placaturus. Actum agit. Vtrique infensus Cæsar Ludouicus: Moritur Regina Elizabeth septem liberis relictis. Falsam monetam cudit Iohannes. Redit in Lithuanicum bellum irrito euentu ob aeris humiditatem. Vastat Poloniam. Cracouiam obsidet. Pax 40000. aureorum à Polono redemta. Omnes propemodum Silesiæ duces in verba Iohannis iurant. Vladislaus Polonus ad Carolum Hungarum fugit ob auxilia. Carolus interea domi rem bene administrat. Carolus rex Hungariæ arbiter inter Bohemum & Polonum affines. Carolus Hungariæ rex Iohannis prius sororem habuerat coniugem, modò Vladislai Poloni. Transactum inter reges. Regia munera Bohemo ab Hungaro data. Soluit Bohemo pecuniam Polonus, & cedit Silesia tota. Iohannes non vsurpet titulum regis Poloniæ, nec posthac tributum exigat vllum. Cæsaris instinctu Carinthia mulier Iohannem maritum impotentiæ insimulat. Nubit Cæsaris filio Ludouico, & dotem reposcit. Filius Cæsaris contra

Iohan-

*Iohannem in Carinthia transigitur. Ioannes Carinthia & coniuge cadit, comitatu Tirolensi contentus. E concubina hic Ioannes filium generat. Carolus militatum in Italiam proficiscitur. Ducit Rex Beatricem Borboniam. Vectigal nouum in Bohemia instituit. Archiuum Bohemici regni instituit. Carthusianorum coloniam deducit Pragam. Venceslaus è Beatrice natus: huic Lucemburgensis tradita prouincia, qui à coniuge dux Brabantiæ factus. Carolus Marchio Morauiæ Imperator designatus contra Ludouicum Bauarum. Bonnæ coronatur. Imperitia medici Hebræi & altero oculorum priuatur Iohannes Rex, priore in Lithuania amisso. Dissimulat cæcitatem. Auxilia fert Regi Gallorum contra Anglos, Carolo quoque filio vsus comite. Ceduntur Galli ab Anglis. Iohannes in acie prælians occumbit. Cadauer Lucemburgæ sepultum. Dies Ruffi Bohemis nefastus. Comparatio Iohannis cum Ottogaro ob similem eodem die vitæ exitum.*

## SVMMA LIBRI VIGESIMI SECVNDI.

*Carolus IX Rex Bohemiæ, idem & Imperator ex Bohemis primus. Pietas Caroli erga Deum, propinquos & religiosos ordines. Iohannem fratrem pulsum comitatu Tiroli Morauiæ Marchionem constituit. Templa extruit, prouentus adiycit. Archiepiscopalem sedem Pragæ instituit. Ab eo coronatur Pragæ cum Blanca coniuge. Redimit arces. Dignos & fideles reditibus percipiendis præficit. Historia Theodori Monachi boni œconomi. Ad Magdeburgensem à Mindensi euectus Archiepiscopatum. Carolus vlciscitur eiectionem fratris è Carinthia. Ludouico in Marchia exurgit æmulus Valdemarus, qui finxit nomen Valdemari vita functi. Megalburgenses comites in Ducalem prouecti dignitatem, vt fauerent Valdemaro personato. Ludouicus confugit ad Danos. Hi malè accepti à Megalburgensibus. Valdemarus suppositittius strenuè rem gerit. Extrema tentantur à Ludouico contra Valdemarum. Huic auxilia mittit Carolus. Non pugnatur. Ludouicus fratri Romulo resignat Marchiam, ipse Bauaria contentus. Carolus Imperator perlustrat Germaniam. Annam Palatini coniugem ducit vxorem. Conuentus imperij Herbipoli, vbi decreta in Italiam pro inauguratione profectio. Ludouicus conatur Cæsarem arcere transitu. Palatinus litem dirimit. Clinodia imperij Carolo restituit Ludouicus: ipse verò inuestitur Marchia Brandeburgica, comésque est Cæsari inaugurando in Italiam. Mediolani adsunt legati Lombardiæ. Accipit coronam ferream. Pisis obuiam veniunt Etrusci. Romæ accipitur splendidè. Arrogantia Senatorum vrbis Romæ & Scribæ, qui Augustum se vocitabat. Hunc captum Pontifici mittit Auenionem. Coronatur cum Augusta. Oblatam à ciuibus vrbem tenuit: Pontifici vt sint obedientes edicit. Leges constituit opera Bartholi de Saxoferrato. Inuitatur, domum petiturus, à Gambacurtis Pisas. Coniuratio in necem Caroli perfidiosa. Conspiratio sedata conscijs partim interfectis, partim ære mulctatis. E multatitia pecunia militibus congiaria proceribus munera concessa. S. Viti reliquias à Papiensibus impetrat. Terræmotus in Alpibus. Damna sarcit Carolus. Splendidam & pomposam ab Italica reuersione. Carolus habet aulam tam exteris quàm domesticis principibus frequentatam. Lithomysliensem Episcopatum condidit. Nouam Pragam ædificat. Principes augusta palatia extruunt. Vissegradum nouo cingit muro. Monachos aduehit. noua sacerdotum collegia instituit. Turris ad pontem Pragæ illius sumptu ædificata. Regnum in duodecim diuidit regiones additis præfectis. In desertores fidei Catholicæ seuera decreta. Anna Suidnicensis tertia coniunx. Salisburgum in Bauaria dos prioris coniugis. Dux Saxoniæ ad Hierosolymitanum bellum hortatur Carolum. Responsum heroicum. Græcorum Cæsar prius eliminandus. Sanctio Carolina in imperio decreta. Pœna grassatoribus constituta. Domi sesquiennis Venceslaus coronatur. Locupletat Carolus iam de hærede certus Boiemiam. Carlesteinum ædificat duobus custodibus adiectis è procerum & nobilium ordine. Arces in confinijs emit. Marchiam Brandeburgensem emit ab Otthone, &*

*à regno incorporat. Leges condit & deſcribi iubet. Ipſemet ius dicit. Hiſtoria de ſacerdote. Pœnæ talionis exemplum. Vocatur in Germaniam. Legatis theſauros oſtentat. Bellum in Italia prorogatum ob quartas nuptias. Carolus Cracouiæ nuptijs celebratis ducit Elizabetham Stetinenſis Ducis filiam. Ex hac Sigiſmundus prodijt. Caroli geſta in Italia ſecunda vice. Corpus diui Sigiſmundi aduectum. Moritur Iohannes Marchio Morauiæ Caroli frater. Marchionatus æquâ portione filijs diuiſa. Laus Archiepiſcopi Erneſti mortui. Succeſſor Olomuzenſis Epiſcopus poſtea Cardinalis. Cruciati contra Lithuanos. Crucigeri Argentinam obſident. Maturè aduolat Carolus. Iurgium inter ciues Argentinenſes & Cæſarianos milites. Iohanna comitis Hollandiæ filia Venceſlao nubet. Prætio corrupti Electores Venceſlaum Romanorum Regem pronunciant. Cæſar reditus Imperij aſſignat Electoribus loco ſtipulatæ pecuniæ. Sigiſmundus quinquennis Marchio ſit Brandeburgenſis. Mater illi procurat Mariam Ludouici Regis Hungariæ filiam hæredem. Conueniunt Reginæ Tymaniæ & paciſcuntur nuptias. Sigiſmundus in Hungaria educatur, vt moribus aſſuefiat & linguam diſcat. Iohanni filiorum minimo Luſatia aſſignatur. Lex de Reginis viduis ſi imparibus nupſerint. Murus per montem Petri dictus Pragæ. Conatur Danubium Vltauiæ coniungere. Exhortatoria ad filium ante mortem.*

## SVMMA VIGESIMI TERTII LIBRI.

*Venceſlaus X Rex Boiemiæ & Imperator Rom. Prodigioſa omina tam in baptiſmo quàm coronatione Venceslai religionis peſſundatæ præſaga. Oſcitantia Regis dat licentiam graſſatoribus & prædonibus liberè impuneq; vagandi. Tres latronum arces deſtruit. Hungari populantur Morauiam: ſed profligantur à Iodoco Marchione. Germani poſcunt Venceslaum res imperij compoſitum eat. Ineptè reſpondet Clemo Bauarus inſurgit contra Venceslaum. Pellitur trans montes, damnaq; acceptа reſarciuntur Bauaria vicißim vaſtata à Sulcone Choteſo menſæ præpoſito. Bauarus is in Italia moritur. Vicecomes dux Mediolani à Venceslao creatur acceptis centum millibus aureorum. Bombardarum ſub Venceslao inuentum. Obſcœnis amoribus Rex indulget. Vxori conquerenti impudicè reſpondet. Aquis mergit Reginæ confeſſorem, quòd ſecreta noluit reuelare. Moritur ipſa quoque præ mœrore Regina. Balnea extruit doloſa ad necandos aduerſarios. Carnifex Regis compater & comes aſſiduus. Arcem rex Cunratice dictam extruit. Captus Rex inaudito prius exemplo & carceri includitur fædo. Balneum admiſſus ſeruili habitu à balneatrice remigio liberatur. Hanußius dux Ratiborienſis ſæuitiæ Regiæ miniſter Carlſteino præficitur. Tres proceres necat. Sigiſmundus Rex Hungariæ Marchiam Brandeburgenſem patruelibus pignori deponit. Secundò Rex capitur conſentientibus Sigiſmundo & Iodoco. Praga clàm Grumlouiam, hinc Viennam deducitur ad Albertum principem Auſtriæ, poſt etiam Imperatorem. Iohannes frater & Procopius vindices Regis. Non reperitur in Boiemia. Euadit carcere Viennenſi ope piſcatoris. Viſſegradum occapat. Plectit Pragenſes. Piſcotorem equeſtri ornat dignitate ob reſtitutam libertatem. Sophiam Palatini filiam ducit vxorem. Zyto Venceslaus Magus artificioſus. Eius præſtigia. Luit pœnam, à Diabolo ſublatus. Bonifacius Papa Iubilæum inſtituit. Pragæ quoque celebrari permittit ritu Romano Pontifex Iohannes Huſſus. Lis inter ſtudioſos Germanos & Boiemos de ſuffragijs & votis. Superiores Boiemi 24000 intra octidium ſtudioſorum Germanorum diſcudunt. Huſſus contra indulgentias. Sacerdotum luxum & ambitionem reprehendit. Sulco Monachus aſtutus & facetus. Viclephi Alithia ſuggerit fomitem Huſſo. Summa eius libri. Comburuntur 200 exemplaria ab Archiepiſcopo Sbinkone. Secedit Huſſus in pagum. Hieronymus collega Huſſi in ſcola acer diſputator. Sectio. Senatus pro Doctoribus Germa-*

*nis:*

nis:plebs pro Hieronymo tanquam populari suo. Archiepiscopus in Hungariam petitum à Sigismundo auxilia sedandorum motuum proficiscitur. Posonij vita functus. Albicus homo sordidus illi succedit. Reuertitur Hussus. Cruciata diuulgata à pontifice contra Ladislaum Regem Neapolitanum. Conuellit eas indulgentias Hussus magno populi applausu. Tres antesignani capti postridiè capite plexi. Honorificè tanquam martyres à suis sepeliuntur. Venceslaus conflagrationem Vuissegradi superstite cella vinaria nihili facit. Robertus Palatinus Venceslao remoto in Imperio surrogatur. Sigismundus illo mortuo Cæsar nominatur. Votum sibimet ipse dedit. Potiorem Europæ portionem peragrat inuitatum ad concilium Constantiense. Hussus sub publica fide Constantiam venit, tum etiam Hieronymus. Petrus scribit ad Iacobellum de vsu calicis in Eucharistia. Prægrauatur Hussus. Calixtini contra concilij decreta etiam infantes sacræ cœnæ participes faciunt. Albicus emptum à Rege Archiepiscopatum, vendit Vuestphalo subcamerario. Infensus initio, Calixtinis pòst multum de feruore remisit. Nicolaus à Hussinez palàm templa petit Calixtinis. à Rege malum responsum. Secedunt in montem Thabor. 40000 hominum, illic cœnam administrant. De nouo Rege adducendo deliberatum. Coranda obstat indignante Nicolao. ei à Rege structæ insidiæ. Oppatouitiam Monasterium spoliat Monachis trucidatis. Spreta senatus Pragensis auctoritas. Zisco Pragam venit. Occasio qua emersit. Senatus Pragensis trucidatur. Perculsus rex enormi facinore ex ira in apoplexiam incidit & moritur.

## SVMMA LIBRI VIGESIMI QVARTI

### Interregnum.

Ob religionem bellum indictum. Aeneæ Syluij de augustis Boiemiæ templis testimonium. Hussus cum Hieronymo Constantiæ exusti. Cohortatio concilij ad Boiemos. Contumeliosè respondent. Grassantur in monasteria & ædes sacras. Regina è Vissegrado in Venceslai arcem fugit. Minor Praga mordicus veterem propugnat religionem. Muniunt sese. Consultatio de arcibus solo æquandis, nomine Regio explodendo se, et populari statu surrogando. Vissegradum dedit. Minor Praga oppugnatur. Domum Saxonum ad Pontem occupant, & Archiepiscopalem. Regina euadit. Arx Venceslai repulit Pragenses. Inducia quadrimestres. Minorem Pragam occupant. Fossores Cuthnenses scrobibus multos Taboritarum præcipites dant. Sigismundus Boiemis diem dicit Brunnæ. Aduenit etiam Regina. Pragenses soli Brunnam cum pompa ingressi. Priuatis ædibus sacra suo more celebrant. Petitio Pragensium & ad eas Sigismundi responsum. Vratislauiam transit Sigismundus, illic de ciue Hussita sumptum supplicium. Cruciata promulgata contra Boiemos. Denunciatio vltimi diei. Asyla Taboritarum quinq; vrbes. Zisco Pelsinæ monasteria populatur. Monachis infestus eò quòd sorori vitium obtulissent. Pelsinæ obsidentur Taboritæ. Incolumes deditione facta dimittuntur. Pactum Sigismundi cum Sophia regina de stipendijs militum. Mikesinus Zisconem pellit. Nullus dux Taboritarum. Vanceco sacrificulus Taboritarum Austium capit. Arcem Hradistiam demolitur. Sesemã Pominum crudeliter necat. Quatuor foris capitaneos eligunt: domi Pragenses quoq; totidem. Apostata monachus auctor pellendorum calicis osorum. Apocalypsin interpretatur: Sigismundum suggillat. Pelluntur vrbe Romanenses. Vartembergius arcis præfectus nomen illis dat. Vissegradenses Pragensibus infesti. Vartembergius arcem Regijs ministris tradit. Perfidiæ accusatur à Taboritis. Cœnobia in agris succenduntur. Arx Rabi. Zisco equitatu vtitur. Sigismundus cum exercitu Cuthnam. Vocat Pragenses. Ii mandata contemnunt. Aduersum Thaboritarum auxilia. Orebitas ad Lipniciam Sigismundus delet. Ad Pragam castra posita. Thaboritæ in vrbem admissi. Insolentia mulierum Thaboritarum Pragæ perpetrata. Horum Michalco stragem edit. Damnum pensant succensis duobus monasterijs præcipuis.

Supplementis aucti. Taboritæ Sigismundum censent adoriendum. Hic Boleslauiam secedit. Ambiunt functiones magistratus in vrbe Pragensi Taboritæ. Extorquent vi. Noui præfecti instituti. Vetus religio explosa. Vtramque arcem oppugnant. Arx commeatu accepto deditionem recusat. Vrbes quædam receptæ astu. Chodones multat Suambergius. A Thaboritis malè acceptus Rosensis. Hradecium Reginæ à Thaboritis occupatum frustra recipere tentat Sigismundus. 150000 hominum aduersus Pragenses. Sigismundus arcem Pragensem ingreditur. Tripartito exercitu oppugnat Pragenses. Cædit Zisco Germanos ad furcas Pragenses. Pertæsi belli Germani spe omni abiecta. Induciæ diutissimæ pactæ. Quatuor religionis capita, quæ Compactata dicunt rata haberi volunt Bohemi. Eorundem refutatio & responsum prorogatum. Coronatio Sigismundi celebrata Pragæ. Militi stipendia è sacris conflatis soluta: hinc iocus in Sigismundum. Conuentus habiti Cuthnæ.

## SVMMA VIGESIMI QVINTI LIBRI.

Sigismundus XI Rex Boiemiæ idem Imperator & Rex Hungariæ. Totus hic liber per digressionem vitam, educationem, & gesta Sigismundi continet. Sigismundus primùm Marchia Brandeburgense à patre donatus. Eundem Ludouicus rex Hungariæ generum adsciuit desponsata Maria filia cum regni successione. Ablegatur in Poloniam, cum iurassent in illius verba. Flexis contumacibus Semouitum Masouiæ ducem rebellem inuadit. Rebus necdum confectis Ludouico mortuo ad regnum Hungariæ capessendum abit. Corolus rex Neapolis Andreæ filius iam Hungariam occupauerat. Hic matrem cum filia reginas capit. Coronatur Albæ inuitis aspectantibus reginis. A Blasio Forgacio Carolus iussu Palatini & reginæ senioris interficitur. Reuocatur è Boiemia Sigismundus. Exercitum conscribit. Caroli necem vlciscitur Croatiæ Banus, cædis auctoribus peremptis, Regina vndis submersa. Mariam abducit in Croatiam. Sigismundus cum Iodoco patruele exercitum ducit in Hungariam. Lætum omen puerorum obuiam venientium. Origo familiæ Orzagiorum in Hungaria. Banus Mariam liberam dimittit. Coronatur rex Hungariæ Sigismundus. Vltum Bani iniurias in Croatiam mouet castra. Fugit is in Bosnam. Illic captus carnifici traditur pœna proditoribus consueta puniendus. Ius Polonicum Vilhelmo duci Austriæ sponso Heduigis filiæ quoque Ludouici, sponte resignat. Ea tandem Iagelloni Lithuaniæ Duci in Vladislaum Christianum mutato per baptismum nubit. Triginta duos nobiles perduelles Budæ securi percutit. Stephanus Moldauiæ Vayuoda debellatus. Alexandrum Dacorum Vayuodam rebellem vincit. Hungaris eo bello primùm innotuêre Turci. Nicod expugnatum & munitum. Regina Maria moritur. Vladislaus Polonus affectat regnum Hungariæ superstite coniuge sua sorore Mariæ. Reprimitur eius conatus ab Archiepiscopo Strigoniense. Turci Mœsiam populantur duce Baiazetho Amurathis filio. Superbum responsum legatis Sigismundi à Turcis datum. Clades Sigismundi ad Nicopolim Gallorum superbia accepta. Conuentus Hungarorum in Hatuam. Rex Sigismundus capitur arciq; Soklesincluditur. Ladislaus Caroli cæsi filius ad regnum vocatur. Baiazethus Turcus à Tamerlane Scytha captus, & pro ludibrio circumductus. Ladislaus audita Sigismundi liberatione, ladra Venetis vendita domum redit Neapolim. Sigismundus è carcere Morauiam petit. Literas Budam ad status Pannoniæ mandat. Armatus in Hungariam proficiscitur. Parcit rebellibus, donec Vayuodam Transyluanum in casses deducit. Eundem iugulari facit. Venetos ære mulctat. Hermanni Ciliæ comitis filiam vxorem ducit. Imperator Francfordiæ declaratur. Benemeritus de ecclesia Sigismundus indicto concilio Constantiensi, cui triennium ipsemet affuit: Basilienſi verò præfuit. Monet Germanos vt liberos linguæ Latinæ assuefaciant. Honorem doctis habuit. Historia Georgij Fiscellini logum Doctoris. Liberalitatis exemplum.

Legati

Legati Concilij Egræ conueniunt Boiemos. Procopius cum Legatis disputat: actis concilio transmittuntur. Venetos Foroiulio & Taruisio exuit. Florentini frustra impediunt Arni transitum Pontificem adeuntem. Senis sex menses consumit. Romæ ab Eugenio papa coronatur. Gonzagam Marchionem Mantuæ creat. Reuersus contra Mahometem Turcam exercitum ducit. Pippus Florentinus Dux strenuus & acer. Postulatus à Germanis omnia illic reddit pacata. Ericum regem Romæ Slesuicensibus Comitibus conciliat. Auxilia petit contra Boiemos. Nihil ijsdem proficit. Ziſco non Imperatori, sed latroni comparatur.

## SVMMA LIBRI VIGESIMI SEXTI

Contentiones inter Pragenses & Thaboritas de ritibus Ecclesiasticis. Thaboritæ gradus & honores in scholis tribui solitos antiquari petunt. Pragenses omnes ritus Romanos obseruant solo calice adiuncto. Distichon in calicem Boiemorum. Thaboritæ minitantur discessum ex vrbe. Apostata summum in curia locum occupat. Nouum senatum priore abrogato instituit. Dat potestatem diripiendi Monasteria. Aulam Regiam expugnat sacris vestibus ludibrio habitis. Ebrij Vissegradum inuadunt. Plurimi ex eis cæduntur. Thaboritæ Pragam deserunt. Castra metantur. Duce Ziscone Riczianum expugnant. Vndecim sacerdotes flammis absumpti. Vlrici Rosensis ditiones expilantur. caupo sacræ scripturæ contortor. Concionis eius summa. Rex alia ex parte in suam plebem grassatur. Vissegradum obsident Thaboritæ. Arci præest Iohannes Bizkouitius. Alimonia obsessi destituuntur. Cæsar impeditur quo minus opem ferat. Henricus à Crauor præfectus Moraviæ cæditur à rusticis flagellatoribus. Rex secedit Cuthnas dissimulans mœrorem ex sinistro prælio. Vissegradum capiunt Thaboritæ. Regem æmulum accersunt. Polonus Vladislaus recusat. Vitoldus Dux Lithuaniæ accipit. Sigismundum Korybutum patruelem vicarium præmettit. Tandem domum reuertitur neminem ex potioribus procerum suffragatorem cernens. Noua his sacerdotum vtriusque sectæ de ritibus & habitibus sacris contentio Egrediuntur vrbe Thaboritæ. Coniugis horam prædatrices & locos muliebribus perueſtigant. Fulsteinius nouæ arcis præfectus oppugnatur à Pragensibus. Dedit se. Arx flammis absumpta. Rex prouocatus non audet congredi: fugit in Moraviam. Ziſco Pelsinam vexat. Induciæ. Consulitur rex Brunnæ moratus. Ziſco ad Rabum altero quoque priuatur oculo. Flasca Thaboritas cædit. Hromanda præfecto & tribus præsbyteris combustis. Noui Thaboritæ ad Straſnitzium in Moravia emergunt. Velegradum spoliant: abbatiam succedunt. Episcopus Olomuzensis auxiliaribus Hungaris à Sigismundo missis omnes pessundat. Adamitæ dicti fuere. Et hos Ziſco comprehensos exurit. Ziſco cum Pragensibus Chumolouiam obsidet. Crudelitas ea vrbe patrata. Zacium, Slauam, Veronam, Brodam, occidunt, nemini parcunt. Cæteri metu perculsi sese dedunt. Archiepiscopus Vuestphalus nomen dat Thaboritis. Ad Iaromyrium cæduntur: post deditos fide violata, pessimè tractant. Cuthnenses exorant Pragenses, vt sibi parcatur. Arcem Pragenses obsident. Induciæ, quibus exactis arce potiuntur: templa euertunt, Caroli monumento intacto. Cæduntur à Marchione Misnense Pragenses. Czaslauia conuentus de eligendo alio Rege. Vitoldus accersi placuit. Moraui dubij. Ziſco nullum vult regem. Legati ad Vitoldum missi. Oppauiæ à Duce capti, Noribergam Cæsari mittuntur. Crux promulgata aduersus Bohemos. Pragenses irati Carlsteinium obsident. Iocus præfecti de hirco. Eluditur Pragensium conatus. Viginti millia Silesij irrumpunt in Bohemiam. Damnis datis non viso hoste domum repetunt. Crassina versatur in periculo, quòd non persequitur Silesios:

*Priucipes, Electores ipſimet in Boiemos arma expediunt. Retrocedunt & illi re infecta. Sigiſmundus ſuis copijs domare vult Taboritas. Albertus dux Auſtriæ gener aſcitus. Friderico Marchioni Cæſar dono dat totam ditionem Brandeburgenſem, è Comite Ducem creat. Cuthnæ Cæſar caſtra locat. Adeſt Ziſco. Rex magnam accipit cladem. Fugit. Ziſco Brodam vſque veſtigijs fugientium inſiſtit. In Cuthnenſes ſæuitum. Iglauiam non tentat Ziſco. Euantium Miglizium in Morauia capit. Cremſirium reſiſtit cum Epiſcopo. Redit in Bohemiam. Paciſcitur cum Ziſcone Sigiſmundus, pollicitus Vicarij dignitatem in regno. Peſte obit Ziſco. Teſtamentum eius de pelle tympano obducenda.*

## SVMMA LIBRI VIGESIMI SEPTIMI.

*A Ziſconis morte Orphanos ſe Thaboritæ nominant. Duo Procopij duces ſuffecti, Tonſus & Minor. Campis non mœnibus fidunt. Lithomyslium occupant. Slauenſes Pragenſium confœderatos expugnant. Pragam inuadentes repelluntur. Factio diuerſa: alia ſe Thaboritas antiquo nomine, alia Orphanos nominarunt. 12000 Germanorum cædunt ad Auſtium oppidum. Pelſina illis reſiſtit. Decimeſtris irritáque ſoluitur obſidio. Elogium Pelſinenſibus à Sigiſmuudo Cæſare tributum. Rhetium in Auſtria expugnant capto comite Hardegko. Bauaros Thaboritæ cædunt. Miſniæ Marchionem profligant. Miſniam, Marchiam, Luſatiam, Sileſiamq; populantur. Inſignes imperij vrbes ſe muniunt, aliæ pacem petunt. Inſoleſcunt Thaboritæ rebus ſecundis. Ad Caurimum & Brodam ad internecionem cæduntur, à quibuſdam proceribus vtroque Procopio extincto. Sigiſmundus ad Boiemos pacificatorias ſcribit literas. Legati Budam mittuntur Regem poſcentes. Donati ſunt legati. Euocantur Boiemi Iglauiam. Quibus conditionibus calicis vſus ſit conceſſus à concilij Baſilenſis delegatis. Omnes Boiemorum petitiones ratas habet Sigiſmundus. Gratus ob id populo. Coronatur Regina. Tollitur è medio excommunicatio à præſule Conſtantienſe. Aſpirat Rokizanus ad Archiepiſcopatum. Spe excidit: tum ad ingenium redit. Monachos fugillat. Rex reuocat ſacerdotes Catholicos. Turbas mouet Rokizanus. Hradezium abit. Chriſtannus Archiepiſcopo ſubſtituitur. Bellum Turcicum Alberto duci Auſtriæ in Hungaria commiſſum. Boiemi dant nomina. Pauci reuertuntur ſuperſtites. Rex plus Romanis quàm Thaboritis fauet. Rohozius rebellis cum perduellibus furcæ ſupplicium ſubit. Conuentus principum Imperij Ratiſbonæ habitus. Pax firmata in Imperio. Itinera quoque ſecura reddit. Querelam inſtituit de fiſci imperialis pecunia. Reuerſus ſacras ſarcit ædes. De ſucceſſore conſultat. Albertum nominat generum. Regina Vladislaum Polonum ambit. Hungaris optimè conſultum volens. Praga diſcedit hilaritatem vultu ſimulans. Barbaræ coniugi cuſtodes addit. Cilienſis frater maturè fuga ſibi conſulit. Albertum hæredem inſtituit. Znoymæ moritur, Varadini ſepultus.*

## SVMMA LIBRI VIGESIMI OCTAVI.

*Budæ inteſtinæ diſſenſiones ciuium Germanorum & Hungarorum tempore interregni. Albertus Dux Auſtriæ gener Sigiſmundi XII Rex Boiemiæ, qui & Hungariæ Rex & Imperator. Coronatur rex Hungariæ Albæ. Boiemiam petit, quæ Caſmirum Poloniæ regem 13 annorum elegerat. Vi arcem Pragenſem ingreditur. Coronatur cum coniuge etiam inuitis Huſſitis à Caſmiro ſtantibus, & æquitatu Polonico inſtructis. Cæſar quoque deſignatus. Hungari impedire conantur. Pacantur à Friderico Styriæ principe. Aquisgrani coronam accipit. Polonis minitatur. In Boiemia Ptaſconem Polonicæ factionis Praga pellit. Georgius Podiebradius aliquot turmas Alberti profligat. Morauiam imperata facere cogit. Exercitus Alberti contra Ptaſconem & Polonos. Abſque pugna diſcedunt fame coacti. Caſmirus Sileſiam vaſtat.*

Mar-

Marchio Misnensis domum reuersus, Boiemos sibi insidijs structis occurrentes consicit. Fridericus Marchio Silesiæ præfectus pessimè mulctat Polonos. Legatus Pontificius non pacem, sed inducias impetrat. Molitur Albertus bellum Turcicum pro Despota Rasciæ pugnaturus. Alui profluuio moritur. Regina Barbara libera Hradezium in Boiemiam se confert. Ladislaus Posthumus Alberto natus. Coronatur quadrimestris infans rex Hungariæ. Filium cum corona Friderico Cæsari mater tradit. Hungari Ladislaum regem Poloniæ petunt: Boiemi Albertum Bauarum. Vladislaus accipit conditionem. Corona surrepta sancti Stephani: corona ex imagine ablaata coronatur. Bauarus repudium dat Boiemis. Fridericum Cæsarem posciunt. Non vult regnum abalienare à nepote legitimo hærede. Concedit Boiemis regni administrationem. Maynardus & Ptasco gubernatores diuersæ religionis & factionis. Elizabeth regina Hungariæ contra Vladislaum insurgit auxiliatore Vlrico Ciliæ Comite. Iohannes à Brandesio Giscra miles strenuus. Præest vrbibus metallicis. Regina moritur. Et Ptasco in Boiemia. Maynardus solus rerum potitur. A Thaboritis Georgius Podiebradius illi surrogatur, qui Pragam proditione occupat. Maynardus Podiebradum captiuus adducitur. Georgius senatum constituit, regiam vsurpat auctoritatem. Zdenco Sternbergius arci præficitur nomine Maynardi, qui paulò pòst mortuus. Georgius repetit Ladislaum à Friderico Cæsare. Hic excusat ætatem regendo minus idoneam. Indoles liberalis Ladislai septennis in remunerando Giscra. Iohannis Hunnyadis genus. Prælia feliciter contra Amurathem gesta. Decennales inducie pactæ cum Turcis, pòst ruptæ auctoritate Pontificis per Iulianum Cardinalem. Cardinalis alter classe in mari Aegeo petit Turcas. Despota violationem illicitam fœderum clamtiat. Dracula bellum dissuadet. Clades Varnensis Rege & Cardinale pereuntibus. Ladislaum Hungari repetunt à Friderico. Et hic ætas impedit. Hunnyades regni gubernator eligitur. Ladislaum Fridericus inaugurandus Romæ secum abducit in Italiam. Alberto fratri curam illius committit. Togatus & inermis proficiscitur Cæsar. Veneti honorificè eum excipiunt. Abacus vitreus à Morione præcipitatus. Senis sponsam Leonoram excipit. Romæ copulatur cum coniuge. Neapoli nuptiæ celebratæ. Reuersus experitur bellum Austrium duce Vlrico Ezingero. Præsides Austriæ ab hoc mutati. Oppugnatur Nouaciuitas. Podiebradius in Boiemia promulgatur gubernator à Thaboritis. Barbara regina moritur Saducæa prorsus. Hæres Georgius. Vi vrbes cogit ad parendum. Cæsar Ladislaum tradit Ciliæ Comiti, intercessoribus principibus quibusdam Germaniæ. Ladislaus Dux Austriæ declaratur. Iurat primus omnium Cilienses. Georgius de rege deliberat. Sibi cautum vult Georgius à Ladislao. Articuli Ladislao proponendi. Ladislaus Posonij in Hungaria tanquam Rex dignitates distribuit, officia confert. Smirizius regem præmonens de cauendis insidijs capitis subit supplicium. Vlricus Cilienses Vienna pellitur, Ezingeri artibus tam sublimi deiectus gradu.

## SVMMA VIGESIMI NONI LIBRI.

Ladislaus ad regni fines à Bohemis excipitur. Annuit eorum postulatis. Aspernatur Rokizanum, alios sacerdotes veneratus. Ladislaus coronatur ab Archiepiscopo & Cardinale Strigonienſe. Ladislaus Alberti Austriæ filius XIII Rex Boiemiæ & Hungariæ. Ambit Rokizana Episcopatum. Georgius legatos eapropter Romam mittit. Anceps à Pontifice responsum datum. Iohannes Capistranus Monachus Italus mittitur à Pontifice in Boiemiam. Olomuzij concionatur & per interpretes dicta explicantur. Contra Rokizanum disserit de vtraque specie sacramenti. Venceslaum Bozkouicium cum 2000 Subditorum conuertit. Huius filius Prothasius Episcopus

fit Olomuzenſis. Prouocatur Capiſtranus à Rokizana ad diſputationem. Loca ſuſpecta. Roſenſis Capiſtranum receptum ſtatim iuſſu Georgij dimittit. Ad conuicia conuerſus Rokizanus. Domi pro Archiepiſcopo habetur. Celebrat diem Pragæ Georgio proditæ. Contemnitur ipſius proceſſio à rege. Is ſacrificum Huſſitam ab ara remotum præcipitem dari iubet. Vratislauiam rex cum Georgio petit. Sororem Caſimiro Polonico deſponſat. Reconciliatur regi Ciliæ comes. Triumuiratus. Eczingerus profugus ad Cæſarem tranſit. Expugnatio Conſtantinopolis. In Hungariam ſe parat Turca. Hungari regis poſtulant præſentiam. Aemulatio inter Ciliæ comitem & Hunnyadem. Colloquium in Hungaria aperto campo pollicetur Hunnyades. Calixtus Pontifex de ſubſidijs interpellatur. Belgradi oppugnatum. Laus militis Boiemi. Victores paulo poſt tam Hunnyades quam Capiſtranus humanis cedunt rebus. Ladislaus & Matthias Hunnyades filij. Comes Ciliæ Belgradi interfectus. Diſſimulat rex dolorem. Solatur viduam Hunnyadis. Conſilium Hungarorum aduerſus Hunniades. Giſcra Ladislaum & aſſeclas capit. Ladislaus ſecuri percuſſus. Matthias Viennam captiuus deducitur, reliqui fractis carceribus euadunt. Octodecim annorum rex de coniugio cogitat. Magdalena regis Gallorum filia præ cæteris electa. De loco nuptiarum diſceptatio. Lis inter Ladislaum & Cæſarem de Auſtria, compoſita. Georgius Regem conuenturus Viennam ingredi non vult. Metu offenſionis rex progreditur. in tentorio colloquuntur quatriduum. Pollicetur rex nuptias ſe Pragæ habiturum. Aſtrologus mala ominatur. Legati pro ſponſa in Galliam. Helcekus ſecretarius regius quæſtioni ſubiectus à Georgio, ſecreta regis pandit. Inuitantur principes plurimi ad nuptias. Bonum è Gallia de ſponſa accipit reſponſum. Gubernator ſumptus metuit. Rokizana ſectæ ſuæ abolitionem tot præſentibus vel affuturis magnatibus veretur. Triginta ſex horis à quo laborare cepit, moritur Ladislaus. Rege ſepulto regimen gubernationis Georgius ſuppoſititijs petit. Regis literis. Matthiam euocat Pragam. Reuocantur è Gallijs oratores. Suambergius conſulit Gallo, vt ambiat pro alterutro filiorum regnum Boiemiæ.

## SVMMA TRIGESIMI LIBRI.

Candidati pro regno Boiemiæ multi & potentes. Cæſar fratri vel patrueli deſtinarat. Caſmyrus Polonus & Vilhelmus Saxo ratione coniugum ſororum id ſibi vendicant. Rex Galliæ magnificis promiſſis. Non auditi Calli neque alij, niſi rege iam electo. Electio in prætorio Pragenſi. Concio Rokizani pro Georgio. Acclamatum prius quàm de electione inchoatum. Et Matthias Hunnyades rex in Hungaria eligitur. Georgius à Kunſtat Podiebradius XIIII Boiemiæ rex. Matthiæ Catharinam filiam tradit coniugem. Sollicitus interim de coronatione ſede Archiepiſcopali vacante, & Olomuzenſi nondum confirmato. Georgius præſtito Pontifici iuramento ab Epiſcopis Hungaris coronatur. Formula iuramenti. Morauia Georgium Regem agnoſcit. Iglauia Huſſitam vrbe excludit. Obſidetur per quatuor menſes. Cæſar intercedit. Hinco à Vuetouia contumax Regi decem obſeſſus menſibus effugit: arx ſolo æquata. Sileſii & Luſatij tergiuerſantur Regi parum Catholico obedire. Vratislauienſem agrum rex populatur. Caſmirus rex Poloniæ pontificis iuſſu arbitrum agit. Excipit Georgius principes Germanos feudum petentes Egræ. Hortantur principes regem vt redeat ad vnitatem eccleſiæ Romanæ. Pollicetur. Rex filiam nouennem Alberto principi Miſniæ deſpondet. Mittitur in Miſniam ne religioni huic conſuefiat. Legatos Georgius decernit ad pontificem, vt rata habeat pacta concilij Baſilienſis. Mittit Pontifex proprios in Boiemiã legatos. Non admittuntur à rege ob negatam cõfirmationem Compactatorũ: vnde regis dignitas et ſuæ ſectæ pendebat auctoritas. Trienniũ Vratislauienſibus indulgetur antequã Georgio iurenti

Ven-

Venceslaus administrator Archiopiscopatus Pragensis. Hinc noua iurgia. Exagitat Rokizana Monchos. Fantinus de Valle Pontificius legatus ad conuentum regni. Petit directum à Rege responsum in causa religionis. Fert diuersum quàm expectauerat. Regi aula natum. Iodocus Episcopus Vratislauiensis pro aduersaria parte perorat. Fantinus audiri vult in senatu. Oratio Fantini satis acris, qua Regem officij & iuramenti admonet: tum Rokizano sacris interdicit. Postridie malè à rege acceptus in carcerem deducitur cum regni Cancellario: alij fuga sibi consulunt. Ludouicus Bauarus Fantino dimissionem impetrat: hic moritur Ratisbonæ. Pontifex telum excommunicationis inhibet ad petitionem Cæsaris. Eripit Georgius Cæsarem è ciuium Viennensium captiuitate. Donatus ea propter ære, & filij principes creati Munsterbergenses. Statua Georgio Pragæ erecta. Et in Morauia Rokizana sacerdotes instituit. Pontifex Vratislauienses in suam protectionem suscipit, absoluitque à iuramento. Georgius floccipendit. Matthiam Regem Hungariæ Pontifex conducit contra Georgium. Paulus II Pontifex abrogatum regni titulum Matthiæ confert astipulatore Friderico Cæsare. Catholici proceres Bohemi literas dant ad Regem suum. Zdenconem Sternbergium oppugnat Georgius. Morauia ad Matthiam transit. Zdenco par pari refert. Vratislauienses cum socijs Munsterbergum inuadunt. Henricum filium Rex contra eos mittit. Non expectant Silesij. Gradistha in Morauia fidem seruat Georgio. Matthias obsidet. Pellitur à veteranis Brodam vsque. Acies Georgij & Matthiæ inter Statium & Lauam. Misnenses in exercitu Georgij tumultuantur. Retrocedit Georgius. Matthias Trebitij Victorinum regis filium oppugnat. Capitur ab Hungaris Victorinus. Budam deducitur. Matthias repetita in Boiemiam expeditione intercluſus ægrè se expedit. Rex Georgius Pontifici vult reconciliari. Obstat Rokizanus. Georgius Matthiæ duellum vel iustam pugnam offert. Vtrumq; accipit Matthias. Rari proceres in conuentu Pragæ indicto. timorē Regi incutiunt. Abalienati ad Matthiam defecerant. Resipiscere incipit Georgius. Impedit Rokizanus, quem rex repellit. Spoliat rex monasterium sanctæ Crucis. De successore sollicitus. Rex minus gratum accipit responsum. Liberis prædam diuidit spe regni deiectus. Rokizanus primò, pòst etiam rex, vterque moriuntur.

## SVMMA TRIGESIMI PRIMI LIBRI.

Comitia Cuthnæ præter morem, quia Praga suspecta fuit. Proceres plurimi Matthiam regem poscunt. Vincit Vladislaus Polonus suffragiorum numero. Vladislaus Casimiri regis Poloniæ filius XV Boiemiæ rex. Matthias repulsam passus vi adoritur regnum. Coronatur Vladislaus à Polonis Episcopis. Virum se præbet rex Vladislaus. Non confligitur. Vladislaus feudum accipit à Cæsare. E sorore Ladislai natus Vladislaus idcirco Cæsaris cognatus. Reuersus probam cudit monetam. Cæsarem Matthias oppugnat, quòd Vladislaum inuestiuerit. Extorquet à Cæsare regalia Boiemiæ: at in tuto collocatus nihil præstat. Vratislauienses Matthiæ renouant iuramentum contra Vladislaum legitimum Regem. Casimirus Polonus cum Vladislao filio hostem Matthiam declarant. Vterque exercitus ad Vratislauiam castra locat. Primo impetu velitares Hungari ad vrbem repelluntur. Vratislauiæ erat Matthias: Polonis captiuis replentur carceres Vratislauiensium. Matthias Posnaniam vsque prædatores mittit exercitus. Reges coacti accipiunt à Matthia biennij inducias. Venefici à Matthia subornati in necem Vladislai. Seditio Pragensium mota aduersus Senatores. Inuehuntur concionatores Apostatæ in Regem. Hic Bachanalia cum Pragensibus celebrans duriter ab ijsdem sacerdotibus reprehenditur: Conuentus Pragæ. Filij regis Georgij repetunt pecuniam in vsus publicos erogatam. Indictum tributum. Conspiratio aduersus Regem quòd Hussitis mi-

*nus esset propitius. Cædit Pragensium furori Cuthnas. Sutorem Polonum capit. Eripitur à comilitonibus. Virulentos concionatorum Carlsteino includit. Intercessione Varadiensis Episcopi dimittuntur. Congressus Matthiæ cum Vladislao Olomuzij. Splendidus Matthias. Transigitur inter Reges tam de ditionibus quàm de successione. Turbulenti Pragenses. Senatoribus necatis curiam cruentarunt, qui Romanis fauebant. Rex placatur intercessione filorum Georgij. Senatum de integro à Rege constitui petunt. Durius excipiuntur à Rege: qui mitescit precibus Podiabradij. Dantur senatores noui. veteres senatores elapsi reuertuntur. Caudula ex eis vix ad regis latera tutus. Sagitta emissa in regem. Seditione à plebe mota. Placatur vulgus benignis verbis. Fugit rex in arcem Pragensem, eam ornat ædificijs pro perpetua Regum sede. Multis periculis expositus rex. Matthias auidus coniungendi Hungaris Bohemos. Secundò conueniunt reges Iglauiæ. Satisfactum de damnis vtrobique acceptis. Inops Vladislaus ob ademptam Silesiam & Morauiam. Bellum inter Cæsarem & Matthiam. Vienna potitus Matthias. Illic apoplexia moritur. Beatrix regina gubernat. Datur illi mariti eligendi potestas. Vladislaum eligit. Aduersa factio fratrem Vladislai Albertum. Corrumpit auro milites Beatrix. Proclamatur Vladislaus. Pater Alberto fauet contra Vladislaum. Pietate motus castris contra fratrem adesse noluit Vladislaus. Cæditur Albertus cum Polonis. Postea & Iohannes nothus Matthiæ præda militibus opima obtigit. Viennam Vladislaus Friderico restituit. Maximilianus in Hungariam cum exercitu profectus Albam diripit: templo intacto & milite à præda repulso. Ad Budam Maximilianus profligatus. Coronam accipit Vladislaus Pragæ. Matthiæ vexillum à sepulchro ablatum illi in manus traditur. Munera à proceribus Regi nouo oblata. Beatricem spernit. Citatur Romam. Auro redimit aliam ducendi potestatem. Vladislaus ducit Annam Gandalam. Turca ad Sabaziam ab Hungaris profligatur, ita tota Bosna recepta. Apud omnes ordines Pragæ magna confusio. Augustinus Episcopus titularis sectæ Pragensium. Mors fœda. Et Cuthnæ furum præfectorum magna copia, hinc seditiones & crebra opificum laniena.*

## SVMMA LIBRI TRIGESIMI SECVNDI.

*Reditus Vladislai Pragam solennis. Primùm ratio sacrorum habita: pòst etiam Senatus emendatus Cuthnenses plectit: grassatoribus pœnam irrogat. Tabulæ iudiciorum publicorum ceu archiua in arcem translata & forum iudiciarium emendatum. Religionis controuersiæ compositæ. Gymnasium vult instaurare, sed impedit Coranda. Olomuzium rex diuertit lite discussa sat difficili. Lex apud Polonos sed barbara. Stanislaus Turzo Episcopatum Olomuzensem init. Eius encomium. Regi Annæ filia nascitur Budæ: pòst Ludouicus astantibus arbitris ne suspicio esset de supposititio fœtu. Luit morte regina. Regina primùm regis abacũ è solido auro exornauit: ipso quoque rege melius regni negocia & familiarem rem administrabat. Promissa Ludouici coronatione regi ægritudinem animi Hungari adimunt. Impunitas scelerum in Boiemia. Schiliconum comitum vrbs Cubitum oppugnatur. Henrici Guttsteinij astu duo Suambergi capiuntur. Georgius Kopitliuski contra Pragenses insurgit. Sacerdotibus Pragenses molesti. Misera rerum facies. Postulatur regis præsentia. Mittit Varadiensem & Olomuzensem Episcopos. Conuentus Pragæ. Varadiensis petit tabellas & nomina coniuratorum. Discerpit & conscindit literas fœderatorum. Pòst adpacatiora transit remedia. Picardis congregationes interdictæ data optione num ad Calixtinos vel Romanenses se transferre voluerint. Ludouicus coronatur Pragæ: Triennis Ludouicus vigesimus sextus Rex Boiemiæ.*

Auna

Anna quoque per iocum à patre coronatur. Rixa oborta inter Hungaros & Bohemos, quod malè cesſit Hungaris. Principes Germani feudum accipiunt. Iudices plena in delinquentes puniendos armat auctoritate. Illis etiam ærarium commendatur. Prodigus Vladislaus. Cremſirij ad Stanislaum epiſcopum diuertit. Colloquium illic habitum. Peſtis in Hungaria, cui liberos committere non vult. Iohannes Sepuſius comes Trinzinienſis Cremſirium venit. Vrget liberos ſecum adduci. Hungaria pacata Turcis aduerſus Perſas pugnantibus. Fœdus cum Selymo. Cruciata aduerſus Turcas in Hungaria ab Archiepiſcopo Strigonienſe. Hinc bellum ruſticum. Memorabili ſtrage cæſi ruſtici ſeruili bello à Comite Trincinienſi. Anhelat ad regnum Sepuſius, ſi potiretur Annæ nuptijs. Maturè anteuertendum cenſent. Placuit cum Maximiliano affinitatem contrahere. Congreſſus fratrum regum Vladislai Hungariæ & Bohemiæ, Sigismundi Poloniæ cum Maximiliano Cæſare Viennæ. Colloquij turbator Sepuſius promulgata Turcarum populatione. Regibus inſidias ab Imperatore ſtrui rumor fictus. Sigiſmundus fratrem Viennam deducit. Coniugia ſtipulata. Ludouicus Mariam ducat, Anna Carolo aut Ferdinando nubat. Liberum datur Maximiliano vel ipſe ducat, vel nepotibus locet, Excuſat Cæſar ætatem. Bis Sigiſmundus Rex Poloniæ ab Epiſcopo Cremſirij exceptus. Mutum idolum Vladislaus. Negligens in adminiſtranda re domeſtica. Emendicabat prandium Budæ. Epiſcopus Quinqueeccleſienſis peculatus quæſtorem accuſat Budæ. Vina aliunde pro regia menſa afferebantur. Eadem diſciplina & in Bohemia Harpyarum inexplebilis auaritia. Rex & podagra & apoplexia lentus & tardus. Moritur Budæ, Regni Bohemiæ 45. & Hungariæ 24.

## SVMMA LIBRI TRICESIMI TERTII.

Ludouico regi ad regendum per ætatem inepto gubernator ab Hungaris quæritur. Placet Iohannes Sepuſius. Cæſar & Sigiſmundus rex Poloniæ iubent conuentus ea de re Hungarorum haberi. Adhibentur cum Bohemis etiam Moraui in conſultationem. Epiſcoporum ſuaſu non vult ſe Hungaris credere rex. Armati aulam adeunt poſcentes regem. Ab arcis ingreſſu à Tomoræo repelluntur. Inermes poſtridie conueniunt. Rex pro tribunali. Gubernatorem renuunt. Palatinus deſignatur Stephanus Bathora. Peruerſa Ludouici educatio. Marchio Brandeburgenſis à ſerijs eum auocat. Petit per legatos regni Bohemiæ vſum Ludouicus. Conceditur præſtito conſueto iuramento. Lites ſuas abſque arbitris Bohemi componunt. De regijs debitis conſultatio prorogata. Pragenſes eodem etiam magiſtratu conſtituto ambas coniungunt vrbes. Arces prædonum demoliuntur. Solymannus Turca à Parthis profligatus. Reparatum damna Hungaros inuadit. Magno Ludouicus vulturem emit ab Agrienſe præfecto. Inhiat Belgrado Solymannus, cuius præfectus erat Valentinus Turca. Hic Budæ ſtipendium expectans, curam arcis nemini demandat. Centum aureis Belgradum fuiſſet ſeruatum. Dedunt ſe milites deſtituti duce & ſtipendio. Nec eſt Hungaris recuperandi animus. Rex omni caruit culpa, cum alieno pareret imperio. Lutheri dogma cepit. In Hungaria contra Lutheranos regium decretum promulgatum. Pragam venit Ludouicus cum regina. Iurat rex, & accipit à ſubditis fidelitatis iuramentum. In reginæ coronatione lis inter proceres et nobiles de geſtandis regni inſignijs. Deluduntur à rege. Stanislaus Olomucenſis Epiſcopus reginã coronat. Magiſtratus conſtituti ex conſilio trium legatorum Cæſaris atque Sigiſmundi Poloni, et Vacienſis Epiſcopi. Carolus dux Munſterbergenſis capitaneus creatur. Adamus à Noua domo Cancellarius. In aula nullus ordo neque regula ſumptuum, Petaces

*ad impudentiam vſque Ludouici aulici. Perſtringuntur à Tunkellio Iglauienſes ob mutatam religionem acerbè reprehenduntur à rege. Speratus concionator carceri addictus. Per epiſcopum Olomuzenſem ſolicitatur dux Opolienſis, vt ſterilis hæredem ſcribat Ludouicum teſtamento. Rhodus inſula à Turcis expugnata. Nimia ſcelerum Budæ & impunis licentia. Emerici Iudæochriſtiani domus opulenta direpta.*

FINIS.

VITA

# VITA AVTHORIS.



OHANNES Episcopus natus Pelsinæ, non ignobili Bohemiæ oppido. Fidem vel hoc facit, quòd per occasionem honorificentissimam illius habet mentionem, cùm alibi, tum Husitarum procellis penè obruta Bohemia: eos mordicus & constanter à patribus acceptam fidei normam retinuisse, nunquam etsi à Ziscone multorum mensium obsidione arctissima premeretur à fide regis desciuisse asserens: adeò vt digni essent, qui Sigismundo Cæsaris encomio ornarentur. Nomen Pelsinæ in faucibus omnium hæreticorum perpetuò amarescit. Familiæ cognomen cùm adhuc plebeia conditione frueretur, Sskala fuit: at equestri dignitate auctus, & in nobilium numerum accensus, tum primùm Dubrauuiski dictus est. In Italiæ gymnasiis eam operam nauauit, vt L L. Doctor renunciaretur. Reuersus, Stanislao Thurzoni Episcopo Olomucensi semper à consilijs & rebus gerendis præstò fuit. Cum Vuilhelmo Barone à Kunstat legationis princeps Barrium profectus, Bonam Sfortiam Regi Sigismundo Poloniæ I. impetrauit coniugem. Congressu Regum Poloniæ Sigismundi & Vladislai Hungariæ Boiemiæque cum Maximiliano I. Rom. Imp. anno 1515. habito, cùm Sigismundus bis in itinere apud Episcopum Stanislaum diuertisset, colloquio Regis & Episcopi se interfuisse, & paulò antè deplorandum regis Ludouici in campis Mohazianis interitum Budæ eidem Episcopo se astitisse, ipse de se vltimo libro testatur. Vienna cùm cincta esset barbaro Turcarum exercitu, ductor copiarum fuit Stanislai: Imperatorem vasallorum eius cum auxiliaribus Morauis strenuum gessit. Emicuitque maximè prudentia illius, cùm à morte Stanislai & Zaubeki Episcopatum adeptus, à Diuo Ferdinando Cæsare in Silesiam legatus mitteretur Vratislauiam. Non leuis controuersia inter Bohemos & Silesios oborta erat. Illi è Caroli IIII. Cæsaris bulla ius suum contra principes Silesiæ propugnantes, non licere vlli nisi Boiemo Silesiæ præfecturam gerere. Hi verò genus & dignitatem suam iactare, neque vllo modo passuros exterum rerum summæ apud ipsos præesse, asseuerebant. Magna dexteritate sopiuit turbas, quæ toti prouinciæ extremum minabãtur exitium. Deinceps ab eodem Cæsare missus ad Bohemos cum bello Smalcaldico tota propemodum regio ab eius se subduxisset imperio, auctoritate sua procerum plurimos, ne coniurationi nomina darent, maturè ab instituto reuocauit, socius tum illi à Carolo V. Cæsare Sigismundus Seldius iunctus fuit. Etiam victoria de Saxonibus parta, cùm Ferdinandus causæ cognitioni perduelles se sistere mandaret, iudicij è Silesiis; Morauis, aliarumque gentium iurisperitissimis accersitis,

constituti, præses hic Iohannes fuit. Ferdinandi iustam indignationem mitigauit: & cùm plurimi plectendi essent, vt vitæ, fortunis, & immunitatibus eorum parceretur, qui sibi insontes viderentur, deprecatus est. Feriari si quando à Repub. datum est, ad solita studia animum reuocauit. Scripsit Commentarium insignem in quintum Dauidis Psalmum: *Verba mea auribus percipe Domine, &c.* Deinde libellum de Piscinis, & hunc Historiarum Boiemiæ in lucem edidit. Domi militiæque impiger, se & sacrorum peritum, naturalis philosophiæ non rudē, historiarum verò cognitione omnes ciues suos & populares antecelluisse, perpetuis lucubrationum suarum monumentis testatum abundè fecit. Vix integrum decennium Episcopatum gesit. Apoplexia mortuus anno salutis M D L III. V III. Id. Sept. Sedem concesit posteris Marco, quem Gulielmus nobili Vuizkouiorum gente ortus sequutus. hunc Iohannes Grodecius Silesius excepit, V I Ianuarij nuper extinctus. Hæredem Iohannes scripsit ex sorore nepotem Vuenceslaum Sskalam Dubratuiskium, cui arcem Blansko cum ditione emtam cum supellectile libraria & argentaria dederat.

*Hæc ex relatione Magnifici D. D. Hanussij Haugiazij Baronis à Biskupiz Augustalis apud Morauos apochrysiarij deprompta sunt: qui cùm prima adolescentiæ tyrocinia apud Episcopum ageret, maiorem voluminum partem sua manu se exarasse professus, virum perpetua memoria dignum suo preconio fraudare noluit.*

*VITAE FINIS.*

HISTO-

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER PRIMVS.

## IOHANNE DVBRAVIO AVTHORE.

PRincipum Regni Boiemiæ, ipsorumq; Regum nomina, ac mox facta illustria cõmemoraturo, iam inde à principio repetendum videtur de situ Boiemiæ, eiusq; dotibus, deq; incolarum moribus atq; origine, & ad quem modum Boiemi reipublicæ præfuerint, priusquam sibi aut Principes aut Reges asciscerent. Nimirum ita magis plana apertaq; erunt omnia, quæ deinceps de illis ipsis Regibus proditurí sumus. Nam vel inde statim argumentum decerpere licet, quantũ illi ipsi Principes, vel Reges, magnitudine animi viribusque excelluerint: Quòd quum valentissimis atque bellicosissimis, & per discordiam morum, atque linguæ, inimicissimis interiecti essent nationibus, nihilominus tamen regionem à maioribus suis partam atque relictam non solùm perpetuò incolumem retinuerint, sed quòd eandem etiam finitimis prẽterea trophæis ac triumphis exornatam, multarumque prouinciarum adauctam, ad posteros suos velut per manus transmiserint. Idque eo potissimum tempore, quo Germani Cæsaribus, Pannones Regibus, Poloni qua Principibus, qua Regibus, (ut cum aliâs maximè) florebant. Sed ista suis locis tempestiuius narrabuntur. Nunc quod ad situm, finesque Boiemiæ attinet, dicemus. In Germania sita est Boiemia, ea fines ab ortu solis ad Marcomannos & Quados, ab occasu ad Noricos protendit. Meridionalem eius plagam Pannonia superior, nunc Austria dicta, occupat: sicut Saxonia & Misnia, Septentrionalem. Vniuersam Hercynia sylua perpetuò ambitu cingit, clauditque circum vndique ad Amphitheatri faciem. Vnde æqua ei ferè longitudo atque latitudo, atque vtraque paulò amplius ducentis millibus passuum extenditur. Carolus Boiemiæ Rex, qui deinde imperio etiam orbis præfuit, in regiones illam duodecim descripsit, quarum vni duntaxat vocabulum à flumine Vultauia, quod Pragam interfluit, indidit: reliquas vndecim ab oppidis cognominauit. sed nulla eorum, adeò aspera prolatu habentur, vt nisi Boiemus sit, aut sermonis Boiemi gnarus, ægrè illa alio ore enunciauerit. Inter oppida Boiemiæ insigniora numerantur, Marcomanniam versus, quæ hodie Morauia appellatur, Mutha, Chrudima, Hradecium Reginæ, Pardubicium Lytomislium. Inde à limite Noricorum, quos Bauaros cognominant, Glatouia, Domazlicium, Misa, Tachouia, eminent. Ab eo verò latere, quod ad Austriam spectat, locum primum obtinet Buduicium, Crumlouia, Trebonia, Hradecium Henrici, Sicut à Misnia, Pons, Cadana, Chomutouia, Austia. Nam Quadis, nunc Slesitis, Hiaromirium, Glacium, Curia, & quædam alia oppida proximant. Introrsus porrò celebrantur, Cuthna, Colonia, Pelsina, Verona, Zatecium, Launa, Lana, Lytomericium, Taborium. Cæterùm omnibus antestat Praga, tanta magnitudine vrbs, vt vna tres amplissimas vrbes cõplectatur, Veterem, Nouam, & tertiam, quam Paruam vocant, à duabus prioribus, flumine Vultauia disiunctam. AEdificia in singulis, tam priuata, quàm

*Proportio operis.*

*Situs Boemiæ.*

*Boiemiæ regiones xij.*

*Vrbes Bohemiæ.*

*Praga regni caput.*

publica, dignitatis plena & magnificentiæ. Duas præterea possidet arces, alteram Vissegradum appellant, quondam Regum sedes, nunc bellorum ciuilium iniuria, vasta, & penè desolata. Contrà, illa altera arx, quę minorem Pragam despectat, quemadmodum, dicitur, ita iure optimo haberi debet, Regia. Quippe, non arcis modò, sed vrbis potius speciem repræsentare videtur, tantùm videlicet loci mœnibus, ædificijsque occupat. Palmam inter publica opera ferunt, Templum, & Palatium illud Caroli, cuius statim mentionem fecimus, hoc Vladislai Regis nuper vita functi opus. Quantum autem inter vrbes Praga, tantum inter flumina Albis flumen (vt rectè Tacitus ait) inclytum & notum supereminet. Sed hoc idem Tacitus, de illo, parum exploratè, quòd in Hermunduris oriri addiderit. Non enim apud Hermunduros Albis, sed apud Boiemos oritur, in montibus, quos illi ipsi Boemi Cerconessos appellant, Septentrioni obtentos, & Morauis vicinos. Ex quibus ille profluens, magnam Boiemiæ partem, ac ferè meliorem irrigat: & postquam cæteros indigenas fluuios, nempe Vultauiam, Egram, Safauam, Giseram, Misam exhausit, auctior aquis factus, inde ad Misnios & Saxones, postremò in Oceanum, nomine vbique suo euoluitur, Salmone pisce in primis fœcundus. At minores in Boiemia fluuij, riuulique, alicubi ramenta auri prouoluunt, alibi conchulas alunt, é quibus vniones eruuntur. Fontes autem calidi, aliquot in locis erumpentes, non modò lauandi uoluptatem, sed auxilia etiam medendi hominibus afferunt. Porrò ipsum solum adeò frugum ferax & copiosum est, vt & has vicinis quoque regionibus largè suppeditet. Vina tamen parcius exhibet, & quæ nata ibi sunt, languidiora apparent, quàm vt ætatem bene ferre queant. Contrà croco in Boiemia fato insunt cuncta, quæ in peregrino præciosa habentur, succus, color & odor: iam illa rara, ac prorsus beata telluris dos, quòd ex venis eius tanta vbertate argentum affluit, vt nisi parum aliquid silicis ad eas venas se admisceret, nihil extra argentum haurires, cum alibi argentariæ valde dites esse perhibeantur, in quibus metalla, quarta sui aut quinta, vel cum fœliciſsimè, media parte argentea inueniuntur. Quin aurum quoque ipsum tale statim, qualem natiuæ venæ ferunt, in puteis effoditur, qui de loco Giloua cognomen suum trahunt. Tenet fama Regibus Boiemiæ sæpius inde allatas fuisse micas aureas puti auri, quarum singulæ pondo denum librarum graues erant. Sed nec vilioribus metallis destituitur, nempe stanno, plumbo, ære, ferro. Ostentatq; præterea carbunculum, Calaim, amethistum, ex cotibus suis metallicis abruptum. Cęterùm secundum metalla non alia res magis Boiemos, quàm piscinæ, quæ Cyprinos pisces alunt, locupletat, id quod aliàs ostendimus edito de piscinis libello. Nunc mores incolarum reddentur. Igitur vt verba ad compendium cõferam, tum morum, tum ipsius habitus, quem corpore Boiemi præse ferunt, leo animalium generosissimus, cuius syderi Boiemi subiacent, quasi quandam imaginem exprimere uidetur, si vel celsam Boiemorum proceritatem, vel latum & validum pectus, vel rigidam fuluisque comis vestitam cernicem: si deinde vocis sonum arduum, si oculos micantes, si robur & fiduciam virium intueri volueris. Solet item leo contemptu in alia animantia, & nonnullo fastu turgere ægreque exarmari, præsertim si per ferociam eum aggrediare. Nec ab hac parte Boiemus degenerat, sed contemptum libenter erga alios verbo factoque ostentat suum, ipsamque adeò arrogantiam, incessu, gestu, pompa prodit. Est & feroculus cum fastidioſè tractatur, insuper ausis perinde vt leo promptus, atque in his exequendis firmus & validus, interim tamen ambitiosus & glorioſus. Rursusque, vti leo, cibi auidus, atque in eo condiendo instruendoque immodicè effusus: vicini præterea Saxones eundem docuerunt nocturno certare mero, putere diurno. Sed neque in cæteris

*Albis fluuius, Labe Bohemis*

*Fluuij Bohemiæ.*

*Dotes & deliciæ soli Bohemici.*

*Natura mores q; Boemorum.*

cæteris quoque moribus Boiemi longè à Germanis diuortunt propter eandem vicinitatem. Hactenus de natura & moribus: sequitur gentis origo, in hunc usque diem per incerta aut per fabulas euulgata. Nam quid fabulosius, quàm originem referre velle ad diuisionem confusionemq; linguarum, quæ tunc facta fuisse dicitur, cum in solo Babilonio turris Babel ædificaretur. Nam si vetus origo placuit, vtiq; turri illa vetustior Adamus omnium gentium cõmunis parens erit. Quare nugis omissis, veram narrationem de origine Boiemorum, qui hac ætate Boiemiam incolunt persequamur, si paucis ante indicauerimus, vnde natum sit Boiemiæ vocabulum. Non aliunde videlicet, quàm à Boijs, gente Gallica, ad mutandas sedes facili. Lege Liuium ab vrbe condita libro quinto, de transitu in Italiam Gallorum. Ibi clarè scriptum inuenies, Belloneso Gallo Italiam, Segoneso autem fratri eius sortibus datos Hercyneos saltus fuisse. Quo verò pacto ij Alpes transgressi in Germaniam peruenerint, ex istis Iulij Cęsaris verbis liquere cuilibet potest. De Heluetijs enim loquens, Boios inquit, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noriamq; occupauerant, receptos ad se socios asciscunt, hodieque Noria ab ipsis Boijs cognominatur Boiaria, vel vt nunc placet, Bauaria. His astipulatur Cornelius Tacitus, libro de moribus Germaniæ ita scribens: Igitur inter Hercyniam syluam Rhenumq;, & Mœnim, amnes Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens tenuêre. Manet adhuc Boiemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus, haud dubiè ipsis Sueuis, quos postea Boij inde expulerant, sicuti Noricos ex Noria. Quippe Sueuos non modo extra syluam Hercyniam, sed intra quoque vbi nunc Boiemia est sita habitasse, author est Strabo. Idemque locum ipsum Boiohemum nominat, & ibidem Marobodui Regiam fuisse scribit. Maroboduus enim ejectis Boijs, Marcomannos, seq; & regiam suam in Boiemiam transtulit, de qua rursus re sic Tacitus: Præcipua Marcomannorum gloria, viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boijs, virtute parta. De eadem re verba etiam Velej Paterculi, qui Tyberio imperante historiam suam ædidit, huc reponemus. Nihil, inquit, erat in Germania, quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum, quæ Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in inferiora refugiens, cinctos Hercyniæ syluæ campos incolebat. Ac paulò post: Sentio, inquit, Saturnino mandatum, vt per Catthos, excisis continentibus Hercyniæ syluis, legiones Boiohemum id regioni quam incolebat Maroboduus nomen est, ipse à Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere orsus est. Hæc Velcius. Sed iam satis explorata vocabuli origine, ad primordia, & incunabula gentis Boiemæ, vt res & veritas se habet, stylum conuertamus. Sarmatia igitur illa, quem Ptolemeus ab ortu Lacu Mæotide, & Tanai, ab occasu Istula, à septentrione Oceano Sarmatico, à meridie Carpathijs montibus terminat, omnium gẽtium, quas nunc Sclauinas vocant, communis quondam patria fuit. Ipsę porrò gentes varia sunt sortitæ vocabula: nam aliæ earum Hyrri, aliæ Scyri, aliæ Syrbi, aliæ Venedi appellabantur, de quibus in hunc modum Plinius libro quarto, cap. tredecimo, vbi de insulis Septentrionalis Oceani agit: Seuo, inquit, mons ibi immensus, nec Ripheis iugis minor, immanem ad Cymbrorum vsque promontorium, efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis, quarum clarissima Scandauia est incompertæ magnitudinis. Ac mox deinde: Quidam hæc habitari Istulam vsque fluuium à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hyrris tradunt. Nam de Syrbis libro sexto commemorat, quoniam propius ad Mæoticas gentes accedunt. Vetus autem omnium Sarmatarum mos erat Pomponio Mela autore, statis perpetuisque non vti sedibus, sed vt inuitauêre pabula, vel vt cedens & sequens hostis exigebat, itares, opesque se-

*Gentis primordia.*

*Etymõ populi Boemi.*

*Sarmatia omnium Slauinarũ gentiũ partus ceu equus Troianus.*

cum trahere ſolebant, caſtra ſemper habitantes, bellatores, liberi, indomiti. Proinde nihil mirum, ſi Auguſti iam Cæſaris tempeſtate in Thracia, vt ſcribit Strabo, promiſcuè cum Thracibus vixerint, ſi deinde littora oceani, paludesque, & eas regiones, quas Vandali, populus quondam Germaniæ tenuerant, occupauerint, nomenque ſibi ex deuicta gente, ut fieri interdum ſolet, adoptauerint; pro Venedis, ſiue Vendis, Vandalos ſe cognominantes: illoque cognomine Gallias, Hiſpanias, & ipſam Africam penetrantes, in qua vſque ad Iuſtiniani Cæſaris tempora, regnum ſibi conſtituerant, hodieque cognomen Vandalorum in regionibus, quas initiò propius oceanum ceperunt, retinent. At Syrbi, ſuperiore & inferiore Luſatia occupata, Luſatios ſe nunc appellant. Hyrri verò, & Scyri, vagam diu mercenariamque militiam, interdum etiam Alanis & Gotthis permixti militabant, donec cum cæteris Sarmatis in Illyria & Hiſtria ſedes ſuas figerent. Placuit deinde, uicitque apud illas gentes nouum Slouanorum vocabulum, ex commercio vnius linguæ natum. Id enim Słowo apud Sarmatas, quod verbum apud Latinos perſonat. Quoniam igitur omnes Sarmatarum nationes, latè iam tunc, longeque, per regna & prouincias ſparſæ, unum tamen eundemque ſermonem, atque eadem propemodum verba ſonarent, ſe vno etiam cognomine Slouanos cognominabant. Ab ipſa præterea gloria, quæ apud illos Sława appellatur, Słowútnij dicti. Græci hoc cognomen, poſtquam vim vocabuli non intelligerent, in Sclauenos, Itali in Sclauos detorſerunt: Latini deinde Illyrios vocare cæperunt. Ex hac gente Diuus Hieronymus prognatus, ſuis popularibus vetus nouumque Teſtamentum ſermone vernaculo interpretatus eſt, Gratiano & Theodoſio imperium adminiſtrantibus: Illaque interpretatione, in hanc vſque diem Illyrij tum in hymnis diuinis, tum in ſacrificijs vtuntur, vt mirer extare, qui prodant Sclauenos, ſub Mauritio demum Cæſare Illyriam inuaſiſſe, occupaſſeque. Ex Illyria igitur, quæ modò Croatia cognominatur, Boiemi iſti nouitij ad hunc modum prodierunt: Czechius Croata, erat domi, & nobilitate & factione potens: is apud ſuos, fortè, an conſultò, cædem inſignem fecit: cuius nomine reus, ac citatus, die conſtituta ad cauſam dicendam non venit, acrius hinc vrgentibus eum aduerſarijs, ac magna parte Croatiæ ius ſuũ aduerſus contumacem armis exequi parante, non expectauit Czechius, dum in vltimum diſcrimen ſalutem ſuam adduceret, ſed amicorum parens conſilio, ſe in viam per tempus dedit, eo prorſus animo, vt pro vetere patria nouas ſibi quæreret ſedes, quæ perfugium, ſimul & domicilium exuli forent. Migrauit unà frater Czechij nomine Lechus, & cum vtroq; cognati affines, amici, clientesq; & vernulæ, quos vxores atq; liberi, ac cætera hominum ingens turba, ad ſimul proficiſcendum parata, longo ac frequẽti agmine ſubſequebatur, eo itinere, quod per Valeriam regionem, inter Danubium & Drauum fluuium ſitam, & à Croatis tum poſſeſſam, illos vſque ad Pannoniam ſuperiorem Morauis vicinam deducebat. Cum igitur in Morauiam diuertiſſent, & illam iam pridem à gentibus ſuis, quemadmodum & Saxoniæ bonam partem occupatam reperiſſent, paululum ſubſtiterunt. Interim Morauі peregrinationis cauſa cognita, hoſpites & populares ſuos docent, haud procul, regionem diſtare, quàm Germani Boeheim vocarent, ab eiſdem Germanis quondam habitatam, nunc vaſtam penè & deſertam, niſi quod Vandalorum nonnulli, & ipſi populares per Tuguria ſparſi illam incolerent. Aut igitur hanc illis regionem, aut nullam aliam, ad capiendas ſedes, quas non armati, ſed togati quærerent, appoſitiſſimam videri. Hæc dicta eo procliuius approbauit Czechius, quòd in eo ſtatu res ſuas conſpiciebat eſſe ſitas, vt non legere cõditiones, ſed oblatas accipere magis conueniret. Redintegrato itaq; itinere rectà per Hercyniũ iugum vadens, ſe in Boiemiam, cum bona vbiq; pa-

*Venedi in Vãdalos, Syrbi in Luſatios, Hyrri in Illyrios tranſierunt.*

*Etymon Slauinorum.*

*S. Hieronymus Stridonenſis Sclauus.*

*ἀφορμὴ migrationis Croatiorũ in Boemiã.*

*Czechius gentis cõditor & Lechus frater.*

*A Morauis in penitiorẽ Boemiã Czechius deducitur.*

ce

ce insinuauit. Ibi quàcunq; ibat, aspectus fidem faciebat eorum, quæ auribus paulò ante acceperat, incultam videlicet, desertamque esse Boiemiam, à pecudibusque, & armentorum gregibus potius, quàm ab hominibus obsessam, adeò bene multi in illa greges pecudum, rarissimi autem incolarum apparebant. Incolæ sanè inculti, intonsi, ac planè pastores: ij ignotæ primò gentis aduentu perculsi erant, mox audita vernacula lingua, intellectoq; hospites nō hostes aduenisse, mutuam salutationē fecerunt, hospitaliaq; dona hospitibus miserunt, lac, caseolos, carnem, ducesq; itineris dederūt, qui eosdem hospites in Boiemiam interiorem deducerent. Cum peruentum esset ad montem, inter duo flumina Albin, & Vltauiam assurgentem, (incolæ Rzip vocant, quasi tu speculam dicas, quoniā inde subiecta monti planicies, latissimè perspeculari potest) ad eum statim montē conscendit Czechius, perlustransq; oculis nunc cœlum & aerem salubrem, nunc terram vbere gleba conspicuam, nunc syluas & nemora pascuis idonea, nunc flumina aquis & piscibus redundantia, tacitum gaudium celare diutius nequiuit, sed manibus in cœlum sublatis in hanc vocem erupit: Dij (inquiens) vestram fidem, quantis me, fratremq; meū bonis, quantis amicos nostros cōmodis beatis, si hanc patriam nobis perpetuam efficitis. Pòst hæc cæsis quas secum adducebat victimis, sacrum suo more facit, descendensq; rursus in plana, simul vniuersos pari gaudio implet, spe allata finiendæ tandem vagæ peregrinationis, sede nimirum certa & stabili reperta. Mox vniuersos adhortatur ad ędificia & tecta constituenda, & inprimis, vt se ad agros excolendos conuerterent, ne ritu ferarum, venatu tantūmodo & carne vitam tolerare inhumanam cogantur. Croatæ erant tam ædificare, quàm agros colere docti: itaq; pro se quisq; animo alacri operam pollicetur. Nihilo tamen secius circuire singulos Czechius, operisq; interesse, & instare, ac promptos quidem laude, segnes verò castigatione, ad perficiendum quod inceptum erat, perurgere, quoad agris, pratis, ædificijs cultior Boiemia videretur. Auctis indies magis ac magis habitatoribus, ex frequenti tum Vandalorū, tum Dalmatarum in Boiemiam, tanquam in locum à bellis pacatiorē migratione. Lechus frater, ambiguum, inuidia an æmulatione, ut & ipse forsitan nouæ regionis, nationisq; author haberetur, Czechium adit, rogatq;, vt per eum sibi liceat cum ijs, qui sua sponte sequi voluerint, alias ad habitandū sedes vestigare, quas si non inuenerit, ad fratrem se reuersurum promittit. Quo facilè impetrato, montes transcendit Aquilonem versus, perueniensq; in illa loca, quæ in præsentiarū, partim à Slesitis, partim à Polonis obtinentur, pari ac frater fœlicitate illa nouis cultoribus complet, adhibetq; eandem curam, meditationē, diligentiam in agris, & ædificijs constituendis. Sed nec alia atq; Czechius animi moderatione, aduersus suos vtitur, æquo similiter cum suis iure, & sine vlla dominatus ambitione vitam transigens. Cuius rei causa, vtrumq; gens sua pòst mortem obitam æterna consecrauit memoria. Quippe in hunc vsq; diem Boiemi se à Czechio, Czechios, Poloni autem à Lecho, Lechitas, vtriq; conditores suos agnoscentes, appellant. Defuncto sine liberis Czechio, Boiemi ex vetere gentis instituto, popularem statum amplectuntur. Quale autē institutum hoc fuerit, Procopius in historia sua Gottica cōmemorat. Sclauinorum inquiens nationes, non ab homine aliquo vno regi, sed iam inde ab antiquo, plebeia, cōmuniq; libertate viuere, & idcirco de rebus omnibus, quæ cogitatu factúue grauiores occurrunt, cōmuniter deliberare. Ac tum certè, in nouo videlicet adhuc populo, Boiemis eo facilius persequi hoc institutum licebat, quòd nemo vnus inter illos emineret, vt præ cęteris ad illum regimen deferendum esse videretur. Dein quòd nihil supererat de quo valde certarent, aut in factiones discederent, cū in promiscuo vsu illis essent penè omnia. Alebat deniq; mutuam inter illos concordiam, quòd nullis adhuc externis natio-

*Lechus à fratre secedit.*

*Boemorum et Polonorū dij indigetes.*

*Δημοκρατία apud Sclauinos.*

nibus, quæ aut lingua, aut moribus essent discordes, immixti, sed gente, & sermone, & institutis pares Boiemiam inhabitabant, in eaq; societate, & inter se coniunctione, quam inter similes natura conciliare solet, magno cum consensu acquiescebant. At posteaquam alienigenæ paulatim in Boiemiam allabi, alijsq; eorum cõmunem agrorum, & aliarum nonnullarum rerum vsum irridere, alij à plebeia gubernatione abhorrere, agrestemque incolarum vitam fastidire cæperunt, sensim etiam æquabilis ille, popularisq; in Boiemia status labascere cæptabat. Amat enim varietatem, rerumq; mutationem, varium & mutabile vulgus. Et quoniam rarò usu venit, vt sine aliqua rerum interturbatione, bene in republica constituta immutentur, turbari tunc, & misceri cuncta malis concionibus, turbulentis cætibus, & rixosis contentionibus videres, dum alteri de vetere statu retinendo, alteri de abrogando rixantur, intereaq; reuerentiam aduersus magistratum exuunt, metum iudiciorum deponunt, leges populares cõtemnunt: Contrà audaciæ, & cupiditati frena laxant, quidper ius non licet, audacter ac cupidè peragentes, inuicem se deprædantes, inuicem ferientes & cædentes, atque vt vno velut fasce multa complectar, latrocinium ibi constituentes, vbi paulò ante publicum consilium fuit. Quibus malis tandem defatigati, victique, rursus animum ad reparandum reipublicæ statum conuertunt. Et cum democratia non placeret, respicere Monarchiam, qualis sub Czechio fuerat, incipiunt. Croccus tunc erat, in quem oculos suos omnes coniecerant, idoneumque esse putabant, qui in locum Czechij succederet, quoniã ante alios boni, iustique viri speciem præseferebat, sermoneq; comis & affabilis habebatur, ac multitudini maximè gratus ex opinione diuinitatis, quam ex diuinatione augurioq; collegerat. Non secus enim ad eum viri, mulieresque affluebant, ac si adfluerent ad Apollinis oraculum. Et quanquam gratuitam, non autem quæstuariam diuinationem faceret, sine quæstu tamen illa ei non erat, vltrò consultoribus stipem obtrudentibus: qua ille auctus, prædium sibi Crocci cognomine ædificauit, haud procul à Stebna pago, quò postea animi venationisque causa Principes Boiemiæ frequentissimè secedebant: In eoque prædio suo Croccus tantisper habitauit, dum ad eum regimen deferretur. Non videlicet, vt ad Principem, qui ex arbitrio suo imperaret, sed vt ad Prætorem, qui ex æquo & bono ius diceret. Nõdum enim vllæ scriptæ extabant leges, sed id habebatur inter plebiscita, quod consuetudo & mores populi approbauerant. Hunc deniq; maiorum suorum vsitatum in iudicando morem Croccus precipuè retinendum qutauit, nihil quidquã de illo immutans, imò vt illum magis adhuc confirmaret, quotiens litem cogniturus pro tribunali assideret, neminem quenquã, nisi vsu, & experientia, talium morum peritũ in consilium aduocauit. Sæpius tamen res controuersas cõponebat, quàm iudicabat, quia magis aliquantò transactio popularis esse, quàm iudicium videbatur. Cæterùm valde superstitiosus Croccus erat, vt qui fontes, & lucos pro dijs coleret. Sed non ab re fuerit, posteaquã in superstitionẽ gentis incidimus, breuiter explicare, quã olim opinionem de Deo conceptam Sclauinorũ natio habuerit. Igitur rursus à Procopio ea, quæ super hac re scripsit, ex Historia Gottica mutuabimur. In hanc itaq; sententiam Procopius, Syluas Sclauini, & Nymphas colunt, & Dęmones alios, ijsq; sacrificia faciunt, & inter sacrificandum vaticinantur. Habent præterea lege cautum, à maioribusq; traditum, vt inter numerũ Deorum, vnum illum, qui sit fulminis fabricator, dominũ omnium rerum, ac solum Deum esse credũt, illiq; boues, & hostias eius generis alias mactent, Fortunam verò quid ea sit, nec sciunt, nec vim vllam in homine habere fatentur. Sed quando, vel domi morbo languentibus, vel foris in prælio periclitantibus mors imminet, iubentur pro incolumitate sacrificare, habentque persuasum, per sacrificia salutem sibi redem-

*πᾶσαι μεταφολαὶ τ̃ πολιτιῶν θανατοφοραὶ.*

II.

*Croccus populari spreto imperio ad ducale fastigium euectus.*

*Numẽ vt Czechus Romulus.*

*Religio siue cultus Sclauinorũ sacer.*

ptum

ptum iri. Atq; hæc vetus quidem eorum superstitio. Successit deinde noua, Carolo magno rerum potiente, victoreq; Saxonum, & in his Sclauonorum quoq; quos Rugianos cognominãt. Placuerat victori, vt gens victa, cultui præterea & sacris ritu Romano peragendis animos dederet, ac cum cæteris Saxonibus ad sanitatem paulò ante ab eodem Carolo reuocatis, vt templum diui Viti, maxima tunc in veneratione apud illas nationes habiti, tributis coleret. Pendebant Rugiani templo tributa, quoad incolumis viueret Carolus: ipso mortuo nec tributa dare, nec cultum retinere Romanum volebant, sed domi sibi fanum, & in eo simulachrum constituentes, stipem quotannis viri mulieresq;, vnum quisq; eorum per capita nummum fano inferebant. Et cum tributi reddendi nomine à finitimis appellarentur, contentos se esse domestico, & Vito, & tributo respondebant. Huic simulachro Suatouiti, hoc est diui Viti, vocabulum indiderãt. Effigies erat quadrifrons, qualis olim Iani apud nonnullos, vt circumstantes ab omni fani parte, conspectu simulachri perfruerentur. Dextra cornu, leua arcum gestabat, proximè suspensa erant, ensis, frenum, sella, iuxtaq; candidus equus stabulabatur simulachro cõsecratus: eum sacerdos fani alebat, seq; & populum opinione implebat, quasi Suatouitus, equo illo aduersus religionis suæ hostes militaret. Sæpe enim idem sacerdos, anhelantem adhuc & sudantem, à nocturna exercitatione diluculo eum spectatoribus ostendebat, sacraq; Suatouito, vino & placenta faciebat: vinum pridie solemniter in cornu, quod dextra gerebat, infusum, si postridie integrum sine vlla diminutione manebat, bonum incrementi liquidarum fluentiumq; rerum illius anni euentum significari dicebat: malum verò si quid de vino fuerat sua sponte diminutum. Habuit & placenta, à sacerdote & populo comesa, sua præsagia, futuram eius anni frugum copiam, aut inopiam præsagiens. Eratq; sacrificium utrumq; ad mores gentis prorsus appositissimum, siquidem in hunc vsq; diem Sclauini placentis & vino nimium delectantur, tractantq; libenter arma & belligerantur, simulachrum illud vetus bellicosum armisq; instructum imitantes. Diu hæc superstitio & cultus eiusdem simulachri, etiam inter Boiemos viguit, donec Diuus Venceslaus, Principem Boiemiæ agens, impetratis ab Othone Cæsaræ Diui Viti reliquijs, sanctum virum, idolo profano abolito, venerandum Boiemis exhibuit. Sed ne sic quidem memoriam Suatouiti delere ex mente Boiemorum quiuit: quippe nunc quoq; nullam magis solemnem Boiemi salutationem habent, quàm eam, quæ fit sub Viti nomine: excepturi enim vel hospitem, vel amicum, vel intimum quenquam peregre aduenientem, Vitei Vitei ingeminant, sospitati, quasi à Suatouito concessæ, ita congratulantes, quia fortè ita euenit vt peste circum vicinos increbescente, ipsi duntaxat, qui Suatouitum colebant à contagio integri & incolumes permanserint. Sed vt iam à diuerticulo in viam redeamus, tanta cum laude & gloria Croccus rempublicam Boiemam administrauit, pagisq; illam arcibusq;, & alijs nouis ædificijs amplificauit, inuentis tunc fortè in fluminibus auri ramentis, vt non solùm domi apud suos, sed foris etiam apud Polonos gratiosus fuerit, adeo vt Poloni ad eum legatos mitterent oratum, ne grauaretur in Poloniam venire, ibi quoq; statum reipublicæ, & controuersias hominum compositurus. Venit ille, veniensq; ita est functus officio suo, vt Poloni, in honorem eius, arci nouæ & oppido, cui tunc primum fundamenta ad Vistulam flumen posuerãt, Croccouiæ vocabulum inderent. Nulla Crocco virilis sexus proles fuit, sed moriturus tres à morte sua filias superstites reliquit, omnes (vt ipse erat) fatidicas, vel magas potius, qualis Medea & Circes fuerant. Nam Bela natu filiarum maxima, herbis incantandis Medeam imitabatur, Tetcha natu minor, carminibus magicis Circem reddebat. Ad vtramq; frequens multitudi-

*Vitus tutelaris Rugiorum in Suatouitũ mutatus.*

*Idoli Suatouitri figura & ritus colendi.*

*Primo cõgressu Boemorum salutatio.*

*Croccus Solonis vel Lycurgi munere apud Polonos perfunctus.*

*Craccouiæ in Polonia origo.*

*Filiæ Crocci ceu sybillæ, Bela, Tetcha.*

nis concursus fieri,dum alij eorum formam sibi & amores conciliare,alij cum bona valetudine in gratiã redire,alij res amissas recuperare cupiunt. Qua arte ita Belam excelluisse ferunt,vt prouerbij vice,in re inuentu prorsus difficili iactaretur: ne Belam quidem reperire id posse,quod sit perditum.hæc arcem Belinam,illa altera,arcem Thetin,ex mercenaria pecunia(nihil enim gratuitò faciebant) ædificandã curauit.Liberalior in hac re Lybussa natu minima apparuit,vt quę à nemine quidquam extorquebat,& potius fata publica omnibus, quàm priuata singulis præcinebat: qua liberalitate,& quia non gratuita solùm,sed etiã minus fallaci prædictione vtebatur, assecuta est,vt à viris comitia prætoria habentibus,in locum patris Crocci subrogaretur.Vetus aũt mos etiam Germanis fuit,vt mulieribus fatidicis summos haberent honores.Etenim scribit Tacitus,se,cum Vespesianus Cæsar imperiũ obtineret,vidisse,Germanam Velledam diu apud plerosq; germanos numinis loco habitam, ne quis,vt rem nouam miretur,si Boiemi Lybussam vatem suam sibi præposuerint.Numini enim hoc magis,quàm homini datum est. Ergo etiam multò tolerabilius vatem illam,quàm iudicẽ tolerabant.Lis fortè ditiori cum tenuiore de finibus agrorum inciderat, eamq; litem ambo in foro Lybussæ persecuti sunt,in quo palam cõuictus ditior, iniuriæ illatæ est condemnatus.Non tenuit is infra dentium septum iracundiæ vocem, sed ad suos comites versus, quousq; tandem,inquit,vna muliercula tot viris insultabit,an non satis aliunde nobis dedecoris superest, nisi vt quoq; cumulus imperij muliebris accedat? Quanto honestius est viros regi à viris, id quòd & natura & mores gentium approbant,quàm turpiter subijci fœminæ,ad pensa inter puellas dispensanda,quàm ad negocia virilia tractanda magis idoneæ. Ad hæc Lybussa, vt erat animo masculo prædita,ingenueq; & liberè educata. Quo pacto (ait) id quod nata sum negare ego possim aut debeã?Planè ita est vt dicis,mulier sum ego,sed ad quam tu quoq; cum cæteris iurisdictionem transtuleris,non eo vtiq;,vt ex tua libine,sed vt ex æquitate ius æquabiliter dicerem, proinde aufer hinc intempestiuam contumeliam,& vince si potes argumentis, iniuriam tibi à me esse factam.At ille furibundus, minitabundusq; è conspectu se proripit,nec abiens destitit dominatum muliebrem, vt præposterũ,traducere multis rursus mutationis rerum cupidis.Quo illa cognito & præterea comperto, quòd viri nouarum rerum studiosi in arcem,Lybus nomine.(quam ad albim fluuium vbi nunc Colonia est sibi Lybussa construxerat)venturi essent:intromitti venientes iubet,ac prior ipsa loqui incipit inquiens. Dabitis mihi hanc veniam viri Boiemi, si antea, quàm vos audiam, defensionis meæ rationẽ putem habendam:ita enim vti faciam non magis innocentia mea,quàm pudor vester flagitare uidetur.Nam si ego indigna honore cuiquam vestrum esse videor, quia puella nata sum, vobis profectò erubescendum, qui vltrò insignia honoris ad puellam detuleritis. Sin plus valuit, qualis qualis existimatio nominis mei, cuius gratia me publico magistratu condecorandam putaueritis, meus iste iam pudor meaq; culpa fuerit, si impositam mihi à vobis personã, non ea qua debeam virtute sustineam. Hic verò ego nullius libentius quàm vestram imploro conscientiã.Nemo enim est vestrũ qui nesciat,quemadmodum me in magistratu gesserim, geramq;, non aliter uidelicet ac pater meus se gessit,qui ius æquabile perpetuò coluit,deditq; sedulam operam,vt pari inter vos iure,ita vt ciues inter ciues viuere conuenit,viueretis,sed nec aliter iustus haberi potuisset, nisi ad hunc modum in officio suo se gessisset.Nec item ego successione iusti patris in magistratu digna erã,si iniusta sequi,gratiamq; cuiusuis æquitati anteferre voluissem:sed hæc voluntas iusticiæ paternæ mutandæ nec nunc mihi adest, nec vnquam aderit,vobis autẽ dispiciendum est, sit ne vobis omnibus propter vnius iniquitatem & importunitatem,præsens rerum

III

*Lybussa imperio præficitur.*

*Traducitur γυναικοκρατεία.*

*Excusatio Lybussæ.*

rerum ſtatus commutandus. Reticentibus ad hæc cæteris, iterũ is qui author ſeditionis fuit, Lybuſſæ ſic inſultat. An nõ animaduertitis, inquit, ciues, quàm inuita de lætioribus paſcuis bucula iſta decedat, ſed iam vi inde exturbanda eſt, ſi ſua ſponte loco ſuo concedere viro alicui Principi noluerit. Nihil hac voce deterrita Lybuſſa, rurſum cum viris, ſed iam per apologum agit, inquiens. Mares quondã columbi dicuntur in comitijs ſuis Principem ſibi palumbem fœminã delegiſſe, celeriterq; cõmutata ſententia imperiũ eidem abrogaſſe, quod imperij mollioris indulgentioriſq; ſub muliere turbam tæderet, illudq; mox ad accipitrem tanquam natura & ſexu ferociorem tranſtuliſſe: porrò accipitrem imperio in columbos accepto, planè virũ ſe erga illos demonſtraſſe, aſſultu, raptu, laniatu, qualem morem in hunc vſq; diem poſteri accipitris obtinerent in obuias columbas alis & vnguibus inuolantes, easq; diſcerpentes. Ne quid igitur ſimile columbarum ex mutatione magiſtratus Boiemis eueniat, ipſis quàm maximè intentis oculis, re adhuc integra eſſe videndum, ne poſt rem malè actam, ſerò facti pœniteat. Cum per hæc quoq: ſurdis narraret fabulam, iamq; inſuper metueret ne arbitrio concionis princeps, qualem ipſa minimè cuperet, declararetur (talis verò erat qui Caurimenſi vico præfuit, proximus dignitate à Crocco) orare inſtitit, vt dijs potius quàm hominibus authoribus, vir aliquis in Boiemia Princeps crearetur. Orationi aſſentientes reuerti poſtridie omnes ad audiendum oraculum, quod dij per nocturna ſacrificia propitiati de futuro Principe ædiderint, iubet.

*Seditio aduerſus Lybuſſam.*

*Apologus ſimilis Aeſopico de ranis, petentibus abs Ioue regem.*

*Deo auctore principes creandi.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER SECVNDVS.

POſtridie mane ad horam reuerſis omnibus (excitauerat enim per tempus omnes deſiderium cognoſcendi Principis, quem fata Boiemis deſtinaſſent) Lybuſſa in medium eorum cum puellis progreditur, & an pridianum mentis rigorem flectere viri nollent, principio interrogat. Reſpondentibus, nolle, tum deinde illa, quod bonũ ait fauſtumq; & fœlix ſit. Dij mihi maritum, vobis Principem dant, Premislaum nomine. Obſtupefacti ad nomen & hominẽ ſibi ignotum, rogant Lybuſſam, vbi nam gentium vir ille vitã coleret? Virum eſſe indigenam Lybuſſa reſpondet, & ſi præterea fortunã quoq; viri ſcire cupiant, planè eſſe colonum & ruſticum. Cæterùm vtriuſq; rei cauſa Dij eſſe gratiam habendam, prioris, quòd oues vernaculas domeſtico paſtori, nõ autem lupo externo committendas decreuerint: poſterioris, quòd ſummum honorem ad infimam eoq; minus inſoleſcentem hominis ſortem tranſtulerint, eidemq; conceſſerint facultatem per ſortes futura prædicendi. Eius adeo hominis ſi maturo conſpectu perfrui concupiſcerent, maturè eſſe deligendos legatos, qui illum adeant, principemq; conſalutatũ in arcem Vicegradum deducant. Deligunt continuò legatos viros primores decem, quibus ad Lybuſſam adductis, oſtendit eis Lybuſſa equum ſuum, inſtrato & ſella conſtratum, mandatq;; vt decem equum ſua ſponte vadentem legati tanquã comites aſſectarentur; de via in nullam partem deflectentes quoad peruenerint ad aratorẽ ad menſam ferream prandentem. Quo demum viſo ſalutatoq;, iniungit vt eundem aratorem Principem appellarent, indutumq; purpura & calceis quos dabat, vt rectà in arcem Vicegradenſem adducendum curarent. Legati manda-

IIII. *Premislaũ & maritũ & poteſtatis conſortem aſciſcit Lybuſſa.*

*Premislus arator equi Lybuſſæ indicio deprehenditur.*

tis Lybuſſa acceptis,equi veſtigijs inſiſtũt quacunq; præiret, nec iam ſine tædio, quippe paulò minus quinquaginta millia paſſuũ pedibus emenſi erant, cum ecce tibi equus,vt eſt ventũ ad ripam fluuij Belinæ, quo loco pagus Stadicius viſitur, ſubitò ſe de via in agrum conuertit recens tunc & pro meliori parte proſciſſum,pergitq; recto gradu ad aratorem, ac proximè accedens,poplites ei vnà cum ceruice, quaſi venerabundus ſubmittit. Sedebat immotus arator in ſtiua,atrumq; panem & caſeolum de vomere,menſæ vicem fungente ſuſtollens arrodebat,tantiſper,dum legati mandata Lybuſſę exequerentur, eumq; Principem conſalutarent: inde confeſtim exurgens, ſtimulum colurnum,qui iuxta aratrum iacebat arripit,vaditq; ad boues ſuos,qui proximè paſcebantur ambo candidi,niſi quod maculis fuluis alicubi aſperſi fuerunt:eos boues ſtimulo illo exſtimulat,faceſſite hinc dicens ſudoris laborisq; ſocij, retroq; vnde veniſtis protinus deuoluamini. Atq; illi repente ambo ex oculis in tenuem euaneſcunt auram, mox ſtimulum ipſum plantæ modo in terram pangit,qui puncto item temporis in Corylum coaluit, ternis ramis frondentem,quorum duo illico exaruerũt,at tertius nuces etiam auellanas oſtendit.

*Præſagia de incremẽtis & duratione imperij Bohemici.*

Ab his tandem præſtigijs ad legatos verſus,cedamus inquit,pareamusq; numinibus ab aratro nos ad ſolium principale vocantibus. Quàm vellem tamẽ, cuperemq; vt paulò ſerius huc adueniſſetis, tum videlicet, cum veruactum exaraſſem,maiora omnino tunc imperij olim incrementa forent, etiã ſi præſentia boni conſulere iure optimo debeamus. Quo finito veſtitũ obſoletum ruſticanũq; deponit,ac ſe purpura & calceis à Lybuſſa miſſis induit,lautiorq; iam inde equum conſcendit, Vicegradum iturus ad celebrandas nuptias, & ad capeſcendum in Boiemos imperium. Cum paulùm proceſſiſſet, hei mihi, inquit, manticulam in qua obſonium inerat & carbatinas quibus calceatus eram, charas mihi exuuias, mecum auferre oblitus ſum, redeat oro vnus aliquis in agrum & ad me vtraq; referat. Qui retulit, quid eſt, inquit, princeps, cur tanti tu æſtimes vilem perulam & agreſte calciamentum,abijcienda mea opinione vtraq; potius, quàm oculis alicuius ingerenda, niſi rideri ob hæc à ſpectatoribus,quàm celebrari mauis? Immò celebrabor per iſta inquit,magis, quàm deridebor,ſi fortunę meę ad poſteros monumentũ reliquero,quo ſubmoniti ſucceſſores principes, minus olim intumeſcant. Valde enim inſolens princeps fuerit, quiſquis crepundijs originis ſuæ tam agreſtibus cõſpectis,tumorem animi & inflationẽ non ſepoſuerit. Captus tam tẽpeſtiuo reſponſo legatus, pergit inter eundum cætera exquirere. Quorſum videlicet prodigia de bobus,deq; ſtimulo tenderẽt. Illud,reſpondit,ad gloriã ſuam pertinere, quod à bobus ad equos,vt dicitur,tranſcenderit hoc ad filios quos habiturus eſſet. Vt enim duo rami ex ſtimulo prognati ſtatim aruerunt, ita olim fata duos ſibi filios oſtenſura eſſe tantummodo,ac mox è medio ſublatura. Tertium tantummodo non ſolum ad lætas frondes, verumetiam ad vberes fructus proue ctum iri Et ſi veſtro,inquit,interuentu aratio non fuiſſet interrupta, ſed abſoluta,futurum ſimul fuiſſet, vt ſtirps mea virilis nunquã apud Boiemos exareſceret. Nunc multa quidem ſæcula illam eſſe duraturam, ad poſtremũ tamen occaſuram,cum nepos vltus fuerit auum. Poſt has ſimileſq; verborum ambages arci Vicegrado appropinquantibus, viri Boiemi, qui ad Lybuſſam venerunt, magno alius alium anteuertendi ſtudio obuiam procedunt, ac pro ſe quiſq; gaudium aut officium oſtentant: pari animi alacritate Lybuſſa eundem excipit,nuptiasq; pariter,vt dignum fuit,apparat: atq; ita quod nulla ratione, nullaq; perſuaſione conſequi potuit, in arte & præſtigijs conſecuta eſt,vt imperium in viros mulier continuaret, vocabulum tantummodo principis inane Premislao relinquẽs,ipſa vim poteſtatemq; imperij ſibi perpetuò vſurpabat. Et quoniam parum laxè pro magnificentia habitare in arce Vicegrado

*Agathocles futilibus cœnabat.*

*Posteritas Premyslai quamdiu duratura.*

grado ſibi videbatur,ad vrbem in loco arci propinquo edificandam animum adiecit, ipſaq; conſtituendis mœnibus & domibus areas atq; fines definiuit, iuſſitq; prima ædificij exordia architectos ſumere eo loci, quo vir quidã colonus dedolaret ſibi caudicem. Vadunt architecti mœniũ fundamenta deſignaturi,inciduntq; in colonum,ramos de trunco deſecantẽ, eum vnus aliquis ex illo architectorum numero rogat,quidnam ex trunco adeo curtim detruncato effingere pararet? reſpondit ille patrio ſermone,prah,id eſt limen,ſe ſibi ad hoſtiolum ſuũ fingere, quo ad Lybuſſam relato, illa nomen vrbi Praha indit, ac ſic inter eos qui circumſtabant differit.Quantumuis ipſum limen res contemnenda eſſe videatur,efficit tamen nõ rarò vt magni principes impactis in limen pedibus,læſos ſe eſſe querantur,ita ſperarent fore,vt maieſtas & potentia huius vrbis,vel ipſos olim reges hoſtilia in eam parantes ſit offenſura. Accedet & hoc vrbis maieſtati, quod duos habebit præſides,quorum vterq; ſuo cœlũ diuino capite cõtinget.Videre enim mihi viſa ſum,inquit,geminos oliuæ ramos ad aquilonarem vrbis partem diuinitus enatos,quorum ſublimitas vſq; ad ſydera pertenderet.Certam quidem ſpem omnes qui aderant animo præſumpſerant,ita videlicet olim fore,vt prædiceret Lybuſſa, ſed nemo tunc intelligebat quinã illi tam inſignes viri eſſent futuri. Poſt aliquot ſæcula tandem documentis apparuit viſum tale, vaticiniumq;, diuum Venceslaum, diuumq; Adalbertum prænunciaſſe,quorũ alter Pragæ vt princeps,alter vt Pontifex præfuit, atq; ambo in cœlum atq; inter numina cœleſtia relati ſunt. Tres filios Lybuſſa Premislao enixa eſt,ſed duo præmatura occubuerunt morte: tertius vtriq; parenti ſuperſtes fuit.Paulò ante obitum ſuum Lybuſſa diſcreto per ordines populo, nobilibus quidem magiſtratus atq; honores capiendi poteſtatem fecit: colonos verò & opifices intra ſuam quemq; eorum pelliculam continere ſe iuſſit. Obijt autem in arce ſua Lybus,ibidemq; ſepulta eſt,cuius obitu cura adminiſtrandæ reipublicæ tota ad Premislaum eſt deuoluta, virum pariter ſuperſtitioſum,vt vxor fuit,eademq; ſuperſtitione,qua vxor populum regentem, niſi quòd paulò ille agreſtius. Erat inter alumnas Lybuſſæ puella quædam Vlaſta nomine, præſtigiarum patronæ diuinationumq; conſcia peritaq;: cuius tutelæ Lybuſſa moritura puellas,quas in gynecæo habuit, vnà cum ipſa arce Lybus commendauerat. At illa arcis tutelam indepta, ex ea aſpirare ad altiora cœpit. Itaq; apparato ad certum diem feſtiuo in arce conuiuio, eodem ſimiles ſtudij audaciæq; viragines inuitat. Vbi finis edendi factus eſt, amotis arbitris, Vlaſta ſic ſocias puellas adoritur: Doleo, inquit, meam, veſtramq; omnium vicem, quòd non perinde vt dignitas noſtra poſtulat, ius noſtrum contra viros obtineamus, nimium videlicet à morte Lybuſſæ in ordinem à viris redactæ, quaſi ſimul cum Lybuſſa omnium aliarum mulierum virtus interijſſet, cum ego hîc non paucas diſcipulas adeſſe videam,magiſtra etiam Lybuſſa præſtantiores,ſed nec ego libenter ceſſerim eidem Lybuſſæ de arte, quam de illa didici. Si igitur vna Lybuſſa ingenio,artificioq; tantum potuit,vt viros ſub iugum ſuum mitteret,quid illis fiet poſtea, ſi nos ſimul omnes aduerſus eoſdem viros,pro dignitate priſtina recuperanda conſpirauerimus? Nec eſt quod ruſticum Principem timeamus,rus enim ille merum olet, nec alia ei maior,quàm de rure cura. Vos modò mihi dextram in hoc date,ne me néue cauſam veſtram,quouis metu obiecto prodatis, ſpondeo fore,vt breui in viros imperium recuperetis. Dant dextras, oblatamq; ab Vlaſta potionẽ medicamento odij in viros temperatam, ordine delibant,remanentq; ibidem ſtatim complures, quæ inuitatæ aduenerant, ſeq; equeſtri & pedeſtri, atq; aliorum militarium operum meditatione exercẽt:Inter hæc Premislao dormienti ſpecies puellæ per ſomnũ obiecta eſt, dextera patearã geſtantis,eamq; Premislao propinare geſtientis, quã cum ille

*Pragæ ortus, etymon & augurium.*

*Mors Lybuſſæ Repub. prius conſtituta.*

*Vlaſta amazon muliebrẽ dominatum inuehit.*

*Somnium Premyslai omine ſum.*

accipere abnueret, puellam visam esse sanguinem ex eadem patera in terram fundere, malaq; multa capitibus virorum canere. Cõsternatus tali insomnio Premislaus, cœtum virorũ ad se euocat, præmonetq; saluti suæ, rerumq; suarum vt custodes esse vellent diligentiores, ingens enim exitium eis à puellis, imagine, quàm per quietem vidisset, denunciari. Ibi aliqui risu, aliqui conuitijs etiam, dicta Premislai insomniaq; prosequi, pars verò puellis insuper applaudere, quòd virilia munia fœmineis miscerent. Quo Vlasta accepto, maiora indies infestioraq; tentare audet, ac modò greges in agris infestare, modò per vias obuios spoliare, modò ipsos agros populari, prædasq; omnium in arcem agere, viris etiam tum cuncta ista, vel dissimulantibus, vel negligentibus: donec negligentiam eiusmodi incuriamq;, atrocissimum facinus consilio Vlastæ immani commissum viris excuteret. Instruxerat rursus in arce conuiuium Vlasta, iamq; non cœlibes modò puellas, sed ipsas etiam matresfamilias, quibus non admodum cum maritis conueniebat, ad id ineundum inuita

*Coniuratio muliebris.*

uerat. Posteaquam satis ex largiore cibo potuq; conuiuium calere visum est, interrogat Vlasta nuptas, liberæ an seruę viuere mallent? libertatem præferentibus, instare eadem multis verbis, fomitemq; odij contra maritos illis submistrare, quoad vsq; intelligeret tanto eas furore, quanto cupiebat in maritos esse incensas: ibi cõsilium deinde suum aperit, noctemq; vnam omnibus præstituit, qua somno sopitos interficiant maritos, imperatq; vt cæde perpetrata ad se cum spolijs maximè equorum & armorum mox reuertantur. Quod vbi est factum, attoniti inopinato parricidio affines cognatiq; & amici cæsorum, ad principem cum armis adfluunt, existimantes, promptum illum tanti scelèris vltorem se inuenturos: at ille fatis se impediri quo minus festinaret, ad exigendas de mulieribus pœnas, sed & ipsis affinibus impendere exitiũ dicebat, si per se vltionem properarent. Tum verò non contemptus modò, sed ingens insuper indignatio aduersus principem fuit, quasi miserias, necem deplorantium, ludibrio etiã magis, quàm auxilio dignas putaret. Igitur per se, sine principe cõglobantur, vaduntq; indignabundi, pœnas de puellis exacturi: & quacunq; incedunt obuios quoslibet agmini suo aggregant, eratq; agmen absq;

*Vlasta prodit in aciem.*

certo duce & signis, prorsus inconditum. Contrà Vlasta per turmas composita venerat, primæ turbæ Milada, secundæ Hodeca, tertiæ Suataua, quartæ Radeca, præposita fuit. Ipsa Vlasta cum reliquis agmen claudebat. Cœpto prelio, viri paulisper impressionem sustinuerunt, mox procella equitum à fronte & à lateribus circumfusi in medio turpiter sunt cæsi. Ferunt Vlastam sua manu septem viros validos interfeciisse, tantumq; sui metũ à victoria illa fuscitasse, vt cæteri superstites viri multomagis de petendis inducijs, quàm de bello instaurado fuerint solliciti, interimq; & tributa Vlastæ pendebant. Induciarum

*Asylum mulieb're.*

tempore Vlasta tumulũ ad Vltauiã flumen è regione Vicegradi situm occupat, illoq; fossa, aggere, & sæpibus communito, asylum mulieribus aperit, ac paulò mox affluente mulierum copia, arcem ibidem ædificat, appellatq; Deuinam, (quo vocabulo vernacula lingua puellæ cognominantur) vt inuidiã declinaret, quæ sine dubio exortura erat, si suo priuatoq; potius, quàm cõmuni omnium puellarum nomine arcem insignijsset. Vasta tunc, incultaq; circum illam loca erant, & si qui agri frumentarij propius apparebant, eos coloni puellis infesti, arabant, frumentumq; supprimebant, ne emendi illius potestas puellis fieret. Vt igitur sensit Vlasta se arcem sine commeatu tenere diutius non posse, rumpendas ante tempus inducias differit, nisi ante tempus fame mori, quàm per societatem viuere mallent. Decernitur statim ab vniuerso cœtu puellarum, vt traiecto Vltauia flumine in proxima principis horrea & armenta impetus fiat. Abripiebantur penè in conspectu principis frumenta ex horreis, gregesq; ex agris abigebantur, vel non auso illo, vel nolente vim

puella-

puellarum arcere,quasi fata ei nondum fauerent.Eo promptius Vlasta pergit insuper ire aduersus amicos principis,vt agros eorum populetur,prædas agat pecorum,& colonos in seruitutē adigat,miraturq; non plus animi illis,quàm principi ad resistendū adesse.Soli supererant iuuenes audaciores,qui interdū postremum puellarum agmen,globis assilirent,lacerarentq;. Illis in hunc modum insidias Vlasta instruxit. Componi iussit literas, nominibus puellarum forma præstantium subscriptas, quæ se maritandi desiderio teneri, nec nisi vnam Vlastam sibi obstare,quo minus desiderio potiantur,assimularent. Hanc capi aut tolli facilè posse,si complures armati nocte illis constituta propius arcem accedant, eamq; vnà cum domina à se illis traditam accipiant. Lectis huiusmodi literis iuuenes,amoribus persequēdis,quàm dolis effugiendis curiosiores, præstitutā noctem bene multi conueniūt, & vsq; in vestibulum arcis sine iniuria intromittuntur: progressi vlterius,alij eorū de ponte præcipites, alij post vestibulum neci dantur,sine vllo solatio vltionis, quia per cœcas tenebras vlcisci non licebat.Luce orta, primus huius cædis nuncius ad Styradiū, præcipua authoritate & gratia apud principem insignē peruenit,quo ille vehementer permotus in conclaue Principis irrumpit, & vincente pudorem dolore;Quid est(inquit) Princeps,quod iam amplius expectes,si te neq; parricidiū muliebre in maritos cōmissum,neq: strages nuper tot virorū, neq; hac nocte totidem penè iuuenū,ad vindictam sumendam haud cōmouet?an non cogitas,quo loco sis?quàm sustineas prouinciam? nō certè eam,vt hìc sedens ariolum nobis agas,sed ne nos consilio in periculis,auxilio in prælijs, vindicta in sceleribus admissis destituas:quod nisi nunc feceris, teq; à torpore,quo nimis diu intorpescis excitaueris,scias forè,vt quos tu in præsens deseris;ab eisdem mox,vt deserare.Post hæc dicta abire parantem,retinet princeps,rogatq; ne ipse etiam Stiradius vltro sibi malum accersire velit, fatis reluctando, nec expectando dum illa suo decreto,tēpus vindictæ constituant.Rogat ille vicissim Principē,vt desipere desinat,omissoq; vano augurio,certa ac sibi suisq; conducibilia,cum ratione vt persequatur.Porrò Vlasta à coryceis subauscultantibus, quos mercede corruptos in aula Principis habebat, edocta, quàm malè Stiradius in puellas animatus esset, vi aut fraude quàm primum tollere cum statuit. Prior occasio componendæ fraudis aduenit, quam hac ratione composuit: Certior facta daturum se esse in viam Stiradium, vt litibus quarum arbitrium susceperat, finem imponeret. Ad proximam syluam, qua ei fuerat eundum, puellam elegantem, cui Sarca nomen, arbori alligat,iuxtaq; lagunculam mulsi plenam,& corniculum venatorium suspendit,monstratq; cætera,quemadmodum videlicet illam aduersus Stiradium esse oporteat subdolam. Introeunti syluam Stiradio, Sarca voce clariore quiritari,opemq; implorare incipit: ad cuius vocem, cum vnus comitū de via deflexisset,ac mox reuertens Stiradio renunciasset,virginem esse adolescentulam,& nisi ornatus fallere,genere non ignobilem,quam nescio quis ad arborem loris deuinxerit. Non temperat sibi Stiradius,quin ipsemet speculator adeat,visaq; adolescentula loramentis circum arborem obligata, authorē iniuriæ requirit. Hìc illa lachrymabunda ad quemnam alium (inquit) mi domine, hæc iniuria,quàm ad Vlastam illam mulierum crudelissimam eiusq; comites pertineat? Cum quibus ego, quia sceleris societatem contra viros nullo pacto inire volui,multis prius cōuitijs & probris malè accepta,deinde ad hoc,quod vides,exemplum,arbori circumligata sum,sagittis nisi interuenisses peritura: nam in hoc iam arcus intentos nonnullę habebant,vt in me tela torquerent, sed simulac hynnitum atq; strepitum equorum tuorum audiuēre, continuò illæ se in pedes dederunt,tanta festinatione,vt & hanc lagenam,& hoc cornu quod in arbore cernis secū auferre oblitæ fuerint.Fac igitur mi domine,vt te

*Stratagema in adolescētes amatores.*

*Stiradius Principi ignauiam exprobrat.*

*Stiradius dolo circumuentus immane fœminarū subit supplicium.*

miſereatur puellæ indigna ferẽtis,indignioraq; mox laturæ ſi periclitanti per tempus non ſubueneris,meq; parentibus meis non reſtitueris. Tanta per hęc miſeratione Sarca Stiradium impleuit, vt ſuis ipſe manibus nodos funium, quibus illa retrorſum innodata fuit,reſolueret. Tum perfida Sarca,repente,vt eſt vinculis ſoluta,in terram velut impos animi prouoluitur, ac paulatim deinde animum recolligens, ſeſeq; attollens, lagunculam depoſcit, quaſi vires corporis ſorbitiuncula mulſi recreatura, nec tamen ipſa quidquam exſorbet, ſed mulſum medicatum Stiradio exhauriendum propinat, intereaq; dum is poculo indulget, ipſa cornu inflato concinit. accepto ſigno fraudis conſciæ puellæ, ſubitò è latebris in comites Stiradij effunduntur, ac partem eorum concidũt,partem fugant. Dein Stiradiũ ex potione venefica tam mente quàm corpore velut attonitum inuadunt,rapiuntq; ad ſupplicium,quod rota peragitur, horrendum, atq; proximè arcem Vicegradum, confractum membratim corpus,& radijs rotarum inſertum conſtituunt, vt ex conſpectu horrendi ſupplicij dolor principi increſcat. Sylua illa, in qua Stiradius interceptus fuit, in hunc vſq; diem Sarca vocabulum à puella inſidiatrice retinet. Ac ne quod exemplum fæuitię muliebris in ipſarum imperio deſideraretur,fæuitiem aduerſus teneram quoq; ætatem crudeliter diſtrinxerunt,pueris & adoleſcentibus,quoſcunq; nactæ erant, dextræ manus pollices amputando, dextrosq; oculos eruendo,ne poſtquam in viros adoleuerint,gladios commodè tractare, neúe in arcũ aciem intendere poſſent. Hinc tandem à veterno excitatus Premislaus ad referendam Vlaſtæ gratiam cœpit aduigilare, placuitq; ſuis illam artibus per dolum & inſidias adoriri. Igitur cerrum ad illam hominẽ allegat, qui mitti ad ſe fide publica vnam è ſodalitio puellam ſecretorum Vlaſtæ maximè conſciam poſtulet. Venit Milada,ea coram queritur princeps,ſe iam pridem tædio dominandi affici, cum ipſa quoq; ætas & tempora ſibi fuiſſent ad dominandum accommodatiora. Nunc ſenem atq; identidem languentem quomodo non tædeat eius dominationis,quæ laborum atq; periculorum ſit plena? ſibi igitur locum paratũ eſſe & prouiſum,vbi ocioſus priuatusq;,ſi per Vlaſtam licuerit,cum ſuis tranſigat. Cæterùm de arce Vicegrado, quæ imperij in Boiemia ſedes haberetur, ita ſecum ſtatuiſſe atq; decreuiſſe, vt illam ſua ſponte ad Vlaſtam transferat, nihil addubitans, quin Vlaſta beneficij huius memor,ſenem ſe iniuria omni & calamitate vnà cum filio adhuc impubere prohibeat. Laudato Principis,confirmatoq; conſilio,Milada ad dominam redire feſtinat, vt lætiſſimo illam nuncio ſtatim adimpleat, horteturq;,vt cœlitùs oblata munera plena ſtatim manu capiat, dilationem enim obeſſe,quàm prodeſſe ſæpius. Arridens Vlaſta, iubet Miladam ea quæ hortaretur, exequi, ac poſtridie mox cum delecto puellarum globo ad Premislaum reuerti, vt poſſeſſionem arcis Vicegradenſis ab eo acciperet, ſimulq; ſponderet Vlaſtam in locum patris ſibi Premislaũ ſumere, nec ſecus filium eius,quàm fratrem ſuum curæ ſibi perpetuæ futurum. Redijt igitur Milada, multis ſtipata puellis in arcem,expoſitisq; Vlaſtæ mandatis,concedi ſibi de arce poſtulabat. Hic valde comiter Premislaus Miladã appellat, rogatq; vt antea quàm ceſſio fiat,ipſa cum toto comitatu ſecũ prandeat. Quo impetrato,multa rurſus comitate hylaritateq; inter prandendum illam permulcet,vſq; dum ſibi videretur tempeſtiuum eſſe,deſtinatas inſidias perpetrare. Tum ipſe de menſa aſſurgit, quaſi ad purgandum, ſiſtendumq; narium ſanguinem, quem ſibi largius profluere aſſimulabat, re vera, vt ſignum daret armatis ad irrumpendum ex latebris,conficiendumq; ſanguinarias puellas eodem genere leti, quo ipſæ nuper iuuenes, fraude ad ſe illectos cõfeciſſent, cæde nimirum,& præcipitio. Extra vnam ancillam,quæ cuſtodiendis equis relicta, & mox inter primũ tumultũ elapſa erat,cæteræ omnes chlamidibus nudatæ, vel feneſtris deictę,vel

ferro

*Sarca ſylua à perfida puella cognominata.*

*Sæuitia in infantes.*

*Sic ars deluditur arte.*

*Milada conuiuij prætextu Viſſegradi iugulatur.*

ferro transfossæ sunt. Celeriter in tanta vicinitate ancilla, quæ fugerat ad Vlastam cum tristi hoc nũcio peruenit. Poscit subito Vlasta equũ & arma, iubetq; socias item puellas repente amari, & quà breuissimus per Vultauiam transitus est, illac trãsire. Cum propius rotam, in qua Stiradius nuper pendebat, accessisset, erumpit cõtinuò ex arce virorum agmen, equis, & clamidibus puellarum, quæ occisæ erant, ita exornatũ, vt primo eorũ aspectu dubitare cœperit, an vera de nece puellarũ ancilla renunciauerit, sed vbi ex propinquiore loco, fraudem subesse virorum personatã cognouit, solita in viros rabie fertur. Cæterùm, vis maior penes viros, quàm penes puellas fuit, libenterq; viuam Vlastam intercepissent, sed nequaquã viua capi potuit, tantũ animi ad tuendum se, nec aliter quàm pugnando occumbendum superfuit. Occisa Vlasta, cædes inde nõ pugna fuit: Ita à præpostero noua Amazonũ erubescendoq; imperio, Boiemi post septimum tandem annum se vindicarunt: Ac ne quis muliebres pugnas, vt rem vanam fictamq; derideat, sciat antiquissimum morem in Sarmatia fuisse, autore Pomponio Mela, vt fœminæ cum viris bella inirent. Idem enim Mela, arcus inquit, tendere, equitare, venari, puellaria pensa sunt, ferire hostem, adultarum stipendium est, adeo vt nõ percussisse, pro flagitio haberetur, sitq; eis pœnæ virginitas: Vt Spartanos sileam, apud quos similiter virginibus palestra, eurotas, sol, puluis, labor, militia, in studio fuerunt, prodente Cicerone. Atq; Plato ipse, nónne artes gymnasticas, & res bellicas æquè mulieribus, atq; viris in sua republica attribuit? ne quis nimis barbarum morem, virgines arma tractare autumet: Sed vt redeamus ad Premislaũ, sublatis è medio tumultuosis puellis, magna inde tranquillitate principatum inter viros vsq; ad mortem administrauit, primusq; repertis argenti metallis, argentarias in Boiemia coluit. Moriturus, proferri ex arcula sua manticã, & carbatinas, quasi insignem aliquã supellectilem, atq; in loco religioso seponi iussit. Non temere alias promendam, palamq; spectatoribus ostendendam, nisi in comitijs, creando principi habendis: Custoditaq; est solemniter extrema eius hæc voluntas, non solum à profanis principibus, sed deinceps etiam à Christianis regibus, vt eo videlicet die, quo inaugurabatur Rex, vnà cum ipsa corona & sceptro aureis, vilia hæc quoq; insignia, sacrorum minister ad aram inferret, Regi illa ob oculos commonendi gratia obtrudens, vt primæ suæ originis memor fortunam reuerenter haberet. Sed vt pleraq; alia antiquæ consuetudinis non spernanda exempla, sic huiusce moris vsurpatio paulatim exoleuit. Decessit Præmislaus successore filio Nezamislio, quasi tu dicas, hebeti, nulliq; excogitationi idoneo. Is igitur, vt nomini suo responderet, nihil ipse suo ingenio excogitare, nihil sua industria efficere potuit, sed quicquid ageret id alieno præsidio agebat prorsus vt solis auribus sapere eum diceres. Et si diuinare est, (vt Ausonius dixit) nomen componere, quod videlicet sit morum & ingenij futuri indicium, egregius certè vates haberi debuit Premislaus, qui filio rerũ suarum incurioso vocabulum Nezamislij, id est Epimethei, indiderit, cum ipse tanquã prouidus nomen Promethei possederit. Etenim quem Prometheũ Græci, eum Boiemi sua voce Premislaũ appellant, rursus quem illi Epimetheũ, Boiemi Nezamislium dicunt. Hic tamen ob patris memoriam, fauorem ordinum obtinuit, atq; ab illis more solenni in arce Vicegradensi princeps cõsalutatus est, indignissimè ferente vicino, qui oppidũ Gurimense tantum non Principis titulo possidebat. Se enim, quàm Nezamysliũ digniorẽ esse ad ineundã legitimi principis dignitatem existimabat. Impetu igitur in agros Nezamislij semel iterumq; facto, magnas inde prædas agebat, sperans futurũ, vt ille, metu bellorũ consternatus, de loco cederet, vitam priuatam amplexus. Quod postquam fieri non videt, malefacere pergit, hancq; maleficij causam prætendit; quasi pater Nezamysli, pagũ quendam attrectasset, sibiq; vendicasset, qui pri-

*Vlasta præliãs occumbit: vnà excussum est puellare iugũ.*

*Metallorũ inuẽtor Premyslaus.*

V.

*Nezamislius. F. Epimetheus, pater verò Prometheus.*

*Gurimensis æmulus.*

dem in ius, ditionemq; Gurimenſem conceſſerat. Prouocauit ad iudicium Princeps,ſed æmulus prouocantẽ ridebat,ludebatq;. Veniunt tandẽ vltro nobilium primores ad principem conſilij inopem,ei ſuadentes, vt duce & militibus lectis ferociam Satrapæ contundat,& rebellem vel ad officium,vel ad pœnam pertrahat,ſe quoq; cum ſuis affuturos, vbi adeſſe illos voluerit. Ad locũ cui Styrhow vocabulum,copiæ ſunt contractæ,prælium q; ibidem atrocius initum,quàm vt iniri in tanta hominũ paucitate debuerit, inter affines & cognatos,interq; ciues nuper in Boiemia,velut in vna ciuitate coalitos. Nam omnes,qui in prima acie ſtabant,occiſi ſunt,numerus virorũ amplius quadringentorum,victrice tamen acie principis,cæteri aut vulnerati,aut elapſi,aut capti. Inter captiuos,belli quoq; concitator,& author fuit, aliquandiu latitans: dein cognitus,& ad principem deductus,quẽ ille aſpicere dedignatus eſt. Cæterùm Duci certaminis poteſtatẽ dedit ſtatuendi de illo pro arbitrio ſuo: Dux falce ſerrata,nare & auriculis deraſis amputatisq;, cum magna ignominia dimittit incolumen. Pax inde tranquilla fuit,ſed non ocioſa, nobilitate plebeq; occupata in ædificandis nouis ædificijs,arcibusq; & oppidis, aut ſyluis radicitùs exſtirpandis,agrisq; inarandis. Affulſerat ſimul & ſpes ſalis inueniendi,quo planè Boiemia caret,iamq; inuentus fuit fons aquis ſalſis ſcaturiens,ad quem multæ operæ,ſalis coquendi,ac noui oppidi cõdendi gratia,vndatim adfluxerant. Durat in hunc diem oppidum, à ſale Slana vernacula lingua nuncupatũ. Cæterùm ſal breui tempore euanuit, vel ipſis aquis ſua ſponte factis inſulſis, vel hominum potius culpa, aliorum alijs inuidentium lautiorem fortunam, qualiter tunc Zatecenſes affecti fuiſſe dicuntur,per inuidiam Slanenſibus denunciantes, ne ſalinas inſtituerent: alioqui nouũ opus ſe manu violentâ inhibituros. Inſtant operi Slanenſes,ſecumq; aduerſarios cõgreſſos,pluſquã centum interficiunt. Zatecenſes ægritudinem animi ex clade acceptã totum annum diſſimularũt,quo euoluto,ſuo dehinc tempore Slanenſes incautos adoriuntur,cædunt,fugantq;,& omnes circũ ſalinas demoliuntur,obſtructo fonte ſalis robore lignorum,moleq; lapidum,ne qua facultas cuiquã inſtaurandi ſupereſſet,ſimulq; oppidũ ſtatim occupant, deductis eò colonis ſuis ciuibus, qui ex frequentia multitudinis ciuitati ſuæ oneri eſſe videbantur. Nam ex Serbijs gente ſimiliter Sarmatica, qui nunc Luſacij appellantur, pleriq; deſertis in ſuperiore Luſatia iugis montium,ad plana & ſaltuoſa loca, qualia Zatecenſes incolunt, Lucenſes inde cognominati,immigrabant, Nezamislio interim pulchrè ſecum agi exiſtimante,quòd neminẽ ſibi tam infeſtum cerneret, qui aduerſus ſe hoſtilia apertè inceptaret. Poſt huius obitum Mnatha filius in legitimo principatu ſucceſſit: haud æquè ac pater ingenio hebes, animoq; ſtupidus,ſed neq; ille tamen quicquã amplum, atq; magnificum ad imperandũ attuliſſe viſus, dum in venationibus ſæpius, quàm in ſerijs rebus agendis ſeſe exercet. Tanto namq; ſtudio venandi tenebatur,vt triennio continuo poſt adeptum principatum,in ſeceſſu arcis,largam ceruorũ,aprorum,vrſorum,atq; aliarum ferarũ venationem ſuppeditantis,perdurauerit,cura interim ac præfectura Vicegradi,atq; etiam iuriſdictionis,vni Verſouicenſium (quę tunc familia dignatione cæteris antecellebat) commiſſa. Cæterùm paulò minus euenit, quin iuxta prouerbium,ouem lupo commiſiſſe videretur, Verſouicio iampridem ambiente principis locum,ſi qua ſe occaſio offerret. Oblata porrò videbatur,alijs abſentiã principis accuſantibus & negligentiam, alijs ſolemnẽ cauſarum cognitionẽ deſyderantibus,ſine qua fieri nõ poſſe dicebatur,vt pacatè ſuum quiſq;, proprieq; obtineret. Plurimis præterea ad officium principis haud pertinere ſuſurrantibus,vt priuatas ſuas voluptates cõmunibus vtilitatibus anteponeret. Itaq; occaſione hac ille vſus, exulceratos illorũ animos magis adhuc lingua ſua aculeata exulcerare aduerſum principẽ pergit. Nullis in illum

*Plectitur Gurimenſis.*

*Salinæ repertæ, inuidia dimiſſæ.*

VI.

*Mnatha venationibus indulget.*

*Verſouicenſes affectant principatum.*

illum verborum cõtumelijs parcens,ac contrà de se ingentia pollicens si princeps in locum illius declaratus fuerit. Quo audito,rei nouitate qui tunc aderant obstupefacti(nec enim principis mutationẽ per querelas suas,sed vitæ illius morumq; emendationẽ exoptabant)rogitant ad deliberandum eius diei moram,posteroq; die manè se redituros ad consultandum super illo negotio spondent. Mora impetrata,extrudunt cõfestim ex numero duos viros præstantiores, qui curriculo ad Mnatham currant,ipsumq; doceant quo in periculo sita sit vita & dignitas ipsius,nisi prima statim luce insidijs occurrat. Adest ille ad tẽpus,seq; inter suos occultat,ne prius agnosceretur, quàm arcẽ introiret. Ibi accersito Versouitio,Quid hoc rei,inquit,est?Nónne ego te præfectũ arcis hinc secedens reliqui?finesq; tibi præscripsi, quibus intra officiũ vicarium te cõtineres?Qua tu audacia,munera insuper principalia tibi vsurpare ausus es, vt istos pro imperio ad te vocares?nouaq; cũ ijs consilia, nouosq; conuentus celebrares?An quia tu principem tuũ per summã perfidiã prodere eras promptus,istos quoq; tui similes futuros putasti?ignarus quod sicut malus nisi malè,ita bonus nisi bene agere nescit. Quare vtrumuis tibi horum elige,vt aut tuo te gladio trãsfodias,aut acerrimas proditorũ pœnas palam subeas. Stringit ille protinus ensem,illoq; in conspectu omniũ supplicium de se sumit. Cadauere elato seniores populi Mnatham submisse deprecantur, vt in paterna auitaq; arce ac sede resideat,vtq; animũ & voluntatẽ ad publica negotia administranda,maiore quàm hactenus industria curaq; conuertat,suiq; adeundi liberiorẽ potestatẽ præbeat. Et si quando relaxandi animi cupido interueniat, vt se quidem daret iocunditati,sed caueret ne venationes negotijs serijs anteponeret. Formidabiliores namq; instare venationes dicebant. Hinc Gallis & Germanis,cum Imperatore Carolo,non Saxones modò,verum etiã Vandilos & Serbios populares suos oppugnantibus:hinc Hunnis, gente omnibus feris ferociore crudelioreq; Pannoniam repetentibus. Ab omni itaq; parte vigilante opus esse principe, qui ante tempus prospiciat, ne omnia imparatis veniãt agenda. Approbat magis consilium Mnatha,quàm exequitur,iterum ad eundem relapsus secessum, ibdemq; ex pestilenti tandem lue mortuus,filio adolescentulo hærede relicto, cui Vogeno nomen (bellicum quiddam hoc vocabulum personat) huic tantisper datus tutor, dum posita prætexta, virilem togam sumeret. Rohouitius autem Versouicensis erat,cui tutela illa ac planè totius principatus administratio demandata fuit, opinantibus cunctis talem in administratione officij futurum, qualis in vita priuata fuerit, in qua illi ad speciem comitatis,æquitatis,moderationis nihil deerat. Sed non temerè à veteribus dictum est, Magistratus indicat virum. Id quod breui tempore apparuit,vt ille simul omnia malè diu dissimulata per vitam priuatã vitia in magistratu profunderet, agrestem arrogantiam, peruicacem contumaciam, summam iniquitatem & auiditatem, qua succensus, ad patrandum vsq; cædem intolerabilem exarsit. Senex quidam erat ordinis equestris, amissa vxore,& liberis, viduus orbusq;, cæterùm opibus pollens: Hunc sæpius captando blanditijsq;,& alijs illecebris venando, cum sese nihil proficere videt, ad cœnam vocat,senem poculis prouocat,conuiuium ad solis occasum producit, sublataq; mensa inuitat ad ambulatiunculam, postremò seductum in locum arcis arduum,de Saxo agit præcipitem,affingens vertigine ex ebrietate correptum sua sponte decidisse. Sed nõ latent diu enormia scelera. Ipse namq; paulò post semet prodidit, dum à morte interfecti in omnes illius fortunas sua libidine inuadit, frustra cognatis & affinibus lamentantibus, quoad rerum omnium potestas in manibus Rohouitij erat. Properatum igitur cum virili toga, qua cum induissent Vogenum proceres, fidem ei suam, vt principi obligant,& ad sedem principalem,in arce tunc Vicegradensi positam deducere parant. Arci

*Versouicensis proditione cõperta,suo se iugulat gladio.*

*Prima Caroli Magni mentio ante quẽ ambiguæ ne dicam incertæ sunt tã Polorũ quàm Boemorum de suis originibus narrationes.*

VII.

*Vogenus ac si dicas Martialis.*

*Rohouitius Versouicensis tutor principi impubi datus.*

*Senem opulentum è sublimi dat præcipitẽ.*

*Principẽ tam puberem visse grado excludit.*

appropinquantes,portas claúsas, quemadmodum aliâs fieri ſolebat Rohouitio abſente reperiunt. Rati itaq; eum abeſſe, pulſari magno ſtrepitu, portasq; aperiri iubent. Ibi tandem Rohouitius de feneſtra proſpectans caput exerit, voceq; alta exclamat inquiens,Si vt priuatus, tutelæq; ſuæ creditus Vogenus veniat, ſe vt priuatum cum admiſſurum: ſin ſecus, neq; de arce, neq; de iure ſuo cõmuni omnium ſufragio ad gubernandum regnum ſibi acquiſito,conceſſurum.Gliſcente verborum contentione, admouet quidam ſecurim, portasq; perfringit, per quas cæteri quoq; irruperunt. Aegrè Rohouitius muro clam demiſſus elabitur,pauliſperq; in arce quadam ſua ſubſiſtens,dum comites videlicet cõtrahit,cum illis ad Zatecenſes profugit, adiícitq; ad dominandum vrbi animum. Quo ciues intellecto, renunciant illi, ſi ab incœpto non deſierit,ſimili eum præcipitio periturum,atq; ſenex ille,ab eo nuper præcipitatus,miſerè periít:Non erectis vt aliâs,ſed demiſſis auriculis, ut iniquæ ſortis aſellus, iſta audiens, eíicit ſe protinus foras, locumq; de proximò quàm poteſt ad muniendum idoneum occupat, illumq; cæſis arboribus & vallo, foſſaq; communit, atq; inde in Lucenſes hoſtiliter graſſatur, tanta audacia, vt ab ipſis mœnibus paſtores cum gregibus ad aſylum ſuorum latronum abigeret, tantoq; ſucceſſu, vt quum à ciuibus plenis repente portis effuſis iam interciperetur, clamitans ille, pugnamq; ſuos iterare iubens, non ſolùm manus ciuium euaſerit,ſed occiſis illorum centum, & alterum præterea tantum captiuorum ſecum abduxerit. Aliquanto tamen eam rem Vogenus mitius tulit, quàm quòd legatum ſuum, contra ius Gentium capite truncauerit;caputq; eius clam ad portas arcis Vicegradenſis in mantica ſuſpenderit: Itaq; conuocatis ad conſilium ſubditis armariq;,& ad certum diem in armis apparere iuſſis,ipſe quoq; princeps,armatus ante agmen progreditur ad expugnandum Rohouitium: qui cum à pugna, cui ſe parem eſſe non videbat, ad obſidionem tolerandam animum conuertiſſet,indignum militibus viſum,trahere ſecum iuuenem principem ad obſidium latronum. Illo igitur in oppido relicto, ipſi duabus ex partibus clauſum intra vallum Rohouitium oppugnare contendunt,irrito pluſquã vnum menſem conatu. Eruptione tandem latronum facta, multisq; illorum interfectis, milites victores cum victis in vallum penetrant,ibidemq; Rohouitium capiunt,& ad principem deducunt, nihil aliud rogantem,niſi carnifici vt ne traderetur. Conceſſum vt ipſe ſibi laqueum indueret ac ſe in quercu iuxta viam poſita, ſuſpenderet. In eadem paulò poſt regione,Miſnñ(portio eſt Saxonum)primi externorum,ad populandum Boiemiam, remigio lintrium & ſcapharum, quas aduerſo Albi flumine agebant, irruperunt, prædas hominum atq; iumentorum ex agris Litomericenſibus ac Belinenſibus abigentes: & priuſquam oppidani ad arcendam vim aduenarum concurrerent,ſecundo rurſus flumine cum præda effugientes. Conſilium principi datum,vt proximè Albim firmam conderet arcem, ex qua inhiberi hoſtibus licentia nauigandi, latrocinandiq; poſſet. Arci nomen Straka fuit:Sed vt canis à corio nunquã abſterrebitur vncto,niſi ei crura perfregeris, ſic tum Miſnñ dulcedine prædæ capti, ad deguſtatum bolum ore ſemper hiabant. Itaq; omiſſa nauigatione, ad montes & ſyluas,ſubter quas Albis illic labitur, deflectunt, præmiſſis ad explorandum ſuis, ſicubi ſtratis arboribus aut cuſtodiís obiectis itinera eſſent impedita. Fortè in duos ſibi obuios illi incidunt,atq; vtrumq; corripiunt, cognitoq; ex noua illa arce eos veniſſe,ambos ad Centuriones ſuos adducunt. Interrogati ſeorſim, hæc pariter reſpondent. Nudiuſtertius Præfectum arcis ad Vogenum eſſe profectum,cura arcis quinquagenario cũ quinquaginta militibus cõmiſſa, reliquã manum eſſe opificũ, quoniã opus arcis nondũ eſſet abſolutũ.Læti ex hoc ſermone Miſnñ,cõtinenti agmine præuios illos ſubſequunt,iuſſis ita diſpenſare iter,vt circiter quartã

*Fugit ad Zatecenſes.*

*Populatur & ſternit Lucenſes.*

*Legato caput præſcindit.*

*Laqueo vitam finit Rohouitius.*

*Natãlis Miſnẽſium prædonũ in Boemiã prima excurſio.*

*Straka arx latronibus compeſcendis extructa.*

noctis

noctis vigiliam ad arcem peruenire possent. Inde magno tumultu, locum qui nondum obstructus erat, aggrediuntur, opifices semisomnes interficiũt: mox per milites ad resistendũ excitatos, vi & ferro sibi viam, vsq; ad quinquagenarium aperiunt, quem statim captum in Misniam mittunt, direptaq; & combusta arce, ad vastandos alios pagos conuertuntur, prædamq; recuperata nauigatione, per Albim ratibus auehunt, breui tempore ad oppida quoq; expugnanda se reuersuros palàm denunciantes. Redierat tunc Vogenus ab expeditione cõtra Morauos facta, qui Boiemiam, similiter atq; Misnĩ, incursionibus ac depręda tionibus infestabant, saltusq; similiter & iuga montiũ occupabant, atq; inde in pagos & colonos impetum faciebant. Quem quidem tumultum princeps interuentu suo repressit: sed non planè compressit, quia nusquã in apertum Morauus, aut in aciem descendere voluit. Et principem illuc reuerti res hortabatur, vbi maius periculum imminebat. Nouo igitur delectu habito, castra aduersus hostes promouet, cum iam illi viribus Saxonum aucti, Lucensiũ mœnibus insultarent: sed appropinquante principe obsidionẽ omittunt, seq; ad locum, ad quem Bilina fluuius in Albim influit, conferunt, vt ibi manus cũ Boiemis conserant. In duo cornua hostes diuisi erant, dextrum Saxones, sinistrum Misnĩ tenebant: contrà Boiemĩ vtrunque. Dato pugnæ signo fit acris vtrinq; impressio, & planè commoritura dimicatio alteris in alteros, propter mutuum odium, sine vllo mortis metu ruentibus, neutrisque loco suo demigrantibus. Quo Princeps conspecto, submittit ad Cadanum, à quo etiam oppidũ Cadana vocabulum obtinet, qui ei nunciet tempus emergendi ex insidijs adesse. Aduolat mox ille cum suis, ac latera hostium inuadens, perturbat illorũ ordines. non expectant amplius Boiemorum Triarĩ, qui fustuariam inire pugnam solent cum flagellis, quibus frumenta in areis flagellant, sed strepitu ex illorum agitatione cõmoto, haud sine terrore hostes adoriuntur, plagas ingerunt, crura & ossa cõminuunt, ac reliquos in Albim flumen agunt. Non alia antè Boiemorum pugna adeò atrox fuit, nec ad audaciam Saxonũ retundendam conducibilior. Ab hac cura liberatus Vogenus, intendit animũ in vltionem Morauorũ, qui paulominus sexcentos Boiemos in oppugnatione arcis Lipnicæ occiderunt, quam arcem Moraui sibi in Boiemia in hoc excitauerãt, vt propinquum ac tutum in illam à prædationibus in Boiemia factis receptũ haberent, illiusq; præsidio plus, quàm viribus freti, debachari grassariq; indies magis ac magis haud desinebãt, plurimumq; Gzaslauiensibus incõmodabãt. Quorum querelas tam frequentes diutius ferre Princeps non sustinens, impetum tandem expellendi Morauos è Boiemia cœpit, veniensq; ad Lypniciã arcem, eam exercitu circumdedit, ita vt nec introire, nec exire quisquam posset. Sed neq; ea res Morauos terret, cõmeatu abundè instructos, & ad defendendũ se animo paratos. Iacula hincinde telaq; volare cœpta, sed Morauorũ ex loco superiore missa, rarò frustra cadebant, complures q; Boiemos interficiebant. similiter cadebant, qui succedere vallo, fossamq; complere conabantur. Quare commotus Princeps ignem iactare in sæpes, arborumq; strues, & alia septa lignea iubet, atque illa vento coorto succensa, repente tam validas excitarunt flmmas, vt cætera quoque arcis loca, & ipsa lignea inflammarentur, arderęntque intus omnia, adeò, vt qui in arce clausi erant dubitarent, quid peterent, quid vitarent. Præstare tandem vnus illorum dicit, eruptione facta, vel mori potius per virtutem, quàm per ignominiam flammis torreri. Hæc dicentem, atque erumpentem, extra pauculos, qui mox intercepti sunt, sequuntur alĩ omnes in vnum quasi globum conglobati, quia viderant dispersos esse Boiemos, & ad comburendam arcem intentos: Hinc minore cũ periculo ac cæde Moraui per vacua penè Boiemorum castra euadunt. Mox tamen princeps quoq;, suos in vnum contrahit, simulq; hortatur, vt instent fugienti-

*Capta & direpta arx à Misnijs.*

*Morauos Vogenus reprimit.*

*Cadanus.*

*Saxones & Misnij memorãda strage affecti.*

*Expeditiõ in Morauos.*

*Lipnica arx flãmis absumpta.*

bus,vltionemq; maleficiorũ & iniuriarum de illis exigant,nec prius finẽ perſe quendi,quàm in Morauia,faciant: Currentes (quod aiunt) incitabantur,adeò ſua ſponte ad inſequendũ prompti erant. Quum nouiſſimũ agmen aſſecuti, nonnullos neci dediſſent, alij ſummum collem ad reſiſtendũ capiunt. Sed ne in loco quidem ſuperiore conſiſtere illos Boiemi patiuntur: imò dilapſos, per ſyluas proximas, vſq; in Betouiam, arcem in Morauia ſitam,inſequuntur,atq; inde quoq; hoſtes expellunt, arcemq; demoliũtur. Poſthac Vogenus pacatiorem Boiemiam habuit. Hic duos poſt obitum ſuũ filios ſuperſtites reliquit, Vneſlaum natu maiorem,& minorẽ Vratiſlaum:huic proceritas corporis,& forma principe digna,pluſquã alteri lenocinari viſa eſt.Sed vicit alter tamen ętatis prærogatiua,qua vt prior erat, partes quoq; priores in ſucceſſione principatus abſtulit. Ac ne quando fratrũ concordiam indiuiduus principatus dirimeret, ita inter illos hæreditatẽ diuidi placuit, vt ſeptentrionalis plaga,ad quam Lucenſis ſeu Zatecenſis regio poſita eſt,Vratiſlao attribueretur,totam autem reliquam Boiemiam Vneſlaus, tanquã Boiemiæ princeps, vt obtineret.Sorte ſua vterq; cõtentus,fraternam inter ſe beneuolentiam colebant,mutuaq; ſibi inuicem auxilia præſtabant aduerſus Carolum Cæſarem, Saxones etiam tum & Vandilos,ipſosq; præterea Boiemos oppugnantẽ.Vratiſlao,qui prior deceſſit,Vlaſtiſlaus filius,in principatu Lucenſi hęres fuit,ſicut Vneſlao,paulò poſt mortuo Creuomyſlius, quaſi tu latinè dicas flexanimus,quod à recto animũ deflecteret ad curua & obliqua.Sic olim pertinax Cæſar Creſtologus eſt appellatus,q; bene diceret,& male faceret.Deprauati autem parumq; ſynceri animi Creuomyſlius aduerſus Horymirium hãc memoriam ad fabulam vſq; cõmemorandam reliquit. Annonæ fortè caritas tunc inualuerat, eiusq; rei culpam vulgo omnes principi aſſignabant,quòd aratores ab agris colendis, ad metalla effodienda transferret.Nemo tamen prẽter Horymirium inuentus,qui hãc culpã principi exprobrare auderet.Huic cũ mox horrea arderent,iuxtaq; ſchedæ eſſent repertæ cum hac inſcriptione contumelioſa. Fame pereat,qui inter frugum aceruos famem timebat: Quas adeò ſchedas ſatis conſtabat foſſores metallorũ ſparſiſſe Horymirio infeſtos, quaſi non ſolùm principis, ſed illorũ quoq; lucra intercipere ſatageret. Igitur tanquã incendij reis dicã illis Horymirius ſcripſit, ſed illi conſcio principe ad dolum verſi,officinã quandam ſuã nullius prẽcij,ſua ſponte exurunt,accuſantq; viciſſim Horymirium velut inflãmatorem manifeſtariũ.Cæteri qui cognitioni interfuerunt,ſuis Horymirium ſentẽtijs abſoluerũt, ſolus Creuomiſlius prauo capitis ſui indicio inſontẽ damnauit.Sequitur nunc fabula,quam hiſtoriæ non inſeruiſſem, niſi adeò ſcriptis aliorum inuulgata, fidemq; tantã apud Boiemos adepta eſſet,vt iuxta adagiũ veriora ijs,quæ apud Sagram acciderunt,cõtinere videatur.Ferunt igitur Horymirium poſt damnationẽ ſui precibus egiſſe cum principe, vt ſibi ante ſupplicij ſubeundum, inſcendere equum, quẽ inſignem habuit,ac bis terq; intra arcem Vicegradenſem, portis arcis occluſis obequitare liceret:atq; illum precibus tanquã ludicris & friuolis annuiſſe.Vadit Horymirius ad ſternendũ ſella equũ,& verba quædã ei,ceu auſcultanti atq; intelligenti dicit ad aurẽ. Mox illo inſcenſo, arcem ſaltabundus perequitat,tanto equi ardore,vt impetũ illius eques vltrà nõ ſuſtinuerit,quo ille à porta vſq; ad portã,& ab illa per muros,& flumẽ tranſuolauit,inſeſſorẽ in altera Vultauię ripa incolumen ſiſtens,eo loci, quo in hodiernũ diem è regione arcis Vicegradenſis pagus Zlijchow,ab aſperſione cognominatus, ſitus eſt:quoniam idẽ equus ad alterã ripã,aqua conſperſus,hoc verbo Zlijchow, vſus fuiſſe narratur, Id videlicet fabulæ defuerat,vt equus etiam cum ſuo Horymirio,cui per tempus ſalutẽ attulit,loqueretur. Nihil eſt,quod prẽterea aliud hic princeps memoratu dignum geſſerit.

*Profligati Morauí.*

*Betouia ſolo æquata.*

VIII.

*Vneslaus & Vratislaus fratres illi principatus, huic Zatecenſis & Lucẽſis obtigit regio.*

IX.

*Creuomyslius ad mala proclius.*

*Fabella de Horimyrio.*

# HISTORIÆ BO-
## IEMICAE. LIBER
### TERTIVS.

DEfuncto Creuomyslio filius ipsius Neclan principatu potitur. Neclan autem Boiemis est, vir imbellis, & ad feriendũ hebes, vt esse cuneus solet, qui aciem gerit obtusam, & ad findenda ligna ineptam. Ad hunc sanè modũ, ingenio animoq; degenerem, cum Vlastislaus patruelem suum esse videret, bello terrendum principatumq; illi armis extorquẽdum putauit. Cuius rei gratia, armorum officinas per oppida sua instruit, & vndecunq; potest artifices opificesque contrahit, atque ex in prouiso cum armata manu in fines Neclan populabundus insilit, repertoq; loco intra duos montes, nouo condendo oppido idoneo, cõdere protinus id cœpit, atq; ex nomine suo Vlastislauiam vocauit. Pauore Neclan perculsus, duos ex intimis aulicos ad patruelem legat, pacem & mutuam amicitiam oratu-ros. quos ille quasi exploratũ missos, coclites domũ remittit, suo vtriq; effosso oculo. Superuenerunt mox alij, qui iratum muneribus haud spernendis placarent. Sed & illi dicta contumelioſa, minarumq; plena retulerunt. Sic orationem suã Vlastislao finiente, non muneribus, sed toto principatu misso opus esse, si suam orexim sedare Neclan voluerit. Strictum deinde ensem per Lucensem regionẽ, cum eiusmodi edicto circumferri iubet, Vt mares omnes qui ensis longitudinẽ corporis proceritate adæquarent, militatum venirẽt, alioquin ense illo perituri, quicunq; illorum militiam detrectauerint. Ad hoc tam durũ asperumq; edictum, cum maior quàm animo præceperat multitudo conueniret, tũ quasi de victoria futura certus, multa vana gloriabundus iactat, & in primis pedites ad barbaram crudelitatẽ acuit, iniungens, vt nemini prorsus tã in via quàm in acie parcerent, nõ seni, non iuueni, non puero, nõ puellis, quinetiã lactentes infantes ab vberibus matrum abreptos cõfoderent, ipsis matribus in hoc duntaxat in columibus seruatis, vt illæ pro infantibus suis catellos Lucẽsium post hanc victoriã nutrirent. Tum ad equites cõuersus, abijcite inquit scuta, quibus in fuga & cęde hostiũ nihil opus est: ac vice illorum, accipitres, falcones, cæterasq; aues rapaces in manus sumite, vt illarũ ingluuien hostili carne saturetis. Hęc ferox Vlastislaus. At Saga mulier, quam in oppido suo habebat, alium prælij euentũ futurum priuigno suo canebat, illũ clàm submonens, vt si domũ ex prælio cruẽto & infausto superstes reuerti cupiat, eum qui primus hostium sibi ocurrerit, gladio transfoderet, atque utramq; eius auriculam amputaret, secumq; celeri cursu domũ repetens, ad vxorem suã referret. Habuit tunc & Neclan in exercitu suo Sagam quoq; suam, quæ Asello dijs suis ad fontem quendã immolato, secunda omnia & prospera diuinabat. Cæterùm principem ignauum timidumq;, ad aciem ne diuinatione quidẽ sua protrudere valuit: in morem enim soricis in conspectu felis apparere non audentis, in tabernaculo illo, quasi in cauernula sorex delitescebat: propius deinde accedente Vlastislao, atq; instantibus omnibus, præsentiamq; ipsius multũ flagitantibus, Syderium à Chaynouo equitẽ strenuum, qui æmula facie persimilis habebatur, equo & armis suis armat, magnisq; precibus rogat, vt personam & nomen principis gerat, omnesq; ducis partes in prælio obeat, relaturus ob istud officiũ honores à se & præmia lauta. Quod est caicar equo sponte currẽti. Hęc fuerũt dicta promissaq; principis ad exstimulandũ Syderiũ, vt tãto videlicet promptius libentiusq; iussa capesseret, atq; omnia in acie præstaret, quæ

X. Neclan.

*Vlastislaus ad principatus fastigiũ aspirat.*

*Crudelitas arrogantiæ iuncta.*

*Bellum indicit Vlastislaus.*

*Sagarum æniginata fallacia.*

*Torpor et ignauia Neclan.*

*Syderius à Chaynouo supposititius Princeps.*

ducem ſtrenuum præſtare oportet. Prælium in campo Turſcho commiſſum fuit, meliore ſucceſſu eorum qui ſcuta retinuerunt, quàm qui illa abiecerunt. Mirabatur ſimul & indignabatur Vlaſtiſlaus vbi vidit Neclan (hunc enim ſe videre putabat) quouis aliàs lepore pauidiorem, tunc in prima acie velut leonẽ verſari. In ipſum itaq; inflammatus, infeſtusq; haſtam dirigit. Cui haſtatus occurrit Syderius, Vlaſtiſlaumq; cuſpide transfixum, equo moribundum deturbat. Ab occaſu ducis, tanta repẽte conſternatio, tantusq; ſtupor equos pariter atq; homines Lucenſes inceſſit, vt nec vltrà progredi, nec retrò pedem referre poſſent, à Saga, ſuo quiſq; loco ne profugerent, miro ſtuporẽ iniecto affixi. Extra vnum priuignum, qui domũ reuerſus, non hoſtẽ, vt opinabatur, ſed vxorem ſuam gladio confoſſam, & auribus truncam reperit, ſeroq; tandem agnouit, à nouerca nurui infeſta, hanc cædem fuiſſe procuratam, ſiquidẽ auriculæ illæ, quas ſecum retulit, capiti vxoris admotæ protinus in loco ſuo coaluerũt. In hac pugna Syderius cecidit non tam ab hoſtibus, quàm à ſuis, qui virtuti & gloriæ ipſius inuidebant, oppreſſus. Inde porrò ad euaſtandam rapinis incendijsq; totam Lucenſem regionẽ itum, vrbem namq; Zateciam latis foſſis altisq; muris tutam, capere non poterant. Sed inſtar vrbis captæ erat captiuus Vlaſtiſlai filiolus, apud matronã Vlaſtiſlai affinem, vnà cum pedagogo quodã Duringo interceptus, & ad principem Neclan adductus. [a] Quo ille conſpecto, cum vix ſeptimũ annum ageret, miſericordia puelli motus, reduci continuò eum, curæq; illorum reſtitui, quorum tutela eius â parente demandata fuit, iubet, aſsignatis inſuper agris quibuſdam pupillo, ex quibus commodius honeſtiusque nutriretur. Placebant agri Duringo, ſed niſi pupillo ſublato, ſpes aſſequendi illorum nulla aderat. Victus igiur agrorum ſacra fame Duringus, nefarium conſilium interficiendi pupilli capit, beneficium principis ſic interpretans, quaſi ille non miſericordia, ſed metu inuidię adductus, puero ad tempus pepercerit, cæterùm gratiorem illi maturam hoſtis mortem, quàm longiorẽ illius vitam futuram. Amputat igitur illi caput, linteoloque inuolutum, ſecum ad principem defert. Prandebat tum fortè Neclan, cum introgreſſus Duringus, ſe quoque fertum prandenti afferre diceret, non edule quidem, ſed tale potius, quale ei ſolidam in poſterum ſecuritatem ſpondeat. Et cum dicto, amoto linteolo, caput puerile, ita vt adhuc erat cruentum ob oculos prandẽtis obtrudit. Cruore viſo Neclan adeò ſubitò obriguit, vt velut ſemianimis aliquantiſper in menſa iaceret. Recepto dein animo ſententiæ eorum ſubſcribit, qui cenſuerant, & ad hoc coegerant Duringum, vt ipſe ſe, verſa facie, vultuque ad Duringiam ſuam, in arbore Alno penſilem faceret, quæ quoad arbor illa ſteterat, Duringi Alnus dicebatur. Sed vt ille haud abſurdè dixit, leone dormiente, mediam illius ceruicem vel murem percurrere, ita tunc, Principe per inertiam & ignauiam ſtertente, multi mures ad rodendum illius principatum ſuboriebantur, præter alios Craſnitius iuuenis ferox & iactabundus, ac ſibi propterea in primis placens, quòd Tetrarcha Gurimenſis regionis diceretur, cum interim nihil in arca nummaria poſſideret nummorum, qui belli nerui ſunt, quod ei imminebat, qui ad principatum alterius pervim eripiendum anhelabat: Vana nihilominus fiducia atq; audacia elatus, dum ſibi perſuadet, cum omnium meticuloſiſſimo principe negotiũ fore, villas quaſdam principales diripit, & agros quoquo verſus deuaſtat. Hac indignitate, Montanus vir ex ordine equeſtri commotus, adit principem: ſi iubes, inquit, hoſtem ego tuum, aut viuum aut mortuum tibi ſiſtam. Vicinus enim ego illi habito, cognitaque & explorata itinera & omnia diuerticula habeo, ad quæ ſæpiſſimè ille diuertere ſoleat. Laudat princeps, ſtrenuum & promptum militis animum, ac præmia pollicetur, ſi deſtinatum facinus peractum fuerit. Montanus cum duodecim viris delectis, in ſaltum ſe abdit ſecundum viam,

*Vlaſtiſlaus in acie confoſſus.*

*Syderius malè re bene geſta muneratus.*

*Duringi Alnus.*

*Craſnitius Gurimenſis negotiũ faceßit Neclan.*

*Montani Equitis fruſtratur Conatus.*

quam

quã animi laxandi gratia Gurimenſis ſæpius terere ſolebat,in appropinquantem ſubito impetu magnoq; clamore inſilit. Clientes re improuiſa territi, ac ſuſpicantes maiores copias intra ſyluam latere, fugæ ſe mandant:interim Gurimenſis equum in Montanum concitat, manuq; ab illo vulneratus, fugit & ipſe, Montanumq; ſe perſequentem velocitate equi fruſtratur. Poſtquam inſidiæ non ſucceſſerunt, obſidione cingi oppidum Gurimenſe,quo Craſnitius ſe receperat, qui præter libidinem dominandi,nullam aliam belli cauſam habebat,placuit. Miſſæ à principe de conſilij ſententia copiæ,cum prope oppidũ caſtra poſuiſſent,cottidie oppugnationem continenti labore vrgebant.Oppidani vbi intelligunt, quintum iam diem tam acriter ſe ob vnum Craſnitium peti, cum ſilentio noctis per murum demittunt, ac mane ipſi de deditione agunt.Qua non impetrata,muro & turribus præſidio completis,ſe oppidumq; ad octauum vſq; diem fortiter defendunt:eodemq; die tandem victi,ad internitionẽ à victoribus cæſi ſunt, ſaluis oppidi ædificijs,in quæ nec ferro nec igne ſeuitum eſt.Craſnitius in Morauiam ad regem Hormidurum perfugiens,illius opem ad recuperandum principatum amiſſum, quaſi non feciſſet,ſed accepiſſet iniuriam,ſupplex implorat, perſancteq; illi iurat,nullum poſthac dominũ. niſi Regem Morauiæ ſe agniturum. Rex qui iampridem cupiditate regnandi in Boiemos flagrabat, tam equitum quàm peditum cateruas (magna ea manus fuit) cum illo in Boiemos mittit. Vltra oppidũ Czaſlauiam Morauis occurrunt Boiemi, pugnamq; illorum excipiunt, violentius inſtantiusq; equitibus pugnantibus,quàm peditibus: non enim diu peditum acies impreſsionẽ Boiemorum ſuſtinuit. At equites præliari vrgereq; Boiemos non ante deſtiterunt, quàm viderent Craſnitium cum equo confoſſum in terram defluxiſſe. Interea Rex Morauiæ dũ retractare arma, viresq; reparare ſtudet, peſte interceptus moritur. Læto principe Neclan, fortunæq; ſuæ gratias agente,cuius fauore, citra ſementem (vt dicitur) citraq; arandi laborem omnibus victoriæ commodis frueretur, vſq; ad exitum vitæ ſuæ: Hoſtiuitius natu maior filius,in locum patris ab ordinibus ſuffectus,grauiter ferente iuniore fratre,cui Myſtibogio nomen, quòd in nullam partem principatus,non ad Lucenſem,non ad Gurimenſem regionem aſcitus fuerit, ſed vt planè alienus ab hæreditate præteritus ac neglectus.Sic affecto Croſmilius Verſouicenſis ſe in amicitiam inſinuat,iram iuuenis acuit, cupiditatem inflammat,& ad paternum principatũ aſſequendum impellit, promittens non hortatorem ſolùm, verùm etiam auxiliatorem cum ſuis omnibus, tam affinitate quàm familiaritate ſibi coniunctis, ſe futurum. His auditis iuuenis hoſtilem aduerſus fratrem induit animũ, hoſtiliterq; cum turba temere collecta agros fraternos inuadit.Mox auctis viribus oppidum Caſinum, in alto monte ſitum, vnde longè deſpectus in campos patebat, & receptus in illo tutus eſſe videbatur, inſtanter oppugnat. Sed non cunctatur Hoſtiuitius oppidanis laborantibus venire ſubſidio, virtuteq; militum nixus, promiſcuam ex gregario milite turbã facilè diſijcit, fratremq; cum Verſouicenſi in fugam vertit. Apparebat non ſublatam per hæc,ſed exacerbatam potius inter fratres contentionem, ex qua ad colonos in primis & agricolas, magnum per populationem agrorum detrimentum redundaret, ſi nemo eſſet, qui diſcordes fratres ad concordiam reduceret. Qua de re Hoſtiuitius admonitus, cauſam finiendarum ſimultatum fautoribus concordiæ committit. Illiq; hac lege rem controuerſam compoſuerunt, vt apud Hoſtiuitium, ad quem de iure gentium, tanquam ad ſeniorem fratrem ſucceſſio ſpectaret, principatus remaneret Pragenſis, & interim Myſtibogius, tanquam iunior,contentus vt eſſet poſſeſſione bonorũ quæ Gurimenſis poſſidebat. Quòd ſi Hoſtiuitius prior decederet,frater vt ei ſuccederet,non autẽ filius:fratre mortuo,vt rurſus legitimus ſuccedendi ordo ad liberos Hoſtiuitij

*Obſidetur Gurimum.*

*Craſnitius Hormiduro Moraiæ Regi ſe ſubijcit.*

*Craſnitius in pugna cõſoſſus.*

XI.

*Hoſtiuitius Princeps.*

*Miſtibogius fratri bellum mouet calidã affundẽte Verſouicenſe.*

*Lis per arbitros definita.*

rediret,exclusis Mystibogij liberis ad Gurimensem hæreditatē.Finita hoc modo inter fratres offensarum acerbitate,atq; vtroq; sua portione contento,non tenuit se intra fines suos, eodē Versouicense incentore, Sucoslaus Bilinæ præfectus,sed maiora quàm pro facultate conatus,hostem se Principi denunciat, iactans se quoq; ex eo ligno factū, vnde principes dedolantur. Huic Princeps, Cressum audacia parem,opibusq; non multo inferiorem aduersarium opponit,eidemq; iniungit, vt damna per latrocinia illata,talione retaliet, & si præterea possit,Sucoslaum quoq; intercipiat.Accepto imperio Cressus,possessiones & agros hostis flamma ac ferro populatur, nec prius vastandi finem facit, quàm se ei Sucoslaus cum filio Milesio infestus obijcit.Initur prelium vtrinq; cruentum: Quippe ex vtraq; parte amplius trecenti uiri sunt interfecti, & in ijs Milesius,nescio tunc patre, existimāteq; quòd se fugientē filius sequeretur. Nece mox comperta,iurat manes Milesij, capite principis,eiusq; filij morte se expiaturum, simulque iniuriam Mistibogij vlturum. Currit ad Mistibogium Versouicensis, narratoq; ei Sucoslai iuramēto,quo se ad vindicandum ipsius iniuriam obstrinxerat, à iuuene impetrat, vt tres militum centurias clàm armaret, quas ille per syluas & diuerticula ad Sucoslaum adduxit. Milite accrescente, creuit rursus Sucoslao audacia, nondū tamen ad prælium ineundum, sed incursandos duntaxat agros, maximè circum Budinam, vbi Cressus habitabat,& circum Melnitium, quod appidum Salinborius incoluit sitos. Vterq; horum principi percharus, ideoq; ne desertos auxilio amicos relinquere videretur, Impetum Hostiuitius caput adoriendæ arcis, in quam se hostis abdidit,illius q; expugnandæ & euertendæ, ne denuò latronibus receptaculum esse posset. Expugnatis munitionibus,& in ijs plerisq; militibus ex vtraq; parte confossis,arx scalis tandem capitur, cum ipso Sucoslao,qui ad Ducem perductus,veniam vitamq;,humili,(ex tam inflata arrogantia) degenerique voce precatur: Faciliore in illum principe, quā futurus erat in Versouicensem, qui inter primū tumultum per fenestram arcis elapsus est Hanc uerò in Sucoslaum sententiam princeps dictauit, vt incolumi vita perpetuò attineretur carcere. At miles custodibus ereptum,in vitam quoq; illius crudelissimè deseuijt,manus enim illi pedesq; detruncat,ac totum reliquum corpus in Egram flumen proijcit, & submergit. Non cessat interim profugus Versouicensis furere cum tota gente sua, principibus semper infestissima, rursusq; inter ipsos fratres odia serere, ac Mistibogium ad spes & cupiditates nouas impellere conabatur. Sed nulla ratione Mistibogius pellici ad rebellandum denuò fratri potuit, quanquam auidus amplificandi sui principatus erat, sed hanc amplificationem aliunde quàm ex fratris fortunis quærendam ratus, animum ad Morauiam intendit, decerpere aliquid sibi de illa meditans, rege præsertim absente. [b] Rex tunc Morauorum Suatoplucus erat, ad Cæsarem [c] Arnolphum profectus, cui adeò commendatus fuerat, vt Cæsar filium eius [d] Suatobogium è sacro fonte leuauerit,transferens in illum hoc boum tributum, quod Boiemi à Carolo domiti, Cæsaribus pendendum receperant. Igitur in fines Morauiæ penetrans Mistibogius, complures Morauos circumuenit,captosque in Boiemiam abduxit, prædam cum fratre partiens, quam ille Regi mox à reditu suo in Morauiam restituit. AEgrè verò Mistibogius id tulit, quòd frater captiuos reddiderit. Inter suos iuueniliter hæc iactans: Non tot frater meus Morauos restituere sufficiet, quot ego illorum vel capiam, vel occidam. Sed posteaquā cognouit copias aduersus se in Morauia comparari,suppetias qui ferrent,mitti sibi à fratre postulabat. Hortatur ille fratrem, ne pergat irritare crabrones: satius esse conciliare sibi Regem qui plus posset,quàm illi,cum suo forsan malo repugnare.Ingrata Mistibogio hæc fratris adhortatio fuit.Itaq; ad illos cōuersus, quos nuper in Morauia secum habuit, Cedimus ne? inquit, commilitones

*Sucoslaus Bilinæus Principi insultat.*

*Cressus opponitur.*

*Milesius Sicoslai filius Cæsus*

*Fœdus Sucoslai interitus.*

*Principes exosi familiæ Versouicensi.*

*De hoc bello altum apud historiographos silentium, nec nisi meræ coniecturæ.*

tones Morauis, ceu frater ſuadet, an potius reſiſtimus illis quos paulò ante vi cimus? Cunctis velut vna voce reſpondentibus: Inſtandum eſſe cœptis, Morauosq; perſequendos: dat vela ventis Miſtibogius, bonamq; pergentibus aurā precatur. Noſiſlaum à vico in Morauia Noſiſlauia nuncupatum, ſuis copijs Rex Morauiæ præfecerat, mandauitq; ne cui alij niſi Miſtibogio, ditioniq; & ſubditis eius noceret. Quæ mandata dum exequi parat præfectus, occurrit illi Miſtibogius, ſuis nondum omnibus coeuntibus. Nam & Czaſlauienſes & Malinenſes aberant, & Chrodus miles ſtrenuus, alio itinere cum bona militū manu ibat. Placuit igitur certamen differri, donec conuenirent omnes. Contra Miſtibogius dicebat, quidquid temporis intercederet, hoc omne victoriā morari, datoq; ſigno prælium incipit, quod quidem haſtati, ſcutatiq; parumper ſuſtinuerunt, cæteri cum ipſo Miſtibogio in fugam vertuntur. Noſiſlaus veritus ne ad inſidias deuenirent, fugientes nō eſt inſecutus, ſed ad populationem agrorum ſe conuertit, cum poſtridie tandem Miſtibogius collectis ex diſſipato curſu militibus, Chrodo quoq; ſibi adiuncto, non iam ad arbitrium ſuum tantùm, ſed ad cæterorum præterea conſilium refert, vt conſultent, quæ nam via ineunda ſit ad arcendum hoſtem, adeò effuſé populationem facientem. Conclamant omnes, ignominiam temeritate acceptam, redintegrata cum hoſtibus pugna eſſe abolendam. Iuſſi nocte illa quieſcere, ac mane ſtatim corpora cibo curare, vt ſi longior pugna illos exciperet, viribus ſufficerēt. Inde claſſico ſignum profectionis datum, militibus quadrato agmine incedentibus, ne ad ſubitum hoſtium accurſum, ordo illorum tam facilè turbaretur. Sed apud hoſtes ex ſucceſſu ea negligentia fuit, vt ne ſpeculatores quidem haberent, qui cum ſilentio explorarent, quid hoſtes agerent. Turpius igitur quàm pridem Boiemi locis pulſi, fugatiq;, & omnib. rebus, quas interceperant ſpoliati ſunt. Ex hac quoq; pugna Miſtibogius captiuos ad fratrem miſit, breuiq; plures ſe miſſurum gloriabatur, erectus ad ſpem nuncio turbatæ pacis, quæ aliquandiu tranquilla inter Vngaros & Morauos fuerat, tunc verò illam præfectus Pannoniæ, quem Vngari [e] Iulam uocabant, (nondum enim Reges nouerant) facto in Morauiam per incurſiones impetu, turbauerat, vnde ſatis negotij adeſſe Morauis ad ſuſtinendos vel ſolos Vngaros, nedum alios inſuper hoſtes irritandos proſpiciebat. Hac deniq; ſpe prouectus, nouam propius Morauiam ſibi arcem, vocabulo Oheb, cōmuniuit, ex qua in agros hoſtiles excurſiones faceret. Sed non diu Iula Vngarus à tumultu excitato ſuperſtes fuit, telo fulminis ſupernè miſſo interfectus. Ne igitur poſthac Vngari, tam facilè Morauiam incurſarēt, Suatoplucus Rex, qui ſatis prouidens eſt habitus, primum ad vada fluuij Vagi, qui Morauiam à Pannonia tunc velut limes dirimebat, Caſtella inædificare, præſidiaq; illis imponere, tum deinde montes, ſyluis deſectis ſepire, & alibi foſſis ac vallo munire, poſtremò arces & oppida mœnibus cingere, muriſq; firmare. Atq; id tunc maximè facere, cum iam nemo reſtaret, qui regnum ipſius temere infeſtaret. Nam Miſtibogius quoq;, inſolito genere mortis animam nuper efflauerat, à Demone ſub humana ſpecie ipſum inuadēte, ſuffocatus. Atq; hoc ex pietate ſua, quam Chriſtiana religione eximiè coluit Suatoplucus tulit ſolatium, vt uideret inimicos ſuos abſq; opera ſua, ſineq; magno detrimento ſuorum diuinitùs fuiſſe proſtratos. Nam aduerſus Hoſtiuitium Miſtibogij fratrem, quanquam & ipſum AEthnicum, adusq; tamē vitæ ipſius finem pacem, fidēmq; ſeruauit incorruptam. Ac tantùm de principibus, cum Chriſtianiſmo nullum commertium habentibus.

*Suatoplucus Morauus Noſislaum Miſtibogio apponit.*

*Cæſi primò Bohemi, mox redintegrato prælio victoria potiuntur.*

*Miſtibogij letū horrendū.*

[a] *Zbislaus quibuſdam dicitur Comitis Thuringi tutelæ à patre creditus. Hic verò amputato infantis capite truncum ſub glaciem Egræ fluuij condit: caput Principi offert, qui deteſtata illius perfidia, optionem dedit, num proprium in ſe conuertere fer-*

*rum: aut præcipitẽ de rupe se dare, vel ceruicem laqueo frangere velit: extremũ elegit.*

[b] *Mistibogius Suatopluco Regi Morauiæ bellum infert, quod in dubium venire possit, cum Neclan paulò post Hormidurũ mortuus sit. Et Mistibogius nõ Suatobogio (qui Hormiduro succesit) sed Suatopluco bellum mouerit.*

[c] *Arnolphus imperare cœpit anno Christi 887. mortuus 900. hinc temporum series conijcienda.*

[d] *Primum Morauorum Christianum fuisse Suatoplucum, & è sorore Arnolphi natum Suatobogium Polonus scriptor affirmat.*

[e] *Giula vnus è septem capitaneis, qui secundò in Pannoniam sunt ingressi habetur Anno mundi 4706. Christi 744. A morte Attilæ 301. Et hæc non quadrant ad Arnolphi Cæsaris tempora.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER QVARTVS.

XII. Boriuorius primus Christianorũ Boemiæ Ducum.

MEliore Boiemiæ fato, incrementoq; Boriuorius Hostiuitio prognatus, regimen paternum excepit, nec enim diu illud, vt impius & profanus, sed vti religioni Christianæ deditus rexit. Hoc vero modo ille Christianismum subijt: Diuerterat ad Regem Morauiæ Suatoplucum, partim officij, partim amicitiæ paternæ confirmandæ gratia, venitq; eo fortè die & tempore ad regem salutandum, quo ille â sacrosancto Dominicæ cœnæ conuiuio, in aulam reuersus, mensæ accumbere suæ parabat. [a] Reddita igitur salute rex: Ignoscas (inquit) Boieme hospes, quòd ad prãdium hoc nostrum in præsentiarum non inuitêre. Nec enim fas est, nec iura Christiana sinunt, reuertenti à mensa viui Dei, eum conuiuã habere, qui mensæ Deorum mortuorum accumbere, deq; illorũ sacrificijs participare soleat. Proinde si tibi nostra conuiuia arrident, fac vt simul tibi nostra etiam arrideat religio. Ac tum demum noster eris, & valde gratus conuiua. Pupugerunt ista animum Boriuorij, sed magis adhuc eidem cogitationem de mutanda superstitione iniecerunt, honores ab Arnolpho Cæsare ipsi Suatopluco habiti, posteaquam religione Christianâ inicitatus fuit. Nam tanta inde Arnolphus beneuolentia, tantoq; fauore Suatoplucum prosecutus est, vt in gratiam eius venire in Morauiam ad diem nõ grauaretur, ad quem inuitatus erat, vt filiolum suum è sacro fonte leuaret. Vbi hac præterea in illum vsus est liberalitate, vt tributum illi attribueret, quod Princeps Boiemiæ Cęsari tunc pendebat. Cum itaq; non solùm honorificam Boriuorius, sed etiam fructuosam videt esse religionem Christianam, ad illam vehementer aspirare cœpit: Sed meliore mox spiritu afflatus fuit, quum Diuum Methudium, Diui Cyrilli collegam, ambos Morauiæ & primos Antistites, de fide & religione Christiana differentem audiuit. Alios videlicet honores, & alia præmia cultorib. illam suis polliceri, neutiquam fluxa & caduca, sed plane stabilia atq; æterna, si quis illa per baptismũ, qui fidem perficit, consummauerit. Adfuit spiritus sancti gratia, animumq; Boriuorij, luce fidei Christianæ sic illustrauit, vt ibidem statim, cum bene multis suis clientibus, aqua salutari à Methudio tingeretur: deinde vxor quoq; eius, cui Ludmillæ nomen, in Boiemia ab eodem tincta fuit, & magnus præterea Boiemorum vtriusq; sexus numerus ad baptismum adfluebat.

*Occasio assumpti Christianismi à Boriuorio.*

*Diui Methudius & Cyrillus Boriuoriũ sacro fonte abluunt.*

*Origo Regni Morauiæ.*

Sed quoniam mentio regni Morauiæ incidit, prius inuenias, qui tibi regnatum esse in Morauia dicat, quàm qui ostendat, vnde Regia Maiestas in Morauiam,

rauiam à Sclauinis tunc poſſeſſam,ſe inſinuauerit, forſitan alienũ à propoſito non fuerit, præſenti narrationi adiungere ea,quę ſuper hac re vel legimus,vel accepimus. Qua tempeſtate Conſtantius, cui Pogonato ex barba cognomen fuit,imperium apud Græcos obtinebat,Bulgari rerum nouarũ cupidi,aſcitis in belli ſocietatem Sclauinis popularib.ſuis,impetum in Thraciam fecerunt. Vtrisq; Conſtantius cum exercitu robuſto,ad locũ quem Honglon vocant,maturè occurrit pugnandi auidus,ſi pugnę copia facta fuiſſet. Verùm enim Bulgari iuxta ac Sclauini pugnam extrahere, ſeq; loco & caſtris munitis continere malebant:interim occaſioni intenti, ſi videlicet aliqua ex contemptu ſui,quia laterent, negligentia ad Cæſarianos tranſiret. Vbi illa apparuit,caſtris patefactis incautos Cæſarianos aſſiliunt,fugant,concîdunt,eoq; Conſtantium redigunt,vt de Myſia præterea illis concedere cogeretur,quam ad inhabitandum Bulgari ſibi delegerunt. Perſuaſis Sclauinis,vt ipſi Pannoniam occuparent,iã pridem Hunnorũ diſceſſu, nuperrimè autem Auarum in Italiam migratu, deſertã.Septem Sclauinorum nationes in exercitu vno tunc fuiſſe,Pannoniamq; & Morauiam ad incolendum occupaſſe dicuntur.His ſimul omnibus,cum nomẽ imperij Regium placeret,nec inueniretur Principe Morauiæ alius dignior qui regnaret,illum potiſſimè regnare, & poſteros eius iuſſerunt. Nonnullorũ tamen nomina interciderunt, credo quòd nulla inſignis res per illos geſta fuerit,aut nullus extiterit author, qui illa cõmemoranda receperit.Pòſt interiecto annorũ fermè [b] ſexaginta ſpacio,nomen Regis [c]Raſlai,quẽ propter fœdera violata,Ludouicus imperator exoculauit:dein Hormidori,& Suatobogij,ac maximè Suatopluci,inclaruit,qui citra & vltra Danubium latiſſimè regnauit. Id temporis Veſperini in Pannonia ferè aſſiduè morabatur,cum Hunni ad inuadendam denuò,repetendamq; Pannoniam,quam à morte Attilę annis tercẽtis deſtituerant, impetum cœpiſſent, legatos Veſperinum ad Suatoplucum præmittentes,cũ munere & precibus.Munus erat,Equus candidus,freno,ſella faleris,auro radiantibus inſtratus. Preces verò erant,vt Hunnis domo extorribus,aliquis in tam amplo regno angulus,quem incolerent, attribueretur.Rex multitudinis Hunnorũ ignarus, ratusq; opiliones quàm milites eſſe,qui ſibi locum aliquem ad paſcendum in Pannonia, campis ſpacioſiſſima quęrerent, accepto equo,precibus legatorum annuit.Petunt rurſum legati,vt pro tã prędioſo equo, ipſis liceat auulſum terræ Pannoniæ ceſpitem ſecum auferre, atq; ad ſuos illum perferre. Ad hæc ſubridens Rex,quidni liceat,inquit,vili ceſpite prędioſum mutare equum? Nec enim ſuſpicabatur quidquam legatos per dolum agere, ſed mox inſidioſa patuit legatio,Hunnis, poſtquam ingreſſi ſunt fines Pannonię,non amplius angulum aliquem,ſed ſimul vniuerſam Pannonię terram à Suatopluco repetentibus, tanquam ab ipſis vnius equi prædio emptam,eiusq; rei apud ſe extare pro arrabone ceſpitem iactabant. Septem Hunnorum agmina incedebant, & in ſingulis militum amplius ter dena millia inerant,vt non modò,non opponere ſe illis, ſed ne oſtendere quidem Suatoplucus auderet.Fugiebant ſimul plurimi ſubditorum, regemq; trans Danubium cedentẽ, vel anteibant,vel ſubſequebantur.Ipſe Rex maiore nobilioreq; parte regni ab Hunnis ſpoliatus, quanquam reliquam Pannoniam, inter Vagum & Danubium poſitam, adhuc in officio retineret, nõ in illa tamen,ſed apud Morauos,in oppido Velegrado,regiam ſibi & poſteris conſtituit. Quonam modo Moraui Regnum adepti ſint,hactenus dicta ſufficiant.Nunc eadem narrationis ſerie dicendum, ad quem modum illud amiſerint.Inceſſerat poſt longam, & mutuam beneuolentiam, quæ inter Suatoplucum Regem, & Arnolphum Cæſarem, vſq; ad arma ſimultas, contentioq;, accuſante fidem Regis Cæſare, quaſi magis ad Conſtantinopolitanum,quàm ad Romanorum reſpiceret imperatorem: Rege contrà ſe defendente atq; dicente, conuenire officio ſuo,vt

*Flauius Heraclius Conſtũtinus V. Pogonatus, regnauit anno Chriſti 670. obijt 686.*

*Suathem ſimpliciter Vngarici annales vocant.*

*Danubij vorticib. ſubmersũ in fuga Vngarici annales produnt.*

*Regni decus omiſſum in Morauia.*

*Simultates inter Arnolphū et Suatoplucū.*

maiestatem Græci quoq; Cæsaris debito honore conseruet,à quo maiores olim sui,regni decus,ipse deinde fidem Christianam acceperit, habeatq; in hūc diem bonam regni sui partem ad Daciam pertinentem,cum finibus imperij illius tanquam vicini coniunctam. Sed hæc contentio, extincto Suatopluco,simul extincta est citra puluerem & sanguinem. Atqui maior deinde, filio Suatopluco regnante, simultas recruduit, posteaquam ille capto ad insidiandum tempore,quo Arnolphus Nortmannis subdomādis implicitus erat, Noricum magna vi externorum quoq; equitum populabundus ingressus est, magnaq; cum præda & spoljs, magno Cæsaris dedecore domum vltus redijt. Accessit ad audaciæ illius cumulum,insolentissimus in præsulem sacrificantem insultus, Methudius Præsul erat, diuis postea adnumeratus, ad quem Rex miserat,ne prius sacra obiret,quàm ille à venatu reuerteretur. Expectat præsul plus satis temporis,dein meridie iam instante, ac magna plebis multitudine (quia moræ longioris tædebat) dilabente,neglecto regis imperio ad aram se recipit, sacraq; more solemni facere incipit. Ecce tibi rex,turba venatorum,canumq; grege stipatus,subitus in templum insilit,ad aramq; cum ingenti strepitu,boatuque & latratu se applicat,ac ægrè manus à violando præsule abstinet. Cæterùm omnia quæ in ara deposita erāt,sacra profanaq; disturbat & disjcit:Hunc tantum Dei verius quàm sui contemptum, ipse præsul Deo vindicandum reliquit,ac inde protinus in Boiemiam migrauit. Nec longè aberat detractæ religionis suæ vindex Deus, sicut nec Cæsar contemptæ suæ dignitatis,sed vterq; per tempus suum, à contemptore eam pœnam exegit, qua subdomantur superbi & impij. Nam Cæsar regnum illius per edictum publicauit, deditq; illud diripiendum vicinis gentibus, Vngaris, Polonis, Austriacis, reliqua pars quæ nunc extat,vltro se fidei potestatiq; Boiemorum permisit. At misericordię plenus Deus,qui non vult mortem peccatoris,sed magis vt conuertatur & viuat, de Rege multarum gentium,humilem inopemq; sibi fecit Heremi cultorem, ad montem cui Sembor vocabulum, quem tres duntaxat Heremitæ,vitam aridam,duramq; viuentes,incolebant. jjs Rex quartus additus, nemini contubernalium de tolerantia patientiaq; concessit. Nec nisi ante extremum diem, quis esset,se illis prodidit,à quibus etiam, Nitriæ in Pannonia conditus fuisse dicitur,& donec appareret conditoriū, hoc elogium insculptum habuisse fertur. Regem Morauiæ Suatoplucum, in medio regni sui sepultum iacere:Tam latè olim, tamq; longè prospectabat Morauia, quàm veteres Marcomanniam vocabant, quia fines Germaniæ, qua Danubio in Pannoniam pergitur, terminabat. Quippe Germanis Marck, limes dicitur,atq; inde Marcomanni limitū finiumq; accolæ appellati. De quibus Arrianus historicus, in cōmemoratione Germaniæ: Earum gentium inquit,postremi sunt, Quadi ac Marcomanni, deinde Iazijges Sarmatarum gens,pòst hos Getæ, deinde Sarmatarum magna pars.At inpræsentiarum,quoniam circumscriptos Mora fluuio habet fines,ab eodem fluuio incolæ Moraui, & ipsa regio Morauia appellatur, quam & hic pro statu præsenti, statim repræsentabimus, si ad hoc vnū præuertamur, quod ad vindictam Dei in eos pertinet,quicunq; maiestatem illius consimili modo læserint. Arnolphus enim Cæsar,qui Suatobogium propter temeratam ab ipso religionem, fideique erga se violationem, nullo ferè negotio, sed tantùm edicto promulgato,ex tam inclyto (vt diximus) illum regno deturbauit: Idem post multas alias, cum summa laude partas victorias,quando animum ad ipsas rapinas, templorumque, ac templis deseruientium spoliationes conuertit, facinusq; quod in alio vltus est, ipse imitandum susciperet,iusta ac manifesta numinis ira, non multum dissimili quoq; pœna est punitus. Quemadmodum enim Regia in Morauia potestas,in Suatobogio,ita imperij maiestas,quā tunc Galli sibi vsurpabant,in Arnolpho defecit, qui etsi filium [c] Ludouicum haberet,

*Suatoplucus vltimus Rex Morauiæ.*

*Sacrilegiū in præsulem commissum.*

*Regnum Morauiæ publicatum potestate imperatoris ui cinis præda fit.*

*Sobor mons ingens editus ad Nitriam.*

*Suatoplucus heremita.*

*Morauiæ regiones & nomen à Mora fluuio.*

*Aliàs præterq; in baptismo semper Suatoplucum nominat.*

haberet, (quem ad ſpem imperij enutriuerat) ſed & is quoq; dum patri ſuccedere conatur, Veronæ captus, & à Berengario, ad quem Itali ſummam imperij detulerant, interfectus eſt. Ipſe præterea Arnolphus pater, fœdo mortis genere, quo olim Sylla dictator, nempe pediculari, obijt. Sequitur iam de Morauia, quam, vt nunc ſe habet, tribus è partibus iuga montium, aut ſyluæ, ſaltusq; aut fluuij limitant: ab Oriente ab Hungaris, ab Occidente à Boiemis, à Septentrione à Sleſitis. Nam à meridie Auſtriam verſus plana eſt, & alicubi Thayſa flumine; alibi riuo quodam ignobili ab illa dirimitur. Amnium in Morauia Princeps, Mora habetur, qui Olomucium principem ciuitatem circumfluit, & ab illa in Pannoniam defluens, in Danubio ſe tandem ſuis & aduentitijs aquis auctus exonerat: Nam & Nigrim & Suitauam, qui Brunnam ciuitatem dignitate proximam Olomucio: dein Thayſam, qui Znoymam, obitu Sigiſmundi Cęſaris memorabilem. Poſtea Iglam, qui Iglauiam prętерfluit, Mora recipit, ac Danubio mox reddit. Cæterùm Odera fluuius, haud procul Olomucio ortus, ſuo vocabulo vſque in Oceanum delabitur. Sunt qui illum à Ptolemeo Viadũ vocari autument. Noſtrates Oderam nuncupant, ab aucupib. vocabulo mutuato, qui ſpeculas auibus ſpeculandis captandisq; cõſtitutas, Odri appellãt, hodieq; huiuſcemodi ſpeculæ in Morauia ad fontẽ Oderæ ab Aucupibus conſtituuntur. Sed nec Hanam prętерire libet, quamuis tenuibus interdum aquis fluentem, attamen eos agros rigantem, quibus non alij in Morauia ſunt, à frumento fertiliores, ita vt frumentarij coloni, à largo frumenti velut vbere, iure ſuo illos, Sumen Morauiæ appellent. In illis præterea ſæpius quàm in alijs nummiſmata Marci Antonini, Commodiq; & aliorum nonnullorum Cæſarum, tam aurea, quàm argentea exarantur. Quæ ſanè, fidem bellorum cum Marcomannis olim in Morauia geſtorum, manifeſtam faciunt. Hoc verò iam mirabitur aliquis, & eſt profectò admiratione dignum, inueniri in Morauia Thus, & Myrrham, non ex arbore deſudante, vt alibi, lectam, ſed è ſolo terræ erutam, vno tantum diu in loco, cui Gradiſco nomen, in quo adhunc diem Thus, non ſolùm id quod maſculum vocant à ſimilitudine teſtium, ſed quod alia præterea virorum mulierumq; membra oſtentat, effoditur. Nuper autem Venceſlaus, vetere procerum familia, eorum qui à Quercu cognominantur clarus, dum in agro ſuo Sterenbergenſi fundamenta aggeri piſcinario molitur, corpus hominis integrum inuenit, quod nihil niſi Mirrha erat, quam ille per amicos diſtributam, noſtri quoq; etiam tum priuati memor, nos plus media parte lacerti humani donauit, quo aliquoties pro ſuffitu vſi ſumus. Regionis poſitio, quatenus interius patet, campeſtris, campiq; ſunt molli & pingui ſolo, ideoq; ſegetibus valde idonei, ſicut colles vinetis, propter terram vineis magis quàm in Boiemia amicam; itaque & vbertate & bonitate vini antecellit. Culta verò tota, cultoribusque adeò referta eſt, vt nullum gregibus armentorum, quæ niſi in ſolitudinibus commodè paſci nequeunt, locum reliquerit. De cætero Morauj ſermone, ritibus, moribusque, perinde morati vt Boiemi ſunt. Nunc ad Boriuorium in Boiemiam redeamus, malè à Boiemis ob nouam religionem acceptum. Nam plerique ne aſpicere quidem eum dignabantur, & quoties ſpectandum ſe offerret, prętenti vultus demittebant. Alij tacitè prętereuntem execrabantur, maior denique populi pars, alium principem deligendum, iſtum verò è Boiemia pellendum cenſebat. Tantum odium animis in religionem Chriſtianam imbiberant. Nihil eorum neſcio Boriuorio: Nihil enim eum celabat Slauiborius Melnicenſis, qui ei ſocer erat, ac tunc Ludmillam filiam, Boriuorij vxorem, vnà cum paruis liberis in domo ſua cuſtodiebat. Huius hæc ſentẽtia fuit, vt tẽpeſtati ad tempus cæderet Boriuorius, ſeq; rurſus in Morauiam ad Regem Suatoplucum, etiam tum ſuperſtitem conferret. Rex cauſa reditus intellecta, pecuniam, arma, milites, quibus perfidos puniat, ſeque

*Morauiæ deſcriptio.*

*Fluuij & vrbes.*

*Odera fluuius vnde dictus.*

*Hana Sumen Morauiæ.*

*Nummi veteres.*

*Thus & Myrrha mumiæ re ctius dixeris, vel electro quid cognatũ.*

*Boriuorius domi exoſus ob dogmatis Chriſti profeſſionẽ.*

*Slauiborius Melnicenſis pater Ludmillæ coniugis Boriuorij ſuadet genero exiliũ.*

in locum pristinum reponat, vltrò offert. At magis Boriuorius Methudio prę-
*Popularis licẽtia nisi frenetur Principis auctoritate dãnosa.* sulí obsequitur, ad patientiam parumper tolerandam inuitanti. Interim Boie-
mi principe exulante, inter se turbulentissimè agere, sine metu, sine lege viue-
re, alíj alios pulsare, spoliare, interficere, multi per vias impunè grassari, quan-
do nemo existeret qui authoritate principali iniurias prohiberet. Coíjt tan-
dem senatus Boiemorum, & de Principe vel reuocando, vel nouo deligendo
consilium inít: Paucis reuocari Boriuorium placuit, cæteris omnibus vocife
rantibus, ab aratro potius rusticum quemuis, quàm Boriuorium, Deorum ip-
sorum contemptorem ad principatum vocandum esse. Glíscente contentio-
ne, ac nemine alteri de ambitione concedente, vnus aliquis Stoymirum no-
XIII. minat, quem Hostiuitius princeps in exilium ad Bauoros egerat. Frater hic Su
*Stoymirus exul in Bauaria.* coslai Bilinæ quondam Tyranni fuit, magnoque tunc potentioris factionis
consensu, princeps Boiemiæ declaratus est. Eunt mox in Bauariam qui quæ-
rant, percunctentur, inuestigent, vbinam locorum lateat. Aegrè inuentus, pro-
pterea quòd Bauari eum non Stoymirum, sed immutato nomine, Stilfridum
appellabant. Ac iam tredecimus ab exilio eius circumuolutus erat annus, quo
in tempore, vsum quoque loquendi vernacula Boiemorum lingua planè ami
serat, sed neque illa loquentes intellexerat. Breui itaque mensium interuallo,
*Exauctoratus.* fastidire illum Boiemi, uelut mutum & surdum principem, eódem vnde ve-
nit ad Bauaros extrudunt, ornatum quibusdam munusculis. Maiore dein fre-
quentia Pragam ad comitia conueniunt, & inde à mœnibus ad campum se-
cedunt, quasi liberius absque plebe promiscua, alienisque arbitris de princi-
*Comitia cãpestria & armata.* pe dicendo tractaturi. Sed iam aduersa Boriuorij factio conspirauerat, occul-
teque armata venerat, vt dato signo impetum in illos faceret, qui Boriuorio
studerent. Ea re Slauiborius comperta, fautores Boriuorij præmonet, vt suc-
cincti clàm ferro, ad dimicandumque parati in campum discendant. Quò
posteaquam ventum est, verba primus facit ad concordiam propensa, rogans
amicè omnes, vt omissis altercationibus, vno omnes suffragio principem no-
minarent, qui de domo esset principum, sermonisque Boiemi non ignarus,
ne vt modò accidit, Domino muto seruire Boiemos pudeat, tedeatque. Et
quoniam nota res, etiamsi mala fuerit, ipso iam prouerbio dicatur esse opti-
ma, sibi videri, commodissimum forè, vt princeps Boriuorius, qualis qualis sit,
tanquam omnib. notissimus reuocetur. Exclamat coniuratorum signifer, fiat
in partes discessio. At is qui proximus ei adstabat ex factione Boriuoria, faciã
inquit, vt statim, quò velis nolis discedas, exertoque gladio, caput illius abscin-
dit. Ingruunt cæteri, feriunt, pellunt, proterunt aduersarios, & ad extremum
*Reducitur Boriuorius.* compellunt reuocationi subscribere: Ita Boriuorius dignitati suæ, post deci-
mum mensem restitutus, secum in Boiemiam Præsulem Methudium ex Mo-
rauia abduxit, vt ab impietate, quos posset, ad pietatem conuerteret, eosque in
*Multiã Methudio baptizantur.* consortium Ecclesiæ sanctæ adscriberet: Quorum Ludmilla Boriuorij vxor,
prima erat, dein liberi vtriusque: Mox etiam Slauiborius cum tota familia sa-
cro lauacro est ab eodem Methudio tinctus. Defectu templorũ uni Deo con-
secratorum, sparsim tunc Methudius per ædes profanas rem diuinam facie-
bat, semenq; verbi Dei disseminabat, haud tanto profectu, auctuq;, inter raros
& dispersos, quanto fieri poterat in cœtu multorum: sed nec tanta dignitate
in angulis, quanta in templis sacrorum illi, sacrificiorumq; obeundorum po-
testas fuit. Non cunctatus igitur Boriuorius, ad templum Pragæ ædificandum
curam adiecit, conductisq; operis, fundamenta templo sub titulo diuæ virgi-
*Templa extruuntur.* nis, in loco maximè conspicuo, quem Curiam Lætam vocabant, ponere ius-
sit. Extruxit deinde in arce Vicegradensi sacellum diuo Clementi, cuius cor-
pus Cyrillus Antistes, ex Chersoneso Pontica in Morauiam attulit, ac dein-
ceps Romam secum extulit, clarum miraculis ac venerandum, ideoq; templo

à Boriuo-

à Boriuorio decoratum. Alterum idem mox sacellum diuo Petro & Paulo dicatum ad Christianissimum, doctoribusq; gentium, in colle Zyderaso à Pragensibus dicto, exædificauit: atq; in omnibus istis locis sacris, sacerdotes à Methudio præsule consecratos constituit, illisq; stipendia de ærario suo dari iussit. Scholas præterea instituit, in quibus Scholastici Latinis literis discendis, à Boiemis prius planè ignoratis, vacarent. Nascitur interim Boriuorio ex Ludmilla filiolus, nomine Boleslaus, Methudioq; præsuli tingendus, vngendusq; offertur. Ibi Boiemi Methudium adoriuntur, ab ipso exigentes, ne sermone Latino, quem non intelligerent, sed Boiemo sibi vsitato sacra & sacramenta perageret. Hanc rem ille Romam ad Cyrillum collegam, atq; is ad Nicolaum Romanum Pontificem retulit. Ambo collegæ ob eam relationem, non Pontifici modò, sed frequenti etiam patrum concilio deridendos se propinauerunt: Cum ecce tibi, de improuiso vox hæc sua sponte, in tali frequentia insonuit: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur eum. [f] Qua voce perculsus Romanus Pontifex secundum petitionem Boiemorum respondendum Cyrillo duxit. Cæterùm, nō intra multos annos, mos ille vernacula lingua inter sacra cantandi viguit, abolente illum rursus Pontifice Romano, cum daret Boiemis Antistitē, (Nam diu satis Boiemi, à priuatis sacerdotibus, sacrorum religionisq; disciplinam percipiebant) eidemq; præscriberet, ne à ritu ceremonijsq;, & cantu Romano vllam in partem deuium ageret. Non autem soli Boiemi & Moraui, sed præterea in Mysia Bulgari, & horum populares Gazari, doctrinæ istorum duorum Morauiæ Pontificum, Cyrilli & Methudij, acceptum referre debent quòd sint Christiani, neutri horum tamen in sede sua pontificali mori contigit, sed vterq; Romam secedens, ibidem vitam cum morte commutauit, ibidemq; in numerum diuorum relatus est. Interim in Morauia, annis quinq;, interpontificio durante, tandem Ioannes Morauus in locum Methudij cooptatus est. Sed nouus subitò metus Boriuorio iniectus est, ne denuò res sua tumultu aliquo interturbaretur. Non enim tacito murmure solùm Idolatræ, verumetiam aperto clamore, significabant se mutationem religionis, sed nec Principem illius authorem, diutius laturos, qui inter sacella & aras cum Sacerdotibus delitescens, præ illis cætera omnia susq; deq; habenda duceret. Itaq; offerendum ille ratus, quod forsan amissurus erat, vocat ad se in arcem Vicegradensem ordines, illisq; coram principatu se abdicat, & ad Spitigneum filium natu maximum, cum ipsa arce illum defert: Additi iuueni rectores, Detonius, & Myrso, viri à fide & prudentia, religioneq; sibi probati, qui illum patrijs virtutibus & bonis moribus regerent. Boriuorius se cum vxore Ludmilla ad arcem cui Tetin vocabulum, contulit, Paulo Sacellano secum pertracto, quem secundum præsulem, ante alios sacerdores pietatis & religionis ergò suspexit. Porrò Spitigneus principatum ingressus, permodestè se, atque ciuiliter erga omnes gessit, ab omnibusq; laudem ex eo, & charitatem consecutus est: Parentes præterea, hac re in primis sibi arctius deuinxit, quòd religionem illorum imitatus, loca quoq; religiosa frequentanda & condenda susciperet. Nam templum diuo Petro & Paulo in oppido Budeco, non longe à Praga, sitò, condidit, iuxtaq; ludum literarium aperuit, celebritate studiosorum omnibus tunc alijs antecellentem. Sensim deinde sui arbitrij factus, plura iure suæ potestatis, quàm de sententia tutorum agebat, ac sæpius religioni aduersos, quàm illius cultores in consilium vocabat. Nihil adhuc tamen sinistri de filio parentibus suspicantibus, donec veniens in arcem Tetinensem Spitigneus patrem & matrem salutaturus, ipse se proderet, quàm constanter, quamq; sincerè religionem susceptam coleret. In discessu namq; patre filium adhortante, vt Christianos de meliore nota sibi commendatos ha-

*Scholæ constitutæ.*

*Boleslaus filius Boriuorij baptizatur.*

XIIII. *Spitigneus patre abdicante.*

*Indoles optima in vitiosos erupit mores.*

*Proterua & insolens erga parentem.*

beret,illorumq; numerum vt indies adaugeret.Et quos ei adiutores publicorum negotiorum dederit,ne quid temere sine illis transigeret, respondit contumacius filius. Aequè ditioni suæ subiectos esse qui non Christiani, atq; illi qui Christiani dicerentur,proin æqualiter vtrosq; augeri decere,vt decus Boiemiæ frequentia habitatorum exaugeatur.Videant autem Detonius, & Myrso,vt intra modum suum se cõtineant,parendo potius domino suo, quàm illi leges aliquas præscribendo:præterijsse enim tutelę illorum tempus.Hoc tam acerbo responso parentibus reddito,discedit Spitigneus, ac statim in via morbo tentatur,& post diem octauũ in arce Vicegradensi moritur.Corpus ad diuæ Virginis tumulatum.Reuocabatur ad principatum Boriuorius,quoniam alter eius filius Vratislaus impar oneri ferendo propter ætatẽ adhuc teneriorem esse videbatur. Sed obtinuit Boriuorius vt idem Vratislaus succederet, quem ipse suis præceptis institutisq; formandum recepit.Atq; vt præterea in absentia patris haberet, quorum authoritate in officio religionis contineretur, egit cum Methudio præsule, vt quoties à diuinis negotijs vacare liceret, iuuenis modestiam,religionemq; & fidem corroboraret.Dein Droboſino affinitate sibi connexo, iniunxit,ne à latere filij discederet,sed præsens semper illum submoneret, quid sequi in vita adhuc lubrica, quidúe fugere oporteat. Interuenit ijs luctus Boriuorio & Ludmillæ,humano more lugentibus,filioli Boleslai occubitum,auxit dolorem orbitatis metus,cum solus ex liberis Vratislaus supereſſet.De danda igitur ei vxore maturè deliberant, atq; ita secum decernunt, non aliam esse dandam,nisi Christianam.Sed prævaluit sententia amicorum,vt Drahomiram Lucensem,qua domi nulla genere illustrior, nec forma præstantior inueniebatur, (nondum enim extra Boiemiam principes matrimonia contrahebant)vxorem duceret, præsertim spondentem,quòd à Cathechismo ad baptismum ventura esset, sed tam Catechistas, quàm sponsores audacter vt mulier fefellit. Siquidem longè sæuiorem, immaniorem q; in Christianos, quàm Iezabel in prophetas se exhibuit. Boriuorius nuptijs filio celebratis, ad otium & rerum diuinarum contemplationem in arcem suam reuersus, ibidem templum Archangelo Michaeli, alterum Ludmilla diuæ Catherinæ dicauit.Ac semel tantùm deinceps filium inuisens, vt nepotem suum Venceslaum, quem Drahomira enixa est, conspiceret, eademq; opera, vt puerperæ animum obstinatum, si qua ratione posset, induceret ad deponendam superstitionem.At illa ad dolos,ceu ad proprias mulierum malicioſarum artes conuersa ,moras doli plenas nectabat, Boriuoriumque spe inani lectabat,donec is ægritudine,velut somno pressus,obdormiret in Domino,& in æde à se recens condita,atq; Methudio præsule consecrata,ritu Christiano funeraretur. Nam antea principes Idolatræ omnes, sepultura asini, vt ait propheta,in locis profanis sepeliebantur. Vratislaus igitur,patre & præsule,qui Romam abierat,destitutus,pleraq; matris Ludmillæ consilio, ac præcipuè ea quæ ad religionem pertinent, administrabat,rem Christianam magno studio amplificans,ipsosq; Christianos ab omni periculo tutos reddens,cohibita ante alios Drahomira voxore, Christianis infestissima, ne quid apertè cũ suis in illos auderet. Appoſuerat insuper Ludmilla nurui custodes,qui vel occultas insidias obseruarent,si quas illa aduersus cultores pietatis strueret. Ergo tali securitate oblata,religio se,nõ solùm intra mœnia Pragensia, sed extra etiam per vicos & pagos largè diffundere,largasq; aquas ad baptismum quotidie affluentibus suppeditare.Deniq; Vratislaum incitare,vt templũ sub nomine diui Georgij,in monte qui Pragæ minori imminet,à fundamentis excitaret,ampliterq; illud dotaret.Longo dein satis tempore, domi foris q; rebus quietis,subitò nunciatur,Hunnos vel ut nunc vocant,Hungaros, dum Alemaniam,Saxoniamq; petunt,in fines Morauiæ deflexisse,ibidemq; incolas popu-

*XV. Vratislaus.*

*Methudius & Dobroſinus rectores.*

*Drahomira Lucenſis Vratiſlai coniunx aliena à Chriſtianiſmo.*

*Venceslaus Vratislai.F.*

*Vratislai religioſa pietas.*

*Bellum Hunnorum aduerſus Saxones.*

lationc,

latione,& omni rapinarum genere miſeranda calamitate affeciſſe. In re adeo inopinata haud potuit Vratislaus per tempus occurrere,opemq; ferre Morauis, ſed paulo poſt contractis in Boiemia copijs, Morauos quoq; armatos ſe expectare iuſſit,vt communibus viribus, minore cum periculo hoſtem inuaderent,vindictamq; de iniuria illa ab illo caperēt. Agmina ducentibus in Pannoniam,Legati Hungarorum in via ſe offerunt,(abhorrebant videlicet,in diſceſſu ſuorum à bello Vngari) Vratislaum magnopere orantes ne longius cum exercitu ſuo progrediatur,paratos ſe eſſe ad damna ſarcienda, quæ ipſis ignaris ſint Morauis illata à popularibus ſuis, quos illi ad Germanos, non autem Morauos vexandos miſerint. Iuſſi pecuniam adnumerare,qua & ſtipendium militi exolui, & res quæ inter populandum amiſſæ erant,redimi poſſent:tum Morauis quoq; imperatū vt ſyluas Pannoniæ aduerſas ſuccideret, viarumq; aditus omnes extra vnam militarem vt includerent, ne ſic impunè hoſtis incautos aſſultaret. Interim Hungari in Germanica expeditione,multo ſuorum ſanguine audaciam ſuam expiauerunt.[h] Siquidem Henricus Saxo, quem ſibi Germani,quemadmodum Itali Berengarium,creauerant Regem, ingenti clade,ſtrageq; illos affecit, ac magna ex parte inſolentes illorum in Germaniam excurſiones coercuit,repreſſitq; Domi foriſq; rebus compoſitis Ludmilla Vratislai mater, per ſpeciem viſitandi ſalutandiq; Drahomiram nurum ſuam Pragam adijt. Reuera vt alterum filiorum (duos enim habebat Venceslaum & Boleslaum) ſibi dari nutriendum impetraret. Cui cum oblata eſſet tam à patre,quàm à matre legendi,vtrum accipere vellet, poteſtas, Venceslaum in quo melior indoles meliorq; ſpes elucebat ſibi adoptauit, aluitq; deinceps pro ſuo, præceptorem ei adiungens Paulum ſacrificulum ſuum, virum opinione ſanctitatis celebrem. Hic domi aliquandiu puerum docuit,poſt author fuit, vt Budecum, de quo oppido nunc diximus, ad Nycenum præsbyterum ludi illic magiſtrum mitteretur,inquiens,maiores ibi eum in literis & diſcipli nis Chriſtianis profectus facturum, inter multos condiſcipulos Chriſtianos: Nam hæc præcipua cura erat auiæ, vt nepos Chriſtianam religionem ante omnia diſceret coleretq; : Obierant tunc Romæ ambo Morauiæ præſules, & Cyrillus & Methudius, claraq; in obitu, & poſt eum ſanctitatis ſuæ ædiderunt miracula, quæ mox illos in cathalogum ſanctorum retulerunt. Memor igitur Vratislaus beneficiorum,quæ ſancti viri in parentes ſuos,ſeq;,& totam gentem ſuam contulerunt, memoriæ huius voluit & apud poſteros extare monumentum. Nempe templum ſub nominibus illorum conſecratū,quod ipſe in eo loco ædificauit, quem Boleslauiam, ex Boleslai filij eius nomine,in hodiernum diem appellant,atq; inde breui tempore migrauit ad dominum, corpore ad diui Georgij relicto,in quo templo ſepeliri illud moriens iuſſerat. Ac nunc quoq; illic iacet, lapideo Mauſeolo conditus. Marito funerato filijſq; adhuc ætate imbecillioribus, Drahomira regimen inuadit, ac ſtatim odium in Chriſtianos malè diu diſſimulatum detegit,edicto propoſito,vt templa Chriſtiani occluderent,à cultu ceremonijſq; abſtinerent. Sacerdotes populum ne docerent, nec ludimagiſtri diſcipulos. Secus facientibus carcer,exilium,mors denunciata. Pragæ magiſtratus immutati,& pro Chriſtianis idolatræ crudeliſſimi ſubſtituti, quorum inſtinctu clam,palamq;,ac ſemper impunè,fidei cultores indignè tractabantur,occidebanturq;. At ſi quis ex Chriſtianis vel ſe defendendo,vnum illorum aliquē interfeciſſet,pro vno in decem capita animaduertebatur. Sed ne hac quidem pœna inexplebilis Drahomiræ feritas ſarciri potuit,nimia cupiditate ardente pellendi delendiq; quàm primū omnes Chriſtianos. Accito igitur ſæuiſſimo in Chriſtianos ciue,quē Pragenſibus prætoris loco præfecit,execrabile illi deſideriū animi ſui indicat, illudq; ab illo expleri,dolo aut vi impenſe rogat,preciū operæ bene nauatæ amplum

*Educatio S. Venceslai.*

*Mors Methudij & Cyrilli.*

*Drahomira marito extincto in Chriſtianos perſecutionem inſtituit.*

*Prætor Pragenſis miniſter crudelitatis Drahomiræ.*

promittens. Reuersus ille domum, magnam vim armorum occultè ad se, ab seditiosis & facinorosis hominibus comportari, ipsosq; ad diem certum adesse iniungit. Ea re quocunq; modo prodita, in ancipiti Christiani erant, cederene malo, an illi resistere deberent: confirmato tandem ad resistendū animo, & ipsi clam in loca oportuna gladios & arma inferunt. Hostium amplius sexcenti, istorū quadringenti conuenerant, primumq; domos suas ab impugnatione hostili propugnabant, mox eruptione facta, per cuneos ordinati, impetum in hostes circa domos dispersos faciunt. At illi numero maiore nixi facilè in vnum conglobantur, ad vtrorumq; clamorem, vulnera, cædem, vndiq; concurritur, & ab vtraq; factione pugnatur acerrimè. cadunt vtrinq; & hinc & illinc crebri, forumq; & vici & plateæ sanguine fœdantur, victoria tamē certaminis penes Christianos fuit. In hoc certamine ab vtraq; parte octingenti desyderati sunt. Drahomira ex crudelitate in crudelitatē muliebri impotentia ruens, posteaquā primæ insidię euentu suo caruerūt, nouas rursus per eundem prætorē, aut verius carnificē suum adornat, illisq; viam ipsam præstruit, dato publicè mandato, ne quis intra vrbem cum telo gladióue ambularet, sed arma quisq; sua, vt in domum prætoriam inferret, repetiturus illa, vbi euidens cuiusq; necessitas postulauerit. Christiani etsi perfidiam Drahomirę semper haberent suspectam, ne tamen mandata illius contemnere viderentur, arma in locum deferunt, ad quem aduersam quoq; factionem deferre conspiciebant. Interim quies & pax insidiosa vrbem tenebat, donec maturū Christianos adoriendi tempus se offerret. Ad hoc facinus patrandū, nox multa à prætore delecta, ne in die, vti nuper, tumultus fieret in populo, multiq; percussores circum domos Christianorum dispositi: alij præterea in subsidijs occultè ac sine strepitu collocati. Tum quibus præceptū datum erat in domibus, cubiculis, lectulis, Christianos semisomnes, seminudosq; plures quàm tercentos obtruncāt. Læta vehementer hac clade Drahomira, sed nec dum satiata, reliquis insuper Christianorū qui superfuerant, improbam ingluuiem quærebat implere. Denuò igitur sanguinario prætori suo dat negotium, ne quē Pragę Christianum incolumē relinquat, sed clam, palamq; obuios quosq; sine vllo discrimine, vt de medio tollendos curet. Ille sicarijs & carnificibus ferro succinctis stipatus, per forum incedere, nulli Christiano obuio parcere, adeoq; omnes terrere, vt foro abstinere cogerentur. Hac necessitate coacti, enses & tela quę celauerant, domiq; suæ quisq; sibi retinuerat, rursus ad tuendum se promunt, mori pugnando, quàm in tanto metu domi residendo viuere præoptantes. Vbi igitur multos simul in publicum cum telis, Prætor furibundus prodire videt, exclamat magna voce, reos esse crimine læsæ maiestatis Christianos, qui mandata Drahomirę transgressi essent, ideoq; morte dignos, atq; omni supplicio. Et cum dicto concitat turbam in Christianos, qua illi disiecta, dissipataq; fugientem Prætorem vsq; in domum illius persequuntur, ibidemq;, serò licet, confodiunt. Si parens Drahomiræ occisus fuisset, maiorem ipsa dolorem accipere non potuerat, quàm accepit ex nece ministri crudelitatis suæ, omniumq; scelerum conscij, quæ in Christianos ipsa designauit, vel adhuc designare cogitauit, modò diutius carnifex ille perdurasset incolumis. Quasi igitur intempestiuè ablatū, tanto dolore, plangoreq;, ac tanta indignatione prosequebatur, vt cum Christianos, qui Pragæ erant, perdere nequisset, ad incendenda, perdendaq; illorum templa manus admouerit, subiecto igne templo Teynensi, mox diui Georgij, in quo maritum eius sepultum esse diximus. Tum verò secundum tam impia, tamq; immania matris facinora Venceslaus qui hactenus, ne in principatum succederet, ætatis studiorumq; excusatione vtebatur, auiæ maximè hortatu, pollicentis, se quoq; curarum nepotis fore participem magno omnium assensu, regimen in Boiemos suscepit.

*Prætor interfectus.*

*Templa Christianorum succensa.*

*Incidisse*

[a] *Incidisse ferunt in Arnolphi Cæs. Imperium & Michaelis IIII. Porphyrogeniti Græci Cæsaris ætatem. Volaterranus hoc contigisse ait, anno Christi 998. sed falsò cum antè sit Arnolphi memorotũ seculum.*

[b] *A morte Pogonati ad mortem Ludouici senioris Regis Germaniæ (obijt is anno Christi 878) qui Raslaum luminibus orbum reddidit, intercedunt anni 190. Auctor sub Barbato Morauos regnare cœpisse: sexagesimo pòst, Raslaum regnasse perhibet. Dauus hic sum non Oedypus. Hungari Suatoplucum in secundum ingressum locant, qui fuit anno Christi 744. tum à Pogonato erunt anni 58. quod magis ad mentem auctoris (num ad veritatem dubito) facit. quia missus faciendus erit Ludouicus.*

[c] *Rasliz non à Ludouico Imperatore Pio, sed ab eius filio Ludouico Rege Germaniæ qui cum Marcomannis plurima dicitur gessisse bella (hic etiam Germanicus dictus, pater Carolomanni & Caroli crassi) oculis est priuatus. Perperam nonnulli hic tribuunt Ludouico Balbo Pij Cæs. F. cum Balbus Caroli Calui fuerit filius.*

[d] *Reges Morauiæ*
- *Raslaus.*
- *Hormidorus.*
- *Suatobogius.*
- *Suatoplucus. huius filius Suatobogius, postea verò Suatoplucus dicitur, nisi duos illi fuisse dixerimus.*

[e] *Ludouicus IIII. Arnolphi. F. vltimus è Caroli Magni linea recta, obijt Ratisbonæ anno 911. Sed Ludouicum Bosonis Regis Prouinciæ filiũ, Regem Italiæ Neapolim, Ludouici III. Imperatoris, Veronæ Berengarius abdicare coegit, tũ oculis regnoq; priuauit.*

[f] *Nicolaus Magnus Rom. P. M. incidit in annum Christi 858. in Ludouici III. ætatem, tertium inquam, ab Arnulpho.*

[g] *Anno Christi 860. Bulgari religionem acceperunt, 30. annis pòst alij Slaui, Suatopluco vel Sueropilo rege. Blondus.*

[h] *Henricus Auceps Imp. appellatus anno 919. obijt 936. Victoria celebris aduersus Hunnos ad Mersburgum Saxoniæ oppidum, vbi 40. milia Hunnorũ cæsa perhibentur.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER QVINVS.

XVI. *Sanctus Venceslaus.*

AD tollendam fraternam discordiam, quam plerumq; inter fratres bona indiuidua suscitare solent, in ipso statim principatus introitu decernitur, vt Boleslao fratri iuniori pars aliqua hæreditatis assignetur, finesq; vtriusq; ditionis constituantur. Boleslauia ei assignata est cum territorio suo vltra Albim, ita vt Albis fluuius citra vltraq; terras finiret. Mater iuniorem filium moribus suis congruentem secuta est: Venceslaus principis thronum solus Pragæ obtinuit. Alius fortasse mutato honore, id quod subinde vsuuenire videmus, mores quoq; aucta dignitate & potentia immutaret: at Venceslaus ab omni ambitione inuictus, demissius penè princeps, quàm priuatus agebat, aliquantoq; diligentius obseruabat, ne quid de instituto prioris vitæ apud auiam transactæ intermitteret. Nam & noctibus intentius quàm prius ad psallendos psalmos, laudesq; Deo dicendas vtebatur, & dies per plura pietatis officia transigebat, crebrius in funus prodeundo, languentes inuisendo, laceros nudosq; conuestiendo, pauperes alimentis sustentando. Instituerat præterea sibi inediæ ac vigiliæ quoddam, quasi cum auia certamen, experiri satagens, ipse, an illa sæpius ieiunaret, peruigilaretq;. Interim Drahomira dirumpi præ inuidia, secumq; nefaria aduersus socrum meditari, quòd illa maiore gratia apud Venceslaum, quàm ipsa mater polleret, religionemq; Christianam

*Bolaslao fratri hæreditatis portio tributa.*

*Volaterranus duos fratres Caino & Abeli comparat.*

*Venceslai pietas.*

nimis prolixè proueheret. Nec longius nefariè meditata perficere distulit, quàm inuenit cædis perficiendæ audaces sicarios. Instante exitij die, quē Ludmilla futurum diuinitùs præuiderat, vocat ad se clientulos omnes, mercedemq; cuiq; suam dissoluit. Et præterea quicquid in penu, in cella, in horreis, in loculis redundaret, id sua manu in sinus, vsusq; pauperum transfudit. Post hæc remotis arbitris, ac solo adhibito Paulo sacerdote, ante aram prouoluitur, factaq; exomologesi de manu eiusdem sacerdotis, sacrosanctum vitæ accipit viaticum, mox inde fini suo propicium Deum exorat, cum ecce tibi eadem hora submissi à nutu, Thomas & Gumo, nō tam genere, quàm scelere nobiles in sacrarium irrumpunt, ac velo, quo sancta vidua caput velatum habuit, elisis faucibus prostratam suffocant. Non defuere qui Venceslaum ex cæde auiç vehementer perturbatum ad vlciscendum inflammarent. Alij, si ipse vlcisci nollet, sibi hanc dari prouinciam depoſcebant. Vtroſq; ille, quàm potuit, grauissimis verbis corripuit, quòd aliena à pietate erga qualemcumq; matrem, aliena deinde à modestia, & tolerantia Christiana suadere auderent, ignari, aut parum memores, quid ore suo dicat Dominus: Mea vltio est, & ego retribuam illis in tempore. Quemadmodum euenit, anno nondum reuoluto, vt ambo sceleris ministri, nō solùm miserè, sed etiā notabiliter extinguerentur: notam videlicet vterq; suam ad posteros transmittens. Nam cum alter eorum barbarutila insignis, alter malè pedatus esset, non aliter nati natorum, & qui hodie nascuntur ab illis, vel ruffescunt, vel à pedibus laborant: nam vtraq; familia apud Boiemos etiam nunc extat. Cæterùm impiæ matri, ideo impunitas diuturnior concessa videbatur, vt filij pietas, quò diutius illam mater insectaretur hoc clarior euaderet. Tametsi alios quoq; præter ipsam matrem, molestos sibi infestosq; habuit, quasi parum idoneus ad exequenda Principis munia, quæ exequi, non per sacra & ceremonias, sed magis per arma & acies oporteret. Ante alios autem Radislaus Gurimensis princeps, Mistibogij filius, hac vana spe inflabatur, quasi solo armorum terrore Venceslaus expugnari posset, agros eius incursare, armatosq; illi viros ostendere incipit: nec vllos legatos de pace agentes audire vult: imò quò magis Venceslaus paci studuit, eò maiorem etiam suspicionem pauoris aduersario faciebat, adeo vt superbissimè tandem Venceslao responderet: Se, nisi tradito sibi totius Boiemiæ principatu, ab armis nō discessurum. Coactus igitur à suis Venceslaus, militem atq; aciem contra Radislaum instruit: videnſq; omnino iam sibi dimicandum esse, classicum cani vetat, priusquam ipse Radislaum alloquatur. Data alloquendi potestate, Si aliter, inquit, nisi prælio res pacificari nequit, cur non potiùs sine magna aliorum clade, sine multo insontium sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus? victoriæ permissuri, vter vtri iustiùs imperare debeat. Perinde quasi iam manibus victoriā Radislaus teneret, conditione proposita lætari, instareq;, & ad pugnam incundam festinare. Loriculam super cilicinam vestem indutus, paruoq; ensiculo succinctus erat Venceslaus, cum in arenā prodiret. At Radislaus cataphractus hastatusq;, cum longa insuper machera contra se inferebat, erecta vtrinq; acie velut ad nouæ rei spectaculum. Nouum enim esse videbatur, vt ipse Venceslaus pro imbelli habitus, componere se cum bellatore auderet. Vbi sub ictum ventum est, alter signo crucis frontem pingit, alter hastam vibrare festinat, idemq; subitò angelos videt, atq; hanc vocem velut ab homine promptam, ponè se exaudit: Ne feri. Ac nemine conspecto, qui illam promiserit, vim numinis, fauore propitio Venceslaū prosequentis veritus, humi procumbit: veniam audaciæ exposcit, seq; potestati victoris permittit. Alleuat prostratum Venceslaus, dataq; venia, & dignitate ei restituta, monet vt contumaciam in obsequiū debitum vertat, ne pòst grauius ab irato numine plectatur. Hæc in Germaniam celeriter nunciata, aulam

*Sancta vidua Ludmilla à Thoma & Gumone submissis à Drahomira in templo necatur.*

*Nulla necis maternæ vlciscendæ libido.*

*Sicarijs diuinitus inflicta pœna.*

*Radislaus Mistibogij Gurimensis F. aduersus Vinceslaū insurgit.*

*Monomachia Radislao oblata.*

*Prodigium.*

Cæsaris

Cæsaris, apud alios admiratione, apud quosdam irrisione affecerunt. Ottho tunc regnabat, qui Germanorum primus coronam Cæsaream legitimè sibi traditam in Germaniam intulit, vir illo honore, ob celebrem pietatem & raram in bellis fœlicitatem non indignus, nec alienus à Venceslao, propter eximias ipsius virtutes: & qui vnà cum alijs Germaniæ Principibus, maiestatem Cæsaream officioſe comiterq; conseruabat. Is Ottho deliberandi causa, diem ad conueniendum principibus Vormaciam edixerat, quò vbi Venceslaus quoq; euocatus sine vlla dilatione venisset, dicitur, postridie dum solemne sacrificium cunctantius sacerdos facit ipse similiter cunctantius curiam introijsse, eamq; moram, quasi ex ambitione nata fuisset, principes adeo ægrè tulisse, vt conspirarent, ne quis ipsorum venienti assurgere, neu supra se locum considendi dare vellet. Persuasum deniq; Cæsari fuisse, vt sine vllo honore Boiemum, velut arrogantem transmitteret. At Cæsar ex conspectu duorum angelorum, qui Venceslaum in curiam deducebant, subitoq; ibidem disparuerant, obstupefactus, throno exilit, aduersum vadit, ipsumq; Venceslaum tantumnon adorat, ac manu mox sua ad subsellia perductum, assidere sibi proximum iubet. Cæteris vehementer factum admirantibus, Cæsar facti causam aperit, uicissimq; miratur, quòd nemo præter se quisquam angelos, tam clarum manifestumq; sui spectaculum exhibentes, oculis suis aspexerit. Hîc Moguntinus Pontifex, se quidem nihil planè vidisse inquit, cæterùm horrore quodam se perfusum fuisse confitetur, ac tunc demum famæ quoq; nuper inuulgatæ, quemadmodum videlicet interuentu numinis ab hostis impetu seruatus fuerit Venceslaus, fidem se habere, quando in præsens paria numina, eundem à calumnia vindicauerint: quare inde simul vniuersi errati veniam deprecantur. Cæsar præterea hunc tam liberalem hospiti habuit honorem, vt potestatem ei petendi concederet, quicquid petendum sibi à Cæsare putaret. Existimabat autē Cæsar, gloriosa eum & ambitiosa petiturum. At is brachium diui Viti ex Gallia, sub Ludouico pio Corbeiam in Saxoniam translati, magnaq; religione in Boiemia culti: dein Sigismundi quoq; Burgundiæ regis, propterea quòd Vandalicæ nationis fuerit, reliquias sibi dari postulauit. Ad quæ postulata Cæsar subridens, feres tu, inquit, primo quoq; à reditu nostro in Saxoniam tempore, quas habere cupis reliquias: interim dona Cæsare digna à nobis accipe, Regium in primis decus quo te ex dignitate tua meritò decoramus, deinde a tributo absoluimus, quod Carolus quondā soluendum Cæsaribus instituerat. Iussit postremò & insignia sua Venceslaum ferre, fuscam aquilam in clipeo candido. Facilè hoc, & illud alterum de tributo amplexus est Venceslaus, sed idem caput suum diademate cingi, seq; Regem inungi, aut rex à suis appellari nullo pacto sustinuit: quanquam à Cæsare, atq; ab alijs regibus, & principibus, Rex in epistolis salutaretur. Allatis ex Saxonia sanctorum corporum Pragam reliquijs, Venceslaus omnia alia ædificia missa faciens, applicare architectum manus ad ædem diuo Vito designandam, constituendamq; imperat. Subijciens dignissimum esse, vt profanis ædificijs sacra anteuertant. Cæterùm antequam illa inchoata erat, iam in templo diui Georgij à patre suo extructi Venceslaus locum sepulchro, in quod auia Ludmilla transferretur, delegerat, simulq; absoluerat, ita vt nihil iam reliqui supereſſet, nisi vt translatio funeris ex arce Thetin, in arcem Pragensem à sacerdotibus perageretur. Auertere vnus aliquis ab instituto Venceslaum cupiebat, inquiens, iam pridem corpus auiæ computruisse: quandoquidem plus triennium esset, cum illud terra obrutum iaceret, proin nimis seram fore eius corporis translationem. Excipit Venceslaus, & si quidem iam in puluerem sit redactum, vel ipsum puluisculum perferri ad me cupio: sed contrà fortasse eueniet, ac tu mi pater autumas: fac modò vt desyderio meo vnà cum

*Ottho Magnus Aucupis F. imperare cæpit anno 936. fuit Magni ducis Saxoniæ nepos.*

*Vēceslaus Vormaciam ad Imperialia profiscitur comitia.*

*Secundum prò digium.*

*Sacras reliquias Venceslaus petit.*

*Rex salutatur: tributo absolui tur, insigniadonantur.*

*Abnuit regiā dignitatem.*

*Delubra extructa.*

cæteris morem geras. Paret ille, seq; suis collegis addit comitem, vsq; ad locum vbi sepulta erat Ludmilla sepulchro recluso, nares statim omnium odor perfudit suauissimus, adhucq; suauior arcula recluſa, in qua corpus tabe incorruptum, integrumq; iacebat, nisi quòd parum quiddam ei de naso decerpserat arculæ tabella confracta, quam incuriosè quidam tractauerat. Igitur læti re præsenti sacerdotes, feretrum subeunt, corpusq; miraculis clarum, quo iubet Venceslaus deportant, cõduntq;. Sed enim Architecti quoq; in templo diui Viti proximo operas vrgent, vt opus celerius excrescat, festinante Venceslao ad noui templi dedicationem, sanctarumq; reliquiarum consecrationem. Ac tunc primùm creandi Pontificis mentio orta: siquidem nullus ad eam vsq; diẽ Pontifex in Boiemia creatus erat, sed à principio Morauię Antistes, postea ex Bauaria Ratisponensis, officio Pontificali apud Boiemos fungebatur. Idem Ratisponensis in Morauia quoq; aliquandiu faciebat, quamdiu videlicet vacua sedes ibidem suo Præsule fuerat, nempe annis quinq; & triginta. Quanquam igitur Venceslaus Ratisponam pro Pontifice (diuus Volffgangus tunc Pontifex ibi erat) qui templo diuo Vito destinatum in arce Pragensi dedicaret, suos quosdam miserit, non ideo tamen curam remisit quærendi viam, qua facillimè ad inducendum Pragam Prę sulem, vt instituerat, peruenire posset, sed has eius pias curas, sicut plerasq; alias ad religionem pertinentes, mater nimis impia interturbare non destitit. Pari modo, vt mater, Boleslaus filius moratus, armatusq; ad turbandam, & oppugnandam fratris pietatem fuit. Nam si aliâs vnquam educatio ostendit, quantum momenti afferat ad ingenerandos hominibus mores, tum certè in illis duobus alumnis, ex ijsdem parentibus prognatis mirificè demonstrauit. Nam Venceslaus qui à Ludmilla muliere religiosa eductus à puero fuerat, omnibus pietatis, & cuiusuis præterea virtutis numeris vir absolutissimus euasit, sicut è diuerso Boleslaus tum impius, tum sæuus, tum indomitus & violentus: quia Drahomira, quæ Boleslaum aluit, comparibus vitijs infectissima erat, paratissimaq; per quamlibet occasionem, incrementa bonæ religionis impedire, ac potissimum in sacerdotes desæuire, quasi penes illos culpa resideret, quòd disciplinæ (vt ipsa dicebat) ignauissimæ deditus Venceslaus, maiorem diei, noctisq; partem, circum sacella & aras aliasq; ceremonias, quam in negocijs seriijs, & ad Principem pertinentibus contereret: quodq; illorum ipsorum sacerdotum instinctu, neque reuerentiam erga matrem, neq; charitatem erga fratrem continuaret. Itaq; custodes plagosi per vias appositi erant, qui ictu plagarum sacerdotes prohiberent, quo minus Venceslaum per quotidiana officia adire possent. Qua de re factus certior diuus Volffgangus, venire in Boiemiam ad dedicandum templum supersedit, hac excusatione vsus tanquam breui futurum esset, vt Antistes Pragæ inauguraretur. Cæterùm nec Venceslaus fauorem erga sacerdotes, cultumq;, nec vicissim illi officium solitum, qualicumq; iniuria accepta, interrumpi sibi permiserunt. Furente indies magis ac magis Drahomira, cum quotidie fermè audiret, tanti esse Venceslaum in sacerdotes obsequij, vt ipse suis manibus vinum inter sacra, libaq; & thura illis subministraret, vt identidem illos domi quemq; suæ inuiseret, necessarijsq; rebus ante tempus succurreret, vtq; à seruitute profana multos redimeret, & ad seruitia Dei illos conuerteret. Vt deniq; noctu plerumq;, vel in ipsa hyeme nudis incederet pedibus ad templa, in quibus peruigilia celebrabant sacerdotes. Ferunt Podiuinum, qui intimus Venceslao, & assiduus comes fuerat, malè aliquando à frigore & niuibus acceptum fuisse, quamquam ipse calceatus, ducem suum discalceatum subsequeretur, rursus tamen subitò incaluisse, cum primum videlicet pedes suos quemadmodum iussus erat, vestigijs ducis impresserit. Paulisper inter hæc suam rabiem Drahomira remisisse videbatur, postquam certior facta erat, Venceslaum tædio vitæ aulicæ & curarum

*Translatio corporis D. Ludmillæ.*

*Ius præsulis Ratisbonensis in Boemia & Morauia.*

*Diuus Vuolffgangus Episcopus Ratisbonensis.*

*Educationis fructus.*

*Boleslaus matrijat.*

*Implacabile in sacerdotes Boleslai odium.*

*Venecslai beni gnitas.*

*Podiuinus Venceslao intimus.*

rum publicarum,circumſpicere locum ſepoſitum,in quem cum ſodalibus di ui Benedicti cucullatis,ipſe quoq; ſodalis futurus diuerteret.Nam & Romam ad Pontificem ſuos iam miſiſſe inaudierat,qui peterent, vt illius authoritate liceret,in Boiemia eiuſmodi ſodalitium inſtitui.Sed dum Romanus Pontifex legatos diutius propter domeſticas ſeditiones retinet, dumq; interim Venceslaus de conſuetudine ſua, deq; ſacris & ceremonijs nihil quidquam intermittit, non ſuſtinens vlteriorem dilationem impatientiſſima mulier conceptum iampridem de tollendo Venceslao parricidium exequi properat.Natalis tunc dies infantuli,recens ex Boleslao æditi ſe obtulerat.ad hunc ſimul con celebrandum mater iuxta atq; Boleslaus frater verbis ſuauiſſimis Venceslaũ inuitant,gaudio ipſorum cõmuni oblatum eſſe tempus dicentes,quo tota domus Principalis meritò gaudere debeat, nãto ex Boleslao Principe, qui ſpem ſucceſſionis in principatu Boiemiæ continuaret. Siquidem Venceslaus præter aliã rebus in alijs abſtinentiam & continentia,conſtantiaq; ſeruatæ quoq; in omne æuum ſuum virginitatis ſuæ clarus fuit:Et Boleslaus tunc primũ pater eſſe incepit,producto ad ſpem ſucceſſionis filiolo.Hoc igitur modo inuitatus Venceslaus, tametſi multo ſatis tempore,à quouis,matris fratrisq; contubernio ſe remouiſſet,attamen,vt antiquum ſeruaret morẽ ſuum,nemini cuiquam,non ſolùm natura coniunctiſſimis,officium ſuum denegandi,ad natalitia ſe Boleslauiam uenturum ad diem recepit. Interimq; in cubiculum ſecedens,quos fideliſsimos habuit,ſecum ad feneſtrã ſeducit, iubetq; eos in atriũ Pauli presbiteri, frequentia ſacerdotum refertum deſpicere:ac mox altè ſuſpiria ducens,quàm cuperem inquit, vanus videri augur, vtinamq; fiat, vt irritũ venti ſecum auferant meum augurium, videre tamen mihi iam videor, eum locum, qui mea cura, tanto ſacerdotum cœtu, quantum cernitis celebratur, paulò pòſt diſceſſu hinc meo,repente deſertũ iri,cędem videlicet ſacerdotum futuram per iſta diuinans, quæ illis ab interitu ſuo immineret. Cæterùm qui tunc præſentes aderant,non intelligebant, quorſum dicta hæc tenderent.Podiuinus tamen, ſcopum coniectura attingebat, cum ducem ſuum reuocare à propoſito Boleslauiam eundi tentaret,ſed in caſſum.Olim namq; pro religione & pietate Venceslaus,nullũ periculum, nullum caſum,nullum vitæ diſcrimen ſibi vitandum putauit,ideoq; die luſtrali appetente,nihil amplius moratus,quàm dum ſe apud ſacerdotem expiat,dum aræ adſtat,dum ſacroſanctum delibat libam, extremum ſalutis viaticum, inde continuò Boleslauiam petit: Sed neq; Boleslaus procraſtinat fratri ire obuiam, eum complecti, gratulari aduentui compoſita adulatione.Conuiuio dein mater adhibita, quanto magis ad omne facinus exercita erat,tanto blandius hoſpitem filium habuit,traxitq; in ſeram noctem conuiuium. At Venceslaus, quanquã intelligeret quò tenderent blandiciæ,& quamobrem produceretur conuiuium,non tamen omiſit, quin de media nocte ſurgens, iret in templum, vt orationes ſolitas deo optimo cõmemoraret. In ea re occupatũ inuadit Boleslaus frater,à matre ad ſcelus vigilantiore excitatus,ac primo ab ictu ſuo fruſtratur, enſe ſibi de manibus ob inſperatum ſtuporem elapſo, mox redeunte animo & furore,quẽ ſceleris participes clientuli extingui non patiebantur,ictum repetit,ac facilè inermem fratrem, patienterq; plagam excipientem,interficit:diſſimulataq; nece mane ſtatim filium luſtrat,nomenq; ei inter luſtrandum,Strachyquas,à terrore conuiuij mutuato vocabulo,quod ipſe terribile parricidio effecerat, indit. Adeo gloriari in malitia etiam ſua geſtiebat,qui potens erat in iniquitate:neſcius adeſſe Deũ bonis omni tempore,tum in vita tum in morte, quemadmodum illuſtriſſimo tunc patuit exemplo.Eadem quippe nocte Rex Danię (vide quanto interuallo à Boiemia ſemotus) per quietem ſe admonitũ oraculo teſtatus eſt,vt martyris Venceslai in Boiemia à fratre obtruncati,memoriã ſibi

*Boleslao infãs natus.*

*Vẽceslaus perpetua virginitate celebris.*

*Inuitatur Venceslaus ad Natalitia.*

*Præſagia de cæde ſacerdotũ.*

*Boleslauiam profectus Venceslaus.*

*Venceslaus à fratre in templo orans trucidatur.*

*Strachyquas filius Boleslai.*

*Somnium Regis Daniæ.*

colendam ſuſciperet, id quomodo ab ipſo factum, cerimoniæ, ſacerdotes, templum in Dania diuo Venceslao dedicatũ declarant: Vt interim alia penè infinita miracula data opera trãſeamus, partim quia nota & illuſtria, partim quia decantata à noſtratibus, diebus penè omnibus habentur. Boleslaus, parto audacia & ſcelere principatu, audacter etiã illũ, & nõ ſine ſcelere ab initio geſſit, idq; nõ obſcurè. Siquidem clara voce, omnibus qui aliqua cum diuo Venceslao familiaritate coniuncti erant, ac præcipuè ſacerdotibus, quicumq; ſua ſponte Boiemia non decederent, carcerẽ, exilium, cædem denunciauit. Adiecit mater, ne cæſi terræ mandarentur, ſed abiecti, vt in campis iacerent, eſca dilanianda canibus, alitibusq;. Intra breue igitur tempus vaticiniũ diui Venceslai completũ fuit, vaticinantis, Fore vt à diſceſſu ſuo, atrium Pauli præsbiteri ſacerdotibus uacuum redderetur. Correptus inter præcipuos ad ſuppliciũ Podiuinus quoq;, totum bienniũ in furca ſub dio pendens, nulla tabe violari, nedum corrumpi conficiq; potuit, donec poſt hauſtam terræ hiatu Drahomiram, ſepeliretur. Nam quo manifeſtior grauiorq; pœna appareret, quę meritò de cru deliſſima atq; impĩſſima muliere exigenda fuerat, eo loci, quo adhuc inſepulta iacebant oſſa occiſorũ ſacerdotum, terra ſua ſponte dehiſcens, viuã Drahomiram, vnà cum curru, & qui ſimul vehebantur abſorbuit, auriga ſolo incolumi, qui ad aram iuxta ſitam, (nunc haud extat) equo deſiliens accurrit, cum fortè tintinnabulũ tinnire audiſſet, vt corpus Domini adoraret, execrante illum Drahomira omnibus maledictis. Quare locum eum etiamnum, vt execratum, funeſtumq; declinant viatores, qui arcem Pragenſem ab occidentali plaga petunt. Quanquã terra eodem loci in ſtatum priſtinũ coheſerit. Puniti & illi diuinitùs, qui Boleslaum aſſectati, gladios etiã ſuos aduerſus diuum Venceslaum ſtrinxerunt: pars enim eorum mente alienata, in rabiemq; verſa præcipites ex alto deorſum ſe dabant: quidam in eos gladios, quos nudauerant incubuere. Ad hæc, templi paries, quem propè occiſus fuit diuus Venceslaus, velut cædis ipſe quoq; conſcius, aut potius, vt teſtis foret ſceleris ſempiterni, nulla vllius opera abſtergi eluiq; potuit à cruore, quo reſperſus ex corpore diui Venceslai fuerat. Hæc tandem tot prodigia, tamq; varia ſupplicia, Boleslaum exterruerunt, vt mitius deinceps cum Chriſtianis agere, fæuitiamq; ſuam aduerſus illos remittere inciperet. Acceſſit præterea nouus ex Cæſare Othone terror, minitante fratricidij vltionem, cum primum Hunnicum bellum confeciſſet. [b] Quippe Hunni ex Pannonia uſq; in Sueuiam progreſſi, vrbem Auguſtam obſidione præmebant, tanta ſuorum multitudine, vt dubitauerit Ottho, prodire ne in aciem contra tantas copias, an caſtris ſe tenere ſecurius fuerit: ſed dubitantem Vldricus, Auguſtæ præſul, in diuorum numerum poſtea relatus, indicto vnius diei ieiunio, ad ineundam pugnam impulit: certam ei victoriam (ſi pugnauerit) promittens. Nec fefellit, tantam enim inter Hunnos ſtragem Ottho ædidit, vt Lycus Auguſtanus fluuius, mutatis in cruorẽ aquis, alueum ſuum fœdauerit. Capti in eadem pugna duo Hunnorum duces, ſupplicia crucibus luerunt. Ex Cæſarianis maximè inſignis Conradus, Otthonis gener cæcidit. Atq; hoc interim ſpacio, quod per moras huiuſce prælij interiectum fuit, Boleslaus, vicum quem inhabitabat, foſsis, vallis, mœnibus cingendum, muniendumq; ſuſcipit, & quo celerius ſuſceptum opus perficiat, vicinæ nobilitati iniungit, vt certum quiſq; paterfamiliâs colonorum ſuorum numerum operi continuando attribuat. Cœpit abnuere operam eiuſmodi ſenex quidam nobilis, inquiens: Exemplum ſe à maioribus non accepiſſe, vt ædificandis muris operam aliquam locaret, ſed vt potius pro ſalute principis in campo, & in ipſa acie ſiue eques, ſeu pedes dimicaret. Hic fæuus Boleslaus (ſic iam is paſſim cognominabatur) ſolita fæuitie incenſus: At ego, inquit, nunc ſtatim exemplum in te ſtatuam, quo cæteri admoniti diſcant parere princi-

XVII. *Boleslaus Sæuus.*

*Podiuinus laqueo plectitur.*

*Drahomira terræ hiatu abſorpta.*

*Necis conſcij omnes diuinitùs puniti.*

*Prodigijs territus de ſæuitia remittit Boleſlaus.*

*Crudelis Boleslaus.*

principibus, non autem imperia illorum contemnere, ſtrictoq; gladio miſerandum ſenem confodit, ac denuo vicinis iniungit, vt iuſſa obedienter faciant. Operi abſoluto, cinctoq; oppido, nomen Boleslauia manet. Huic oppido cum Ottho appropinquaret, miſſis obuiam legatis Boleslaus pacem magnis precibus cum ipſis oppidanis cœpit petere. Valde præciſe Ottho eis reſpondit, aliter pacem coire non poſſe, niſi dedito ſibi fratricida Boleslao.[c] Porrò Boleslaus, omnibus rebus ad ſuſtinendam obſidionem neceſſarijs, frumento, pecore, telis, armis, viris inſtructus in oppido erat. Non ita Cæſar foris commeatu abundabat, vacuis vbiq; ex vicino horreis, & pecoribus in ſyluas longius abactis. Vnde paulò poſt factum, vt Cæſar ob rerum penuriam mutata duriore ſententia, animum ad molliora inflecteret. Cum igitur denuo Boleſlaus, quanquam ſatis vt dixi inſtructus, conſcientia tamen ſcelerum timidus, gratiã Cæſaris ambiret, pacemq; oraret, eam his tandem legibus impetrauit.

*Cõditiones pacis Boleslao propoſitæ.*

Prima erat, vt commiſſa piacula omnibus modis expiaret.

Altera vt exules Chriſtianos reuocaret ab exilio.

Tertia ad tributum nuper remiſſum, denuo exſoluendum reciperet.

Vltima, vt eadẽ conditione atq; cæteri Germaniç Principes, in nomen Cæſaris iuraret. Obſidione ſoluta, Boleslaus ſuis prçcipit, vt è conſpectu ſuo ſepulchrum & corpus Venceslai remoueant, idq; noctu, per multas tenebras Pragam transferant, occulteq; ſine arbitris condant in æde diui Viti ab eodem Venceslao ædificata. Grauiter nimirum ferebat ſigna & prodigia, identidem ad corpus ſanctum, nunc in cæcos, nunc in claudos, nunc in ſurdos ædi: putabatq; fore, vt illo ad diui Viti ſepulto, Vito etiam potius, quàm Venceslao miracula ædita attribuerentur. Sed vide, vt ſe innocentia & ſanctitas, vt deniq; ipſa veritas contra aſtum, & improbam calliditatem perfacilè defendant. Plauſtro corpus impoſitum fuit, iuſſusq; auriga quantum poſſet accelerare, vt ante lucem è Boleslauia Pragam perueniret. At aurigam magis equi, quàm ipſe equos regebant, itaq; cum primo ad amnem cui Kochetnicze vocabulum, aquis tunc multis redundantem, deinde ad Vultauiam adhuc redundantiorẽ ventum eſſet, nõ ponte, vt ille volebat, ſed plena olueo, vtrumq; amnem equi tranſeunt, pedibus tantumnon ſiccis, mox vltra Vultauiam ad carcerem arci Pragenſi ſubiectũ, immobiliter ſubſiſtunt, nec inde vlla vi ſe amoueri patiuntur niſi die clariſſimo, cum iam multorũ aliorũ ſpectatorũ oculis res eſſet teſtatiſſima, corpus diui Venceslai vectores vehere, id quod obſtinatè prius illi negabant, quàm vincti ad vnum omnes è carcere illo dimiſſi fuiſſent. Corpus præterquã quod à corruptione poſt triennium incolume repertum eſt, inſuper etiam ab omnibus vulneribus erat percuratum, vna tantùm auricula capiti defuerat, eam Premyslaua Venceslai ſoror ad limen templi, in quo occiſus frater erat inuentam, arcula clauſam habuit. Cæterùm re, vt geſta fuit cognita, ne quid de corpore ſancto deſideraretur, eandem ſtatim Pragam miſit, ſtatimq; illa capiti ſuo adhæſit. Ab iſto dein tempore Boleslaus deſijt cum nu mine fraterno luctari. Imò rogatus à ſacerdotibus, quos de exilio reuocauerat, vt templum Pragæ, in quo diuus Venceslaus requieſcebat, conſecrari pateretur, adeo ſe facilem ad exorandum illis præbuit, vt de fiſco ſuo pecunias in viaticum addiderit. Quo lautius Emeranus præſul, è Ratiſpona Pragam deduceretur. Et præterea filium Strachyquatem, poſtquam paulò adoleuit, imbuendum bonis artibus, & religioſis diſciplinis Ratiſponam ad eundem præſulem miſit, relicto domi iuniore filio Boleslao, quem vt hæredem principatus alebat. Ipſe deniq; totam vitam, paulatim ciuilioribus moribus, humanioribusq; mutare aggreſſus eſt, ac ſic iam Chriſtianiſmo affectus eſſe videri voluit, vt filiam ſuam, nomine Dombrauam, deſpondere principi Poloniæ Meſchoni, alia conditione noluerit, niſi vt ante ſponſalia ciurata veteri ſuper-

*Fratris & in cadauer inuidia.*

*Translatio S. Venceslai.*

*Nuſquam alibi huius fit mẽtio.*

*Strachyquas Emerano præſuli Ratisbonenſi eruiendus traditur.*

*Boleslaus domi educatur.*

*Dambroucam filiam Mieciſlaus Poloniæ princeps pacto Chriſtianiſmo vxorem ducit an. 965.*

ſtitione,ritu Chriſtiano ille tingeretur.Nam idem Boleslaus ab infantia proti nus,Vratislai patris cura,tinctus erat,ſed ne quid dignũ baptiſmo faceret,ma la educatio perfidæ matris in cauſa fuit. Vix enim verbis exprimi poteſt,quan tum refert à quibus,& quo quiſq; modo fuerit educatus.Inter hæc nõ mediocrem hinc Boleslao formidinem incuſſerunt[d] Hungari latè depopulata Mora uia,vnde proximus in Boiemiam patet excurſus,quẽ ſe illi facturos vti mina-

*Bellum Hungaricum.*

bantur,ita re ipſa mox approbarunt.Ad eum cohibendũ duos exercitus Boleſlaus comparat:Alterumq; ad oppidum Czaſlauiam:alterum ad arcem Ohebum collocat,atq; vtrumq; foſſis cingit,ſudibusq; præacutis aduerſus equeſtrem Hungarorum impetum munit.Extrahere illi in apertum Boiemos,frequenti aſſultu crebraq; telorum iaculatione nitebantur:ſed Boiemi tela excipere,obſideriq; cum pedeſtri exercitu,quã contra tantam vim equitum,cum pauxillo equitatu in aciem deſcendere malebant,donec tædio morę Hungari ad populandam Auſtriam,& inde ad Carinthiam deflecterent.Vbi à principibus illarũ Alpium,Gotefrido,Erhardo,Tyrolo,& à Gregorio Aquileienſi patriarcha male mulctati,retrò ad ſedes ſuas cum ignominia redire coacti ſunt. Cum qua item Moraui redierunt,qui in Boiemiam ad intercipiendos puteos venis argenteis ſcatentes de improuiſo venerant,& amplius ſexaginta puteorum foſſores occiderant, cadaueribus illorum in cauernã quandam metalliciam proiectis.Subitò namq; & tumultuario milite Boleslaus ſubmiſſo,maio

*Bellum Morauicum ob fõdinas argentarias.*

re Morauorum ſtrage cladem ſuorum rependit,& reliquos in turpem fugam vertit.At illi argento,quaſi Loto deguſtato,nec cæde,nec contumelia abſterreri potuerunt,quin ad dulcem fructũ in Boiemia colligendum reuerti feſtinarent, adiunctis duobus equitum millibus, quos ex Hungaris in ſocietatẽ prædæ ſibi conſociauerant. Primo & altero prælio cum Boiemis occurrere auſis inito, cum in vtroq; ſuperiores euaſiſſent, gloria elati, nuncios vtriq; & literas ad ſuos mittunt, inuitantes ad prædam participandã, & ad nouas in Boiemiam colonias deducendas.Interimq; ipſi nouũ ſibi,proximè Curimenſe oppidum,Caſtellũ condunt,ac in tantum ciues pauorẽ adducunt,vt pedem porta efferre non auderent,præſertim príncipe ipſorum nuſquam apparente,nec quoquã exiſtente qui docere poſſet quidnam cum illo actum fuerit, aut vbi-

*Gurimẽſes Boleslao ſe dedũt.*

nam locorũ perierit. Boleslao itaq; ſe dediderunt, & ab eodem ſuppetias ſibi ferri petierunt.In procinctu erat tunc Boleslaus,copiasq; trifariam diuiſas habebat,tribus conſtitutis ducibus, qui agmina ducerent, carris ab vtroq; latere circundata,præcedentibus ac ſubſequentibus equitibus, vt ſi qua per viam impoſita eſſet dimicandi neceſſitas, pugnam expedito exercitu ſubiret. Qua nuſquã in itinere oblata,ad caſtra hoſtium propius caſtra ſua metatur,& omnes milites intra carrorum ambitum continet,ab ijsq; foſſas cæcas,vijs tranſuerſis,in quas Hungari equites præcipitarentur,fieri iubet:Ipſe cum trecentis equis locũ inſidijs aptum occupat.Hungari cum ipſis Morauis multitudine & recentibus victorijs ſibi fidentes,aciem priores oſtenderunt: quã vbi duces agminis Boiemorum conſpexerunt,portam decumanam recludunt,& per illam equitem pedití mixtum in hoſtes emittunt,qui à primo ſtatim impetu,vt moniti erant,retrò in caſtra notis vijs ſe referunt.Hærent à tergo, cedentibus

*Hungari eum Morauis à Boleslao ſternuntur.*

Boiemis, Hungari, & cum ipſis equis hauriuntur à foſſis,cratibus & ſtraminibus intectis, ibidemq; plurimi opprimuntur. Adeſt mox & Boleslaus cũ ſuis, lateraq; Morauorũ inuectus,turbat ordines illorum, & diſſipat: perterritiſq; tam equitibus quàm peditibus, adeo inſtat,vt ne ad oppidum quidem nuper à ſe extructum reſpicerent, ſed fuga ſibi vtriq; ſalutem quærerent. Oppidum receptum ac ſolo æquatũ,ſecureq; inde metalla circa Lipnicziam & Zdiaram, atq; alia Morauię vicina loca ab opificibus ſcrutabantur.

Orta tunc primum poſt victoriam illam ſatislautam, à Boiemis Chriſtianis

nis Episcopi mentio, Boleslao coram memorantibus, tum indecorum sibi, tum indignum videri, vt Moraui, Bauariq́ue & Misnij, ac cæteri finitimi suũ domi haberent Episcopum, cuius præsentia atq; authoritate, religionis cultus & retineretur, & amplificaretur: solam Boiemiam, in tanto iam fastigio collocatam, Præsule, velut altero dignitatis oculo, carere, ac foras quasi luscam ad alienos Pontifices prospectare, quoties pontificalia munera in Boiemia essent obeunda. Quo audito Boleslaus interrogat: Quonam id pacto fieri queat, vt Pontifex in Boiemia constituatur? Edoctusq́; viam à Christianis, Legatos ad Romanũ Pontificẽ mittit oratum, vt ædem Diui Viti in arce Pragensi sitã, Prę-sulis honore sublimem facere dignaretur. Sed ille tunc rerum status Romæ erat, eaq́; ambitione atq; æmulatione pontifices inter se agitabant, vt alij alios sede deturbarent, vrbeq́; fugarent, alij captos aut in vincula, aut in cœnobium conijcerẽt, alij nec mortuis sepultisq́; parcerent. Quippe Stephanus in Formosum mortuum tanta rabie desæuijt, vt cadauer eius sepulchro eruerit, erutumq́; in Tyberim proiecerit. Hoc verò omnibus quasi solemne erat, vt poste rior prioris acta rescinderet. Quæ partim videntes, partim audiẽtes legati, inanes reuerti, quàm dubia incertaq́; de institutione præsulis futuri ad Principem referre maluerunt.

*Deliberatio de Episcopo in Bohemiã adducendo.*

*Schismata dissidiaq́; Pontificum.*

*Stephanus Papa VI.*

*Vixere circa annum 895.*

[a] *Superius ab Arnulpho in Morauiæ Reges translatum esse tributum dictum. De eo coniectura potius, quàm certa scientia ariolari quid licet. Aiunt quotannis boues centũ & viginti, Item argenti pustulati quinquaginta pondo eo quòd Romano Imperio Ducatus Boiemiæ subiectus esset, pendere coactos. Argenti puri 150. Marcas censent.*

[b] *Bellum hoc incidit in annum 954. vel 955. vbi Leel & Bulcha Duces Hungari ab Henrico Bauaro suspẽdio necati, licet Hungari annales ante Otthonis tẽpora euenisse dicant sub Conrado Vormacienſe, quẽ patrem (perperam) statuunt Conradi Saliqui Imp. Occubuêre Conradus sapiens Dux Sueuiæ & Francorum, Burkardus Dux Sueuiæ è Ludgarda filia gener Otthonis, sagitta traiectus.*

[c] *Bogislaum Bohemiæ Ducẽ sibi reluctantẽ perdomuisse Otthonẽ Hungarus inquit. Proditione Tugemiri ducis pecunia corrupti totam ditionẽ Slauorum citra Odram in potestatem Cæsaris venisse, Polonus scriptor asserit. Germani totos 15. annos duasse: sæpe intermissum rursus repetitum bellum. Diuturnitate fractum Boleslaum in Imperij fidem concessisse prodiderunt memoriæ.*

[d] *Hungari Morauia & Bohemia hostili manu vastatis citra Danubiũ arma verterunt, Carniolam, Styriam & Carinthiam inuaserunt. Dum eorũ incursiones Gothefridus Morauiæ Dux, & Eberhardus Corinthiæ Princeps cum Gregorio Aquileiensi patriarcha coercere nituntur, acerrimam pugnam conseruerunt: ibi quamuis plurimi ex Hũgaris occubuerint, desideratis tamẽ ducibus, profligatoq́; patriarcha, dissipato et fugato exercitu præda onusti direptis trib. regionib, cũ victoria in Pannoniã redière.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER SEXTVS.

XVIII. Boleslaus Pius.

POst Boleslaum sæuum, Boleslaus natu minor filius cognomine Pius, quia maior Strachyquas, Ratisponç in cœnobio attõsus, bardocucullum induerat, Princeps declaratus est. Huius inter alia pietatis opera, non vltimo sanè loco numeraueris, viginti templa à fundamentis excitata, singulaq́ue cerimonijs, sacerdotijs, censu & agris exculta dotataq́ue. Haud aliter igitur sacerdotibus id temporis vsuuenit, ac

*Strachyquas ad D. Emeranum, Ratisbonæ fit Monachus.*

venire gallis ſolet gallinaceis, qui in primo gallicinio, alta etiamtum & opaca nocte, rarioribus in locis,& valde pauci numero perſtrepunt. At ijdem aurora appropinquante, certatim omnes,quiſque in corte ſua,plauſu,alis,concentu, perſonant: Ita Sacerdotes aurora illis ſua, ex propitio Boleſlao reſplendente, multi ſimul per multa templa matutinas Deo laudes alacri voce pſallebant, Nec iam alia re vlla magis in politia ſua, quàm præſule egere videbantur. Erat Boleſlao ſoror,cui Mlada nomen,virginitate & religione conſpicua:ea vbi cognouit Otthonis Cæſaris authoritate ac maieſtate Romæ pacata eſſe omnia, certumq; tandem & legitimum ibidem extare Pontificem,de fratre impetrat, vt ſibi Romã (vnde in Boiemiam manauit Chriſtiana religio) inuiſere liceat, & quando ab alio,quàm à Pontifice Romano Antiſtes Pragæ inſtitui nequeat, ſe quoq; id effecturam,vt citra cunctationem ille inſtituatur, recipit. Romam igitur veniens,in hoſpitium Sanctimonialium, ſectam diui Benedicti affectantium ſe contulit: longè enim lateq; eius ſectæ laus tunc diffuſa erat,multiq́ue religioſi tam ex virili, quàm ex muliebri ſexu nomina in illam dabant. Sed nec Mlada dare ſuum nomen diutius morata eſt, quàm vt ediſceret ea, quæ ante ſectæ profeſſionem ediſcenda fuerant. Inſtante die quo virgo nobiliſſima capi,flammeoq; velari à Pontifice debuit,venit ad tempus in templum Ioannes Pontifex Romanus,qui ſibi vltro capiendi velandiq́ue illam munus deſumpſerat. Cæterùm cum enunciare nomen Mladæ, tanquam Barbarum nequiuiſſet, vocabulo id Mariæ permutauit, Mariaq́ue inde ab omnibus, quæ prius Mlada, vocabatur. Ac Pragam reuerſa, virginem veſtalem, apud ædem Diui Georgij virginibus veſtalibus dicatam, egit, obtulitq́ue fratri Diploma, quo idem Ioannes Romanus Pontifex nominandi Pragæ præſulis Boleſlao poteſtatem faciebat. Atque is Dethmarum quendam è Saxonia oriundum, in eademq́ue Saxonia ſacris & religione,apud ſodales Magdeburgenſes initiatum, de ſententia omnium ſacerdotum primum in Boiemia Antiſtitem nominauit,curæq́ue habuit,vt ſolemniter,& more aliorum in Germania Pontificum, à Moguntino Præſule,tanquam ſuo Metropolite, inauguraretur, vtque Regalia (quemadmodum vocant) ab Otthone Cæſare acciperet. Nouo Præſule inſtructore, Slauonicus, Libicenſis Comes (ſic enim qui vicariam principis iuriſdictionem regionatim per arces, vel oppida adminiſtrabant tunc appellabantur,vt nunc quoque apud Hungaros Comites vocantur, & apud Polonos Palatini) filium ſuum Voytichium, egregia indole iuuenem, quem in aulam Cæſaris mittere deſtinarat, mutata ſententia Magdeburgum miſit, vt ibi eiſdem inſtitutis & præceptis, in eodem quo Dethmarus cœnobio edoctus erat, imbueretur. Ea namque tempeſtate cœnobitæ non minus in erudiendis diſcipulis, quàm cerimonijs procurandis occupati fuerant. Imò pleraq́ue cœnobia, id erant tunc,quod nunc ſunt Gymnaſia. Præfuerat vrbi Magdeburgenſis prę ſulis nomine Adalbertus,quem primum omnium Ottho Cæſar Metropoliten ibi inſtituit, virum à commendatione virtutum celebrem. Huic cum Voytichius ab omni item virtute commendatus eſſet, ſolemni more eum in religione Chriſtiana confirmat, & pro Voytichio, nomine ſibi ignoto, Adalbertum eum ſuo vocabulo appellat, ſicq́ue deinceps nominatus eſt. Accidit fortè vt è ludo literatio domum reuertenti, Dethmarus Pragenſis pontifex vita decederet, continuò Boleſlaus Princeps, manus Adalberto inijcit & fruſtra tergiuerſantem, Pontificem magno collegij ſacerdotum aſſenſu declarat, ac non multo pòſt Veronam ad Otthonem Cæſarem ire iubet,regalia iura petiturum. Grauiſſimè antea Dethmarum Chriſtianæ religionis hoſtes ferebant, multò nunc grauius Adalberto ſuccedente commouebantur, veriti ne hic Pontifex, quantò neceſſitudinibus, nobilitateq́ue & gratia apud principem præpolleret, tantò faciliùs omnem illorum ſuperſtitionẽ deleret.

*Mlada ſoror Romam proficiſcitur. Maria à P. M. nũcupata.*

*Monialis fit ordinis Benedictini.*

*Iohãnes Papa IX. anno 897.*

*Auctoritas Boleslao præſulis creandi conceſſa.*

*Dethmarus Saxo Canonicus Magdeburgenſis fit Epiſcopus Pragenſis.*

*Voitichiũ Sclauicopatre Strefilaua matre natum.*

*Adalbertus I. Archiepiſcopus Magdeburgi ab Otthone conſtitutus.*

*Voytichius,nomine mutato Epiſcopus fit Pragenſis.*

Nam

Nam præter cætera, non minor in sermone eius, quàm in vita grauitas inerat, ac censoria prorsus obiurgatio, cum maiore libertate coniuncta, quàm vt illam delicatiores aures ferre possent. Quare etiam pleraque nobilitas, dum impietatem suam infamari, dum crebra diuortia, & mox noua coniugia damnari, dum barbarum, in emendis vendendisque Christianis seruitijs morem traduci, ægrè sustinet, insidias illi tendere, quibus semel iterumque interceptus, ac ludibrio habitus, reculis insuper suis despoliatus est. Ad cohercendam eiusmodi licentiam audaciamque hominum malè feriatorum, cum Boleslaus cohortes aliquot Christianorum contraxisset, intercessit Adalbertus, seque quamuis excipere fortunam, subireque vim atque iniuriam malle dixit, quàm vt Christianum sanguinem cum profano misceri videat. Quo audito Boleslaus, cohortes dimittit, ac paulò post plures maioresque cogit. Tanta enim aduersæ factionis indignatio contra Boleslaum, qui Christianos armauerat, coorta fuit, vt furor eius & vis ex Lucensibus maximè conflata, nisi prælio inhiberi haud potuerit, Auxerat hostium animos locus, quem sibi ad Aegram flumen, non longè à Stranouo egregiè munierant, indeque multum Christianis Albim accolentibus incommodabant. Ad hunc locum infestis signis conuenientibus, pro se vtrique alteri alteros lacessere, commissaque acri pugna, & multis vtrinque prostratis, ad extremum Christiani palmam obtinuerunt. Hæc dum geruntur, Strachyquas frater Boleslai, ex Ratispona Boleslauiam, ac mox cum eodem fratre Pragam uenit. Huius domi suæ copiam nactus Adalbertus, multis coram verbis conqueritur de gente, nimis aduersus pietatis studia contumaci. Tentanti enim sibi conantique omnia, per quæ indomiti subdomari debuerint, non modò conatum sibi non successisse, sed etiam ob illum se in tantum venisse multorum odium, vt aliqui nihil libentius agant, quàm quòd nomen suum adlatrent & execrentur: nonnulli perniciem insuper sibi planè moliantur. Quòd si Strachyquas ea, qua est existimatione & authoritate propter fratrem principem apud Boiemos, in locum suũ succedat, nihil se addubitare, quin plus ille uno nutu suo, quàm ipse vel sexcẽtis verbis, ad sanandos morbis varijs implicitos proficiat. Hęc loquens ibidem statim ei insignia Pontificatus, nempe infulam, & pedum vltro exhibet, oratq; vt Pontificem Pragensem libens volensque agat. Reijcit à se ille pedum cum infula, & velut indignabundus: Tantáne inquit animi leuitate præditus tibi esse videor, vt quam mihi semel sumpsi personam, eam retinere nequeam? Ego verò illam & retinebo perpetuò, & tanti Capitium meum, quo caput & collum amictum vides faciam, quanti tu Pontificalem tuum habitum. Ad hæc ingemiscens diuinansq; Adalbertus, Magno inquit cum dolore hoc tibi dico frater. Honorem hunc vltro à me delatum, quẽ nunc valde respuis, posthac non sine maximo tuo malo requires. Atq; inde Adalbertus, quemadmodum iam pridem destinauerat, præsentiam sui Boiemis irreligiosis, & ad se opprimendum paratis, subducens, Romam paucis conscijs petit, ibiq; à Pontifice impetrat, vt Boiemos iugum Christi palam excutientes diris deuoueat. Ad hanc execrationem adeo exarserunt, vt cum de absente Adalberto vltionis pœnas, quas vellent exigere non possent, impetum in fratres eius germanos facerent, & simul quinq; numero, per rixam à se de industria excitatam interfecerunt: Sobieborium, Spitimirum, Prebislaum, Boritam, Gzaslaum. Tradunt Boiemorum annales, Adalbertum, cum eo fortè die quo fratrum occisorum exequiæ in Boiemia celebrarentur, solemne sacrum Romæ Pontifice Romano præsente faceret, seq; vt fieri solet, post calicis subleuationem, ad silentium vita functorũ memoriæ dedicatum, tacitus cõponeret, amplius duas horas, haud secus quàm stipitẽ aræ affixum stetisse immotũ, fuisseq; ob tã insolentẽ moram à Pontifice correptum. Ad hęc illum respondisse, se interea dũ

*Seuerus imuitijs taxandis Adalbertus.*

*Prælium inter Christianos et Ethnicos commissum.*

*Adalbertus Strachiquati Episcopatum offert.*

*Abnuit.*

*Præsagium.*

*Romã it Adalbertus.*

*Excõmunicati Boiemi.*

*Fratres Adalberti necati.*

ad aram tam diu ſtaret, in Boiemia exequijs fratrum ſuorum interfuiſſe, ac dum Romam ad rem diuinam peragendam redire feſtinat, alteram è duabus chirotecam, ibidem in Boiemia ad feretrum reliquiſſe. Deliria illum fundere cæteris exiſtimantibus, Pontifex, qui bona multa, miraque prædicari de Adalberto inaudiuerat, iſtam rem inquiſitam noluit omittere. Compertoq; ita vt narrabat, illam ſe habere, chirotecamque relatam: alteri quam retinuerat planè reſpondere, in admirationem verſus, Adalbertum cœnobio ſancti Alexij accuratè commendauit. Quo Romæ abſente, erupit tandem latens Strachyquatis deſyderium potiundi Epiſcopatus Pragenſis, non audente Boleſlao votis eius refragari, ne honori fratris inuidere videretur. Datis itaque literis, tum ad Otthonem Cæſarem, tum ad Præſulem Moguntinum, inaugurari illum poſtulat. Quod munus dum Præſul Moguntinus obit, illeque ſe ante aram de more proſternit, continuò inuadit eum malignus, vexatque, & eo vſque concutit, donec ex ore ſpumabundo animam extrudit. Ex hoc tam horribili & prodigioſo caſu, non minus Boleſlaus quàm Moguntinus exterritus, vterque ſuos Romam ad Adalbertum allegat, qui ei reditum in patriam celerem, ad recuperandum Pontificatum perſuadeant. Illoque Romæ manendi propoſitum retinente, cum ſodalibus, quorum ſodalitia profeſſione etiam religionis approbauit, ambo rurſus per legatos Romanum Pontificem aggrediuntur, orantes vt vel inuitum Roma extrudat ad Eccleſiam ſuam Adalbertum, ſi bene conſultum Boiemis, qui Romanam religionem aſſectantur, velit. Ceſſit tandem authoritati Pontificis Romani Adalbertus, diſcedensque Roma cum Gaudentio, quem loco fratris habuit, Anconam diuertit. ibique conſcenſa naui, Segniam in littore Dalmatico poſitam appellit, atque inde ſe in Pannoniam inſinuat, à præfectis adhuc, quos Capitaneos vocabant, gubernatam: Quorum præcipuus nomine [a] Stephanus erat. Hunc vbi in humanitatem propenſum, atque erga Chriſtianos ſatis hoſpitalem, & præterea linguæ Sclauonicæ haud ignarum accepit Adalbertus, deflexit in aulam eius, habitaque vna & altera de fide & baptiſmo concione, adeò attentum facilemque ad ſuſcipiendum Chriſtianiſmum expertus eſt, vt breui ui temporis interuallo tingi, cum pleriſque aulicis ſuis optauerit. Hinc à baptiſmo Pontifex Romanus, coronam ei Regiam detulit, & Cæſar ſororem ſuam eidem nuptum dedit. Adalbertus comitatu auctior factus: nam ſex præterea fratres contubernales, ex contubernio ad diuum Alexium Roma digreſſi, ipſum apud Hungaros aſſecuti ſunt, nec diuelli ab eo vllo modo potuerunt. Cum ijs igitur Boiemiam ingreſſus, quæ ſumma tunc ariditate ob inopiam cœleſtium aquarum laborabat, tanta repentè imbris copia ad introitum eorum cœlo ſe effudit, vt pleraque loca planiora ſtagnauerint: Hoc alij religioni patrum tribuebant, alij in Monachorum ſuggillationem vertebant. Eſtque hodie in ore Boiemorum velut adagium, vt ſi fortè obuios in itinere habeant viros religioſos, dicant: Pluuia haud dubiè pluet, poſtea quam Monachi peregrè ambulant. Cæterùm idem Adalbertus maiore honore à Boleſlao excipi non potuit, quàm eſt poſt reditum exceptus, locoque ſuo, & bonis quibuſdam paternis reſtitutus. Ea ille bona paulò poſt in officia pietatis diſtribuit, & vnà cum Boleſlao principe cœnobium, quod Brenouiam vocant, ædificauit, ac munificentiſſimè dotauit, deductis in contubernium ſodalibus, quos ex Italia ſecum adduxit: illique nomine Abbatis præpoſito Anaſtaſio, qui poſthac apud Hungaros Strigonienſem egit Pontificem, viro tantæ ſanctitatis & virtutis, vt mortuum diſcipulum precibus ſuis à morte excitauerit. Sæpius in hoc contubernio Adalbertum, quàm in domo ſua pontificali reperiſſes, adeò moribus & natura cum Sanctis illis patribus congruebat. Sed nec Boleſlaus à conſuetudine illorum abhorrebat,

*Strachyquas abſente Adalberto ambit Epiſcopatum.*

*Inaugurandus III. Epiſcopus Pragẽſis à dæmone ſtrãgulatur.*

*In Bohemiam extruditur inuitus Adalbertus.*

*Brounouien ſem abbatiam Adalbertus è patrimonio ſũ dat.*

*Anaſtaſius.*

bat, festis præsertim diebus, sponte veniens (vt bonis mos est) ab bonorum conuiuia, quæ â precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant magna cum modestia & disciplina, atque abstinentia ciborum. Atque hîc rursus odium impiorum, aduersus vtrumque recruduit. In Boleslaum, quasi religioni Christianæ plus æquo deditum: in Adalbertum, velut censoria obiurgatione vehementer in eos acerbum, qui diem Dominicum non sanctificarent, sed operis commercijsq; profanis, & negotiationibus illum polluerent. Aut qui matrimonia sine auspice sacerdote contraherent, illaq; diuortijs pro libidine quisque sua disturbarent. Quare denuò inita coniuratione, impij in montem non longè à Praga secedunt, excursiones ex illo populationesque in Christianos facientes, & aliquoties leuibus cum milite Boleslai pugnis decertantes, nunquam tamen pelli de monte potuerunt. Inclinante tandem autumni tempore, ac iam noctibus frigidioribus instantibus, & hostibus idigenes faciendos magis, quàm ad vigilias obeundas intentis, Christiani, admixtis sibi Iudæis, incautos ex inopinato adoriuntur, à fronteque & à tergo in quoscunque incidunt eos obtruncant. Insigniores in fugam effusi, tenebris & syluis tegebantur, sed ibi quoque plerosque Iudæi deprehenderunt, interfeceruntque, ac permissu Pragensium, Synagogam inde Pragæ sibi constituerunt. Ergo rursus post nouam cædem, insons & incruentus Adalbertus, inuidiæ cedendum, alioque demigrandum sibi putauit. Sub hac namque lege, Roma se à summo Pontifice extrudi sustinuit, vt si morum patriæ insolentium tæderet, sibi vertere solum, ibique munere Pontificio defungi liceret, vbi ex functione sua fructus aliquis pietatis legi posset. Animis itaq; suorum, quos Breunouiæ relicturus erat, prius confirmatis, inde continuò cum fratre Gaudentio ad Polonos, Christianismo nuper initiatos se confert, quibus in religione corroboratis, ac Gaudentio (quemadmodum orabant) Præsule illis Gneznæ relicto, ipse ad vicinos Prussios iter vertit. Nihil ea tempestate Prussijs, aut si mauis Prutenis crassius, nihilque indocilius apparebat, adeò vt pingui eorum, & ad audiendum, intelligendumque Euangelium, hebeti aure offensus Adalbertus, nouos sibi in grege armentorum & pecudum quęsierit auditores. Atq; res tum dictu mira contigit, vt starent arrectis auribus boues, equi, asini, capræ, sues, & quasi bene per Adalbertum monita sentirent, intelligerentque nutu illa capitum approbabant. Cum interim Prussij, brutis illis magis bruti, tam inusitato spectaculo non modò ad nullam pietatem flectebantur, sed etiam ad summam per hæc crudelitatem efferati, sanctum uirum septem spiculis adorti sunt: nec satis habuerunt totidem vulneribus senile corpus confodere, nisi insuper etiam caput mortui amputarent. Boleslaus Poloniæ princeps, ex sorore Boleslai Boiemiæ principis prognatus, cum precibus non posset, precio à truci gente corpus redemit, illudque Gneznæ sepulturæ tradidit. Adeò non vulgaribus clarum miraculis, vt [b] Ottho tertius, qui eodem tempore Imperio præfuit, voti reus factus ob recuperatam valetudinem, quam Adalberto acceptam retulit, Gneznam ad sepulchrum eius adierit, gratiasq; Deo egerit, qui per sanctos quoq; suos miracula inter homines æderet, atq; inde passim apud cæteros quoq; Germanos, Adalbertus inter diuos haberi cœptus est. Porrò Stephanus Pannoniæ rex, Strigonij in arce sua Regia, primus ei templum constituit, addiditq; templo Pontificem, vt diximus Anastasium, quem Adalbertus contubernio Breunouiensi præposuerat. At Boleslaus domi adnitente vxore Hemma, quam ex domo principum Saxoniæ sibi matrimonio coniunxerat, Theodatum, origine etiam Saxonem, ac tunc Otthonis Cæsaris à sacris & ab epistolis assiduum, Adalberto successorem dedit. Præter Anastasium autem & Gaudentium, alios insuper sex contubernales Breunouia habuit, uti uitæ sanctimonia celebres, ita celebritate hominũ minimè gaudẽtes. Illi igitur

*Conspiratio Ethnicorũ in Christianos Iudæorũ auxilio sopita.*

*Synagoga Iudæis concessa.*

*Adalbertus in Poloniam.*

*Razimum Poloni dicunt.*

*Martyrium Adalberti Fischus ij in Prussia inciditin annum 988. alijs 997. Hic verò est annus mortis Geisæ cui interfuit Adalbertus.*

*Pari auri pondere cadauer redemit Ottho III.*

*Theodatus Saxo IIII. Episcopus Pragensis.*

desiderio solitudinis (quũ migrandi ex Boiemia in Poloniam consilium cœpis sent) occiso Adalberto, ad Gaudentium diuerterunt, cupidissimũ illos penes se retinendi, nisi quòd cupidiùs illi secretum sibi dari ostendiq; petebant. Euictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum planè solum, longæq; ab hominib. semotum iubet. Nacti illi quem optabant secessum, in eo tuguriolum, & iuxta sacellum ex lignis coagmentum sibi cõstituunt. Nomina contubernalium: Matthæus, Benedictus, Ioannes, Isaac, Christinus, Barnabas. Frugalitatis omnium istorum, innocentiæq; & continentiæ atq; vigiliarum inditium hoc fuerit, quòd non solùm ab iniuriæ noxa, sed ab omni prorsus specie mala abstinuerint, quòd famem sæpius pane solo, rarò olere adiuncto, quod sua sibi manu seuerãt legerantq;, explebant, sitim autem aqua semper sedabant, quòd à pecunia possidenda ita temperauerint, vt ne teruncium quidẽ in zonis suis, aut marsupijs suis possidere vellent: quòd denique stratis humi in matta scirpea corporibus cilitio vestitis, somnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quasi iam aurora illis illuxisset, reliquum noctis dieiq; perpetuò in hoc vigilauerint, vt Deum peccatis hominum offensum, assiduis deprecationibus placarent. Nam ipsi ita propitium illum habebant, vt morbo impeditos homines, aut à malo dæmone obsessos, sola oratione percurarent, liberarentq;. Quoniã autem rumor iam pridem de bona istorum vitæ consuetudine, ad Meschonem principem Polonię peruenerat, inuasit eundem Meschonem cupido videndi & alloquendi viros ex rumore sibi laudatos. Vbi igitur ad latebras eorum peruenit, summotaq; affectantium turba, ipse cum paucissimis sacellum, in quo sacros psallebant hymnos, introijt, offusa subitò oculis & animo suo religione, perinde est permotus, atq; si introijsset penetrale numinum, non hominum. Deniq; illos velut præsentia numina veneratus est, tractauitq; liberaliter à pecunia, quam abiens illis etiam inuitis reliquit, præsidium futurum inopiæ, quam summã adesse cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, non coactam, sed solidam, atq; vltroneam colebant paupertatem & continentiam, magisque pietatis officijs quàm vllis diuitijs ditescere quærebant, acersito Barnaba, quem panis & olerum dispensationi præfecerant, tollere eum exitialem pecuniam, & ad Meschonem continuò referre iubent Abeunte Barnaba superueniunt latrunculi quidam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæsitaq; inibi, & non inuenta Principis pecunia, iram & furorem in cædem insontium virorum conuertunt, occisi ad vnum omnes, ac solus Barnabas per absentiam incolumis est seruatus, cum magno animi sui dolore, quod præsens eandem cum interfectis martyrij palmam assecutus nõ fuerit. Nihilominus sui similis permanens, vitam quam cœpit colere puram inculpatamq;, ad fatalem vsq; exitum non desijt. Post quem in tumba Gneznæ, in quam ante se interfecti sodales elati sunt, conditus est, [c] otium tum à proditionibus satis diutinum fuit, cum rursus Versouicenses diu intermissam domi in principes suos coniurationem, foris apud Polonos illam instaurarent, nacti Boleslaum Polonum, qui nepos ex sorore Boleslai erat, nouis suscipiendis consilijs aptum. Nouum videlicet prorsus fuit, vt nulla accepta iniuria cognatus, nouum contra cognatũ suum bellum tentaret, quod maiores sui nunquam tentare voluerunt. Persultans itaq; Silesiam, quum ad fines Boiemiæ, qua parte Glacense oppidum, Silesiam à Boiemia dirimit, peruenisset, regionemq; illam hostiliter diripuisset: misit Boleslaus questum illatas iniurias, repetitumq; res ablatas. At Polonus regno nouo ferox, per contemptum renunciat, Principia ista esse dolorũ, quæ nimis intempestiuè deplorarentur: reducit nihilominus tamẽ omnes inde copias, adeò celeriter, vt fugæ similis discessus eius videretur. Subitò videlicet illi hostis in regno exortus est, Voldimirus Russiæ princeps, qui expugnata arce Premislauia, in totam mox Rudimensem Regionem

*Breuanouiẽses heremitæ.*

*Miracula.*

*Bolislao Regi Meschones F. Poloni hoc tribuunt.*

*Martyrium.*

*Anno 1008.*

gionem imminebat. Boleſlaus occaſione temporis vſus, expeditionem in Poloniam ſuſcipit, Cracouiam rectà contendit, ſperans quod accidit, ſe illam præſidio deſertam inuenturum. Quippe nullum intus præſidiũ Polonus reliquerat, iubens ſe ſubſequi, in quocunq; aliquid roboris inerat. Eò magis timidos ciues Boiemi perterrent, ignem, cædes, rapinas minitantes, niſi cõfeſtim ſeſe dederent. Aperiunt illi portas, Legatosq; de deditione mittũt. Accepta Cracouiæ poſſeſſione, ac locis quibuſdam vrbi vicinis Boleſlaus potitus, omnib. his Craſotam, exercitus ſui anteſignanum, virum manu, & conſilio promptum, cum valido præſidio commeatuq; copioſo præficit, iubetq; aduertere, ne quid noui oneris ciuibus, aut colonis imponatur, neúe illis à militibus noceatur, pro ingenio præſidum illis fortunam eſſe, ſi uideant æquum & humanum præſidem, haud grauatè illos iugum ferre. Contrà ſi acrius inſolentiusque agi ſecum experti fuerint, iugum excutere, cornuaq; attollere eoſdem ſolere. Poſthæc magna cum gloria domum redit, quòd primus omnium fines Boiemiæ vſq; in Poloniam propagauerit, quòdque primus non ſolùm Boiemiæ, ſed inſuper Poloniæ quoque princeps ſaluatus fuerit. Polonus tot incommodis à Boiemis & Ruſſis, aut, vt nunc vocant, Ruthenis, acceptis, cum Valdimiro fœdus init, ac de recuperanda Cracouia ſollicitus, curam omnem ad pellendos inde Boiemos conuertit: idq; facilè futurum docet, nullo Boiemorum exercitu ibi exiſtente, ſed præſidio tantùm vrbi relicto, eoque infirmo. Quòd ſi etiã validum foret, ignominiæ tamen tollendæ cauſa, ne videlicet pulcherrimam totius Poloniæ vrbem Boiemus diutius poſſideat, etiam difficilia aggrediunda, atque omnia alia commoda negligenda eſſe. Adſtrepente turba, mœnibus Cracouiæ appropinquat: intra quæ iã Craſota ſtationes, vigilias, aliaque diurna ac nocturna munia diſtribuerat, funditores & ſagittarios in muris conſtituerat, aciemq; eruptioni & pugnæ, ſi illa opus foret, compoſuerat, dato omnibus præcepto, ne quis iniuſſu ſuo de ſtatione ſua ſe commoueret. Adequitant propius Poloni, ea audacia obſeſſos in prælium elicere cupientes, ſed pars illorum telis, pars ſaxis obruta, cæteros ab aſſultu temerario cautiores reddiderunt. Tentant rurſus per cuneos & turmas oppugnationem, ſecumq; ſcalas ferunt, ſed rurſus multis cum vulneribus, multaque cum cæde depulſi retrocedunt. facta mox in illos nocturna eruptio, tota illorum caſtra clamore tumultuque, ac tanto errore perturbauit, vt ab hoſtibus in ſemetipſos auerterentur, mutuaque inter ſe cæde caderent: nullus enim Dux, nullus ordo, nullus certus exhortator aderat, ſed omnia per tenebras, ſors apud Polonos agebat. At Boiemi ordinibus rectoribusque diſtincti, ſuo inſuper claro ſimbolo ab alienis diſtinguebantur, ne quem alium niſi hoſtem ferirent, neúe diutius, quàm ſignum receptui datum eſſet. Tum verò Polonus, poſtquam ſegniorem infelicioremque oppugnationem quàm futuram ſperauit, videt, nec vllam ſpem deditionis, vrbe, & milite, & frumento, ac reliquo commeatu abundante, moram in tædium vertens, quippe nihil Polonis ad exequendam longiorem obſidionem pigrius, tædioſiusque, illam in præſens omnium voluntate omittit, caſtraque diſſoluit. Scripſerat ad Boleſlaum Craſota, ſi maiora ſibi auxilia è Boiemia ſubmitterentur, cõfidere ſe vltra acquiſitos Cracouiæ litimes, aliquid præterea finium adijcere poſſe. Reſcripſit paucis Boleſlaus, Chriſtianum eſſe, quod adeſt boni conſulere, alienis abſtinere. Tu igitur rectè feceris, ſi parta tueberis, alienam meſſem non meſſueris. Non enim te neq; ſubſidio, neque annona, quoties vſu venerit, egere ſinemus. Poſt hæc breui de hac uita migrauit ad Dominũ, magno ſui deſiderio apud omnes ordines relicto: quoniam ſicut dicebatur, ita verè pius fuerit. Huic filius nomine item Boleſlaus ſucceſſit, eo ferè tempore, quo in Germania comitia Cæſari creando, ex noua Romani pontificis ſanctione indicta fuerunt. Nam cum antea imperium ve-

*Cracouiam Boleslaus occupat præficit Craſſotam.*

*Cracouiam ſtrenuè recuperare Rex Polonus ſtudet.*

*Craſota ſtrenuè rem gerit.*

*Modeſtia Boleslai Bohemi.*

*Regnaſſe dicitur annos 32.*

XIX. *Boleslaus III. cæcus.*

lut hæreditarium Cæsares sibi vendicabant, intra domum quisque suam hæredem summæ potestatis sibi quærentes, consultius, Reiq́ue publicæ Christianæ conducibilius visum est, vt imperaturus omnibus, ex principibus omnibus vnus ad imperādum maximè idoneus deligeretur. Pontifex igitur Gregorius quintus, & Ottho tertius Cæsar, ambo Germani, sibiq́ue inuicem cognatione innexi, ac pariter in hoc proni, vt honor summæ dignitatis in Germania perpetuò resideret, ad id efficiendum hac arte vsi sunt, vt delectores numero sex, omnes Germaniæ principes nominarentur. Italis facilè assentientibus, atque etiam cupientibus, vt Cæsar tanquam imperij Pontificis Romani æmulus, quàm longissimè ab Italia amoliretur: Gallis verò iniquissimo ferentibus animo, quòd nulla illorum ratio habita fuerit, quorum Imperium antiquius erat, oblitis credo, quòd simul cum stirpe Magni Caroli, magnitudo quoque Cæsarei nominis apud illos desierit. Additus tamen sex illis principibus posthac Rex Boiemus fuit, elector septimus ad tollendam discordiam, quæ inter pares numero, pari suffragio concurrente, non nunquam intercedebat. Sed ad rem. Nō erat cordi Boleslao militia, partim vt tumultuosa, dein vt sumptuosa, præsertim in eroganda pecunia astricto tenaciq́ue. Appellabat sæpius eum præfectus Cracouiæ, cum per internuncios, tum postremò per filium suum Bersomitum, vt stipendium præsidio, vtque subsidia noua mitteret, quoniam non vna iam calamitas accepta esset ingruentibus Polonis, sed præterea plerique militum oppressi. At ille, ne arcam ære exinaniret, curaq́ue se prægrauaret, moras nectere, diemq́ue de die trahere, donec Cracouiam, & quod in illa præsidium erat, amitteret. Serò tandem ad sua tuenda, expeditionem in Slesiam sumere coactus est. Polonus initio statim principatus Boleslai, mores ipsius & animum ad cauendos dolos simplicem, credulumq́ue à Cochano Versouicense, qui in Boiemia habitabat edoctus, ea præ cæteris cogitare, quibus per astum Boleslaus caperetur. Ergo antequam hostile quidquam vel prædando, vel populando facerent Boiemi, Polonus legatos ad Boleslaum mittit, qui cōmemoratis quæ incommoda, quas impensas & rerum iacturas bellum præcipuè longum afferat, inducias paciscantur, eamq́ue Boleslao offerant conditionem, vt ad quemcunque principem vellet, ad eum arbitria pacis deferret: aut si ipse cum illo transigere mallet, vt in colloquium, habitu pacato & sine turba veniret. Pactis inducijs deligitur colloquio locus, ad quem cum conuenissent, & vterque tabernaculum suum constituisset. Venit Polonus ad Boiemum, ore bona verba ferens, sed mente praua struens, quæ tamen exequi tūc non potuit. Igitur compositis ibi hac lege rebus, vt ne alter alterum bello deinceps lacesseret, sed quemadmodum cognatos decet, vt perpetuam inter se gratiam & amicitiam colerent. Instat blandissimis verbis Polonus petere, ne grauetur Boleslaus Cracouiam non amplius quartum inde lapidem distantem, se conferre, ibiq́ue hospitem & conuiuam suum agere. Plerisq; suspecta hæc inuitatio erat, suadebantq́ue Boleslao, vt sobrium & cautum se ad credendum Polono præstaret. Aderat ibidem Cochanus Versouicensis, castra Boleslai affectans, quo facilius eum per obsequium falleret. Hic multa oratione fidem Poloni tutatus, eò ad extremum rem adduxit, vt palam ille Boleslao dextram, fidei pignus daret, promitteretq́ue se incolumem eum à se ex conuiuio dimissurum, & quasi saluis inducijs, inuiolatoq; iure hospicij, & promissi vinculo facere videretur, integro quidem corpore & vita, sed admota oculis lamina ignita, exoculatum abire inde permisit. Huicq́ue tam Barbaræ perfidiæ, hanc præterea crudelitatem, in eos, qui illum tanquam perfidum cauendum consuluissent, adiecit, vt iugulatos muris præcipitaret, sperans per tale facinus, quemadmodum illum Versouicenses inflabant, principatu se Boiemiæ potiturum. Nec enim Boleslaus luminibus orbus, ad regendos Boiemos idoneus

*Electoratus institutio.*

*Boleslaus auarus, iners et imbellis.*

*Ob negata stipendia Cracouiam amittit.*

*Tocharē Bonfinius vocat.*

*Dolus Poloni in Boiemum.*

*Oculis priuatur Bohemus à Polono.*

neus amplius videbatur. Quod ipſe ſua quoque ſponte agnoſcens, ſimul atq; domum ſuis deducentibus reuerſus eſt, continuò Hiaromirium natu maiorem filium, in ſolio ſuo, approbantibus cunctis ordinibus collocauit. Ipſe deinceps vitam priuatam, ſolitariamque vnà cum vxore egit, donec ex animi & corporis ægritudine conſumptis viribus, exoptata morte expirauit. Cochanus ſpe ſua deiectus, quam magnam aluerat, ſi Polonus Boiemiæ principatum fuiſſet conſecutus, cœpit illius perfidiam & ſcelus apud nouum Boiemiæ principem fictis verbis acriùs traducere, quàm ſi alius ex animo infectatus fuiſſet, vt per hunc fucum proditionem obtegeret, ſeque in aulam & familiaritatem Hiaromirij inſinuaret. Simili Hiaromirius ac pater ingenio erat, ſimplici videlicet ac minus callido, quàm vt fucata à ſynceris internoſſe poſſet, eoque ſimiliter etiã inſidioſa aſſentatione illuſus & captus eſt in ipſa venatione, cui multum indulgebat, venatoremque ſuum, vel ſerijs actionibus interuenire patiebatur, dummodo nuncium afferret, lautam præſto eſſe venationem. Houora venatori nomẽ erat. Hunc igitur Verſouicenſes ad ſe familiariter inuitant, feſtiuamq; ei in ſyluis ſuis ceruorum & aprorum copiam oſtendunt, non dubitantes quin re ex Houora cognita, princeps ei rei primum quemadmodum euenit præuerti cuperet. Cochanus deductoris ſibi officium ſumpſerat, tanquam alijs in luſtrandis ferarum luſtris peritior. Vbi ad luſtra ventum eſt, & alij venatorum plagis furcillatim explicãdis, alij canibus copulandis, ad ſuaq; loca deducendis occupati eſſent, Houora omnibus præpoſito, Cochanus interim Principem à turba per ſermonẽ de venatione inſtitutum in ſyluam interiorem abducit, nactusque idoneum ſceleri perficiendo locum, validior imbecilliorem equo deturbat, nec exurgere deturbatum antea patitur, quàm alij conſcij, qui à tergo cunctatius ſubſequebantur acurrerent, ij loris, quæ ſecum geſtabant confeſtim expeditis, Principem & dominum ſuum, in modum contemptiſſimi ſeruuli arctis reuinciunt, vinctumque ad quercum deligant ſeminudum, ne à ſcopo corporis tela aberrarent. Ipſeque primus in illum arcum ſuum Cochanus tetendit, ac primus telum ſuum in eundem intorſit: deinceps promebant mox item alij quoque Verſouicenſium ſagittas quiſque ſuas ad iaculandum, cum ecce tibi Houora improuiſus adeſt, obſtupefactusq; horrendo ſpectaculo, repentè ad venatores cum magna voce reuolat. Principem per inſidias interceptum interfectumq; eſſe clamitans: concurritur vndiq; ab omnibus, feſtinaturq; ad comprehendendos inſidiatores, ſed anteuertit fuga Cochanus, captiuitatem xij. tamen alij Verſouicenſes comprehenſi duro claudduntur carcere. Atq; ibidem ſimul hæc res mira accidit: Quòd Hiaromirius, qui multis telis confixus, ac pro mortuo à tortoribus relictus erat, ſoſpes & incolumis repertus fuerit. ipſe diuo Ioanni Baptiſtæ ſalutem acceptam referebat: eum enim ſtatim ſibi ab inuocato numine ipſius adfuiſſe, atq; vt innoxia tela corpori infigerentur, ſanctis manibus moderatum fuiſſe affirmabat, iuſſitq; eodem loci aream pro templo ſub titulo Diui Ioannis ædificando, deſignari. Habuit & Houoræ fideli clientulo hunc honorem, vt eum præfectura venatoria eiusq; poſteros, & inſuper agris & pagis circum Stembnam ſitis honoraret, primumq; inter Boiemos authoritate Cæſaris Henrici ad eum procerum gradum procheret, qui nũc Barones à Quercu in Boiemia appellantur. De Verſouicenſibus interceptis ſumptum ſupplicium, ſinguliq; eorum ſecuri percuſſi ſunt. Ipſe Cochanus ſcelerum caput in Poloniam transfugit, vt ibi Polonum doceret, ſua ſuorumq; gentilium opera eſſe factum, vt Hiaromirius vel iam ſit mortuus, vel breui moriturus. Supereſſe vnicum Vdalricum ſucceſſorem, nunc in aula Cæſaris degentem, ad quem ſi in tempore Legati cum lautioribus donis mitterentur, Vdalrici quoq; potiundi ſpem non defuturam: quo ſublato, ſecurum deinceps illum, ocioſumq; in vtramq; aurem dormire

XX.

*Hiaromirius patri ſimilis.*

*Simplex Hiaromirius.*

*Ouaras Bonfinio.*

*Verſouicenſes præetxtu venationis principem arbori aligatum Spiculo traijcere volunt.*

*Tocharum alii qui vocant.*

*Vulnera diuinitùs ſanata.*

*Origo illuſtris familiæ Baronũ à Duba in Bohemia.*

*Tredecim Verſouicenſiũ ſupplicio extremo effecti.*

*Cõsiliũ de exscindẽdã stirpe principum Bohemiæ.*

posse. Probato Boleslaus vehementer consilio, eodẽ tempore copias in Boemiam deducendas contrahit, & Legatos ad Cæsarem proficiscí iubet, qui per insimulationem rebellionis seditionisq;, tradi sibi in custodiam Vdalricum postulent. Cæsar Henricus tametsi aliàs integer, ac pietate insignis haberetur, tamen acceptis tunc muneribus, tale quiddam passus est, quale de Ioue cantatur, in hunc modũ, Placatur donis Iuppiter ipse datis. Cæterùm hactenus precibus Poloni subscripsit, vt ipse in aula sua custodes suos Vdalrico adderet, nõ autem vt eum in manus Poloni traderet. In via iam Boleslaus erat, Boiemięq; appropinquabat, cum reuersi à Cæsare legati, captum Vdalricum ei referunt: atq; hæc magno cũ gaudio ab illo sunt accepta, sed illud rursus non sic æquis auribus de Iaromirio auditum, quòd emersisse è malis, paratusq; ad defendendam Pragam, ad quam Polonus totam belli tempestatem conuertebat, esse diceretur. Ex finibus igitur Boiemiæ, vt longè lateq; terrorem Pragensibus incuteret, Polonus in itinere viros, castellaq; temerè munita capit, prædamq; pecorum, & aliarum rerum agrestium diripit, ac militi distribuit, propiusq; mœnia accedens, nullam fœlicem arborem, aut nouam vinearum consitionem integram relinquit. Post vnum tandem mensem, Praga ei proditur, saluo dimisso presidio, quod Iaromirius vrbi imposuerat, illiusq; bonam partẽ in arcem Vicegradum traduxerat, in qua obsidionem Polonorum amplius sesquiannum tolerauit. Interea Vdalricus, custodes apud Henricum frustratus, in Boiemiam occultus venit, casuq; dum per viam errat, in arcem Bercouicensis, qui mox in eundem honoris gradum, ad quem Houora effectus est, diuertit, ibiq; alios nonnullos equestris ordinis viros reperit. Qui omnes ad insperatum Vdalrici aduentum gaudio elati, salutem ei & libertatem gratulabantur, bene sperare iubentes: saluo enim Vdalrico cætera quoque futura salua. Atque inde curas inter se partientes, quem quisque necessarium, aut notum habebat, cum illo rem communicabat, familiamq; quisque suam domi armabat. Hæc quanquã secreto agerentur, aderat tamen coriceus, qui quæ acta dictaque sunt, subauscultans, Cochano illa renũciauit, iam pridem indignanti, non haberi sui eam à Polono rationem, quam expectauerat, sed Polonos sibi ferè in omnibus præferri, cum ipse tamen Pragam ei intra vnius mensis spacium asseruerit, contra illi alterum iam annum, vnam oppugnent arcem, nec hactenus expugnare possint. Rursus igitur mutato animo, ad spem nouam perfidam inflectit mẽtem, ac sine mora certum quendam fidumq; hominem, ad Vdalricum mittit, per quem clàm nunciat, consilium recuperandæ Pragæ se habere, idque exequi & perficere velle, si præsentis beneficij, quàm veteris in Principes iniuriæ Vdalricus memor esse maluerit. Quo is audito stabat perplexus, acciperet ne oblata à proditore, quæ non ex recta voluntate proficiscerentur, an planè reijceret beneficium, cuius mox authorem fieri puderet. Donec Bercouicensis in aurem illi vetus verbum insusurrat, malum malo mederi interdum expedire. Facta igitur fide Cochano pollicetur obliuisci præteritorum, & si promissa apparuerint, gratum præterea ac memorem se erga illum futurum, velle tamen ex internuncio intelligere viam cõsilij eius ad recipiendam Pragam, quam cum tanta Polonorum multitudine possideret Polonus. Tum ille consilium aperit, ita videlicet, Cochanum composuisse cum pastore, quo Pragenses in pecoribus ad pascua propellendis vterentur, vt ad diem ad quam tu venires, locumque vrbi proximum, cum manu aliqua fallendo hosti apta occupares sòlitò maturius: pellendo ille instaret pecori, & postquam ad portam veniretur, segnius vt gregem exigeret, moras de industria nectendo, signumque aliquoties inflato corniculo pastorali dando, ad quod tu ex insidijs occurreres, portæque tibi apertæ appropinquares. Nam quod ad ducem & milites Polonos attinet, vtrosq; maximo apud Pragenses laborare odio, illum propter arrogantiam

*Boleslaus Rex Poloniæ in Bohemiam exercitum ducit.*

*Praga capta.*

*Obsidio wissegradensis.*

*Vdalricus Iaromyrij frater in Bohemiam venit.*

*Versipellis Versouicius.*

*Consilium de Praga à Polonis recuperanda.*

rogantiam & immodesta imperia, istos propter insolentiam, libidines, rapinas, & quotidianam temulentiam: occasione itaque tantum (inquit) fuerit opus leui ciuibus, ad deturbandos Praga Polonos. Talibus persuasus Vdalricus, lætusque de numero militum, qui illi in dies singulos accrescebant, festinemus, inquit, ò socij ad redimendos nostros ab inimicis nostris, sed dispersi per multos tramites meliùs latebimus, quàm si vno agmine transierimus: satis est nos proximè vrbem coniungi. Probato consilio diuersi abeunt per loca cuique nota, atque omnes illic tandem congregántur, vbi nunc Cœnobiũ Strahouiense Pragæ imminet, tunc sylua ingens & densa erat. Cochanus simulac Vdalricum adesse cognoscit, fidem seruat, bene mane pastorem cum grege extrudit, portam reserat, classicum intonat, Vdalricum vnà cum suis Pragam intromittit, ac omnia in vrbe tumultu & clamore cõplet, vociferari vulgò iubens, fugate, pellite, ferite Boiemi Polonos. Interim tamen mores quoq; suos ipse retinet, quibus in vtramque partem nutabat, claudicabatque. Subitus namque, ac velut ex motu illo vehementer perculsus, Polono adfuit, illumque somno adhuc deditum excitauit ad celerem fugam incitans, priusquam vel opprimeretur vel caperetur: deduxitque vsque ad vicinam portam, atque inde cum plerisq; equitibus citra vllam iniuriam emisit. Sed & reliquã multitudinem magis irrisu contumelijsq; ac verberibus, quàm cædibus Pragenses insectabantur. Praga recuperata, fratribusque sibi inuicem rem bene gestam gratulantibus, ac in fraternum contubernium coeuntibus, repentè inter eosdem exoritur dissidium, dum vterque sibi imperium in Boiemos vendicat. Iaromirius tanquam senior, Vdalricus tanquam victor, aderatque sua vtrique factio ad eundem scopum tendens, vt quando lis iure nequeat, pugna transigeretur. Vtrisque pertinacissimè Theodotus Pragensis pontifex obstitit, donec vtroque in sententiam suam adduxit, vt principatus inter duos fratres æquâ portione, parique iure diuideretur. Hoc priusquam esset perfectum, adit Vdalricum secreto Cochanus, eumque talibus affatur verbis: Vide etiam atq; etiam princeps, quid agas, in quale & quantum periculum te coniecturus sis, si consortem principatus admiseris: iam olim omnium ore celebratum esse scis, Nullam regni fidam esse societatem. Quæ autem vita est semper timere, semper sibi cauere, nec ullo tempore tutò viuere? Quin tu igitur aliquid excogitas, quo modo solus sine æmulo regnes. Agedum inquit Vdalricus, ostende nunc ipse tu modum expediendæ eiusmodi curæ. Non moratur Cochanus: Erue inquit oculos æmulo, vna hæc opera te quoq; cura omni eruisti. Impium primò, & nefarium, (vt erat) Cochani consilium Vdalrico visum, deinde superante regni cupiditate, eademque omne discrimen inter fas & nefas auferente, Iaromirio manus Vdalrici iussu iniectæ ad excludendos oculos, quibus exclusis, simul quoq; ab administrando regno Iaromirius exclusus est, ac solus inde regnauit Vdalricus.

*Praga æstu Versouicensis Bohemo restituitur.*

*Dux Polonus euadit.*

*Iurgium inter fratres de principatu.*

*Iaromirio oculi à fratre eruti.*

[a] *Stephanus natus dicitur anno 990. viuo patre Geisa ab Adalberto baptizatus, rudimentis pietatis imbutus, & communibus procerum Hungariæ suffragijs non vt pater, Dux, uerùm Rex Salutatus, quod aliqui ad annum 1001. aly ad 1006. referunt. Pater Geisa obijt 997. anno, quadriennio post Astricus, postea Anastasius Archiepiscopus Colocensis Benedicti VII. P. M. consensum impetrauit, quod ad annum 1001. accedit. Cæsar autem Henricus II. qui & Sanctus, vt Bambergensis & Claudus dicitur sororem Giselam coniugem illi dedit. Hũc pontificem duplicis crucis insigne tradidisse Stephano (à sequentibus vsurpatum Regibus) eo quod & Rex & Apostolus esset Hungarorum, auctor Decreti Pannonici asserit.*

[b] *Ottho Ruffus Cæsar sepulcrum Adalberti inuisit, quo tempore Boleslaum Poloniã*

*principem amicum Romani Imperij & regem ſalutauit tradita in vxorẽ Rixa Hezzonis Ernſridi filia è Sorore Machtildi nepte ſua Miecislao filio Boleslai. Eius beneficio Polonia eſſe cæpit regnum, quod & Hungaris nonnulli tribuunt, qui licet antea titulum vſurparint, tamen poſt Otthonem confirmauit Henricus Sanctus, Anno 1001. quo etiam Romæ obÿt Ottho.*

*c Vniuerſam hanc belli Polonici hiſtoriam patriarum rerum ſcriptor longè aliter refert ſuggillato etiam Aenea Syluio & Hageco, quos hic auctor imitatus eſt.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER SEPTIMVS.

XXI. Vdalricus.

NE is abſque vxore planè ſolitarius ageret, initio ſtatim principatus, animum ad matrimonium appulit, ſed aliquandiu incertum, vnde nam coniugem ſibi peteret, quandoquidem externa in Germania, in qua magnam ætatis partem contriuit, neſcio quare non ſatis placebant gynecea, & domi nulla talis extabat ſponſa, cum qua pro dignitate ſponſalia contrahi poſſe viderentur. Euenit fortè, vt à venatu reuertens, incideret in puellam ruſtici cuiuſdam hominis filiam, linteolorum tunc fordes ad fontem eluentem. huius ſpecie pellectus, adequitat propius, illamque intuens alloquitur familiarius, ac mox cæco adeò carpitur igni, vt nec dignitatem eam, quam ſibi paulò ante in conſilium de vxore ducenda aduocauerat, reſpiciendam, nec quenquam prorſus hominem ſibi audiendum putauerit, qui aliter quàm per nuptias huiuſce puellæ, ignem hauſtum exſtinguendum ſuaderet. locatus inter diſſuaſores, ſe vna nocte effecturum, vt quæ heri virgo ruſtica fuerit, eadem cras fieret princeps mulier, quoniam principis vxor eadem gauderet cum marito dignitate. Extra aulam tamen, impar hoc coniugium ſuggillatione haud carebat, præſertim in cœtu matronarum nobilium, procaciter ignobilitatem Beatricis (id nomen ſponſæ erat) inceſſentium. Sed breui à nuptijs tempore, Beatrix tantum generoſæ indolis ſpecimen, tum morum elegantia & modeſtia, tum verborum comitate & ciuilitate, tum vita denique caſta & pudica oſtendit, vt non in minorem ſui admirationem, quàm prius inuidiam, matronas etiam nobiliſſimas conuerterit. Ea primo ſtatim matrimonij anno filiolum peperit, quem Helichardus Pragenſis Pontifex, qui in locum Theodati cooptatus eſt, aquis luſtrauit, tinxitque Chriſmate, ac nomine Bratiſlai tinctum nominauit, ipſo parente acceſſione filij adeo exhilarato, vt diem luſtricum publico conuiuio, choræis, haſtarum concurſu, donatiuo concelebrauerit. Interrupit mox hæc gaudia moleſtus nuncius, Boleſlaum Poloniæ principem auctoexercitu reuenire nuncians, rectaque Glacium petere, cui municipio Vdalricus virum fortem & ſtrenuum, cognomine Valdecum præfecerat, illique robuſtum addiderat præſidium. Horum virtute, obſidio, cui ferociter Poloni inſtabant, ſuſtentabatur, quoad peſtis caſtra illorum tam exitioſa inuaderet, vt intra dies decem, paulò minus bis mille Polonorum proſtrauerit. Qua clade perterritus Boleſlaus, mutat locum, ſeque cum armatis in Morauiam, nihil in tali tempore hoſtile metuentem, transfert. Ibique pleraque ædificia & agros, aut vaſtat, aut occupat: denique Boiemos, qui auxilio miſſi ab Vdalrico temerè occurrere

*Bozenam vel Bocenam ruſticam cõiugem ducit*

*Dotes Beatricis.*

*Bratislaus naſcitur.*

*Helichardus V. Pragæ Epiſcopus.*

*Polonus Glacium obſidet.*

*Valdeckus miles.*

*Peſtis ſternit Polonos.*

*Morauiã populatur.*

currere ausi fuerunt, inito cum ijs certamine fugere coegit. Ipse dein Prussiæ tumultu domum reuocatus, bellum aduersus Prutenos, & vicinos saxones suscepit. Paulatim inde animum Vdalrici subire cœpit pœnitentia admissi in Iaromirium facinoris, simulq; desiderium crescere, quouis modo pro illata fratri iniuria satisfaciendi, quando res in integrum restitui non potuit. Dat itaq; non obuio cuiq; amico, sed ipsi Helichardo Pontifici negocium, vt hanc causam de reconciliando sibi fratre meditandam, & quàm primum conficiendã susciperet, se paratum esse inquiens facere, quicquid faciendũ sibi Pontifex iniunxerit, etiamsi ante pedes fratris stratũ iacere oporteat, se libenter, dummodò pacatum, sibiq; reconciliatum illum habeat, prosternere velle. Mouerunt ista Iaromirium, mouit insuper ipsius Pontificis oratio apta misericordiæ concitandæ, & dolori consolando, ita vt se idem Iaromirius fratri non admodum difficilem ad ignoscendum exhiberet. Communi inde duorum consilio administrata est respublica Boiema, atq; vtrumq; Præsul orat, vt litem decimarum cognoscant, cognitaq;, id quod æquum fuerit pronuncient aduersus eos, qui non expectato decumano, pro sua libidine manipulos ex agris amouent, auehuntq;, aut planè integris decimis Pontificem fraudãt. Principes altera quoq; audita parte, quæ item palàm de decumanis querebatur, quòd post corrupta demũ in agris, aut à pecoribus depasta frumenta, ad exigendas venirent decumas. Litem ita moderati sunt, vt aratoribus permitterent manipulos ex agris in aream tempestiuiter asportare, sed his duntaxat, qui cũ Pontifice iusto precio, aut certis in singulos actus, & iugera frumenti mensuris decidissent. Eadẽ lege in Morauia in Pontificatu Olomucensi, quem Helichardus vnà cum Pragensi procurabat, decimas exegisse dicitur. Sępiùs pòst hæc à Boiemis submonitus Vdalricus fuerat, vt expeditionem in Poloniam ad vindictam de Boleslao sumendam faceret, ob multas & insignes illatas iniurias, atq; cæteris illam insigniorem, quòd parentem principem orbare luminibus per summam perfidiam ausus fuerit, semper illo vel dissimulante vel frustrante monitores. Autumant aliqui, pudorẽ Vdalrico obstitisse, quo minus id in alio damnare properaret, quod ipse in fratrẽ admisisset. Vix alios obsequiosiores, quàm Versoui censes tunc habebat, sed nullis etiã minus, quàm illis se credebat, memor prouerbij, Lupos pilum mutare, non morem. Itaq; à Syba Versouicensi, fiducia familiaritatis magnopere contendente, vt conuiuio suo Princeps interesset, negauit palàm illi dicens: Nonne apud sapientem legisti? Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio? Secura enim mens, quasi iuge conuiuium. Perculsus inexpectato responso Syba, tacitus inde ad Bersoslaum Versouicensem abijt, apud quem conquestus est grauiter de ignominia à suspicioso principe, non sibi solùm, sed toti præterea familiæ illata: subiunxit Bersoslaus, Caueat sibi vt velit princeps, etiam qui cautè viuit, cautus non rarò decipitur. Nos modò ne nobis desimus. Placere autem sibi ante omnia ad arcendam principis vim, si quando illa ingruat, Lythomirium oppidum suum, vt muro ac mœnibus, communi omnium gentilium ope atque opera muniatur. Id quod magno studio Versouicenses persecuti sunt. Inter hæc properat vt Vdalricus per insidias vita priuaretur. Solitus erat de nocte frequenter solus vigilare, ac deinde percursis psalmis & hymnis, lumine extincto somnum repetere. Talem eius consuetudinem obseruans insidiator, nocte quadam scalis fenestræ admotis, intentoque arcu, sagittam toxico tinctam in Vdalricum detorquet, ita proximè caput volantem, vt capillos eius perstringeret. At ille subitò, candela de mensa proiecta vnà cum candelabro, per tenebras se in lectulum suum recipit absque strepitu & vllo clamore. Mane scalæ sunt inuentæ, & sagitta parieti infixa. Cæterùm proditor vel

*Interuẽtu Episcopi fratres principes recõciliantur.*

*Controuersia de decimis definita inter Episcopũ & agricolas.*

*Vlcisci nõ vult Vdalricus patris iniurias à Polonis illatas,*

*Syba Versouicensis taxatur Scommate.*

*Machinationes in Vdalricum.*

*Syba venenatũ telum torquet in Vdalricum irrito euentu.*

ſtudioſiſſimè quæſitus, inueniri haudquaquam potuit. Suſpicio tamen ombus inerat, ſcelus tantum, ad neminem quenquam alium niſi ad Verſouicenſes pertinere. Adoleſcebat tum Bretislaus, adoleſcentiamq; ſuam per liberales mores, & magnificum animũ ita patri approbabat, vt is non expectato diutius, quàm dum virilem togam indueret filius, Morauiam inde continuò illi Marchionis titulo adminiſtrandam commendauerit. Nam antehac à præfectis Morauia regebatur: Sed ex re magis eſſe viſum eſt, quando hinc Polonus, hinc Hungarus hoſtis inſtaret, vt Marchio illam, tanquã dignitate & authoritate priuatum quemuis magiſtratũ antecellens, regeret. [2] Porrò Hungari, infeſto ſuo in Morauos animo fugam Andreæ, Belæ, Lauenthæ, qui ſobrini Stephani Pannoniæ regis erant, prætendebant, ægre ferentes, quòd à Morauis illi à fuga & exilio reciperentur. At Poloni, ſine vllo prætextu hoſtes ſeſe fatebantur, ac ſepius Morauiam incurſabant, ſarcire in illa iacturam, quam nuper in Boiemia acceperunt cupientes. Prius igitur inſolenti eorum cupiditati obuiam eundem putabat Bretislaus: nec diſtulit itionem, cum primum ſe copia eundi obtulit. Poloni aduentu Bretislai cognito, in ſyluas ſe abdunt, ſucciſiſq; circum ſyluæ marginem arboribus, Boiemos aditu arcent. Sed tanta iuueni duci ſuperfuit audacia, vt cuncta tranſiliret obſtantia, ſeq; in ſyluas penetrare ad perſequendos hoſtes omnium primus auſus fuerit, ſequutaq; eſt hanc audaciam ea fortuna, vt citra ſui ſuorumq; ſanguinis effuſionem victor euaſerit, adeò videlicet hoſtibus ſepto (cui fidebant) interrupto, nulli niſi ad ineundam fugam ſupererant animi: tot ex fuga tamen, tamq; frequentes capti & retracti ſunt, vt per centurias diuiſi, æſtimatiq;, centuriatim Hungaris velut pecora diuenderentur. Præter nobiles captiuos, quos ad patrem in Boiemiam Bretiſlaus miſit, atq; ille ambiguũ, cui gratificaturus rurſus in Poloniã eos gratuito remiſit, cætera præda fruenda militibus relicta. Hinc maioribus peditum, equitumq; copijs ex Boiemia accitis ſe firmans Bretislaus, Pannoniam ſeditionibus domeſticis perturbatam ingreditur, & quantum inter flumina Vagum & Danubiũ ſpacij fuit, plana loca omnia populatur. Veniensq; ad Danubij ripam è regione Strigonij, ibi demum turmas Hungarorum & cohortes, ſed in altera ripa, conſpicatur. Neutris ad trajciendum lintrium copia præſto fuit, itaq; vano inuicem terrore aliquandiu ſe deterrentes, pòſt retro pedem vtriq; ferre. Ac Bretislaus quidem cum tanta præda, vt & militi ex illa, & architectis atq; operis, à quibus Monaſterium Regradenſe in Morauia ædificandum conductum erat, ſatis fieret. Nactus inde ocium Bretislaus, de ducenda vxore cum pauciſſimis deliberabat, vtq; ſciret vnuſquiſq; quid ſibi in deliberando eſſet ſequendum, ad patris exemplum ſe initurum coniugium negauit, non quòd matris pœniteret, ſed ſuam cuiq; ineſſe dicebat peculiarem voluptatem, qua quiſq; duceretur, præſertim in vxore deligenda. Sanè ſibi nullum niſi illuſtriſſimum placere matrimonium. Hic alijs, alios in Germania principes, quibus filiæ eſſent nubiles, à nobilitate & dignitate celebrantibus interpellat aulæ Magiſter, in hæc verba: Si illuſtriſſima quæritur ſponſa, quid Cæſaris filia illuſtrius? Supereſſe Iuttham Othonis Cæſaris, cui Ruffo cognomen, filiam forma & cæteris naturæ bonis dotibus egregiè dotatam, ſed ad quam arduus & difficilis eſſet aditus. Quoniam clauſam eam clauſtris, virgo veſtalis, tanquam affinem Ratiſponæ attineret. Nihil arduum amanti videbatur, aliam tamen quàm amoris cauſam peregrinationi deſtinatæ obtendebat, nimirum religioſam, quaſi videlicet religionis gratia reliquias diui Volfgangi Ratiſponæ ſitas inuiſurus eſſet, ideoque & perſonæ religioſæ, & pauci comitum, qui præſenti noſſent ſeruire ſcenæ, à Bretiſlao in viam aſſumpti erant. Salutatis à primo Ratiſponam ingreſſu reliquijs

diui

*Bretislaus I. Marchio Morauiæ.*

*Expeditio Bretislaui in Polonos felici ſucceſſu.*

*Vile Polonorũ precium.*

*Petrus & Abba de regno certabant.*

*Regradẽſe cœnobium è manubijs Hungaricis.*

*Bretislaus animum ad ducendam vxorem adijcit.*

*Iuttha vel Iudi tha Otthonis III. imp. filia Ratisbonæ apud moniales educatur.*

diui Volfgangi,cætera deinde vrbis templa per ſimilem religionis fucum venerabundus obibat, donec ſe in loca ſecluſa in quibus ſacratis Deo virginibus ipſa Iuttha ab affine educabatur,inſinuaret. Ampla enim donaria templo illi Bretislaus conſecrauerat.Proximus conclaui,in quo puellę diuerſabantur, hortus erat deambulatorius, in hoc Iuttham à cœnaambulantem arripit, ſecumq; ad fores, volentem an inuitam pertrahit, vt equo ad hoc præparato imponat. Ferunt vno gladij ictu ferream catenam foribus oppoſitam eum diſſecuiſſe,atq; omnes fruſtra habuiſſe,qui ſe cum rapta fugientem perſecuti erant.Pro patrono, clientuli nonnulli, & comites in ipſa vrbe comprehenſi, pœnas ſupplicio exſoluerunt, quanquam ſanctè iuraſſent, culpæ ſe non eſſe conſcios. Inter hæc Bretislaus die noctuq; fugæ inſiſtens, rectà curſum in Boiemiam ad ipſum parentem direxit, expoſitaq; re, vt geſta erat, facilè obtinuit, vt in manus ſuas, auſpice Helicardo Pōtifice,Iuttha ſolemniter veniret. Sed enim Cæſar[b] Henricus eius nominis ſecundus, raptæ cognatus, facinus tam audax tanta indignatione accepit, vt iuſiurandum concipere non dubita uerit,ſe non ante exercitum ſuum è Boiemia reducturum, quàm in medio regni loco ſoliū ſuum conſtitueret. Iurat item magno animo Bretislaus,ignem ſe in mediam Germaniam tam proximè regiam Cæſaris illaturum,vt ſplendore illius & luce, oculi Cæſaris perſtringantur.Bello & copijs vtrinq; conflatis, Vdalricus ante profectionē ægritudine correptus domi manere cogitur, valde inuitus & anxius,eò quòd timebat,ne ſe abſente filius audaciæ nimius,aliquid pœnitendum cōmitteret,ſi ſe temerè ſexaginta lectis millibus, quæ Cæſar in Boiemiam ducebat, obijceret.Simili cura Iuttha pro marito erat ſollicita,& magis aliquantum anxia, quòd propter ſe præſens bellum videretur eſſe ſuſcitatum.Ea igitur Vdalricum adit, & ſi ille ſibi permittat, vt marito inſcio in Cæſaris Caſtra tranſeat,pacem ſe inde relaturam recipit.Amplexus nurum ſocer conſilium eius laudat, adiunctisq; deductoribus iubet dextro pede ire atq; redire.Vbi ad Cæſarem deducta eſt manibus grauidum vterum complexa lachrymansq; orare incipit, vt priorem apud ſe Cæſar potioremq; honeſtatis cognatæ ſuæ, eiusq; quod in vtero geſtaret cauſam, quàm iniuriam à Bretislao acceptam duceret. Neq; enim ſibi iam integro ſtatu, pudoreq; ſaluo,reditum in paternam domum patere, neq; partum mereri,vt aliter quàm deceat in lucē ædatur, alióue vocabulo quàm quòd ex legitimo naſcitur matrimonio appelletur. Si maritus affinitate Cæſaris indignus ſibi contigiſſet, nullum prorſus verbum,pro indigno facturam fuiſſe,ſed Cæſari libenter permiſſuram fuiſſe,vt dolorem ſuum iniuriamq; cognatę ſuæ,ad deſtinatam vindictam perduceret.Nunc palam eſſe quanta nobilitate & potentia Bretislaus inter principes polleat, tanta procul dubio, vt ſi Ottho pater viueret, generum ſibi hoc digniorem deligere vix potuiſſet. Se quidem non contendere, quin melius à principio fuerit, ſi nutu Cæſaris, aſſenſuq; principium neceſſariorum nuptiæ coijſſent, coheſiſſentq;, ſed poſtquam aliter caſus tulit, nec infecta fieri queant quæ iam facta ſint, clementiam Cæſaris inuocare,miſericordiamq; implorare, atq; per cœleſtia numina omnia, veniam audaciæ, pacemq; ſe obſecrare. Et ad cognatos principes, nondum deterſis ab oculis lachrymis,cōuerſa,ſupplex ſingulos nominatim appellat,vt pro ſe quiſq; quantum poteſt iratum mitiget Cæſarem. Prono ad preces Iutthæ Cæſari, iuſiurandum obſtabat, quo ſe alligauerat, non exceſſurum Boiemia, antequam in medio regni ſede poſita conſideret. Sed reperti ſtatim ſunt interpretes, qui dicerent, perinde togatum Cæſarem, atque armatum, implere iuſiurandum. Ergo pace data, acceptaque, Boleslauiam, quæ vmbilicum terræ obtinet, inermis ingreditur, ſedetq; velut victor in ſella Regia. Pulchrè item Bretislaus iuramentum ſuum vel impleuit, vel eluſit, dum ignem in

*Iuttham Bretislaus vi rapit*

*Raptū Iutthæ Cæſar vlciſci ſtatuit.*

*Iuttha Cæſarē cognatum placatura in caſtra proficiſcitur.*

*Simile de raptu Sabinarum legitur.*

*Veniam impetrat*

*Eluduntur iuramenta vtrinq;*

solo Germanico, Cæsare prospiciente, tugurijs aliquot subijcit, & paucos agellos proculcat, quorum detrimenta ære mox adnumerato resarcit. Porrò Bretislaus filius Spitigneus in lucē editur.

Iutta paulò post confectam pacem, noua Vdalricum læticia afficit, dum eum ex patre filio duntaxat vnico florente, auum præterea virili ædita prole facit. Iso VI. Episcopus Pragensis.

Nepoti nomen Spiltigneo inditum, lustrico die, quem obiuit Iso in pontificatu Helicharco succedens, vir genere & vita clarus, ipsaq; canitie venerandus, nec minus laudandus à bona consuetudine, qua consueuit obuios quosque mendicos, minimum quatuor in singulos dies epulis suis alere. Sanè Bretislaus concesso à patre reditu cum vxore, & recens nato infante in Morauiam redijt, ibiq; audito, bellum à Cæsare Hungaris, propterea quòd regem suum [c] Petrum regno expulissent, parari, comparat & ipse pro exule rege copias, easq; cum Cæsarianis ad Rabum fluuium, propè Iaurinum fluentem coniungit. Auctus tunc aquis Rabus, progressum in vlteriorem ripam, vbi hostis erat, per aliquot dies impediebat. tandem vado reperto, transeunt flumen, primò auxiliarij duces, Bretislaus cum Morauis, & Albertus cum Bauaris, dein Cæsar cum reliquo exercitu. Quibus conspectis appropinquat continuò hostis (Abam vocabant, qui eum sibi pro Petro regem constituerant) signumq; suis dat, vt antequam castra metaretur Cæsar, prælium per turmas inciperent. Concurrunt inter se equites Hungari, pelluntq; retro ij qui cum Aba erant, illos qui Petrum assectabantur. Non deest persequentibus Aba, sed vestigijs illorum assiduus insistit cum tota equitum multitudine, quæ tanta ei superfuit, vt præter frontem Cæsarianorum, latera insuper & tergum circumfunderent. In extremo periculo Cæsariani erant, si non Bretislaus, apertis ad torquenda tela militi sagittario locis, proturbasset non semel ingruentem multitudinem, donec bona pars equitum fauore Petri, Abam in prælio destitueret, mox etiam fugientem occideret.

Anno 1042. vel 1044. 4. Iulij.

Werlorn Bayer westnemeth, ac si dicas, perditio Germanorum.

Tam magna autem cæde, præsertim Bauarorum militum, præsens victoria Cæsari constitit, vt cædis locus, amissorum Bauarorum vocabulo, hodie quoque insignis perduret. Aba interfecto, factionem eius secuti vno consensu omnes ad Cæsarem legatos mittunt, seq; imperata facturos dicunt. Imperat ille, vt Albam, cui Regali cognonomen, conueniant, ibiq; in obsequia regis Petri, more solemni iurent. Ab vtroq; Bretislaus, & Cæsare & rege liberalissimè habitus, donisq; ingentibus onustus, cum hac præterea spe dimittitur, tanquam maiora posthac, & meliora expectare deberet. Grati etiam aduersus [d] Albertum erant, qui iacturam militum insigniorem fecerat, data ei dono regione, quam de superiore Pannonia auulserant, ipse Austriam postea vocauit, eamq; Marchionis titulo obtinuit. Miserat Vdalricus ad Bretislaum literas, vt si se adhuc superstitem videre cuperet, aduentum acceleraret, sed anteuertit mors, sustulitq; prius de medio Vdalricum, quàm Bretislaus ex Morauia ad Boiemiam veniret. Exequijs tamē interfuit vnà cum Iaromirio patruo, audiuitq; casum suum pristinum ad feretrum miserantem, in hæc verba: Non tibi, inquit, mi frater, hanc culpam attribuo, quòd orbus luminibus vitam infœlicem viuo, quin potiùs vt in pace æternùm quiescas, Deum deprecor. Nec enim ad te hoc tam atrox facinus, sed ad execrandos Versouicenses pertinet, qui cum me interficere non possent, quod morti proximum est, adempta dulcissima luce, perpetuas mihi tenebras execrabili persuasione obtruserunt. Apprehensa dein Bretislai manu, fili, inquit quem ego nunc omnibus coram in locum patris coopto, ipse de omni principatus administratione vltrò tibi concedens, fac vt olim tam patris, quàm meam tui patrui vicem doleas, digna à proditoribus pœna exacta. Hæc celeriter ad Cochanum perlata, acerrimum Iaromirij hostem, tantum illi furorem concitarunt, vt Bretislao præterea cædem minatus fuerit, velut ipse deinceps in vacuum principatum

Mors Vdalrici.

Inuectiua in Versouicios.

XXII. Bretislaus.

cipatum ſucceſſurus, tanta dementia ſenis animum occupauit. Exploratum igitur habens locum, in quem quotidie ad requiſita naturæ Iaromirius ſecederet, ſpiculatorem in inſidijs collocat, qui per obſcæna cuſpidem adigeret. Hoc ſcilicet ad vitam cæcitate deformem Iaromirio deerat, vt mori etiam niſi turpi cæde ei non contingeret. Latuit author cædis tantiſper, dum ſpiculator precio fraudatus promiſſo, illum tandem impunitate conceſſa prodoret, minasq; Cochani indicaret, quibus Bretislao quoq; perniciem minitabatur. Iuuenis promptus velocibus continuò mittit, qui Cochanum volentem aut nolentem adducant, inficiantemq; facinus per ſpiculatorem reum conuincant. Nec vno ſupplicio contentus, primum nares amputari, mox oculos erui, deinde vmbilicum præcidi, atq; omnia inteſtina extrahi, mergiq; aliquoties non tamen ſubmergi, poſtremò caput collo iubet decollari. Conuerſus inde ad conciliandum ſibi popularium fauorem, paci fauentium, vrbanam Pragæ quietem per triennium tolerauit, nullis ſe temerè niſi ciuilibus negotijs officijsq;, perinde vt Vdalricus pater facere conſueuerat, implicando. Decedit interim [e] Meſcho Poloniæ princeps aduerſo rumore, tanquam per ſegnitiem & ignauiam regiones aliquot Vandalicas, à maioribus ſuis virtute & induſtria partas, turpiter amiſiſſet. Lætus audiuit Bretislaus inertiam Principum, imbelleq; ocium palam ab omnibus damnari, anſamq; inde arripuit quietis abrumpendæ, quam cum graui tædio iam pridem ſuſtinebat: & quanquam diceret, multò gratius ſibi futurum fuiſſe, ſi à Boleslao ſuperſtite, pœnas exoculati per fraudem aui exegiſſet, tamen ne hoc quidem ingratum fore, ſi vel paulò ſerius iuſta in conſcios vindicta apparuerit. [f] Sine Principe tunc Poloni adminiſtrabant Poloniam, non hæredis defectu (nam Meſcho Caſimirum filium ſuperſtitem relinquerat) ſed quòd nemo ſciret, vbi nam gentium is Caſimirus ætatem degeret. Degebat autem apud Gallos in ſodalitio Cluniacenſi abſtruſam, quoniam cucullatus, & in Diaconum attonſus eſſet. [g] Bretislaus igitur, abſente Principe, ad præfectos Polonos mittit fecialem, qui res aui ſui à Boleslao in Polonia interceptas, repetat. At illi arroganter feciali reſpondent, ſe tunc demum, poſt reſtitutam Polonis Pragam, de reſtituendis Bretislao rebus cogitare velle, nunc cogitandi ocium non eſſe. Ab hoc reſponſo Bretislaus delectum habere, militemq; ſtatim ad arma vocare properat. Et quo citius conficiatur, funem ex ſubere in torquis modum intortum, circum vicos & pagos ferri iubet, cum hac denunciatione. Suſpendio illum periturum, quiſquis idoneus militiæ repertus, illam obire detrectauerit. Maior etiam quàm vſus poſcebat, militum numerus, hoc metu propoſito infra breue tempus contractus fuit: domiq; ſunt relicti inhabiliores, & tantummodo ſelectiores ſtipendia facere iuſſi. Cum ijs Bretislaus per ſtrages, magis tamen pecorum & ædificiorum, quàm hominum Cracouiam vſque, nemine ſibi obſtante penetrauit. Nec Cracouia diu obſidionem ſuſtinuit. Cæterùm poſt deditionem quoque factam, obtinere non potuit, vt ædificia illa, in quibus à Boleslao ipſi auo eruti oculi fuerant, ne à milite demolirentur. Inde iter factum ad arcem Sydecam, in quam nobilitas deſerta vrbe perfugerat, qui arcis ſitum perſpecturi antecedebant, reuertentes docuerunt: Egregiè quidem illam, & natura & opere contra quoslibet repentinos impetus eſſe munitam, ſed circumvallari eandem poſſe, ideoq; videri expugnabilem. Accedit propiùs Bretiſlaus, eademq; contemplatus quæ ſpeculatores, foſſa, vallo, caſtellis arcem circumuallandam decernit. Crebris hoſtes eruptionibus opus ne fieret prohibere conabantur, ſed omnibus eorum conatibus paruo Boiemi negocio occurrebant, partimq; trucidabant, & partim viuos capiebant. Opere nondum abſoluto, exoritur nox ventis & pluuijs tempeſtuoſa, atq; ita obſcura, vt

*Cochanus Iaromyrium interficit.*

*Pœnas luit proditionis.*

*Bellum Bretiſlai in Polonia. Anno 1038.*

*Inficiatur Crommerus, aſſerit & Bonfinius.*

vix proximum quisq; videre posset. Non prætermittit arcis præfectus occasionem, sed huiuscemodi noctis opportunitate ad fugam capescendam vtitur, fugitq; cum pauciſſimis conscijs. Mane fuga præfecti inuulgata, tanta desperatio omnium animos inuasit, vt protinus ad Bretislaum mitterent, qui se paratos esse de arce cedere, & quæ imperauerit facere, dicerent. Imperat vt arce & armis traditis decedant, inermesq; ab exercitu ne recedant, priusquã Gnesna, Polonis metropolis reciperetur. Pleriq; eorum fidei immemores à Castris se subduxerunt, ex quibus retracti duo Versouicenses, iam olim profugæ, gladio percussi sunt. Cæteri Poloni sub custodibus asseruati, spectatores calamitatum esse cogebantur, quas oppidani castellaniq; amissis omnibus bonis sustinebant: complura enim oppida & castella, ante deditionem à Gnesnensibus factam, capta & direpta fuerunt. Gnesnæ imprimis de corporibus diuorum Adalberti, Gaudentij, Christini, aliorumq; ipsius sodalium, tollendis deliberabatur. Causam deliberandi præbuerunt extracti templis pro mortuis, ij qui temerè manus admouere sepulchris sanctorum tentauerant. Post multam deliberationem, Seuerus Pontifex Pragensis, in locum Isonis cooptatus, & tunc expeditionis Bretislai comes, supplicationem & ieiunium triduanum indicit, adhibitisq; deinceps Sacerdotibus, citra cuiusq; noxam[h] corpora inde omnia aufert. Aufert mox item Bretislaus donaria templi preciosissima, crucem auro, magnitudine, pondere insignem, nempe libras auri tercentas librantem: tandē auri tres tabulæ ex ara sublatæ habebant, & præterea gemmas & vniones auro cariores, quanquam ne ab argenteis quidem inauratisq; vasis, & simulachris est temperatum. Nam reliquorum ornamentorum, quibus templa Gnesnensia liberalitate multorum principum erant exornata, non facilè quis numerum inierit: multò adhuc difficilius captiuorũ, quibus Boiemiam, vbiq; locorum referſit, assignauitq; nonnullis propè syluam incultam, quam Cirinam vocant, ad colendum, & areas ad ædificandum, miscellaneamq; turbam reliquam Hungaris in seruitutem distraxit: Sanctas autem reliquias, & alia templorum spolia preciosiora partim in arcem Pragensem, partim Bolesslauiam, partim etiam in Morauiam deportanda curauit. Atq; in tanta victoria, hoc sibi præclarum in primis putauit, quòd quatuor insignes vrbes Gnesnam, Cracouiam, Poznaniam, Vratislauiam non tota æstate transacta expugnasset. Post tam grauem acceptam plagam Poloni, magno cum gemitu & querelis in vnum locum congregantur, sed non vna eademq; omnes sententia. Nam alij Romanum Pontificem, alij Cæsarem, alij Casimirum hæredem sibi futurum constituebant vindicem. Vt igitur singulis factionibus satisfieret, deliguntur qui Romam, qui ad Cæsarem, qui ad Casimirum inuestigandum eant. Stephanus Præsul Gnesnensis delectus, qui causam Romæ ageret, egitq; illam acerrimè, atq; ita peregit, vt damnato non solùm Bretislao, sed etiam Seuero Pragensi Antistite, iuberet Romanus Pontifex, quæ ex Polonia auecta, & asportata erant, ea suis templis restitui statim omnia. Prouocat Bretislaus ad alterum Pontificem, à quo malè similiter acceptus, mox ad tertium (nam tres eodem tempore Pontifices Romanum Pontificatum sibi per seditiones vsurpabant, Benedictus, Siluester, Gregorius) quos ad extremum omnes Bretislaus, præda retenta frustratus est. Seuerus interim absolutus cum ostenderet alienæ, non suæ culpæ, reum se subijci. Sed Bretislao, posteaquam Casimirus in Gallia inuentus fuit, casumq; regni sui apud Henricum Cæsarem deploraſſet, idem Henricus, grauior vltor, spoliorumq; exactor imminebat, exasperatus tum contumacia, quòd ad causam dicendam vocatus Bretislaus parere contempserit, tum literis eiusdem Bratislai asperius scriptis, vt in quibus inerat Cæsarem insolenter facere, qui noua, libertatiq; contraria, aduersus Boiemiæ Principes imperia incipiat, nunquam antea neq; auditum, neq;

*Arcis Sydecæ deditio.*

*Gnesna capta.*

*Seuerus VII. Episcopus Pragensis.*

*Thesauri Gnesnensis Ecclesiæ in Bohemiam asportati.*

*Sors iniqua Polonorum.*

*Præpostera cura.*

*Quatuor insignes vrbes bruui subegit tempore.*

*Vindice destituti Poloni.*

*Henricus Cæsar Casimirum defendendum suscipit.*

factum

factum à Cæsaribus fuisse, vt iuberent causam Principes Boiemiæ dicere, de præda per victoriam intercepta: sed quemadmodum belli, hostibus suis inferendi, ita prædæ seu retinendæ, seu dispensandę arbitriũ semper penes ipsos victores fuisse. Quòd ad Polonos attinet, authores illos iniuriæ faciundę extitisse, ideoq; pœnas, & meritas, & iustas sibi tandem exoluisse, quas iamdudum auoq; patriq; suo exoluere debebant. * Atqui Henricus legem à Conrado Cæsare, socero suo paulò ante obitum promulgatam, in hanc ferè sententiam pro se habuit: Princeps imperij, quisquis es, pacem colunto, iuri & legibus obtemperanto, nec vllo pacto ocium imperij turbanto, quiq; non paruerit, capitale esto. Ex hac igitur lege Cæsar, Principes & vrbes imperij contra Bretislaum, tanquam publicæ quietis turbatorem armat, diuisisq; bifariam copijs, cum altera parte copiarum ipse Bauariam, cum altera Bernardus Saxoniæ princeps bello clarus, per Misniam procedit. Ad eum modum & Bretislaus vires suas dispertit, seq; Cæsari, Procopium Belinæ comitem Bernardo opponit. Mandatq; vt in syluis loco iniquo & impedito Saxones adoriatur. Nam ipse etiam idoneum insidijs, in sylua Hercynia, & montibus Bauariæ incumbentibus locum occupauit, eumq; cæsis circum castra arboribus vndiq; muniuit, vt si insidijs deprehensis, impetus aliquis in castra factus esset, ei faciliùs oppositio vallo, & lignorum congerie obsisti posset. At Cæsariani fisi multitudine, inexploratò, & cum magno Boiemorum contemptu syluas transibant, antecedentibus Badensi, & Vasserburgensi Ducibus. Quod vbi Bretislaus animaduertit, passus est bene multos ita incuriosè incedentes præterire, mox deinde signo ad erumpendum suis dato, interruptos, disiunctos & à mutuo auxilio destitutos assilit, atq; ingentem Germanorum stragem ædit. Adeò enim aduersa sibi omnia hostes, in sylua ramis densissimis clausa, habuere, vt neq; plures simul ordinem tenere, neq; se inuicem confirmare, neq; longas hastas protendere, neq; prospicere potuerint, quid à quaq; parte caueri oporteret. Itaq; in tanta eorum perturbatione, magnoq; pauore, facile Bretislao erat, velle suum pro arbitrio exequi. Ipse Cæsar cum paucis retrocedens, vehementer erubuisse dicitur, quòd victum se videret ab hoste, quem ipse non vidisset. Aliquantò meliùs Princeps Saxoniæ rem suam gessit, reducto in Saxoniam non solum incolumi, sed etiam præda onusto Saxone. Idq; Procopij culpa commissum esse arguebatur, quòd nec in syluis, nec in apertis campis hosti se ille obijcere auderet. Obiectus itaq; idem carnifici est, primò excæcandus, tum deinde manibus atq; pedibus truncandus, postremò submergendus in flumine Belina, ad quod immoto agmine substiterat. Vix potuit grauior pœna proditioni constitui, quàm est constituta tunc pauori. Sed impauidus & audacis animi Dux noluit nisi audaces habere tribunos militum: oderatq; desertores non minus quàm proditores. Porrò Cæsar impacientius indies fugæ dedecus ferens, duces denuò accersire, nouaq; sibi & domi & foris parare auxilia aduersum Bretislaum festinat, eoq; celeriùs Casimirum Polonum in patriam deducendum, additis aliquot cohortibus & turmis curat, vt is regno maturius inito, maturius etiam subsidio veniat in Boiemiam. Sacris vt dictum est initiatus, & veste religiosa vestitus Casimirus fuerat: sed interueniente Romani Pontificis assensu, sacram personam profana mutauit, nihil sibi de priore statu retinens, nisi consuetudinem attondendi decurtandiq; capillos, cum alij Poloni sic passim cæsariati ambularent, vt Cincinni dorsa illorum qualiter mulierum flagellarent. Permanet in hunc vsque diem apud Polonos ieiunium, & tributum à Romano tunc Pontifice ad expiandam religionem à Casimiro profanatam institutum. Nam & ieiunatur ab illis in singulos Mercurij dies, & quotannis ab vnoquoq; soluitur denarius, qui sancti Petri cognominatur. Sed vt statim memini Cæsar doloris im-

*Contumax & proteruus Bretislaus.*

*Otthardum alij dicunt.*

*Bretislaus Procopium Saxoni obijcit, ipse Cæsarē aggreditur.*

*Badensis & wasserburgensis Duces.*

*Primā Cæsaris expeditionem intercluſa obseptaq; syluarũ succisione itinera reddidêre inuia.*

*Saxo felicius dimicauit.*

*Procopij formidinis atrox pœna.*

*Pontificis indulgentia Casimirus cucullũ exuit.*

patientia bellum renouare festinabat, reparatoq; iam & adaucto exercitu, iter in Boiemiã, præmissis latè exploratoribus, & insequentibus agminibus, diligentius quàm nuper munitus faciebat: mirabaturq; neminẽ adesse vspiam, qui sibi vt nuper transitum per syluas & montes inhiberet. In plano deinceps & aperto, factus ab incolis certior, euictum Bretislaum quorundam precibus, qui & dignitate & consilio præpollebant, vt tuta magis aliquando, quàm semper audacia consilia caperet, propterea in campum apertum non venire, quòd Pragæ mœnibus magis, quàm acici fideret, pragam ire contendit, milleq; passibus castra à mœnibus ponit: & antequam propiùs accedit, semel iterumq; per turmas equitem diuisum ad experiendum, qualem in resistendo Boiemi animum haberent, præmittit: & posteaquam accipit, neq; vires, neque audaciam hostibus deesse, toto cum exercitu muris appropinquat, pedestriq; simul & equestri acie instructa, copiam pugnandi Bretislao facit, eo intra mœnia nouis circum munitionibus communita sese continente, denunciat Seuero Pontifici, cui paulò ante regalia obtulit, vt fidei nuper præstitæ memor, ad se ex vrbe in castra veniat. Venit ille Bretislai permissu, seq; apud Cæsarem incusantem, quòd arma cum hoste imperij consociasset, vi & necessitate excusat. Mox in partem seductus, & à Cæsare de his quæ ille scire voluit interrogatus, ita solerter ad omnia respondit, ita crimina Bretislao obiecta prudenter diluit, ita certa ratione difficultatem expugnandæ Pragæ approbauit, vt Cæsar verbis eius placatus, diceret: Fac vt dignum esse maiestate nostra, & principis tui existimatione videbitur. Reuersus ille Bretislao persuadet, vtilius esse amico quàm inimico frui Cæsare, mulctariq; aliqua portione prædæ, quàm de summa rerum periclitari[m]. Mille igitur & quingentis argenti libris, atq; solemni obsequio, quòd Principes Cæsari exhibere solent, pax & amicitia redempta fuêre. Conciliatus & Romanus Pontifex Bretislao erat, ipso voto quòd de instituendo sacerdotum collegio, & templo Boleslauiæ ex manubijs Polonicis ædificanda vouerat, absolueratq;. Interea temporis cuncta ferè in Polonia ad Casimiri reditum mutata erant. Polonis videlicet à Bretislao domi tumultu Hungarico impedito, ad præsentem Casimirum certatim desciscentibus, paucæ retentæ in Silesia à præsidio Boiemorum arces, & ex vrbibus sola Vratislauia, quam vt rursus assequeretur Casimirus, ne stipendiarij quidem & vectigalis principis conditionem sustinere grauabatur. vectigal Bretislao in singulos annos auri triginta, argenti centum libras appendebat. Caruit Pontifice illa tempestate Vratislauia, idq; solùm ei ad cæteram vrbis magnificentiam defuerat. Vt igitur de Pontifice quoque gloriari posset Casimirus, de sententia suorum Præsulum sedem Ricinensem transtulit Vratislauiam, iussitq; ibi Hieronymum non amplius Ricinensis, sed deinceps Vratislauiensis Pontificis titulo præsidere. Hoc verò negocij Bretislao cum Hungaris erat: Crebris excursibus populationibusq; vexabant Morauiam, agressesq; ex illa familias vnà cum pecoribus abducebant, latè diffuso terrore per equites, quorũ illis copia aderat, & Morauis inopia: ideoq; ad Bretislaum confugerunt, auxiliares equites petitũ. Atq; ipsemet auxiliator illis aduenit. Et quoniam[n] Andreas tunc apud Hungaros fama inclyta regnabat, propterea quòd Hungaros, relicta superstitione, ad quam maior pars illorum redierat, coegerit Christianam religionem rursus colere. An igitur ipsius voluntate & assensu maleficia illa in Morauia fierent, per legatos explorari placuit. Andræa renunciante, nec suam in hoc, neq; publicam culpam esse, quòd nonnulli qui se quottidianis latrocinijs alunt per Morauiam grassentur: Proin se non impedire, quominus Bretislaus periculi suorum habeat rationem, puniatq; Latrones pro arbitrio suo. Velegradi erat Bretislaus, cum prædatores Morauiam ingressi, suo illam more prædari inciperent, haud procul

*An. 1052. Praga obsidetur ab Henrico Cæsare.*

*Episcopũ memorem iusiurandi Cæsar euocat.*

*Tributarius Bretislao ob Sleſiam Casimirus.*

*Bicinensem siue Smogorouiensem episcopatum Vratislauiam transtulit Casimirus.*

procul à Velegrado. Ibidemq; statim illorum turmis occursum est, & inito prælio equestri, atq; ducentis in illo Hungaris interfectis, reliqui fugã ad montes adornant. Mox aucto illi numero infestiores redeunt, cæde & incendijs obuia complentes. Ergo etiam prælium acrius quàm nuper fuit, vt in quo mille ducenti hostium deciderunt, & Boiemorum atq; Morauorum non nisi centũ desiderati. Ita latrocinij externi factus finis, & Bretislaus ad pietatẽ versus Reygradense cœnobium pridem inchoatum, tandem absoluit. Per idem tempus Procopius pietate, atq; innocentia vitę adeò claruit, vt penatibus diuis adnumeraretur. Patria ei Boiemia, & parentes item Boiemi erant, à prima statim pueritia solliciti, vt filius ipsorum Christiana disciplina imbueretur, cumq; studia tunc ad religionẽ conducentia, non apud alios in Boiemia, nisi apud viros sacris iniciatos vigerent, puerum collegio sacerdotum in arce Vicegradensi erudiendum obtulerũt. Postquam adoleuit, ingeniumq; & mores collegio sic approbauit, vt idoneus haberetur, qui collegarum numero adiungeretur, maluit sodalem, in sodalitio Breunouiensi, quàm collegã in collegio Vicegradensi agere. Captus deinde amore vitę solitariæ, Breunouia relicta, spelunca quandam Sasauæ flumini incumbentem, laruisq; & lemuribus infamem sibi inhabitandam delegit, eam simul atq; subijt, continuò omnes illæ terribiles visu formæ dilapsæ sunt, haud secus, ac dilabi solent tenebræ luce immensa, vnaq; etiam metus est depulsus ab accolis, qui adire specum sibi metuebant. Igitur cognoscens Procopius frustra secretum à se, fugamq; hominum quæri occultandi sui finem fecit, ac paulò post, suæ sectæ assectatores in contubernium contrahens, sacra cum illis, & munus vigiliarum, precumq; & ieiuniorum obiuit, tametsi nihil in iuuentâ ægrius, quàm famem toleraret. Ob quam rem Præside Breunouiensi aliquando indignante, atq; id agente, vt abductum in agrum, ieiunare propter cibi inopiam vsq; ad horam præstitutam cogeret, Procopius famelicus conspecta arbore corno, suspirare intimis pectoribus, conqueriq; de hyeme incipit, per quam videlicet fieret, quò minus id temporis corna esui matura reperiret. Induit subitò ad suspiria eius arbor & folia & fructus, conuertitq; rei nouitate in se omnium oculos: sed & Procopium mirabantur, tam auidè in oblatos fructus inuadentem: atq; ab eo tempore indulgentiùs in continuandis ieiunijs est habitus, donec processu temporis & ætatis, rabidam orexim consilio atq; ratione summoueret, abstinentiamq; deinceps sic coleret, vt illius exemplum seipsum alijs præberet. Non solum autem superstes, verùm etiam in sepulchro dormiens multa & præclara ædebat miracula. Bretislaus eo loci, quo iacebat, memoriæ eius templum excitauit, addiditq; illi sodales cœnobitas. Post supplitium de Cochano sumptum, Bormirius Versouicensis, ad vetus familiæ suæ asylum in Poloniam penetrauerat, motum aliquem nouum ibi aduersus Bretislaum concire cupiens: quod vbi efficere haud potuit, manum latronum satis validam in Polonia excitat, vt prædatum secum illam in agros Boiemiæ, iuxta Glatium sitos adducat. Non carebat suspitione Casimirus, quasi eo conscio aut dissimulante, Poloni fines Boiemiæ incursarent. Eò magis Bretislaus instare, vt absq; dilatione exercitus in Poloniam scriberetur, sed obtinuerunt seniores, priusquã id fieret, vt legati ad Casimirum irent, qui dedi sibi latrones ad supplitium postularent. Quod si recusatum fuerit, bellum apertum denunciarent. Casimirus legatos benignè ac lautè tractauit, & hactenus illos apud se retinuit, quoad Bormirius Versouicensis, cum alijs triginta antesignanis Cracouiam adduceretur. Tum ad legatos: Cras, inquit, non verbis, sed re ipsa suspitionem de me conceptam reuincam, testibus oculis vestris, quibus plus quàm auribus credi solet. Iubetq; luce orta statim captos omnes in conspectu illorum crucibus suffigi, inter quos altissimus pendebat Bormirius. Ad vitam

*Diui Procopij vitâ & miracula.*

*Bormirus Versouicensis turbas in Polonia ciet.*

*Legati ad Casimirum Versouicenses postulatum.*

*Versouicensis cũ triginta cõplicibus furcã subijt.*

*Perpetua inter Polonos & Boiemos pax sancita.*

præterea ſuam Caſimirus obtulit pacis inter Polonos & Boiemos conditionem, ſi viciſſim Bretiſlaus ad ſupremum vitæ diem pacem ſe ſeruaturum promitteret. Accepta conditio eſt, præſertim illam offerentibus ijs, qui ingentia nuper incommoda ſuſtinuerant, & vtrinq; fideliter cuſtodita fuit. Cæterùm alibi à Bretislao ociſſimo, belli materia quæſita & inuenta eſt laceſſentibus denuò Hungaris, Regi quoq; ſuo etiamtum rebellibus, quòd ad Scythicam reuerti ſuperſtitionem prohiberentur: tempeſtiuum itaq; viſum, inſtaurare protinus in tales expeditionem: & ſi non fuerint in Morauia reperti, in Hungaria illos eſſe veſtigandos & ſubdomandos interceptis illorũ quoq; domicilijs, per impietatem profanatis: & locis præterea aliquibus Morauiæ vicinis, quę illi olim Morauis per vim, aut fraudem auulſerunt. Ad id vſq; temporis Boiemi ſuo Marte, ſuisq; viribus bella gerebãt.° Bretislaus primus fuit, qui in hac vltima ſua expeditione contra Hungaros equitatu prævalentes ſuſcepta, equites ſibi ex Germania mercede conduxit, & ad oppidum Chrudim, paruo à Morauia interuallo diſtante, ſecũ abduxit: quos dum ibidẽ cum alio exercitu hylaris & lætus recenſet, ac poſtea liberalius cœnat, ſeq; pluſculum inuitat, feruentiſſima per noctem febre corripitur. Quę poſtquam æſtum non remittit, ſed capitis inſuper & pectoris dolores acres cõmouet, finem vitæ adeſſe ſentiens, attollit oculos, videnſq; præter filios ſuos coràm, alios quoq; frequentes proceres de ſalute ſua omnes ſollicitos, laudato officio, iubet illos bene ſperare. Pro me enim vno, inquit, etiamſi ego vobis nunc auferar, quinq; filios, Spitigneum, Vratislaum, Conradum, Otthonem, Iaromirium vobis ſuperſtites relinquo: hi facilè deſyderium mei leuare poterint. Sed illud potius vobis curandum, omniq; ratione prouidendum erit, vt ea quæ nunc eſt inter fratres coniunctio, concordiaq;, poſt obitum quoq; meum perduret inuiolata. Nam quæ ſit illorum ætas videtis, ea nimirum, quæ ſiue publico, ſiue priuato muneri obeundo, iampridem habilis habetur, extra vnum Iaromirium, in quem Pædagogus adhuc ſuo fungitur officio. Vt igitur nullus de hoc metus ſit, ne quid per imbecillitatem ætatis noui moueat, ita valde metuendum, ne maiores natu fratres, dominandi cupiditas tranſuerſos agat, fraternamq; violet beneuolentiam, ſi fortè vnuſquiſq; ad principatum aſpirare, quàm alij loco cedere contenderit, immemor verborum Domini, dicentis: Omne regnũ in ſe diuiſum deſolabitur. Sed quanquam meliorem ego ſpem mihi de filijs meis ſpondeã, ipſos videlicet ſua ſponte ab omni diſſidio domeſtico eſſe temperaturos, cum omnes rem maximè impiam eſſe ſciant, fratrem fratri moliri inſidias, tamen mutua defenſio, multò mihi tutior videtur, vt in qua multi, quæ in rem communem ſint conſulere, viq; maiore malum arcere poſſint, ſi abſq; aſſentatione æquos & iuſtos conſiliarios, defenſoresq; communiter præſtiterint. Cuiuſmodi ego cum vos fore confidam, occultare præſentibus nolo, quale decretum quondam inter filios decreuerim. Nihil vtiq; noui, aut inſoliti ſtatuens, ſed quod ordo primùm naturæ, dein ius Gentium præſcribit, id confirmans. Nempe, vt ex filijs, ne alius ad paternam regni ſucceſſionẽ, niſi natu maximus prouehatur: cæteri fratres, ſorte quiſq; ſua contenti ſint. Iuramento à cunctis in hoc decretum præſtito, tum Bretislaus, Spitigneum eis Principem totius Boiemiæ nominat, atq; inter alios fratres Morauiam in hunc modum diuidit. Vratislao Olomuncenſem, Conrado & Ottoni, Brunnenſem ac Znoymenſem regionem attribuit. Iaromirium verò ad ludum literarium amandat, eiq; ſucceſſionem Pontificatus Pragenſis deſtinat. Quibus ſic compoſitis, animaq; in manus Domini commendata, emittit ſpiritum. Corpus inde Pragam à filijs relatum, & in arce Pragenſi ad Sanctum Vitum conditum. Nullus in rebus bellicis ex Boiemiæ hactenus principibus, Bretiſlao par fuit. Nullus enim tam fœliciter aduerſus Cæſarem & Germanos rem ſuam

*Morituri Bretislai oratio.*

*Ad concordiã exhortatur liberos*

*Hereditas principatuũ inter fratres diuiſa.*

*Bretislai encomium.*

ſuam geſſit. Nullus tam latè Hungariam ad vſq; arcem & oppidũ Strigonium vaſtauit, tamq; crebris & varijs prælijs ipſos Hungaros afflixit, nullus Poloniã, ita vt ipſe, debellauit, & ad tributum Boicmis pendendum redegit. Domi item in adminiſtanda Republica habitus clariſſimus.

[a] *Filij Ladislai Calui patrui ſancti Stephani à cuius morte Petri & Abæ (qui & Ouo & Albuinus dicitur) ſæuitiam metuentes in Morauiam, hinc in Poloniam exulatum profecti ſunt.*

[b] *Secundus dicitur hic Henricus Niger iuxta Italorum ſupputationem, qui Aucupem quòd Italiam non adierit è catalogo Imperatorum excludunt, & S. Henricum vel Claudum primum conſtituunt.*

[c] *Petrus è ſorore ſancti Stephani patre Vuilhelmo fratre Sigiſmundi Regis Burgundiæ natus, ſecundus rex Hungariæ ob tyrannidem regno pulſus. Et Aba maritus ſororis diui Stephani ſuffectus.*

[d] *Albertus Bauarus (ſoror eius nupta fuit Petro Regi) qui & Bambergenſis Leopoldi. F. Alberti N. Othonis III. pronepos, primus Marchionatus Auſtriæ titulo & prouincia ab Hungaria reſecta donatus.*

[e] *Conrado Saliquo Imperatore ob imbellem inertiam Miecislai Regis Poloniæ plurimæ prouinciæ ad Pomeraniam & Saxoniam Marchiamq; Brandenburgenſem ad littus Balthicum Romano Imperio vectigales factæ ſunt.*

[f] *Ob impotentem Rixæ matris dominatum Polonia vterq; pulſi. Caſimirus Lutetiæ artibus liberalibus addictus, pòſt in Burgundia ad Cluniacum ordinis D. Benedicti fit Monachus.*

[g] *Auita bona Bretislaus à Polonis repetit: incongruo accepto reſponſo bellum parat.*

[h] *Gaudentij corpus ſuppoſititium pro Adalberti corpore aiunt (hoc enim templi cuſtodes defoderant) Boemos accepiſſe Poloni ſcribunt.*

[i] *Schiſmate decimotertio Benedictus IX. Silueſter III. Ioannes XX. Contra hos Papa factus Gregorius VI. ab anno 1032. vſq; ad annum 1045.*

[k] *Conradus Saliquus pater non ſocer fuit Henrici.*

[l] *Confertur alendæ perpetuæ Lucernæ in æde D. Petri Romæ, denarius Polonus S. Petri dictus.*

[m] *Coegit priſtinum ſolutis tributis iugum Boiemos Subire. Hunc Henricum dicunt alij 500. Marcarum argenti & boum vectigal primum Boemis impoſuiſſe ob conceſſam illis Morauiam.*

[n] *Andreas Rex Hungariæ cœpit regnare Anno 1038. Stipulato paganiſmo regnum conſequutus Andreas. Pòſt ad verum Dei cultum reuerſus, latrocinijs infeſtam reddidit Hungariam.*

[o] *Bretislaus ſubacta Polonia ter Pannoniam dicitur inuaſiſſe, neq; mediocria damna intuliſſe, ſed tertiò ingreſſus repentina febre correptus pedem referre coactus eſt.*

*Bretislai filij*
- *Spitigneus*
- *Vratislaus*
- *Conradus*
- *Otho*
- *Iaromirius*

# HISTORIAE BOIE-MICAE LIBER OCTAVVS.

XXIII. *Spitigneus μισογέρμανος*

QVemadmodum parens inter filios hæreditatem distribuerat, sic partē quisq; suam ab ipso funere adijt, totum autem Boiemiæ principatū Spitigneus solus possedit, à puero statim hominibus Germanis infestissimus, tum verò adepta nocendi quoq; potestate, adeò in illos implacabilis, vt contra sententiā virorum primorum, exemplum insolens detestantium edictum proponeret, quo intra triduum Germani omnes e Boiemia pellebantur. Ac ne respicere personas, matremq; suam ab aliis secernere videretur, illam quoq; in Germaniam, saluis rebus suis reuerti iubet. Restabat virgo vestalis diuo Georgio in arce Pragensi consecrata, nobilibus in Germania parentibus orta, quippe parentes eius ea dignitate fuerunt, quam nunc Comites vsurpant, quæ religione se tutam existimans, abitionem etiam post edictum dissimulabat. Hic ille atra bile percitus, denunciari protinus virgini iubet: Nisi ante noctem cœnobio egressa fuerit, nihil posthac illi aduersus imperium Principis, aut flammeum, aut velum profuturum. Causam tam intemperantis denunciationis, ex hac offensa ferunt obortam: Muro cingendam arcem Bretislaus conduxerat, metiriq; se præsente spacium illius iusserat, cum Spitigneus filius, etiam tum adolescentulus adesset. Metienti Clybanus proximè cœnobium obuiam fuit, qui cursum funiculi à via detorquebat, quoniam parens furno parci iniunxerat. Quo paulùm progresso Spitigneus subsistens, Clybanum inuadit, illumq; vi tua demolitur, his præterea verbis insultans: Non amplius Germana hæc sanctimonialis tostas ex hoc Clybano edet placentas. Ad quæ illa commota: Videte, inquit, robustum Boiemum, quàm strenuum facinus designarit, fictilem vnus solus fornaculam diruit, quam vix tres validissimi iuuenes Germani proturbassent, dignus scilicet ob hanc victoriam corona triumphali. Arriserat dicenti Iudith mater, quæ tum præsto fuit, & perinde atque illa sanctimonialis filium offenderat, tanquam parum Boiemis propitia. Iudith tamen à filio contempta Petro Regi Hungariæ, nuper ab incolis regno pulso denupsit, ac post eius obitum in Morauiam se ad alios suos filios contulit, pietati & religioni ibi dedita. Huius pietatis eius hoc est monumentum, quòd nunc Lucense Cœnobium appellant, insigne opibus iuxta Znoymam situm, sed id suo post tempore ædificatum. At in præsens Spitigneus cum accepisset, apud Morauos se malè audire propter edictum contra nationem Germanam promulgatum, vltioni intentus trecentos simul viros nobiliores acciri ad se nominatim ex Morauia imperat, qui sibi ad oppidum Chrudimum occurrant. Faciunt imperata Moraui, ad vnumq; omnes protinus capiuntur, & per municipia diligenter custodiendi traduntur, armis & equis spoliati, quos Spitigneus suis distribuit, atq; cum illis & reliquis copijs Morauiam ingressus est. Cuius aduentu Vratislaus conterritus, Olomucioq; diffisus, quò frater iter suum conuerterat, ad Pannoniam transfugit, hospitaliter à Rege exceptus. Quàm verò ægrè Spitigneus tulerit, fratrem sibi elapsum fuisse, vel hinc coniectura capi potest, quòd neq; in vxorem eius, quæ tunc grauida Olomucij relicta fuit, apertisq; vltro portis, Leuirum intra

*Edictum contra Germanos vt triduo soluũ vertant, ne matre quidem excepta.*

*Origo implacabilis aduersus Germanos odij.*

*Iudith Bretislai vidua Petro Regi Hungariæ nubit.*

*Pruk monasteriũ Iudith condit.*

*Anno 1059. Iudith mortua.*

*Trecentos Morauos spoliat Spitigneus.*

*Vratislaus frater profugus ad Regem Hungariæ Andreã.*

intra Mœnia recepit, clementem, humanumq; se exhibuit, sed illam quoq; velut captiuam, Belinæ præfecto custodiendam vinciendamque attribuerit. Vnde tanta insuper Conradum ipsum, & Otthonem trepidatio occupauit (nulla enim prouisa habebant præsidia, quæ fratri sic subdolè cum Morauis agenti opponerent) vt ambo spontaneam illi facerent deditionem, sed iussi sunt cum illo Pragam ire, venientesque istic ministerijs aulicis alligati sunt, Ottho quidem venationibus, Conradus verò regalibus epulis præficiuntur. Inter hæc Seuerus Pontifex idoneum tempus adeundi principis nactus, eiusmodi verbis illum compellat: Officij sui esse, vt Principem submoneat, si quid ab illo gestum videat, quod pios multorum animos offendat, deque Principis existimatione multum detrahat. Videri autem plerisque hanc impietatis insignem esse notam, quòd matrona illustris, culpæ nullius conscia, quòd vxor fratris eius, quòd partui propinqua, sordido, seque indigno carcere detineatur. Quid enim indignius quàm Principem mulierem seruili custodia contineri? Plurimum sanè interesse inter viros ac fœminas, ab illis sæpius misericordiam sine reprehensione subtrahi posse: at mulierem calamitosam, nisi propitius quis respexerit, à nemine vnquam laudabitur. Nihil autem Principi in vita contingere posse fœlicius, quàm laudem & charitatem subditorum suorum assequi. Hæc enim vera ac propemodum sola haberi præsidia vitæ, sine metu à Principibus degendæ: ac nulla re alia sic illa comparari, vti mansuetudine morum & facilitate, ipsi quoque Domino adeò perplacente, vt dicat: Misericordiam volo potius quàm sacrificium: Ab eodemque spiritu, præterea doceri nos, vt ad hunc modum deprecemur Deum: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis: quantò magis homines meminisse oportere, vt misericordiam hominibus sui similibus, deposita indignatione tribuant. Mitigatus per hæc Spitigneus, vinctam exolui iubet, concessa ei facultate vel manendi in Boiemia, sumptum Principe in res necessarias suppeditante, vel accepto viatico abeundi quò placeret. At illa cum rectà in Pannoniam ad maritum nimis per viam ire festinat, concusso ex itinere vtero, subsistere in Morauia cogitur, nec vltra triduum vitam illic prorogat. Quo Vratislaus comperto, non solùm vxorem sibi, verùm etiam id quod in illa conceptum erat simul interijsse, aliquot dies clausus intra cubiculum, ingentem luctum continuauit. Per eos tandem, quos Rex de suis consolatores submiserat, in conspectum Regis adductus, ab ipso Rege admonetur, ne doleat, neue animo succumbat propter casum, qui iam erigi in pristinumq; statum restitui nequeat. Sperandum esse viuis, auctoriq; vitæ fidendum. Hęc tristia illum breui, lætioribus mutaturum: se verò interim curaturum de matrimonio renouãdo, deq; vrbe Olomucio recuperanda. Vtriusq; rei paulò post Vratislaus compos factus est. Nam sororem ei suam Rex, Hungaris assentientibus, despondit. Nomen illi Adelheida fuit, & Spitigneus non expectans, dum armis Hungaricis frater in Morauiam reponeretur, ex familiaribus amicis duos ad illum allegauit, qui de reconcilianda fraterna gratia agerent, simulq; pollicerentur omnium quæ ablata illi in Morauia fuissent in solidum restitutionem. Hi responsum iussi referre: Ita demum Vratislaum promissa fraterna rata habiturum, posteaquam viderit duos quoq; reliquos fratres in bonorum possessionem reductos. Animum hæc Spitignei suspensum reddebant, in diuersasque illum sententias trahebant: modò enim placuit Morauiam rursus inter omnes fratres diuidi, modò vtilius securiusque esse videbatur, vt ipse Conradi atque Otthonis portionem sibi retineret. In hoc cogitationis æstu fluctuanti, dicitur, per quietis speciem Diuus Vitus se obtulisse videndum, grauiq; ac seuero illum sermone corripuisse, quòd odiũ implacabile aduersus necessitudines foueret: Nihilo lenior in subditos, quos

*Inuectiua oratio Seueri aduersus Principem Episcopo digna.*

*Relaxata Vratislai coniunx Seueri & optimatum intercessione exacto mense edito fœtu immaturo, maritum petitura in itinere animam efflat.*

*Adelheidã filiam Andreas Rex Vratislao desponsat.*

*Reconciliatur fratri principi Vratislaus.*

*S. Vitus Spitigneo in somnis apparet.*

sæuè, & atrociter, auareq; tractaret, in foribus adesse vindictam, quam, nisi resipuerit, Dominus illi retribueret. Consternatus hoc tam tristis somnij aspectu, Seuerum Pontificem accersiri iubet, metumq; nocturnum, & curam præsentem suam eo coràm explicat. Ille cœlitùs demissum numen affuisse interpretatur. Nec enim ad bonam frugem, nisi bonum quoque Angelum conuertere homines solere, idcirco Deo gratias agendas pro munere hoc gratuitæ misericordiæ suæ, parendumque esse diuinis monitis, quorum contemptus nunquam sine certa pœna trãsmittitur. Mirabilis subitò facta est in Spitigneo metamorphosis, heri lupus rapax, hodie adeò mansueta ouis, vt vellus sibi sua sponte auelli sustinuerit. Vocatis enim continuò fratribus suis, Conrado atq; Otthone, simpliciter illis atque apertè peccatum suum indicat. Se, inquiens, cupiditate plura habendi, ambitioneque latius dominandi, bonis illos à patre assignatis nuper interuertisse: nunc pœnitentia gestorũ immutatum, vtrique quod suum est, fraternè reddere, fraternaque deinceps omnes fratres suos beneuolentia prosequi velle. AEquè miti ac benigno mox animo scripsit ad municipia, vt laxatis custodijs, liberos Morauos qui nuper capti erant, redire in Morauiam sinerent. At Vratislaum Olomucij in domicilio suo inuisere dignatus est ipso natali die, quem filiolo ex Adelheida nato, ritu Christiano per baptismum celebrabat. Filium à fonte Seuerus pontifex suscepit, nominauitque cum auito nomine Bretislaum. Postquam satis epulatum, satisque conuiuatum erat, Vratislaus adiunctis sibi Conrado & Otthone fratribus (nam ipsi quoq; conuiuæ aderant) Seuerum orare incipit, vt vna vxore contentus, cum altera diuortium faciat. Nonaginta enim propemodum annis ambitu Pragensium Antistitum, Olomucensis Ecclesia suo sponso caruit, dum vtrumque sibi pontificatum Pragensis Episcopus vsurparet. Atque hanc in primis Seuerus tunc excusationem habuit, cur non statim petitioni subscribere posset, quoniam vetus res, non autem noua intercederet, quæ sine collegij Pragensis sententia confici à se solo nequiret. Non cessabat vrgere Vratislaus, iam Spitigneo quoque adiutore, vt de iure interim suo Seuerus decederet, cętera se cum fratre principe in Boiemia curaturum. Dat manus tandem Seuerus, Pontificatumque Olomucensem ad Ioannem, quemadmodum Vratislaus petebat, transfert, sibique Pragensem retinet: Pragamque inde principem suum comitatur indies magis ac magis apud plebem gratiosiorem, quando neque illius commoda negligeret, sed perinde aduersus infirmos atque supremos æquitatem præ se ferret. Cui rei hoc vel præcipuum exemplum in procinctu erat iam equo insidens, vt destinatũ iter prosequeretur. Equitanti occurrit quædam vidua, vociferans rogansque, iustitiam sibi contra aduersarium, multò se potentiorem administrari. Expectare princeps illam, dum reuerteretur, iubet. Contrà illa, moram hanc sibi periculosam allegat, quoniam vadimonium in proximam horam promissum sit, quòd deseri sine iactura causæ suæ nequeat, profectionem autem absque quouis detrimento posse deferri. Ablegat illam Princeps ad alios iudices ordinarios. At illa exclamat: Male rem suam procuraturam, si alij illam, quàm suo iudici, sibi à Deo constituto commendauerit. Victus hac voce, equo descendit, cognitionique amplius duas horas vacat, ac demum post sententiam latam, interruptum Boleslauiam iter continuat. Appetente mox festo die translationi Sancti Venceslai dedicato, Pragam reuersus, vt vidit ad sepulchrum tantam domesticorum, aduenarumque frequentiam confluxisse, quantum locus ille propter sui angustiam capere non potuerat, religione tactus, quòd laxiora ipse Palatia, quàm Diui templa haberent, nouo operi excitando curam intendit, dirutoque sacello vtroque, quorum alterum diuo Vito, alterum diuo Adalberto consecratum fuerat, aream longè ampliorem mensus, omnibus tribus in illa, vnum satis magnificum

*Seuerus Episcopus somnij interpres.*

*E lupo in ouẽ mutatur Spitigneus.*

*Pœnitudine ductus omnib. satisfacit.*

*Bretislaus Vratislai F. ex Adelheida Hungara è qua Iudith & Ludmillam dicitur suscepisse.*

*Seuerus Pragæ Episcopus, Olomucensem victus principũ precibus Iohãni resignat.*

*Clemens in viduã Princeps.*

*Templum augustum Pragæ exædificat.*

cum ſuperſtruxit templum. Cui quo minus faſtigium, tectumque imponeret, mors interceſſit. Hanc pulchram ſibi memoriam apud ſuperſtites relinquens, quòd malè probatos ab initio mores bene verterit, cum plerumq; alij principes in deterius mutent, vel bene cœptum vitæ inſtitutum. Pragam à funere Spitignei Vratiſlao, Conrado, Otthone conuenientibus, in eo conuentu ab omnibus ordinibus Vratiſlaus poſt Spitigneum natu maximus Boiemiæ Princeps declaratur, & ab eodem Morauia, inter duos iuniores fratres ſic bifariam diuiditur. Regio illius orienti expoſita, in qua vrbs Olomucium ſita eſt, & circum montes ac ſyluæ venandi copiam ſuppeditant, Otthoni tanquã venationibus dedito, fruenda conceditur. Illa altera occidua, cum Brunna pariter & Znoyma, Auſtriæ proxima, Conrado linguæ Germanicæ gnaro defertur. Nec multo pòſt, Iaromirius quoque ſuperuenit, inuidioſè, iracundeque cum fratre expoſtulans, nullam ſui ab illo in diſtributione Morauiæ habitam rationem, quaſi ipſe non ſuus hæres, ſed alienus eſſet, quem præterire liceret, æquè eodem ſe parente, atque Vratiſlaus, & cæteri fratres prognatum eſſe, cur æquam cum alijs portionem accipere non debeat? præſertim cum ſciat, à parente Morauiam trifariam fuiſſe diuiſam, vt illam tres, non autem duo fratres poſſiderent. Vnde hanc fratri authoritatem in ſuum fratrem, vt ei ius ſuum in bonis paternis adimat, niſi patrem quoq; ſimul ei auferre velit. Prouocat item Vratiſlaus ad parentem, eiusq; vltimam voluntatem, qua voluit, decreuitque, vt pars hæreditatis Iaromirio dominus eſſet. Ideoque literis datum imbuēdum, vt aptus olim idoneusque hæres in domo Domini factus, æternam aſſequeretur hæreditatem, interimque oppido Hradecio, cum illius commodis frueretur: ſed nec oppidum hoc, nec fructum eius illi ſe auferre, imò auctum potius maiore cenſu, illud ei in manus tradere. Quum per hæc placare iratum non potuerit, literas dat ad Conradum & Otthonem, vt Pragam ſtatim veniant. Vnaque cum illis rurſus Iaromirium adoritur, ſed iam precibus cum eo agens, vt ne contra voluntatem patris niti vellet, quam ſemel approbauit. Eadem Conradus atque Ottho precantur, & inſuper bona fide pollicentur, neminem in Pontificatu Pragenſi, Seuero ætate tam grandi, niſi Iaromirium ſucceſſurum. Hac ſpe delinitus, perſuaderi ſibi patitur, vt ad tertium ſacerdotij gradum ab eodem Seuero promoueatur. Sed breui poſthac iuuenis, ad iuuenile & inconſtans redijt ingenium, vt eum facti huius pœniteret, quòd Leuita fratrum ſuaſu factus fuerit. Abiecta igitur veſte talari, deraſoque toto planè capite, non tantùm vertice, ſagum induit, tonſusque ſe clàm in aulam Regis Poloniæ Boleslai, cui Audax cognomen, ſubducit. Ibi militem libentius & aulicum, quàm domi altaris miniſtrum agere ſuſtinens: aulicamque mox audaciam, impetrato à Boleſlao tumultuario milite vſurpans, terrere Vratiſlaum, Boiemiæque appropinquare auſus eſt. Sed hanc eius temeritatem Vratiſlaus paruo negotio repreſſit, fugientemque inſequutus eſt vſque in Poloniam. In qua edoctus, Regem ipſum celeritate miranda, cum magnis copijs aduentare, expoſcentibus qui cum ipſo erant viris præſtantioribus, retro pedem retulit, maiore exercitu, ſi opus foret, Polono occurſurus. In reditu mors cum Adelheidæ vxoris excepit, triſtis illa quidem propter multa ei ſolatia domeſtica erepta, ſed æquiore tamen lata animo, quia ſuo tempore à Domino præfinito venerat, quàm intempeſtiua illa prioris vxoris, iniuria hominum ante tempus ei ablatæ. Ad quam iniuriam vlciſcendam, quum intentus eſſet, occaſio hæc ſe ei obtulit. Pragam ad Seuerum Præſulem venit Præfectus ille Belinæ, qui vxorem Vratiſlai parum decore, parumque reuerenter vinctam, in arce ſua lattinebat, petitum, vt nouum templum, in fundo ſuo iuxta Belinam fundatum ſolemni more præſul dedicaret, quo facilè impetrato, vadit protinus ad principem, exiſtimans offenſæ oblitum, poſteaquam eius nul-

XXIIII. *Vratislaus.*

*Morauia inter fratres diuiſa.*

*Iaromyrius fratrum minimus admitti vult ad hæreditatem.*

*Spes iniecta Iaromirio Epiſcopatus Pragenſis.*

*Habitu leuitico repudiato, aulicus fit Boleslai Audacis Regis Poloniæ.*

*Laceſſit Vratiſlaum.*

*Mors Adelheidæ coniugis.*

*Anno 1062.*

la tam diu fieret memoria, ad eandemq; illum dedicationem, verbis valde supplicibus inuitat. Paucis ille respondet: Veniam, inquit, & quod facto opus erit, faciam. In meliorem quàm dictum erat sensum hæc accipiens præfectus, domi lautè prandio apparato, cum magno gaudio principem expectat: verùm ille post dedicationem templi à Seuero perfectam, oppidum Belinam intrat, iubetq; Seuerum, prandium quod præfectus foris ad templum apparauerat, prædere. Ipse clausis portis oppidanos in domū prætoriam contrahit, acceptoq; ab illis fidei iuramento, nouum eis præfectum (ipsi comitem vocabant) instituit. Is erat Cogeta Vysseborius, parēti Vratislai Bretislao percharus. Huic iunctum, vt illico mittat, qui delectum loco præfectum comprehendant, vinctumq; ad Principem adducant. At lictoribus anteuertit amicus quidam præfecti, in aurem illius, mensæ etiamtum assidentis, insusurrans. Ademptum illi esse cum oppido magistratum, & mox affore qui illum capiant. Expauefactus inopino illo nuncio, surgit continuò à mensa, seq; abdit in abstrusum locum, ac proxima nocte de consilio Seueri fugam instruit, atq; ita supplicium euadit. Bona tamen illius à Vratislao proscripta sunt, quorum meliorem partem Sacerdotia tenuiora abstulerūt. Nam ipse princeps in vsum suum ex illis ne teruncium quidem conuertit. Non enim auaritia, sed dolore accensus, ad persequendam vltionem aduenerat. Comperto deinde Polonos denuò aduersus Boiemos in Slesia grassari, decernit & ipse delectum militum, eisq; oppidum Glacium nominat, ad quod præstituto die conueniant. Nam hoc oppidum in Slesiam totum prominet, vtpote vltra Boiemiæ montes in plano situm, quondamq; numeratum inter Slesiaca oppida, quibus tunc magna ex parte Poloni dominabantur, assiduò satagentes, ut Glacio quoq; rursum potiri possent. In hoc oppidum castris prius circummetatis diuertenti Vratislao, nuncius affertur, Seuerum diem suum obijsse, vacareq; Pontificatū Pragensem. Eodem tempore Conradus & Ottho, de hac ipsa morte certiores facti, expeditum Iaromirij familiarem, cursim in Poloniam currere hortantur, dantque eidem occultas literas ad fratrem Iaromirium perferendas. Quibus perlectis, citò equo in Morauiam ad fratres suos deuectus: coram, inquit, quem quæritis adsum. At illi sago exutum, induuijs rursus Sacerdotum eum induunt, barbaque & corona abrasa, nitidum ad Vratislaum Glacium deducunt, rogantes in demortui Pontificis locum eum suffici. Nihil minus Vratislao placebat, quàm vt frater suus, tam vita quàm studio à religione auersus, Pontifici Seuero, diuinarum rerum sacræque disciplinæ obseruantissimo succedere deberet. Sed ne ipse sibi, suo responso maiorem conciliaret inuidiam, hanc rem ad cæteros ordines, qui extra mœnia in castris erant reijcit. Veniensque postridie manè ad castra, de substituendo nouo Pontifice ad consiliū Procerum, equitumq;, & sanioris populi partē refert. Proposito illis, Præsuleq; nominato equestris ordinis Lanesio Saxone, quē à sacris Sacellanū habuit, nnperq; propter bonas literas ac mores probatos, eundem Lythomericensi Ecclesiæ præposuit. Contrà pro Iaromirio acriter contendebant fratres Principis Conradus & Ottho, tanquam consponsores pro hac successione, si præmoreretur Seuerus. Gliscente vtrinq; altercatione, dum alteri Lanesium approbant, alteri Iaromirium præferunt, assurgens Cogeta Visseborius, Viderint ait illi quid agant, qui Bretislai acta facere irrita conantur, quibus is, præter filios, etiam subditos suos sibi obligauit, vt operam Iaromirio in Pontificatus successione, cuius gratia ad Scholas relegatus fuerit, nauarent. Se memorem promissi, tam patri mortuo, quàm filio superstiti fidem integram seruare, atq; à Iaromirio stare velle. Excipit Zatecensis præfectus aliquāto ferocius: Videte, inquit, viri Boiemi, quid inter Spitigneum paulò ante defunctum, & principem hunc nostrum intersit: ille multū in hoc prouidisse existimatus, ideoq; summè à vobis laudatus est, quòd

*Cogeta Visseborius Belinæ præficitur.*

*Crudelitatē in coniugem patratam vlciscitur Vratislaus.*

*Ad Glacium Vratislaus exercitū cogit aduersus Polonos.*

*Mors Seueri Episcopi.*

*Ambit Iaromirius.*

*Vratislaus Lanesiū Saxonē euehere studet.*

*Impedit Visseborius.*

quòd Germanos Boiemia expulerit, aliquando Boiemis exitio futuros, si inua lescerent: iste secundum à se locum, huic nescio cui Germano vltrò defert, vt dum vnum, plus etiam quàm fratrem suum honorat, cæteros Germanos ad reditum in Boiemiam inuitet, quemadmodum fieri quotidie, aulamque principalem compleri illis cernitis: adeò scilicet à Principe nostro amamur, vt vix locum in aula illius honestum obtineamus. Iam verò & Sacerdotes illi domestici tantum sordent, vt nullum eorum dignitate maiore putet dignum. Quum si vel Iaromirius non extaret, complures alij reperiantur, qui huic Saxoni genere, disciplina, pietate vel pares, vel longè superiores sint, & perinde pariter, aut magis etiam idonei ad Pontificatum gerendū, si modò suis à Principe qui externis fauor adesset. Sed faueat quisque cui velit, se posteaquam in causa præsente, decus patriæ, dignitas Iaromirij, fides sua quam Bretislao obstrinxerit, periclitentur, mori malle, quàm causam hanc deserere. Apparebat ex strepitu vtriusque factionis, rem ad seditionem & arma venturam, si non Vratislaus discessu concilium turbulentum diremisset, ac per internuncium renunciasset, se de sententia sua non Vissehorij, neque Zatecensis Præfecti metu cedere, sed Conradi atque Otthonis fratrum graria hoc facere, vt Iaromirius tantopere exoptatum munus sibi habeat. Ac mox in alio- rum contemptum, cum Boleslao Poloniæ Rege de fœdere ineundo agit, illudque per instauratum tertiò matrimonium, Sorore Regis, cui Suataua nomen, vxore ducta, compositis prius quibusdam in Sylesia rebus confirmat. Locus monet, vt de hac ipsa Sylesia, quæ iam pridem tota sub imperio Boiemorum constituta est, pauca dicamus. Hæc quondam à Quadis sicut Morauia à Marcomannis regnabatur. Quados autē Cornelius Tacitus inter Germanos numerat, illisque ad memoriam vsque suam, Reges ex Gente ipsorum mansisse scribit. Manserunt tamē & postea, vt Marcellinus longo post tempore refert, de Constantino Imperatore loquens: Perrexit, inquit, in regna Quadorum, qui Sarmatis locorum confinijs & feritate iunctissimi sunt. Quadis sanguine regio ortus iuuenis Zizais nomine, pacem impetrauit, redditis prius captiuis, & datis obsidibus. Meminit præterea Araharij Quadorum Regis, veniam similiter ab eodem Constantino petentis. Tandem Lechus frater Czechij, de quibus ante dictum est, in illam regionem penetrans, Poloniam campestri planicie, quam vernacula lingua Pole dicimus, appellauit. Durauitque illi hoc vocabulum, quamdiu sub ditione Polonorum erat. Postremò Boiemi illam nacti, quū vidissent, prēter Polonos, Misnios quoq; ac Pomeranos, Marchitasq;, & aliam miscellaneam turbam illò velut inserpere, paulatimq; irrepere, à serpendo Slesitas natiuo suo sermone appellare cœperunt. Nunc Sylesitæ vocari malunt, patriamq; Sylesiam: cuius olim termini, quemadmodum item Moraiæ, spacioſissimè diffundebātur: at in præsens, non vltra his centum passuum millia in longitudinem porriguntur. Latitudo verò circiter octoginta millia continet. Regionem Odera nobilis fluuius, qui in Morauia haud procul ab Olomucio fontem suum habet, perlabitur: nobilissimamq; illic vrbium Vratislauiam alluit, ac suo nomine mare Baltheum irrumpit. Ager illi frumenti & pabuli ferax, sed vinum & crocum ferre contumax: quoniam vtraque non amant cœlum solumque asperius, rigidiusque. Gens ad arma prompta, bellisque gerendis idonea: in præsentia verò ad liberales quoque disciplinas, & literas eleganter pertractandas, egregiè apposita, nec tot Principibus, quot ante sepius inter se dissidentibus obnoxia: ideoque minus timida ne multitudo imperatorum iuxta vetus prouerbium, Cariam perdat. Hactenus de Sylesia. Nunc ad Iaromirium in Boiemiam reuertemur. Qui vt Pontifex est nominatus, id statim egit, curauitq; vt inauguraretur & confirmaretur, vtrumq; horū Henricus Cæsar, eius nominis tertius, Pontifice Romano cōtempto, violenter

*Iaromirius Episcopatu potitur. VIII. Episcopus Prag.*

*Suetochna Boleslai feri Poloniæ Regis soror Vratislao nubit.*

*Sileſiæ deſcriptio.*

*Quadi.*

*Sleſiæ etymon à ſerpendo.*

*Odera.*

*Vratislauia.*

*Bellicoſi Sileſij.*

*Henricus Cæſar Iaromyrium confirmat.*

sibi vsurpauit,vnde primus etiam imperatorum,post Arcadium diris Pontificijs est petitus: Maguntiæ eo tempore Cæsar erat, cum se Iaromirius ab illo confirmari, suamq; dignitatem pontificiam consumari oraret. Quo imperato,dat ille inaugurandi negociū Moguntino Præsuli,qui mutato nomine Gerardum pro Iaromirio nuncupauit, remisitq; inauguratum Pragam ad oues suas pascendas antea commonefactum, vt offensarum acerbitate depositā, mutuam cum Vratislao fratre suo beneuolentiā coleret. Bene aliquandiu inter illos conueniebat,sed posteaquā Gerardus auaritia succensus,ambire Olomucensem præterea Pontificatum cœpit prætextum habens, quòd Seuerus in damnum successoris, nihil potuerit in coniunctione Pontificatuū demutare,Vratislao contradicente, patrociniumq; Ioannis Episcopi Olomucensis suscipiente, rursus ex hac contentione noua simultas coorta est, quam mox Gerardus exacerbauit, verberibus mulctato Ioanne, quòd sibi de Pontificatu Olomucensi cedere noluerit. Hanc tam insignē iniuriam Vratislaus vnà cum Ioanne, Romam ad Pontificem Romanum referendam censuit. Relator futurus erat sacrificulus Ioannis, vir industrius, ac sæpe in curia Romana versatus: sed & illum Gerardus per insidias literis & viatico spoliatum, addítis plagis pessimè accepit. Legat demum Vratislaus suos legatos melius quàm prius comitatos: atq; ij Romā incolumes peruenientes, isthic obtinent, vt senatusconsultum fieret in ipsorum sententiam de[b] Rudolpho Cardinale Pragam mittendo, qui præsens causam controuersam, tanquam iudex cognosceret, dijudicaretq;. Veniens ille citat Gerardum ad causam dicendam, ac semel iterumq;, & tertiò per contumaciam apparere detrectantem, ab officio Pontificali suspendit. Edicitur protinus ab alijs sacerdotibus, ad factionem Gerardi pertinentibus, velut iusticium. Nam & templa passim clauduntur, & sacrificia intermittuntur, cum hac denunciatione, non prius se ad illa redituros, quàm censuræ vinculum aduersus Gerardum laxatum fuerit. Irritatus audacia illorum Cardinalis, ferit contumaces omnes anathemate. Nec vrgere illos, deuouereq; desinit, quàm iureiurando Gerardus, de se Romæ sistendo promittit, venitq; ad vadimonium promissum, sed in causa cecidit, relegatus in cœnobium, vt priuatam cum contubernalibus vitam viueret, posteaquā Antistitis munere defungi, aut nescierit, aut noluerit. A quo sodalitio paulò post certior factus adesse Romæ [c] Mathildim, quæ gratia & authoritate apud Romanum Pontificem, ante alias Italiæ matronas præpolleret, quam quidem Gerardus pro cognata sua agnoscebat, quando vt ipse, ita illa quoq; generis sui originē ad Cæsares Germanos referret. Illam continuò precabundus adit, rogans, ne se in periculo positum illa ope sua apud Pontificem destitueret. Mathildis necessitudine, quæ sibi cum Gerardo intercederet, comperta, benignis verbis recreatum, secum ad Pontificem adducit, factaq; perblanda oratione, pristinum fortunæ habitum cognato impetrat. Tragico per idem tempus facinore domus Cæsarum exagitabatur, filio cum patre, ac vicissim patre cum filio belligerante. Initium belli parricidialis & causam, insectatio Pontificū religionisq; contemptus præbuit, quem Henricus tertius præ se tantum ferebat, vt Sacerdotia pro libidine sua institueret ac venderet, adulterinos Pontifices Romam induceret, schismata suscitaret, bellaq; impia conflaret. Itaq; Saxones insolentiam eius non ferentes, Rudolphum è sua gente, Cæsarem à se declaratum ei opponunt. Quo victo ac profligato, in eius locum Henrici filium, & ipsum nomine Henricum sufficiunt. Huius factionem Leopoldus Austriæ Marchio (vtendum est enim vsitatis vocabulis) plurimum fouit. Sicut Vratislaus patris Henrici, à quo bonam Lusatiæ partem mercedis loco adeptus est. Cæterùm Leopoldus, vt Imperatori suo studium suum, lacessito Vratislao magis approbaret, Morauiam perfultat, ac omnem circum Znoymam regionem deuastat.

*Gerardus Geboardus alijs dictus.*

*Inuito Vratislao Ioannē Olomuzensi Episcopatu deturbare conatur.*

*Bellū inter Cæsares Henricos III. & IIII. patrem & filium. Anno 1077. Rudolphus creatus. Rudolphi coronæ Pōtifex Gregorius VII. adscripsit: Petra dedit Petro: Petrus diadema Rudolpho.*

uaſtat.Conrado, qui tunc Brunnæ erat obijcere ſe tantæ multitudini non auſo,ægro id animo Vratiſlaus accepit, fratriq́ue reſcripſit, vt comparatas cum Otthone in Morauia copias habeat, illò deducendas,quò mox iuſſerit.Ipſe domi robur militum ſex millium deligit, pariq́; corporum & animorum robore duo millia Bauarorum Ratiſponæ, apud vrbis illius præſulem,Leopoldo infeſtiſſimum contrahit, ſibiq́ue Conradum & Otthonem in Auſtria occurrere iubet. Præceperat iam Leopoldus caſtris ſuis locum, in eoq́; ſe vſque ad Vratislai conſpectum tenebat. viſa dein acie eius, in qua Bauari ad dextrum cornu, Moraui ad leuum, mediusq́ue cum Boemis Vratiſlaus ſtabat,inſtructus & ipſe ſuo ordine pergit obuiam,protractoq́; aliquamdiu certamine, & complu ribus vtriuſque partis hinc & inde cadentibus, auertitur tandem Auſtriaca acies. Ipſe deniq́ue Leopoldus ſalutem ſuam fuga redemit,caſtris ad diripiendum victoribus relictis. Hic eſt ille Leopoldus, qui cum parente ſuo Alberto, Hungaris eam Pannoniæ ſuperioris portionem ademit,quam nunc Auſtriam vocamus, tunc Marchiam orientalem appellabant, illamq́ue ſibi ac poſteris ſuis propriam dicauit. Victor Vratiſlaus ad Henricum ſeniorem in Germaniam tranſit, in qua plena omnia armis inuenit, cum pro ſe vterq́ue pater filiusq́ue tenderent, atque ille inferioris Germaniæ principes, hic Francones & Saxones armaret, cum quibus præter parentem, communem etiam patriam ferro & flamma popularetur. Ad Rhenum tandem conuenere, in cuius ripa citeriore filius, in vlteriore pater caſtra metatus eſt. Et quanquam alueus alti fluminis obſtaret, quo minus impia ſigna acie cõcurrerent, per turmas tamẽ, qui Rhenum lintribus traiecerant, plus quàm ciuili inter ſe prælio confligebant: non ciues ſolùm cum ciuibus, ſed ipſi etiam affines cum affinibus, cognatiq́ue cum cognatis hoſtiliſſimè præliabantur. Tanta tunc Germanos ſitis ſanguinem ex ſuo corpore hauriendi inuaſerat, tardos interim ad bella externa ſuſcipienda, ad quæ illos tunc Chriſtiani varijs in oriente cladibus fatigati, aliquotq́ue prælijs à Sarracenis & Turcis infracti, aſſiduis precibus,cæterùm fruſtra, vocabant,vt periclitantibus ſuccurrerent. Quum igitur vſque ad tædium, alteri iuxta Rhenum, alteros ſine copia pugnæ reſpectarent,affertur Vratiſlao, pabulatores Germanos, inter pabulandum inuaſiſſe Boiemos, & complures illorum per ſummam iniuriam lauciaſſe. Eam iniuriam Vratiſlaus ad Cęſarem refert,negligenterq́ue,vt ſibi videbatur,ab illo habitus,commeatum abeundi petit, ſubuereri ſe aſſimulans, ne qua ſeditio, aut inter militem Germanum & Boiemum contentio in caſtris ocioſis exoriatur.Imò,inquit Cęſar, nobis quoque hæc ſtat ſententia, vt in præſens caſtra ſoluamus,nulli vſui idonea, poſteaquam pars aduerſa flumen traijcere non audet. Ita ſine prælio vtrinque diſceſſum.Haud diu latuit Henricum iuniorem, per cuiuſmodi diſſidium à patre ſuo Vratiſlaus diuerterit. Ante igitur quàm interrupta coiret gratia,Vratiſlaum cuius in primis præſidio fultus pater ſtaret inuictus,magnis & multis honorum diuitiarumq́; pollicitationibus occupat, ſi patre deſerto, ſuas partes tuendas ſuſciperet,aut ſi id graue ei videretur, vt bello ſaltem prę-ſenti ſuperſedeat.Inſtaurabant enim tam pater quàm filius bellum, in quo victus tandem,& in poteſtatem filij pater redactus, Leodij pedore carceris miſeram exhalauit animam.Prijs tunc omnibus aſſeuerantibus,tam grauem,tamq́; manifeſtam pœnam.Deum vindicem ab Henrico,ranquam erga matrem Eccleſiam impio exegiſſe.Nam ſub idem tempus,hic ipſe Deus iuſtiſſimus,impietatem Boleſlai Poloniæ Tyranni,qua ſe,per inſectationem ſui Pontificis S.Staniſlai,dein per necem eiuſdem parricidialem impiauerat,iuſta cuidentiq́; vindicta vltus eſt.Regno illi per Rom. Pontificem adempto,actoq́ue in exilium,& in tantam amentiam deiecto, vt vagus ſyluas pererraret: à ſuis denique canibus deuoratus eſſe traditur. Sanctitatis porrò diui Staniſlai, inauditum prius,

*Victus Rudolphus dextra præciſa ad Elyſtrum Anno 1080 Mersburgi ſepultus.*

*Auſtrius filio Bohemus patri (pacto Luſatiæ premio) opem ferunt.*

*Auſtrij Moraui am incurſantes à Vratislao fuſi.*

*Albertus quiin reſtitutione Patri Regis Hungariæ Auſtriã adeptus.*

*Fulmen & terror Hungariæ nominatus.*

*Ad vtramque Rheni ripã pater et filius pro Imperio decertaturi caſtra locant.*

*Simultates inter Cæſarẽ & Vratislaum.*

*Henricus filius Vratislaum ad ſe pellicere conatur.*

*Cæſar Pater Carcere Leodienſi extinguitur.*

*Anno 1106.*

*Boleslao Poloniæ Regi & ſucceſſoribus ob necem S. Stanislai regnum abrogatum.*

tunc verò à cunctis, qui in aula regia aderant, oculis conſpectum, hoc argumentum fuerit, quòd Petrum quendam triennio exacto vita functum, ſepultumq; ad ferendum veritati teſtimonium contra Regem, ius Eccleſiæ oppugnantem, ad vitam reuocauerit, deductumq; ſua manu ante tribunal Regium cõſtituerit, pauitante quidem ad vocem eius effero Rege, nõ tamen vitia ingenij emendante: quanquã & Vratiſlaus, & vxor ipſius Suataua, quæ Boleſlai ſoror erat, inuitare illum ad meliorẽ frugem non deſtiterint. Idẽ Vratiſlaus, Gerardo Præſuli, ac fratri ſuo auxilio fuit, in abolendis tollendisq; Magorum portentis artibusq; maleficis, quas tunc multi viri mulieresq; nimis licenter exercebant, mentes hominum faſcino turbantes, boumque & pecudum lac, ſegetemq; alienam pellicientes, atq; ipſa interdum elementa dęmonum violentia concutientes, per quæ imprudens vulgus à ſyncera in Deum fide euertebatur. Nec tamen aliter Gerardo malis obuiam ire, quàm per cenſuram Eccleſiaſticam licebat: eam illi non pluris quàm plumbeum gladium æſtimabant. Ergo non ferrum tantùm, ſed ignem præterea & aquam Vratiſlaus maleficis admouit, aliosq; ſecuri feriri, alios flammis exuri, Sagasq; nonnullas aquis ſubmergi iuſſit. atq; hac animaduerſione in authores amplius cẽtum diſtricta, reliquos deſinere artem vetitam damnatamq; metu ſimilis pœnæ coegit. Mox etiam ludæos exterruit, gentem perinde ac Magos ad malefaciendũ, præſertim Chriſtianis, factam, recenſum illorum per domos Pragæ agens, & ad certum numerum illos redigens, ſuperfluis Boiemia expulſis, ne malis dolis, fraudeq; & fallacijs, ac funeſto in primis fœnore, regno ſuo ſubiectos trucidarent.

*Inquiſitio in Magos primũ eccleſiaſtica poſt etiam criminalis & ciuili exequutio.*

*Iudæi ad certũ numerum reducti.*

[a] *Coniunx Vratiſlai grauida, carceri traditur, Leſca arcetam dura & immani cuſtodia ſeruata dicitur, vt alterutro vterq; noctu pede vno compede conſtringeretur.*

[b] *Rudolphus Apoch ryſiarius à Gregorio VII. Papa miſſus, Pragæ Geboardo Jacris interdixit. Romã euocatus Mathildis patrocinio, in cuius genus ſanguinem maternũ referebat, abrogato anathemate in priſtinam dignitatem Pontificis auctoritate reſtitutus eſt.*

[c] *Gothofridi Lotharingi vxor Beatricis filia, & Henrici Nigri è ſorore neptis. Beatrix enim Bonifacio Hetruria oriundo, viro quondam potentiſſimo nupſerat. Mathildis cum Godefrido Lucæ, Parmæ, Regio ac Mantuæ (Mutinæ) imperauit. Item eã partem Hetruriæ ac Vmbriæ quod Petri patrimonium appellamus, hanc quoque poſſediſſe & Eccleſiæ legaſſe tradunt.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER NONVS.

IEmpus [a] hoc narrationis ſequẽtis inſigne erit, reſtituta Boiemis Morauisq; Regia dignitate, qua ab exceſſu Suatopluci in Morauia regnantis, carebant. Et quanquam Ottho Cæſar, vti diximus, ſua ſponte rurſus illam diuo Venceſlao detulerit, delatam ille tamen, vti vir ſanctus, & ab omni ambitione prorſus alienus, vſurpare abſtinuit ſolito Principis Boiemiæ titulo contentus. Cæterùm [b] Henricus poſt obitum patris ſui, celebrem Principum conuentum Moguntiæ celebrans, ſecumq; reputans, qua potentia, quas regiones, quos populos Vratiſlaus regeret, nempe Boiemos, Morauos, Sleſitas, Luſacios, à quibus maius periculũ, quàm ab alijs nationibus eſſet pertimeſcendum: quoniam Germanis permixti, ipſam Germaniam

maniam inhabitarent: ideoq; paci & concordiæ ſubditorum conſulens, ſecuriusq; ac firmius vinculum ad illam conſeruandam eſſe ducens, ſi beneficio potius, quàm imperio ſibi Boiemiæ principes obligaret, accitum in medium principum, ſua voce Boiemiæ Regem Vratiſlaum declarat, mandatq; Gilberto Treuerorum præſuli, vt eundem more aliorum Regum ſolemni, vnà cum vxore Pragæ inungat, & coronet. Ibidem in Gerardum quoq; fratrem Vratiſlai beneficium egit, pontificatum Olomucenſem, Ioanne tunc mortuo, cum Pragenſi denuò coniungens, illumq; Gerardo cõferens eadem licentia, quam paulò ante in patre deteſtatus, & bello perſecutus eſt, quòd Romano Pontifice ſpreto, Præſules pro ſua libidine inſtituerit. Cæterùm Gerardus tam latam ditionem aſſecutus, nequaquam vlterius ſe intra officij debiti regiones continuit, aduerſus Regem adeò inſolens, vt ne rogatus quidem in curiam ad conſultandum, aut in templum ad rem diuinam peragendam, ſi rex ibi aderat, venire voluerit: non quòd vlla noua iniuria ab illo fuerit laceſſitus, ſed tantum vetus valuit ſimultas, memoriaq; fauoris, quem Rex Ioanni Olomucenſi Præſuli, quoad vixerat perpetuum exhibuit, vt ſe Gerardus quoq; pertinacem fratri exhiberet inimicum. Sed quæ Vratiſlao magnitudo animi inerat, riſu magis quàm ſtomacho eiuſmodi fratris inſolentiam tranſmittebat, rationem interim tamen dignitatis ſuæ habens. Nam in altera vrbis arce, quam [c] Viſſegradenſem vocant, templum omnibus ſacerdotalibus officijs, dignitatibusque & priuilegijs æquè inſigne inſtituit, atq; erat illud alterum in arce ſancti Viti, ſolo Pontifice excepto, in cuius locum, authoritate Pontificis Romani, Præpoſitum ſubſtituit, qui dum ſacra facerent, non ipſe tantùm, ſed etiam cæteri illius adminiſtri pontificalibus infulis ornati incederent. Additus Præpoſito Magiſtratus, vt Archigrammateum regni, nunc Cancellarium appellant, ageret, & cum illo honor principalis, ne in hac quoq; parte multum Pontifice inferior eſſet. Quoties igitur cumq; ſolemnis feriarum dies occurreret, non ad Pontificem, ſed ad Præpoſitum ſacrificia peragentem Rex diuertebat, hocq; modo artem fratris, arrogantiamq; arte ſua eludebat. Ad alia mox intentus, quę poſt mortem Henrici Cæſaris, ſub Lothario Principe Saxoniæ, Imperij ſucceſſore in Luſacia inciderant, Syrbijs in illa, vel vt Germani cognominant, Vandalis res nouantibus, ac magis ad Saxones, quàm ad Boiemos reſpectantibus, poſteaquam Saxonem Cæſarem nacti erant. Ad hos compeſcendos, arcemque Gnoſdecam ab illis dirutam, rurſus inſtaurandam permuniendamque Vratiſlaus, filium Bretiſlaum cum Alexio rerũ militarium perito, mittit. Haud procul à Gnoſdeco vicus erat, Kylebus dictus, frequens habitatoribus, qui ante alios munitionem ædificiumq; arcis impediebant. Hunc cum duo iuuenes Boiemi equeſtri genere nati, ſine vllo maleficio præterequitarent, coorti in illos vicani, ambos crudeliter interficiunt, crudelia inuicem à Boiemis paſſi, ferro & igne, agrorumq; vaſtatione. Qua de re Miſnenſes & Saxones, Luſacijs finitimi commoti, clàm exercitum conflant, obſeruantq; Boiemorum itinera, vt ſecuros negligentesq; per opportunitatem inuadant. Opportunitas aſſiliendi illos adeſſe viſa eſt, ad flumen quod illi traijciebant, præmiſſis curribus præda onuſtis, ſolutisq; ordinibus, & interim Bretiſlao exutis armis in flumine natanti. Anni enim tempus calidiſſimum erat, ipſeq; iuuenis, quo minus Soli ac pulueri aſuetus fuit, eò moleſtius tædia æſtus, atq; viæ ferebat. Natantem vt vidit Alexius, protinus miſit qui illum commonefaceret: Non eſſe iſthic Boiemiam, in qua tutò lauari nudariq; liceret, Sed Luſaciam ad omnem malefaciendi occaſionem intentam, in qua inermem apparere haud expediret. Ferociter ad hæc iuuenis, ſe inquit, domi manſurum fuiſſe, ſi ab hoſte ſibi timeret: ſed nihil mirari, ſi Alexius ſenecta exanguis, & perinde trepidus, verba itẽ metu ſenili titubantia loquatur, oblitus domeſtici Prouerbij, quo iuuenes & ſtre-

*Gilbertus Treuirẽſis Archiepiſcopus Regẽ cum Regina coronat Pragæ.*

*Henricus Olomuzẽſis epiſcopatum genſi coniungit.*

*Gerardus Epiſcopus in Regẽ fratrẽ proteruus.*

*Æmulus Gerardo obiectus Wiſſegradenſis Præpoſitus qui etiam Cancellarius declaratus.*

*Luderus Rex Rom. ſalutatus Anno 1125.*

*Luſatij à Vratislao ad Saxones inclinant.*

*Bretislaus Regius puer ad eos Compeſcẽdos proficiſcitur.*

*Alexius miles.*

*Egregia Bretislai indoles.*

nui Boiemi vterentur, dicentes: Qui sibi à strepitu timet, is ab ingressu syluæ sibi temperet. Vix hæc renunciata sunt Alexio, cum ecce tibi turma equitum hostilis à tergo erumpit, agmenq; vltimum Boiemorum assilit. Confirmat Alexius suos, detractaq; vna & altera cohorte, cum parte equitum ad occurrendum hostibus properare iubet. At illi metu de industria simulato, retro sensim cedunt, Boiemosq; ad vallem supinam, in qua insidiæ instructæ erant, pertrahunt. Ibi circumuentos magnaq; ex parte cæsos, fugientes reliquos, cum omnibus suis copijs, vsq; ad flumen persequuntur, impetum illorum Alexio fortiter sustinente, quoad Bretislaus iam armatus, cum cæteris suis cohortibus subsidio venit. Eius interuentu acerrima pugna instaurata est: Saxonibus victoriæ instantibus, contrà Boiemis, sanguine Saxonum occisis per insidias popularibus, contrà Boiemis, sanguine Saxonum occisis per insidias popularibus suis parentare conantibus. Ad extremum, interfecto etiamtum Alexio, maximum incitamen ad prælium continuandum, victoriamq; hostibus exrorquendam Bretislaus præbuit, in prima acie versans, primusq; se casibus & periculis obijciens, dum culpam temeritate sua contractam, delere, vel vitæ iactura parat. Victoria igitur adeò cruenta fuit, vt ipse etiam leuum humerum grauiter saucius, corpore suo sanguinem profuderit. Deniq; Rex parens illam, vt funestam potiùs quàm lætam habuit propter Alexium amissum. Lotharius, qui tunc in Italia erat, cogniro, quæ se absente in Saxones gesta essent, domum redire ad vltionem de Boiemis sumendam properat, reuersusq; Legatos Vratislai domi reperit, qui ad se purgandi Regis ipsorum gratia venerant, dicentes: Non imperio aut voluntate regis cõmissum esse cum Saxonibus prælium. Nec enim aduersus Saxones, sed aduersus Lusacios à Rege exercitum missum esse, per quem rebelles ad officium & obedientiam reuocarentur: Vnde verò accidерit, vt se hisce rebus Saxones immiscuerint, Regem in hunc diem satis admirari non posse, quando nulla à Boiemis iniuria offensi fuerint, nullamq; causam habuerint, cur vltrò ipsi primum insidijs, mox aperto Marte Boiemos inuaserint, magnamq; illorum stragem ediderint cum magno regis dolore. Sed neq; doloris magnitudine Vratislaum adeò commoueri, vt ab officio in Cæsarem amico deficiat, modò Cæsar pristinum animum retineat, suosque à maleficijs arceat. Tardius accepta satisfactio, propterea quòd Vratislaus [e] Lusaciam beneficio Henrici Cæsaris possidebat, quem [d] Lotharius etiam mortuũ oderat, memor ignominiæ qua ab illo affectus erat, dum ad gratiam recuperandam aliter non admitteretur, nisi pedibus nudus, saccoque indutus ante Henricum procideret, veniamq; lęsæ fidei peteret. Rebus tandem cum Lothario compositis, rursus domi Vratislaum fraterna excepit discordia. Obierat diem suum Ottho Marchio Olomucensis, [f] duosq; filios Suatoplucum & Otthonem superstites reliquerat: Horum Gerardus tutela susceptа, ius hæreditatis contra Vratislaum, qui sibi successionem vindicabat: tutabatur, subscribente Conrado: induxeratque ambos in vrbis & aliorum bonorum possessionem. Ob hanc rem Vratislaus indignatione motus, Venceslaum quem à sacrificijs habebat, æmulum fratri comparat, qui illum de Pontificatu Olomucensi submoueat. Variæ hinc cogitationes, Gerardi animum diuersa agitantem, sollicitum habebant. Viribus enim ad resistendum fratri se imparem agnoscebat, & ad Cæsarem iter præclusum erat: quoniam Lotharius omnia iura [g] libertatesq; Pontificias Romano Pontifici restituerat. Romam igitur queribundus ire parat, itinere in Pannoniam deflexo, vt inde mari Adriatico in Italiam transiret: sed vix æger Strigonium attigit, ibique ex eadem ægritudine vitam finiuit suam: à cuius exitu nihil prius habuit Vratislaus, quàm vt Olomucensem Episcopatum à Pragensi disiungeret, suo vtrique vrbi Episcopo peculiari in perpetuum assignato. Pragensem tunc Cosmam nominauit, virum senecta & disciplina

*Alexius occũbit.*

*Præclarum rei militaris specimẽ Bretislaus edidit.*

*Vratislaus Cæsarem placare vult.*

*Venceslaũ Gerardum de Episcopatu Olomuzensi litem mouet.*

*Cosmas IX. Episcopus Pragensis.*

ſciplina venerabilem, ac eodem tempore Decanum, vt vocant, in collegio ſacerdotum agentem: deditq; Olomucenſi collegio poteſtatē, quem vellet Pontificem ſibi legendi. Delegerunt ex corpore ſuo Andræam familia Dubrauicia ortum in Morauia nobili. Curam deinde ad expellendos Olomucio filios Otthonis fratris, Suatoplucum & Otthonem conuertit, eisq; in adminiſtranda vrbe Bretiſlaum filium ſubſtituit, quem mox ſecum Brunnam ad oppugnandum Conradum duxit. Ibi dum copias per ſtationes diuidit, atq; ſuum cuique locum attribuit, Deſiderius in aula præcipuus, qui Regem cum Bretiſlao comitabatur, pro conſueta libertate & familiaritate, Memineris, inquit, ò Rex, vt caſtra Bretiſlai ad ripam fluminis conſtituas, ne ei deſit copia natandi, præſertim in tam feruido calore. Senſit morſum Bretiſlaus, indigniſſimeq; tulit, patre coram ſibi exprobratum eſſe veterem in Luſatia natatum, tacitus tamen dolorem tunc deuorabat, poſtquam viderat parentem dicto Deſiderij arridere. Cæterùm ad ſuos reuerſus palàm indignari, malaq; multa dicere in caput Deſiderij, atq; illo die præ ira cœna abſtinere, vbi paulùm inde per noctem illa reſedit, mane ad Conradum patruum ex ſuis fidum quendam occultè mittit, qui iniuriam ſibi à Deſiderio illatam deploret, conſiliumq; requirat, quid ſit opus facto. Ille ſe eadem flamma ardere, qua aduſtus eſſet Bretiſlaus reſpondet, ac niſi illa quamprimū vnà cùm flammiuomo (quem Deſiderium eſſe volebat, præſentis belli facem) extincta fuerit, Vratiſlaum ab incendio, quo ambo ipſi tandem comburantur non ceſſaturum. Maturat hinc Bretiſlaus Deſiderium de medio auferre, interficiendi eius conſilio cum tribus tantùm inito, quorum vni mandat, vt ad ſe Deſiderium accerſat, dicatq; ſibi eſſe opus eo conuento. Venit ille Derſimirio ſodali ſuo duntaxat comitatus, nihil videlicet ſiniſtri de Regulo ſuſpicans, atq; ille nō longè ſeductum verbis eiuſmodi inuadit: Quod ego ſcelus tantum in te admiſi, vt me idoneum putares, quem ore tuo morda ci nuper læderes? an tibi aſſentatori impudentiſſimo alia ratio aucupandi gratiam apud parentem, quàm per contumeliam filij defuit? quem ego, ſed non es dignus vt gladio meo pereas, chirotecaq; in vultum illius proiecta, quod ſignū erat, vt tum illum percuſſores adorirentur. Redeuntem ad Derſimirium, multis in via vulneribus confodiunt, interficiuntq;. Currit ad Regem Derſimirius, illumq; de eo, quod accidit edocet, vehementerq; aduerſus filium concitat, ita vt ſtatim ad ſe vocari illum iuſſerit, haud dubiè pœnam condignam ab illo exacturus, ſi non ille hoc futurum præſentiens ſe ſubduxiſſet, caſtraque ſua vltra flumen tranſtuliſſet, vt ipſas quoq; aquas, ſi qua vis ſubitò ingrueret, pro monimento haberet. Sed ab inſequendo filio parens conſilio procerum eſt reuocatus, conſulentium in aliud tempus vltionem eſſe differendam, & in præſens ad id quod inſtaret præuertendum. Ac paulò pòſt Regi nunciatur, adeſſe Valpurgim Conradi vxorem, plenamq; mœrore aditum ad Regem petere. Quæ vbi in tabernaculum Regiū deducta eſt, talia ſupplex, lachrymansq; precata eſſe dicitur, vt ad mitiora flecteret Rex animum: non enim alienum, ſed fratrem eſſe, ac iam ſolum eum reliquum ſupereſſe quem oppugnaret, nullius planè delicti reum, niſi peccatum ſit, mutuò ſe diligere fratres, hoc namq; adhuc bello huic prætendi, dignum videlicet Conradum eſſe, qui omnia extrema cum domo ſua ſuſtineat, propterea quòd in Otthonis fratris, quàm in Regis amicitiam propenſior fuerit, nouum prorſus crimen, ac noua querela, quę de remiſſiore inter fratres charitate queritur, cum non remiſſius amare, ſed odiſſe fratrem, culpa tandē & crimen habeatur. A quo crimine, quantum maritus ſuus alienus ſit, vel ipſo Rege teſte comprobari poſſe, qui Conradum ad omne officium, tum intra, tum extra regiam exequendum, ſemper promptiſſimum habuerit: Sed non eſſe mirum, ſi fraternam beneuolentiam lingua mala verterit in odium, quando filium etiam à patre diſtrahere potuit. Et quis iam

*Andreas Dubrauirius Epiſcopus Olomuzij.*

*Patruelis Olomuzij poſſeſſione (ſubſtituto Bretislao filio) exigit.*

*Conradus frater Brunnæ obſidetur.*

*Deſiderius Colax aulicus.*

*Deſiderius interfectus.*

*Rex offenſus.*

*Valpurgis.*

*Conradi coniunx iram deprecata mariti veniā à Rege impetrat.*

scire potest, quonam vsq; deinceps progressa fuisset, si vindex malorum Deus iter illius non interrupisset? Sublato dissidiorũ authore, vt tanto celerius domestica inter suos rediret concordia, quam vt Rex amplecteretur, fratremq; & filium pluris, quàm occisum delatorem æstimare vellet, prostrata in genua per misericordiã Dei supplex cœpit deprecari. Alleuat Rex deprecantem, iubetq; tam Conradum, quàm Bretislaum ad se acciri: Et illum quidem benignè appellat, veniamq; liberaliter concedit: filium autem, cum hoc dicto à se dimittit, recte an perperam feceris, olim senties. Ergo Bretislaus quum haud sublatam, sed dilatam potiùs iram paternam secum reputat, salutis castris à Brunna, in oppidũ Hradecium Boiemiam versus diuertit. Eódem secuta eum bona pars militum, quorũ numero in dies singulos accrescente, ita vt iam ter mille sub signis armatos haberet, signa tollere, rectaq; Pragam illos petere mandat, veniensq; ad fluuium Rokytnice dictum, qui mœnia præterfluit, hæc dicenda patri, Conrado præsenti cõmittit. Adesse, quem absentem tantopere circummisis etiam exploratorib. requireret, proinde ipse quoq; propius accederet, vt pœnis de filio, si quas promeruit, exigeret. Ad hæc tam impia, tamq; insolentia filij verba tantum pater exarsit, vt nisi Conradus frater se extemplo interposuisset, nihil moræ inerat, quin totius vrbis vires ad ruinam filij conuertisset. Nec amplius tamen quicquã Conradus tunc apud Vratislaum, quàm olim Ioab à Dauide, in causa Absolonis filij rebellis impetrauit. Similiter videlicet Rex ad preces eius respondit, dicens: Reuertatur filius in domũ suam, & faciem meam ad presens ne videat. At ille omnia domi suspecta habens, in Pannoniam ad Regem Ladislaum, cognatũ suum conferre se maluit, à quo in gratia & honore habitus, lautissimisq; alimentis atq; stipendijs sustentatus, hoc insuper obtinuit, vt cæteris quoq; comitibus suis à Vratislao proscriptis, agri, etiamsi nõ culti, omnes tamen immunes ab Ladislao assignarentur, in loco vltra Vagum flumen Morauiæ proximo, quem Banouo appellant. Elapso dein satis longo tempore, vt Vratislaus animaduertit, filium non solùm de contumacia nihil remittere, sed magis adhuc insolescere, inuitato rursus Pragam Conrado, in celebri ordinum conuentu successorem sibi eum in regno declarat, eidemq; filios suos reliquos, Boleslaum, Boriuorium, Vladislaum, Sobieslaum diligenter cõmendat. Bretislao per silentium transmisso. Igitur Boiemi Vratislao ad ædem diui Petri Vicegradensem, ab ipso conditam funerato, regieq; sepulto, Conradum inde Regem suum salutant, paulò plus quàm septem Menses regnantem, & iccirco propter vitæ breuitatem, nulla re ad posteros memorabili, insignem: nisi quis memoria dignũ putauerit, quòd illo viuente, Robertus quidam, qui se Episcopum Caualonensem mentiebatur, Boiemiam, Cosma nondum inaugurato, aduenies, plurimos per sycophantiam, perq; sacrilegium, ære multo circumduxerit. Nam eiusmodi nundinas sacrorũ instituerat, vt in illis nulla sacramenta, nisi cum licitatione venderet. licitatoresq; ex suis apposuit, meros AEruscatores, ac perinde atque ipse erat, homines profanos. Ergo post discessum eius clandestinum, impostura tandem patefacta, expiare Cosmas necesse cuncta habuit, quæ impius ille & sacrilegus profanauerat. Porrò Conradus filijs duobus relictis. Vdalrico & Leopoldo, inter quos Brunnam & Znoymam æqua portione diuiserat, vita excessit. Ambigebãt diu ordines, num Bretislaum ab exilio ad regnum paternum reuocarent, vt cuius etiamtum veteres mores suspectos habebant, an domi potiùs eligerent vnum aliquẽ ex fratribus eius, qui regnaret. Accepto mox deinde, Bretislaum magno Hungarorum comitatu, quẽ ei Rex Ladislaus addiderat, finibus Boiemiæ appropinquare, sine vlla amplius dubitatione Legatos conciliandi fauorem illius gratia, obuiam longissimè mittunt, qui aduenientem cum debita honorum obsequiorumque appellatione excepti, Pragam deducerent. Ibi præter omnium opinionem Bretislaus, regiam administra-

*Bretislaus patri minimè fidit.*

*Bretislaus laceßit patrẽ, in eum contumelioſus.*

*Ignoſcit filio pater.*

*S. Ladislaus Bretislaũ exulem recipit cũ toto comitatu.*

*Subſtituto fratre Conrado et excluſo filio Bretislao, Vratislaus moritur.*

*Neq; Cõradus neque Bretiſlaus, neq; ſuccedentiũ poſt principũ quiſquã vſq; ad Vladislaum, regium nomẽ vſurpauit, ducis tantum vſi nomine.*

*Conradus Septimeſtris princeps I. à rege.*

*Robertus Epiſcopus Cabilionẽſis impoſtor.*

*Bretislaus ope Ladislai Regis Hungariæ patria dominatui reſtituitur II. A rege princeps.*

miniſtrationem modeſtiſſimè inijt,ac tantam omnibus benignitatem exhibuit,ut in conuiuio,quod per triduũ cum ordinibus celebrauit, ad nullã perpetuò menſam aſſideret,ſed ſingulas obiens,ſingulis præſentiã ſui cõmunicauerit,alios conuiuarũ perblandè compellans,nõnullos poculorũ inſuper inuitatiunculis prouocãs,deniq; ſummos,medios, infimos ciuiliſſimè tractans. Et cũ cœlebs tunc adhuc eſſet,conuiuæ epularũ hylaritate, principisq; comitate prouecti, ad vota & preces cõuertuntur, rogantes principem,vt ſolitariã vitam,& perinde inamœnã,coniuge accepta mutaret. Id quod breui ab illo factum eſt: nam Lucretiã principis Rhenani filiam duxit vxorẽ. Cætera in Boiemia tranquilla erant,niſi quòd ad vomitũ ſuperſticioſi rurſus reuertebantur, Lares & Lemures colentes, victimasq; tum ad fontes, tum ad lucos & cõpita mactantes,aliaq; Magorũ maleficia exercentes,per quæ plurimi à vera religione auertebantur. Hæc Coſma graui cum querela principi ſuggerente,& præterea cõmemorante, quæ quãtaq; mala ad religionis innouationẽ in Pannonia nuper acciderint,dum multi ibi nobiles ignobilesq;,ſacri profaniq;,& inter illos aliquot Pontifices,à Chriſtianiſmo deſcire nolentes interfecti fuerint.[h] Poſtremò ipſi Reges Petrus & Andreas,qui ruenti ad impietatẽ populo,inter initia non ſtatim obſtiterant,infœliciter occubuerint: decernit edicto Princeps, vt religionis nouatores omnes, viri fœminæq;, intra certũ tempus regno expellantur. Ad hæc inſtituit, eodem Coſma ſuggeſtore, vt parochi oppidatim, vicatimq; domũ cuiuſq; oppidani,cum hymnis ac diuorũ reliquijs,in peruigilio natalis Domini introirẽt,notarentq; diligenter eos,qui cum veneratione ad ferendũ ſigno S. Crucis oſculum accederent, Chriſtianos ſe eſſe agnoſcentes,aut tanquã inimici Crucis accedere contemnerent,vel ſe inde furtim ſubducerent,quos deinde princeps, vel ipſe præſul puniebat. Scripſit hinc militẽ Bretislaus,quẽ aduerſus[i] Vladiſlaum Poloniæ Regem: debitum annorũ duorum tributum non perſoluentẽ,(mille argenti, & triginta auri drachmæ fuerunt)in Poloniam duceret. Ad Hradecium oppidum,iuxta Albim ſitum luſtratus exercitus eſt, & inde porrò in Sleſiam, Polonis tunc ſubiectã, abductus ad arcem,cui Beceri vocabulum,vnde populari Sleſia à Boiemis cœpta,ſecundũ Oderam flumen, vſq; Glogouiam, tanta populatione, vt in medio locorũ interuallo,neq; iumentũ, neq; hominem facilè reperires. Duos deinde menſes propè Glogouiam ſtatiua habita, vt ſi quis ex Polonia vltor ſe offerret,copia illi dimicandi haud deeſſet. Nemini cõparente, cum longè maioribus ſpolijs quàm cenſus erat debitus,in Boiemiam eſt reditũ. Hac enim ratione Bretislao properante, quòd à Coſma præſule, cui ſe abſente regni cõmiſit regimen,acceperat,[k] peregrinos homines,qui peregrè ad recuperandam terram ſanctam per Boiemiam proficiſcerentur,parum ſe in obuios quouis in loco,imò etiam in vicis repertos,Hebræos gerere, vt quos inuitos ad baptiſmũ pertraherent, nonnullosq; occiderent peruicacius renitentes. Ad eam uim comprimendã opus eſſe præſentia armati Principis. Multos namq; mortales,ex omnibus ferè nationibus,pia arma indutos,per diuerſa itinera ad ferenda Chriſtianis in oriente, contra Sarracenos dimicantibus ſubſidia, feſtinare dicebat: ſed non omnes vbiq; locorum piè agere. Cæterùm antequam Bretislaus redijſſet,iam peregrini milites in Pannoniam conceſſerant,alijq; terra per Thraciam & Macedoniam,alij mari Adriatico Conſtantinopolim petebant. Inter hæc Vladiſlaus Polonus,Boleslaum filium adhuc tyrunculum armat,rectore ei dato militiæ gnaro, qui illum ad Morauiam modis omnibus vaſtandam, quibus nuper Sleſia vaſtata fuit,deduceret. Rector iuſſa Regis promptius accepit,quàm executus eſt, non auſus vltra extremos Morauiæ fines, & Sleſiæ contermi-nos progredi, ne quis fortè intra penitiorem Morauiam caſus iuueni regulo contingeret, ob quem ipſe quantumuis inſons, noxæ dederetur, Paucis itaq;

*Popularis Bretislaus.*

*Lucretia connubium.*

*Defectio Boiemorum ad idolatriam.*

*Edictum contra idolatras, & inquiſitionis ritus.*

*Vladislaus filio & Secccho Palatino Cracouienſi par pari refert.*

pagis incensis,pecoribusq; abactis retrahit copias,ac patri filium quasi victorem restituit.At Bretislaus,intimam rursus Slesiam percursat,similemq; priori calamitatē incolis, eis vltraq; Nysam fluuium incolentibus affert. Ac mox arcem Brigam,ripæ Oderæ impositam,cum ipso oppido vi accipit,militiq; illam diripiendam demoliendamq; tradit.Ipse haud procul inde nouā sibi construit arcem indito illi nomine Camence(nunc ibi cœnobium visitur) sparsoq; rumore,se ex ea arce castra Vratislauiæ esse admoturū. Vnde multū Vratislauienses territi, multis cum Vladislao precib. agunt, vt vel periculū quod imminet ab illis amoueat,vel cum Bretislao,tanquam affine suo in antiquam redeat concordiam.Soror enim Bretislai Iudith nomine,Vladislao matrimonio coniuncta fuit,ex quo prognatus est Boleslaus. Cæterùm Versouicenses, nequaquā abstinere potuerunt,quin inter affines & cognatos discordias serent. Misit tamen in præsens Vladislaus pacis conciliandæ Legatos, atq; illi rem turbatā prius in tranquillum conferre nequiuerunt,quàm collata & adnumerata fuisset pecunia,qua vno & altero anno pensionē interruptam sarciret.Ante castra soluta Bretislaus,Mutinam Versouicensem ad se in tabernaculum seuocans,Si pro perfidia tua vt dignus es,te tractare deberem,iamdudum nec oculi, nec ipsum caput tibi supereſſet, sed vt cognoscas quantum mihi à carnificina meorū abhorreat animus,per me licet vt viuas quoad poteris.Cæterùm caue,ne vnquā amplius in Boiemia appareas,datisq; deductoribus,qui eum in Syrbiam Lusatiæ regionem exulatū deducerent,ipse bona eius,quæ in Boiemia possedit,fisco addixit. Pari domi seueritate aduersus Boseium Versouicensem usus est, quem vnà cum vxore & duobus filijs, Pragæ naui impositum,& per Vultauiam in Albim transuectū,secundo dein flumine in eandem Syrbiam perducendum curauit,bonis similiter omnibus mulctatum. Ambo hi exules,non diu pòst ad vetus Asylum suum in Poloniam se contulerunt.Atqui Bretislaus fiscū suum ex bonis confiscatis tumescere animaduertens, pinguiore adhuc farctura illum infarciendū ratus,thesauris Iudæorū manus injicit.Illorū quoq; perfidiam accusans, quòd abolito baptismo,ad hebræismum reuerterentur, aditq; sine sacris, vt ille dixit, hæreditatem illorum offertissimam. Posthæc Morauiam petens, sibiq; Boriuorium fratrem adiungens, ac multos præterea comites,quasi filios Ottonis Olomucij inuisurus,cum quibus sibi bene conueniebat, de via recta in aliam declinauit, quæ Brunnā ferebat,vt Leopoldo & Vdalrico filijs Conradi improuisus superueniret, vtriq; iampridem infensus, velut sibi ad obsequium contumacioribus. Eo metu principibus suis ex arce dilapsis,Brunnenses vrbis portas Bretislao illico aperiūt.Nec is vltra ibi moratus,quàm vt cutā vrbis Boriuorio permitteret, hinc properus fugientes patrueles Znoymam vsq; insequitur:illò namq; ex fuga se contulerant, atq; illic etiam defensione omissa, quia nullum præsidium nec cōmeatus aderat in Austriam perfugiunt,seq; fidei Gottofridi Austriæ principis cōmittunt.Bretislaus Znoyma quoq; Boriuorio attributa, Olomucium tandem diuertit,expectans ibi tempus,quod instabat ad fœdus cum Rege Hungarorum Collomanno feriendū.' Sic enim inter ipsos conuenerat,vt ad limites Regni Hungariç certo die vterq; appareret,atq; vterq; bona fide mutuā pacē amicitiamq; paciscereturHæc pactio,pacificatioq; vltra fluuiū Ostroua,in loco cui Lutzko nomē,peracta fuit.Cæterùm Vdalricus & Leopoldus,dum vitam in Austria vagā, certæq; habitationis incertā prætendunt, à Gottofrido obtinent,vt eis arcē Morauiç proximā,quā Rax vocant,tenui accepta pecunia oppignoraret. Ex hac arce toti Znoymensi regioni plurimū rapinis & spoliis incōmodabant,audacibus quibusq; prædonibus in societatē prædarū assumptis, donec Vdalricus incautiùs obequitans, à Morauis interciperetur. Huius cōspectu Bretislaus data opera vitato,iubet captū in arcē Glacensem accuratè custo-

*Bretislus vlciscitur in iurias. Cis Bardum.*

*Tributo penso placatur Bretislaus. Versouicenses deportari iubet in exilium Lusatium.*

*Ad Polonos illi confugiunt.*

*Expilat Iudæos Bretislaus.*

*Conradi filios exosos habet. Brunna & Znoyma eijcit. Boryuoriū fratrē substituit.*

*Colloquiū Bretislai cū Colomanno rege Hungariæ.*

*Conradi filij ex arce Rax Morauiam populantur.*

cuſtodiendũ ſeponi,cõtineriq;.Non ideo minus Leopoldus cœpta proſequebatur,vltra etiam Znoymã,in bonis Boriuorij graſſatus, pernegante Gottofrido id ſuo fieri aſſenſu nutuq;.Nam & pecuniã ſe Leopoldo rurſus obtuliſſe,vt ſibi de arce cederet,ac niſi illa reſtituta eſſet,Auſtria ſe illi amicitiaq; ſua interdixiſſe dicebat.Cæterùm Leopoldum omnia illa valde contemnere.Quæ vbi vera eſſe Bretislaus comperit, Gottofridũ ab omni cura ſollicitudineq; iubet eſſe vacuum,ſe enim ſuo milite impenſisq; ſuis effecturũ,vt arcem ab illo recuperatam ſibi habeat:vaditq; ad illam oppugnandam, maiore militum nixu & conatu, quàm effectu, propter ingentẽ vim telorum tormentis excuſſorũ, in eos qui arcẽ ſubire audebant, vulneratiq; retro cedebant. Imperat Bretiſlaus cruces paſſim erigi,ſuppliciumq; infame omnibus obſeſſis,niſi vltro ſibi ab illis arx dedita foret,denunciari.Sed has quoq; minas,ignominiæ quàm periculi propiores ſpernentibus, iterum teſtudine ex ſuis facta,in montem arcis ſuccedit,vallumq; & ſepes vi ſumma diruit, ſed iterũ iaculis & ſaxis, teliſq; repellitur: potiorem deinde ſalutis ſuorum,quàm feſtinationis ſuæ rationẽ habens, copias cũ Boriuorio filio diuidit,obſeſſosq; opere militari circumualla re parat,ita vt omne illis effugiũ adimat.Obſidione durante, in eam cibi inopiam obſeſſi venerũt,vt frumento omni &pecore abſumptis,equina carne famem extremã tolerare neceſſe habuerint. Oportunè tandẽ coorti hymbres, aquas fluminis,quod ſubter arcem fluit,in tantum auxerant, vt ſummas illæ ripas tranſcenderẽt,pellerentq; milites ad mutanda ſtationibus loca.Ibi Leopoldus ſcapham piſcatoriã nactus,illa quàm longiſſimè poteſt auehitur.Mox pedibus ad clientẽ ſibi fidum de via deflectit,ibi ſe ad tempus occultans. Clamorem cæteri tollunt, quibus fugæ ſpes nulla erat, deditionemq; arcis ſpondent,ſi incolumi corpore inde abire liceat.Ergo propere,inquit Bretislaus,ab arce & oculis noſtris malè meriti faceſſant,ne ſi tardauerint,comprehenſi pœnis debitis inuoluantur. Ita recepta arx,& Gottofrido reſtituta fuit. Cum eodem affinitas per Boriuorium contracta,dum is patruelis eius,nempe Leopoldi Auſtriæ principis nuper mortui,ſororem ſibi matrimonio iungit. Nuptiæ Znoymæ apparatu Regio celebratæ. Graue inde tempus ex peſtilentia fuit, ſequenti hyeme luem tanto promptius per contagia vulgante,quanto contagium facilius in hypocauſtis vaporarijsq;,ex promiſcua cohabitandi cõſuetudine contrahitur, vt alter de altero venenum letale hauriat. Quo quidem tempore Coſmas quoq; Pragenſis pontifex in aduerſam valetudinem incidens, ſpiritum ſuum in manus Domini depoſuit. Ei ſucceſſorem princeps cum collegio ſacerdotum, Hermanum dedit, quem Vratislaus Rex à ſacris miniſtrum habebat,dein templo Boleslauienſi eundem prępoſuerat,vnde ad Pragenſem cathedram translatus eſt. Neq; multò poſt [m] Cæſar,appetente feſto die Paſchæ, conuentum principum Ratiſponæ celebraturus, inter cæteros Bretislaum etiam ad eam celebritatem inuitauit. Is Boriuorium præterea fratrem & Hermannum deſignatum Pontificem ſibi adiunxit,ibatq; mille amplius delectis equitibus, vnoq; colore veſtitis comitatus.Propinquanti Ratiſponę Cęſar ter mille ferè paſſus obuium ſe initinere obtulit,manuq; deſilire equo paranti iniecta, eques equiti dextram porrigit, ac comiter ſalutat, receptumq; intra ſecures ſuas, ſibi proximum adequitare iubet.[n] Actum dehinc inter alia negotia publica, vt Bretislaus ſolenni principum electorum more,Cæſareæ maieſtati ſolitum honorẽ haberet. Allata mox vexilla regni & prouinciarũ,quarum dominus ac princeps erat Bretislaus,ipſeq; Cæſar corona & ſceptro ornatus in throno Cæſareo ſublimis reſidens, Ragalia (quæ vocant) per vexilla Bretislao, Hermanno autem pontifici per ſceptrũ in manus oblatum diſtribuebat.Ac ne uacuus inde Boriuorius inhonoratusq; diſcederet,approbat diplomate ſuo Cęſar fraternam hanc inter ipſos compoſitionẽ,

*Retium à Bretislao expugnatur.*

*Leopoldus clã fuga elabitur.*

*Boriuorius ducit Leopoldi Auſtrij filiam.*

*Peſtis.*

*Hermãnus X. Epiſcopus Pragenſis.*

*Bretislaus à Cæſare inueſtitur principatu Ratisbonæ.*

*Boriuorius Cæsareo priuilegio Bretislai hæres instituitur.*

vt si quid humanitùs Bretislao, priusquam Boriuorio eueniret, tutela liberorum Bretislai, cregni succession, ad neminem quenquam, nisi ad Boriuorium pertineret. ° Gratissimus in reditu eius aduentus in Boiemiam, Bolesłai Poloni ex sorore nepotis fuit, eò maximè quòd non inuitatus, sed sua sponte, nec vt hospes tantùm, sed vt aulicus futurus veniret. Concesserat filio pater Vladislaus roganti, vt paulisper secederet, vitamq; & mores aliarũ quoq; gentium introspiceret. Atq; ille ad Bretislaum cognatũ suum in Boiemiam se contulit, mansitq; in aula eius aulæ magister, qui tunc magistratus apud Boiemos honorificentissimus erat. Sed vt non solùm honore, sed censu quoq; antecelleret Boleslaus, vectigal, quod ex Polonia adferebatur, ad eundem in solidum detulit. Breui tamen pòst, Vladislao aduersa valetudine grauiter laborante, in Poloniam est reuocatus. Ex comitibus eius nobilioribus, Lorecus tantum Versouicensis in Boiemia substitit, literis Bosegij & Mutinę exulũ, de quibus diximus, retentus, vt haberent per quẽ Bretislao insidiarentur, bonaq; ab eo intercepta recuperarent. Secessu inprimis Stebnensi Bretislaus vtebatur, quoties venationi sibi indulgendum putauit. Tunc verò ipso quoq; tempore prouocante (instabat enim Natalis Domini dies) venationi intentus, Stebnã maturè cum venatoribus venire occupat, venaturq; vnũ & alterum diem hylaris & securus. Ac rursus ad tertium diem venatũ educit omnes, permanetq; in syluis à mane vsq; ad crepusculum noctis, ita vt necesse habuerint lucernas & faces accendere, qui Principem, necubi oberraret, in pagum deducebant: nihilminus quoquã tunc illorum, quàm de insidiatore cogitante, cũ subitò Lorecus clam de latebris erumpens, venatoribus se, quasi vnus ex illis esset immiscet, principemq; à tergo cũ arcu tacitus assectatur: & antequã pagum pertingeret, vi tanta in illum sagittã dirigit, vt in alterã corporis illa partem transuolaret. Delabitur inde sensim equo princeps, largumq; ex vulnere cruorem effundit. Cuius sistendi gratia ipsumq; in pagum deferendi, alijs circumstantibus, alijs sceleratissimũ tortorem persequebantur. Quem tandem in quodam prærupto viæ loco, in quem per tenebras vnà cum equo cecidit, inuenerunt. Ceruix equi fracta fuit, ipse ense cõfossus, suane manu, an casu de vagina ense decidente non satis apparuit. Porrò Bretislaus ad vsq; tertiũ diem vitam produxit suam, multò interim plura de regno Dei, quàm de regno Boiemiæ cum præsentibus commentatus. Ad extremum præsbitero aduolutus, factaq; exomologesi, ab eodem pane viuo pastus, sacroq; oleo perunctus, cum hac voce Domini ad eundem Dominũ emissa: In manus tuas Domine, cõmendo spiritum meũ, expirauit. Corpus eius Pragam ad ædem diui Viti elatum, ibidemq; solito principum more sepultum.

*Fatalis Bohemiæ principibus Versouicensis familia.*

*Lorecus Versouicẽsis inter venandum sagitta traijcit Bretislaum.*

*Lorecus quoq; confossus.*

*Ottho Marchio Olomuzensis* { *Suatoplucus*, *Ottho*

*Vratislaus* { *Bretislaus*, *Boriuorius*, *Vladislaus*, *Sobieslaus*

*Conradus* { *Vdalricus*, *Leopoldus*

[a] *Vratislaus primus Boiemiæ principum ab Henrico IIII. (si Aucupem excluseris aliàs V.) in Regem Boiemiæ euectus Comitijs Moguntiæ celebratis Anno 1086. XVI die Iunij Poloniam quoq; illi tributam tam Hungari quàm Germani annalis perhibent, quod verisimile ob exaugurationem Regis Boleslai.*

[b] *Henrico qui Leodij obijt in carcere coronationem acceptam referunt, quod temporibus magis quadrare videtur non filio vt auctor putat. Hic Senior est dictus.*

[c] *Permissu Alexandri III. Papæ Vratislaus collegium Caconicorum instituit Vuisse gradi-*

*gradi: ad cuius ædificationem suis humeris duodecim terræ cophinos gestasse dicitur.*

d *Lotharius adhuc Dux Saxonũ (eam prouinciam Henrici V. beneficio possidebat) rebellis Cæsari fit. Attamen cũ Mathildi Anglæ Moguntiæ nuptijs celebraturus Cæsar Lotharium supplicem longa cinerea veste indutum, belliq; moti culpam deprecantem admisit: illiq; ignouit data fide, à qua paulo pòst se auertit.*

e *Lusatiam non huius quinti, sed quarti senioris beneficio possidebat Vratislaus, vt auctor paulo antè est testatus.*

f *Otthonis filios Gerardus Olomutio præficit cõtra Vratislaũ, astipulatore Cunrado.*

g *Bernhardi Clareuallensis abbatis hortatu. Sub hoc Lothario, & Gratianus Pontificum Decreta compilauit.*

h *Ob Petri tyrannidem Andreas è Polonia exul accersitus ab Hungaris, concesso paganismo regnum impetrauit. Tum Gerardus Episcopus Chanadiensis. Bistricus & Beneta Episcopi cum multis millibus Christianorum martyrium subiere. Licet regnum adeptus cruentum reuocauit decretum. Rex vterq; violenta morte perîêre.*

i *Primus Poloniæ à regibus princeps Boleslai feri exaugurati filius regio nõ vsus titulo, sed principis & hæredis Poloniæ. Iudith soror Bretislai ex Hungaria illi cõiunx erat.*

k *Petrus Heremita Gallus è Palestina reuersus Vrbano P.M. nomine diui Petri iniungit, vt cõcilio Clarimontano in Aruernis habito sacrum bellum indicet. Postea nomen dedit & Godefridus Bilioneus Anno 1095. Godefridus iter ingressus 15. Augusti. Ladislaus Rex Hungariæ expeditionis caput morte est præuentus. Hunc Sultanus Niceæ concîdit cum toto exercitu.*

l *De hoc Hngari ne γρũ quidem, sed colloquium habitum & affinitatem contractam referunt cum Boleslao Duce Poloniæ.*

m *Lotharium hunc fuisse Cæsarem suspitio est, quia illius ante quoq; facta mentio.*

n *Aut honores hi ab Henrico V. filio sunt Bretislao delati: vnde vocis affinitate Henricum V. dicunt Vratislao regiam concessisse dignitatem.*

o *Polonus scriptor inquit Bretislaum conspectum nepotis è sorore Boleslai desiderantem eò venisse Boleslaum paucos dies commoratum arce Cœmenicia donatum, paulò post ad patrem fuisse reuersum.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER DECIMVS.

POst Bretislai cædẽ, Boriuorius iam antea Princeps & à fratre, & à Cæsare designatus, Pragæ solemniter honorẽ inijt, nõ tam iure, quàm multorũ fauore. Quippe Vdalricus Cõradi filius, quantũ ætate illum, tantum iure antecellebat. Quare vt eius quoq; beneuolentiã, sponte oblato beneficio conciliaret, laxatis vinculis liberũ ex arce Glacensi abire iubet. Mox Leopoldum fratrem eius ab exilio reuocat, atq; vtriq; Brunnã in Morauia, & Znoymã, quas vrbes ipse possidebat, restituit. Grata in præsens, sed non diu, hęc beneficia, præsertim Vdalrico qui toti regno inhiabat, persuasusq;, nisi auro præsente nõ admodũ se in aula Cæsaris proficere aliquid posse, ad congerendũ vndecunq; aurum partim ex tributis, tum à Danistis studiũ conuertit, ac deinde auro argentoq; refertus, Ratisponã ad Cæsarem vadit, illum deprecaturus, vt mutaret sententiã, quam contra ætatis prærogatiuam, contraq; ius Gentium de successione principatus ad Bretislai importunas preces censuerat. Vbi ille immotus decreto suo nititur, in eodemq; animi habitu diutius permanet, Vdalricus interim, nunc eos qui aures, tum qui oculi & lingua Cæsaris dicerentur, postremò

*Boriuorius III. à rege princeps.*

*Ad Seniorem iure pertinebat principatus.*

*Vdalricus solutus carcere.*

*Vdalrici ambitio inexplebilis.*

*Corruptus Cæsar auro fauet Vdalrico.*

ipsum Cæsarem, tanquam caput inaurat, à quo etiam tandem impetrat ius legittimæ suæ successionis, sed hac conditione, vt liberũ sit Boiemis, aut Vdalricum, aut Boriuorium habere Principem, vtrum videlicet horum magis idoneum, habilemq; approbauerint. Aderant tunc Principes nonnulli Ratisponæ, propinqua necessitudine cum Vdalrico coniuncti (maternũ enim genus ab illis ducebat) cũ idem Vdalricus se magnificè iactaret, de studio & fauore nobiliorum in Boiemia, ac diceret, aduentu tantum suo, illoq; maturo opus esse, cætera in procliui fore, sed absq; amicorum subsidio armato, vanam videri illò profectionem. Pollicentur quidam eorum auxilia, & præstant. Vdalricus verò Freysingensis præsul, & Fridericus sororis eiusdem præsulis maritus, ac Sigardus à Sala Comes, per se quisq; sui agminis ducem profitentur: quibus accessit Leopoldus frater Vdalrici, cum valida Morauorum manu. Isq; cæteros in Boiemiam deduxit, ad locum in quo Melina oppidum iacet. Haud procul inde Boriuorius ex duobus collibus, multò validiorem, tam ex Boiemis, quàm Morauis exercitum ostendit: siquidem ambo ex Morauia fratres, Suatoplucus & Ottho patrueles Vdalrici, à parte Boriuorij cum suis stabant. Ad quos proximè adstantes se reflectens Boriuorius, vos, inquit, inter vos iudicate, vter tenacius securiusq; equum teneat: is ne, qui per frenum, an qui per caudam illum retinet? qualis est Vdalricus, qui caudæ principatus manũ admouit, cum ipsa cauda mox occasurus. Porrò Germani principes tanta multitudine Boiemorum, quantum ex aduerso cernebant, territi, Vdalricum infestius interrogant, vbinam essent Boiemi illi nobiliores, qui ipso duntaxat viso, ceu iactabat, se officiaq; sua ad ipsum cõferrent? Ecce videre se eos, videriq; inuicem, nec tamen quenquam mouere loco suo, sed omnes pugnæ signum expectare, vt iam non solùm decepti, despectiq; abs te, sed proditi etiam esse videamur, nisi nos ex hoc periculo in tutum reduxeris. Frustra Vdalricus excusationem orditur, frustraq; retinere diutius amicos conatur, præsertim Freysingensem præsulem, qui proxima statim nocte desertis castris, rebusq; suis in illis relictis omnibus, per calles saltuosos in vicum, qui Haber dicitur, euasit. Hinc metus in omnes & fuga aliorum quoq; sine sarcinis & impedimentis, vt Boiemi prædam nacti, à consectandis fugientibus abstinerent. Sed ne sic quidem integri omnes incolumesq; aufugere potuerunt, pars à militibus leuioris armaturæ, pars ab agresti turba oppressi, aut spoliati. Ex eo tempore neq; tantum animi, neq; virium colligere Vdalricus quiuit, vt principatum Boiemiæ palàm inuadere auderet. Multum etiam Boriuorio tunc molesti, Boscius & Mutina Versouicenses erant, dum aliquoties reditum ab exilio sibi denegatum, pertinaciter obtinere contendunt, non per propinquos & affines suos modò, verum etiã per aulicos insigniores, ægerrimè id ferente principe, quòd cum paulò antè clamarent ferè omnes, crucifigendos esse principum parricidas, nunc extare non paucos qui cum patria, bona quoq; illis reddi postulent. Ibi ex intimis non nemo propiùs accedens, Tu igitur ait Princeps, vt lupum circumerrantem plagis irretias, vltro illum cibo oblato inescabis? vt verò hostes tuos in potestatem tuam redigas, non illis patriam cum patrimonio restitues? ijs tandem victus, reuerti vtrumq; ex Polonia in patriam permittit, alteriq; eorum oppidum Mutham, & alteri Lithomeritium restituit.[a] Per id tempus in regno Poloniæ, res admodum commotæ erant, fratribus inter se de hæreditate paterna contendentibus. Duos filios Vladislaus rex sospites reliquit, Boleslaum legitimè natum, & Sbigneum nothum, quem pater adeò sibi charum habuit, vt æqua penè regni portione illum cum legitimo filio exæquaret. Dissidio hinc orto, atq; vtroq; ad arma spectante, & bellum Sbigneus factione apud Polonos inferior, à Boiemis & Morauis auxilia emercatur: Boriuorius Chlumetium, Suatoplucus, qui Morauiam obtinebat, suum quoq; tribunum

*Vdalricus cum exercitu Bohemiæ principatum aggreditur.*

*Boriuorius resistit.*

*Deseritur à suis Vdalricus.*

*Profligati Germani.*

*Versouicenses duos in integrum restituit.*

*Chlumetius.*

bunum militum copijs ſuis præfecit, iamq; ambo illi viribus coniunctis progreſſi vſq; ad oppidum,quòd Byton Poloni vocant,fuerant, cum Boleslaus legatos ad Boriuoriũ mitteret,petitum:Ne ſe,ſororis ipſius nepotem, dum alieno gratificari ſtudet,iret oppugnatum.Si quam iniuriam vel priuatim,vel publicè ſe accepiſſe Sbigneus exiſtimaret,legibus illam,non autem armis perſequendam duceret. Paratum eſſe Boleslaum iudicio, iudicibusq; parere. Ad hæc Boriuorio reſpondente: Non amplius in poteſtate ſua ſe habere milites,qui in Poloniam abierint. Legati munera promunt,multamq; pecuniam per Grabiſſium,& Protiuitium,à conſilio Principi proximos adnumerant,per illam deniq; impetrant,vt Chlumetius cum Boiemis ex Polonia reuocaretur. Reuocat mox & Suatoplucus ſuos,expectatq;, dum in cõmunionem eorum, quæ allata dona erant, ipſe quoq; admitteretur: vbi nihil vltro à Boriuorio ſibi offertur,appellare eum incipit, & poſtquã ne appellando quidem aliquid extorquere poteſt,auaritiam Boriuorij deteſtatus,viamq; ſibi ad principatum Boiemiæ ſternere aggreditur,ſummo cum ſtudio id agens,vt quos audacia & manu promptiores ex Boiemis eſſe nouerat, eos ſibi largiendo, pollicendoq; adiungeret. Aſciuit præterea Pragenſium quoq; nonnullos, quos ſibi opportunos fore credebat,per quos facilius vrbem reciperet.Pragam enim recta petere, tanquam regni caput deſtinabat, peregitq; deſtinata,ſed non quo ſperauit ſucceſſu.Quanquam enim Boriuorius aduentum Suatopluci hoſtilem altè diſſimulauerit, præſidium tamen militum delectorum occultè præparauerat,quod arci Vicegradenſi,in quam ſe concluſerat,& vrbi, quam Hermanno pontifici tuendam commendauit, per tempus impoſuit, atq; ita defectio vrbana,quã Suatoplucus expectabat,intercepta fuit. Inde placuit traiecto Vultauia flumine,minorem vrbis partem,ac perinde infirmiorem aggredi,ſed illa quoq; ſtrenuis defenſoribus munita erat, qui hoſtes à porta & muris longiùs propellebant. Ergo deſperata Suatoplucus vrbis expugnatione,retro in Morauiam agmen reducit,Boriuorio aliquatenus eum inſequente,mox deinde ſubſiſtente, dum ne ſuis quidem omnibus ſatis fidit. In Morauia conſilio Suatoplucus aduocato,queritur de fortuna parum proſpera, deq; illis qui ipſum fefellerunt. Interea tamen animum adipiſcendæ Boiemiæ auidum occultare nequit, ſed apertè conſilium modumq; requirit illius conſequendæ. Budiuoius, Hroni filius, vſu rerum, factisq; cæteros antecedere videbatur. Is orſus infit dicere: Longiùs hoc abs te, ô princeps, abſcedat, vt plaga vna,nec magna accepta, animo protinus concidas.Vſitatus hic fortunæ ludus eſt,quẽ inter homines,præſertim in alea Martis ludere illa ſoleat,vt nunc iſtum, nunc illum victorem faciat, ita vt non valde tutum ſit, res noſtras fortunæ caſibus permittere,niſi arte caſus corrigere quis ſciat,quemadmodum vulpem hanc artem probè noſſe conſtat, qua aduerſus lupum viribus multò præſtantiorem ſæpiſſime præpollet. Huius itaq; induendum eſſe exuuium, poſteaquam Leonis non profuit, & fraude potius, quàm vi,principatu Boriuorium euertendum. Si hanc curam princeps ſibi delegauerit,curaturum ſe vt rectè curatam eſſe illam gaudeat.Vtraq; ille manu Budiuoium complexus,toto inquit, pectore curam mei trado tibi, memor,gratusq; olim erga te futurus. At ille Hyruinum, veterem Boriuorij aulicum, hominem verſipellem ſubornat,qui lamentabundus,queribundusq; in Boiemiam proficiſcens, Boriuorio inopinanti ſe offerat, cum iſtiuſmod aduerſus Suatoplucum querela, quaſi ſatis non habuerit,carcere,vinculis,fame, tenebris in eum ſæuire,ob nullam prorſus noxam. Sed quantum in illo erat, dederat inſuper eum exoculandum, ſi ab hoc ſupplicio ope diuina liberatus non fuiſſet. Hanc tam inſignem iniuriam cum priuatus ipſe vlciſci nequeat, ſe ad Boriuorium confugiſſe, veniſſeq;,vt ei proditores nominet, quorum conſilio, conatuq; Suatoplucus eum

*Auaritiæ inſimulatur Boriuorius.*

*Suatoplucus affectat principatum.*

*Pragam tentat fruſtra.*

*Budiuoius vulpinam induere Suatoplucum iubet.*

*Hyruinus hiſtrionem fabulæ gerit veterator inſignis.*

subuertere parat, cognito periculo, sperare se, Boriuorium, vicem primum suam, deinde clientuli quoq; sui doliturum, vindicaturumq;. Iussus deinde erat nominare proditores, Boseium & Mutinam Versouicenses nominauit, qui in defendenda Praga, egregiam paulò ante operam Boriuorio nauarunt, etiamsi fauoris magis ostentatione id, quàm vllo in principem amore feciſſe viderentur, quoniam omnes principes familia illa pessimè oderat. Facilè igitur inter suspectos inuicem, per hanc fallaciã noua rursus inimicitia conflata fuit credulo Boriuirio, tanta indignatione in Versouicenses inflammato, vt comprehendi illos statim, inauditosq; puniri mandauerit. Sed illi de instanti periculo vitæ præmoniti, ad Vladislaum cum fratre Boriuorio discordem, Boleslauiam se subduxerunt. Initaq; mox vnà cum Suatopluco tam præualida contra Boriuorium coniuratio est, vt nisi is fuga in Poloniam coniuratos præueniſſet, captus ab illis erat. Sobieslaus frater minimus natu, fugæ comes sua sponte fuit. Vacuum inde principatum Suatoplucus occupauit, Vladislao tanquam seniori de loco ei concedente, sponsoremq; se pro eodem Hermanno præsuli, & alijs Boiemiæ proceribus, qui parere ei dedignabantur, faciente, Eum nihil horum mutaturum, quod ad dignitatis & magistratum illorum pertineret, sed & beneficia atque priuilegia omnia seruaturum omnibus, quæ quisq; à Boriuorio haberet. Auctus Suatoplucus in Boiemia possessionibus, Otthonem fratrem in Morauia Olomucio præfecit, ademptamq; Boriuorij inuidia, Brunnam & Znoymam Vdalrico, Leopoldoq; patruelibus reddidit. Sed non diu Boriuorius in Polonia commoratus, suasu Boleslai Regis affinis sui, in Germaniam ad Cæsarem proficiscitur, vt nomen Suatopluci, de iniuria sibi illata, deq; fraude & perfidia deferret, reditumq; sibi ad pristinum honorem impetraret. Auditus est propitio Cæsare, datæq; sunt ad Suatoplucum literæ asperiùs scriptæ, si se ad dicendam causam in curia Cæsaris non sisteret. Hæ literæ vbi palàm recitatæ fuerant, magna nobilium pars, nequaquam Suatopluco suadere vt se arbitrio Cæsaris committat, suas leges, suaq; iura Boiemos habere. Si quid Boriuorius iudicio experiri velit, id domi eum, non autem foris, agere debere, ne libertas Boiemorum prodatur. Annuit his Suatoplucus, iustaq; sibi & æqua illa quæ dicerentur, videri ait, sed ne cuius tamen, aut cladis, aut calamitatis, propter absentiam sui author exiſtat, vel cum periculo suo Cæsarem adire velle. Hoc tantum rogare Boiemos, interea dum ipse reuertitur, Ottho frater vt regnum administraret. Infenso Cæsar vultu aduenientem Suatoplucum excepit, nec incusto ditum reliquit. Cæteris qui vnà venerant proceribus, seuerè iniunctum, vt Boriuorium principem suum Pragam reducant, rursusq; illum in sedem suam reponant. Additæ Boriuorio Saxonum cohortes aduersus vim popularium, sed parum profuturæ cõtra copias Otthonis, quas à Chlumeco vltra montes ad arcem vsq; Doninam Boriuorio obuiam perduxerat, vt cum eo dimicaret, si in eo loco Boriuorius deprehensus fuisset. Sed is cum suis pernoctem in aliam tutiorem regionem diuertit, indeq; maximis itineribus Pragam venire anteuertit. Sed & hanc vrbem sic erga se affectam repperit, vt nec cum illa, nec sine illa viuere lætus posset. Adeò subita ibi rerum omnium mutatio fuit, adeoq; rursus Suatoplucus cum factione sua inualuit, vt tanquam valentiori Boriuorium imbecilliorẽ succumbere, & ad Poloniam in exilium reuerti oportuerit. Ipse quoq; Hermannus præsul, inter multos ac varios timores sollicitus incertusq;, cuiusnam partes sequi magis conducibile foret, nam concordiam inter tam discordes componi posse desperabat, à tumultibus tandem præsentibus se subducere, quàm illis temere immisceri maluit. Bambergam, ad præsulem Bamburgensem secedens. Pragam reuertentẽ Suatoplucum Cæsarei sunt comitati, qui pactam ab eo pecuniæ summam Cæsari

*Defert falsò Versouicenses.*

*Versouicenses ad Vladislaum Boriuorij fratrem confugiunt.*

*Boriuorius cũ fratre in Poloniam fugit.*

*Suatoplucus Morauus quartus à Rege principatus Bohemici moderatur habenas.*

*Boriuorius sua su Boleslai Poloni Suatoplucum Cæsari defert.*

*Citatus Suatoplucus apparet.*

*De restitutione Boriuorij factum decretum.*

*Alienos suorũ reperit Boriuorius animos eoq; voluntarium subit exilium.*

*Episcopus turbis cedit.*

sari referrent. Sed tanta ærarij inopia erat, tamq; steriles arcas principis amici possidebant, vt paulò dimidio amplius quàm pactum erat, soluere prætium Suatoplucus potuerit. Datus igitur Ottho frater Cæsari obses, donec reliquum quod defuerat, repræsentaretur. Hinc se ad rapinas Suatoplucus vertit, à Iudæis promiscuè & Christianis, colonisq; & mercatoribus noua exigens tributa, mox à locis cum prophanis, tum sacris, aurum & argentum per exactores sacrilegos extorquens, ac Cæsarem interim prolationibus lactans, trahensq;, & ad extremum debito illum fraudans, dum eum ad diem filij sui lustricum inuitat: si non sui ipsius, at legati præsentia illustrandum. Iubet Cæsar puerum tingendum, si viam tolerare queat, Bambergam deferri. Quò vbi allatus est, ipse Cæsar illum de fonte sacro suscipit, debitumq; paternum ad illum transferens, suis muneribus expensum fert, simulq; Otthonem obsidem in Boiemiam liberum remittit. cum hoc Hermannus quoq; præsul reuersus Pragam est. Cæterùm breui pòst Cæsar, extimulantibus illum Germaniæ principibus, aduersus Hungaros, à quibus in expeditione nupera, orientem versus facta, [b] hostiliter essent hospitati, Suatoplucum in comitium vocat, ne videlicet per omnia gratuitò debitum à Cæsare donatum auferret. Quippe militia eiusmodi sine grauibus impensis iniri non poterat. Sic igitur instituta fuit in Hungariam profectio: Cæsar cum nationibus Germanis, terra Danubioq; ad expugnandum Posonium, arcemq; illius oppidi transibat. Suatoplucus cum Boiemis & Morauis vltra Vagum fluuium progressus, Nitriam vi cepit, & præterea mille equites subsidio venientes per insidias oppressit. At Cæsar in obsidione arcis Posonienſis, cum à Iulio mense vsque ad Septembrem nullo profectu, sed magno cum tædio perdurasset, illa tandem omissa, missum quoq; exercitum fecit: reuocans & Suatoplucum à populationibus, quas vltra citraq; Vagum in obuios Hungaros exercebat. Duobus curam tutelamq; regni se absente Suatoplucus crediderat, in altero fidem secutus, in altero perfidiam metuens, si inhonoratum publico honore relinqueret. Horum Vaceco fidelis permansit, contra Mutina Versouicensis, veteres mores suos nequaquam immutauit, sed clam in Poloniam ad Boriuorium mittens, adesse occasionem patriæ repetendæ ei significauit, modò cum manu vel modica veniat, quam facilè à Rege Poloniæ obtinere queat: nam Principe absente, armatos in Boiemia nullos apparere, nec esse, qui sine consensu ipsius armare illos audeat. Satis bene copijs instructus Boriuorius in Boiemiam uenerat, sed dum in obsidione Glacensi moram inutilem inanemq; protrahit, affertur ei, Suatoplucum ab expeditione Hungarica domum cum exercitu festinare, vt Polonos à finibus regni depellat. Iam enim is rescierat, indice Vacecone, quid Mutina per proditionem machinatus fuerit. Ac statim certiorem de ea re Cæsarem fecerat, qui iuratus promisit, commutationem sibi hanc iniuriam cum Suatopluco fore, sicut communis expeditio in Hungaria fuerit, breuiq; tempore communi quoq; Marte aduersus Polonum vindicandam. In Morauia igitur exercitus parte dimissa, cum reliqua in Boiemiam Suatoplucus reuertebatur: cui Vaceco ad oppidum Lythomislense occurrit, fœlicem ei reditum gratulatus, & inuicem à principe cum hylari vultu salutatus. Venit deinde obuiam & Mutina, ad Castellum nomine Vratislauiam, à Lythomislio sesquitertium lapidem in colle situm, parantiq; adire & salutare principem, responsum datum: In crastinum deferre principem vespertinas salutationes. Vesperi enim castellum ingrediebatur. Non omnibus hæc dilatio placuit, aderantq; suasores qui Mutinæ suaderent vt se per tempus subduceret, non expectato die crastino. At ille hora fatali, hoc est, pœna peccati à Deo destinata, ad supplicium illum trahente, neglecta suadela, mane apparuit, venitq; in cœtum Procerum, quem

*Suatoplucus pactam Cæsari pecuniam exolaturus nihil intentatum relinquit.*

*Filius Suatopluci Bambergæ baptizatur debito remisso & obside recepto.*

*Suatocuplus militiæ socius Cæsari in Hungariam.*

*Domi interim omnia turbata.*

*Vasconem alij.*

*Versouicensis proditor.*

*Boriuorius abscente Suatopluco Boemiã repetere nititur.*

*Vaceco damni à Plonis illati culpam in Mutinam confert.*

*nuectiua vehementis in totam Verſouicenſiũ (ſiue Rauitarum aliis) familiam.*

Princeps in conclaue coegerat, idemq; audientibus omnibus: Adés ne? inquit, bone vir, quem propter nimiam bonitatem, eſt planè mirum, quòd terra te tamdiu ſoſpitem ſuſtineat, talem ac tantum litium, turbarumq; inter principes ſatorem, tamq; leuiſſimum ab alio in alium transfugam, vt alios eluderet, alios perderet. Quali arte, quantum iſte excelluerit, nece Bretislai optimi Principis, deinde ipſius Boriuorij exilio, declaratum eſt. Sed hoc nondum omnibus notum, quid nunc me abſente deſignauerit, qualemq; gratiam mihi retulerit pro honore ſibi à me habito ampliſſimo, ita vt regno præficeretur, nempe talem, vt me, regnumq; meum, vnà vobiſcum Polonis prodiderit: quibus niſi per tempus occurriſſemus, planè perieramus. Si te perditiſſime omnium, atq; ingratiſſime, non reuerentia in Principem tuum, non memoria beneficij ab illo accepti, neq; iuriſiurandi, fidei nomine in hoc tuo magiſtratu præſtiti, neq; infamiæ præterea dedecus, quòd ex proditione contractum, maculam etiam poſteris relinquit inelluibilem, at ſaltem metus Dei, apud Reges quoq; terræ omnes terribilis, qui ab officio deſciſcunt ſuo, reuocare te à tanto ſcelere debuit. Sed quid ad Verſouicenſes de metu Dei hominumq;, quibus hæc velut ingenita audacia cordi eſt, nihil pudere, omnia audere, & non ſolum prodere, inſidiasq; ſtruere, ſed etiam occidere Principes ſuos, quaſi Deus nunquam ſoleat in authores perfidiæ vertere pœnas perfidia dignas, qui per ſpiritum ſuum prædixerit: Foderunt foueam, & inciderunt in eam. qualis nunc quidem caſus, tibi tuorumq; capiti adeò inſtat, vt verear, ne omnes boni à me ſerius, quàm quiſquam crudelius, me in te, tuosq; animaduertiſſe dicere auſit. Hæc intonans ſegregat ſe à cœtu præſenti, atq; intromiſſi qui foris ſtabant lictores, Mutinæ manus iniecêre, ſimulq; duos ipſius filios ad ſupplicium rapuerunt. Capti ibidem Vneslaus, & Domaslaus fratres germani, ac Boreconis filij de eadem Verſouicenſium familia, omnes ſecuri à carnifice percuſſi, bonaq; publicata. At Boſeium Verſouicenſem, qui ætate & opibus præibat, ac tum Vratislauiæ cum alijs non aderat, clari nobilitate viri, Hermannus, Vacula, Caraſſus interficiendum ſibi ſumpſerunt, fortunis interfecti inhiantes. Prandebat cum vxore Boſeius in vico ſuo Lubicio, vnaq; horum filius menſæ aſſedit, cum cibi adminiſter è feneſtra proſpectans, cernere ſe ait globum equitum, celeri gradu rectà vicum petentem. Nihil mali ſuſpicans Boſeius, Noſtrates, inquit, ab expeditione Pannonica forſan reuertuntur, meritoq; domum quiſque ſuam reuiſere feſtinant. Sed illi, vt erant armati, magno ſtrepitu tumultuq; cœnaculum irrumpunt, ac primus omnium Caraſſus enſem ſtringit, cognatum ſuum Thomam à Boſcio repetens, quem is occidiſſe ferebatur. Interpellans Borichius Boſei filius: Auſer, inquit, vim & clamores, & ſi quid tibi rei nobiſcum eſt, de hac iudicio, principe coram, contende, transfigit continuò Borichium Caraſſus, & alius Boſeium, ita, vt mariti ſanguine vxor conſpergeretur, & ſine vulnere corrueret in menſam. Fit inde impetus in omnia bona, quæ percuſſores inter ſe diſtraxerunt: Poſtremò in teneram quoq; & innocentem ætatem ſæuitum, ex vetere quodã dicto de lupis vſurpato: Haud magis parcendum eſſe, quàm lupis, ad quos interficiendos cum ipſis etiam catulis, olim præmio inuitabantur. Præmium occiſi catuli vna drachma erat, ſicut adulti lupi interempti, duæ Drachmæ. Sed hæc quis niſi impius & immanis, qualis Herodes fuit, in quoſuis homines, nedum in pueros iugulandos detorſerit? Nam Cæſar Auguſtus tametſi æthnicus, hanc tamen Herodis immanitatem, qua filium quoq; ſuum inter alios infantulos occidi iuſſerat, deteſtans: Maluiſſem, inquit, Herodis me porcum eſſe, quàm filium. Sicut enim à cibo porci, ita à nece quoq; illius ſibi Iudæi temperant. Ex tanta Verſouicenſium clade, pauci reliqui ſuperſtites, fugam in Poloniam ad vetus ſuum perfugium adornarunt.

*Iugulatur à carnifice Mutina cum duobus filijs.*

*In totam Rauitarum gentem ſæuitum.*

*Crudelitas in infantes Herodis comparanda.*

Non

Non autem ab vrso,vt quidam opinantur,sed à nassa piscatoria,quam Boiemi Wrsse nominant,(quippe hanc pro insigni nobilitatis suæ ostentabant) fuerunt Versouicenses cognominati. Interim Hungari damnorum memores, quæ nuper Duce Suatopluco à Boiemis & Morauis sustinuerunt, tribus agminibus in Morauiam ingressi, multò infestiùs illam peruastant: nam super cætera mala, igne etiam in vicos & pagos desæuierunt. Quæ quidem res ad arma rursus Suatoplucum exciuit: quibus arreptis, vltum ire Morauorum detrimenta,cum ipsis etiam Morauis quibus Ottho frater præfuit, accelerat, propius ad saltum accedentibus, vltra quem Hungari non longè abesse dicebantur, nocte illum transire, vt prima luce improuisi Hungaris superuenirent, placuit. Accidit autem in ipso saltu, vt ramus arboris, à præcedente equite adductus, ac repente laxatus,leuum Suatopluci excuteret oculum. Cuius tum damno, tum dolore commotus, regredi in apertum coactus fuit, militibusq; retrocedentibus: ibi citra saltum proximo loco,Otthonem considere,eumq; locum castris communire, atq; omnes in eo copias continere aduersus futuros casus iubet. Cæterùm vltro hostes lacessere vetat: ipse Olomucium ad medicum defertur. Vna tantum hostium turma saltum superare, ac se duntaxat ostendere ausa, mox intra eundem saltum se recepit, nec amplius hostium quisquam apparuit. Reuersus tandem & Ottho in vrbem suam Olomucium,nondum plaga oculi fratris percurata,sed iam dolor molestus esse desijt, paulatimq; cicatrix obducebatur, sanitatem vulneris adfore prænuncians. Qua recuperata, etiamsi Autumnus tunc præcipitauerat, omittere tamen haud potuit, quin instauraret aduersus Hungaros hostilem profectionem, Ducem illius seipsum constituens, omnesq; milites Brodam, cognomine Hungaricam, tendere iubens. Atq; inde finibus Morauiæ transgressis,nouam ciuitatem(sic Hungari vocant)diripit,arcemq; illi vicinam, ac dein alteram quoq; diruit, circumq; omnia Ternauiam tenus euastat. Tum se vis magna equitum per multos globos ab Hungaris dispartita, de longinquo ostendit, ac mox Boiemis infesta appropinquauit. Contra illam Suatoplucus aciem, clypeis hastis densam, curribusq; circum latera septam oppo suit. Ingruunt sæpius hostes, aciem perrumpere tentantes, sed telis & sagittis non sine illorum strage repelluntur. Successit item prosperè vna atq; altera equestris eruptio,qua pauci Boiemorum equites,sed bene omnes armati,plurimos Hungarorum inermes equites neci dederunt. Atq; ita Hungari magna parte amissa suorum, partim etiam hyemem non tolerantes, dissipantur in pagos & vicos. At Boiemi magna præda potiti, cum Suatopluco, ceu victore, domum læti reuertuntur: Finem deinde mutuis cladibus deprædationibusq; mors Colomanni Hungarorum Regis imposuit. Inde Suatoplucus Polonos statuit petere, aduersus quos Cæsar promissi memor, suum quoq; exercitum ex Germania superiore,inferioreq; conflatum,in Slesiam adduxit: quippe Slesia tunc Polono adhuc parebat, ac Boiemis tantummodo stipendiaria erat. In hanc Cæsar ingressus, Castello Lybus dicto potitur, illoq; donat Pontificem Magdeburgensem, expeditionis participem. Expugnat & Suatoplucus qua ibat via,arcem Geram,amisso ad illam milite manu strenuo, cuius morte commotus, arcem solo adæquat, ac se cum ipso Cæsare ad oppugnandam Glogouiam mœnibus,arce, flumine Odera munitam conuertit. Inerat præterea validissimum ex Polonis & Slesitis præsidium, tum etiam commeatu copioso abundabat: & accesserat Boleslai Poloni adhortatio, vt forti animo ciues obsidionem paterentur, breui enim se cum omnibus suis copijs subsidio affuturum. Quibus rebus freti Glogouienses, Germanis, Boiemisq; portas occludunt,perq; mures & turres,tela,saxa,& defensores disponunt. Admouent nihilominus, tum Cæsar, tum Suatoplucus mœnibus propius castra, &

*Nomen vnde natum.*

*Vltum iniurias Hungari in Morauiam excurrunt.*

*Suatopluco Læuus excutitur oculus, ea propter remissum bellum in Hungaria.*

*Suatoplucus prædas agit in Hungaria.*

*Mors Colomanni Regis Hungariæ.*

*Anno 1109.*

*Bellum Cæsaris Henrici V. in Polonia.*

inde machinis tormentisq; atq; in primis arietum pulsu muros ciuitatis quatiunt,ac labefactant:sequiturq; lapidum ruinam, miles scutis & galeis tectus, sed haud minus segniter inde ab obsessis reiicitur, ab illisq; murus per noctẽ statim firmiùs,quàm integer erat,reficitur.Hoc ne sæpius fieret, placet Cæsari,nullum obsessis dari otium, sed diem noctemq; continuari oppugnationẽ, non in vno,sed pluribus in locis,vt ad omnes inclusos,metus, vigiliæq; & lassitudo peruenirer.Quo facto perturbati oppidani, ad Suatoplucũ mittunt, qui eis inducias quinq; dierum impetret,intra quos si Boleslaus Rex subsidio obsessis non venerit,deditionem vrbis facturos.Haud procul inde Rex aberat,acceptoq; de inducijs internuncio, & quomodo ante alios Suatoplucus magis importunus, & grauis obsessis immineret,inito prius de Suatopluco per insidias tollendo,cum Gescone Versouicensi, cui Tistæ cognomen,occulto consilio,se mox in conspectu hostium dat, turmasq; illis equitum more Sarmatico sparsas & vagas ostentat,per quas auertere illos ab obsidione cupiebat.At contra Cæsariani aciem iuxta mœnia stationariam ei obiecerant, ad quam inuadendam,parum potens ille erat.Fortè eo die Suatoplucus in castris Cæsaris apud ipsum Cæsarem cœnauerat,clientibus ibi expectantibus dum reducendi patroni sui officio fungerentur. Inter quos insidiator quoq; à Versouicensi submissus erat, sed in quem nec oculos, nec animum quisquam intenderat, cum sceleratus ille telum Suatopluco à tergo per corpus adegit, omnesq; se insequentes celeritate equi frustratus est.Ita Suatoplucus magno Boiemorum luctu ac mœrore in castris expirauit. Corpus in Boiemiam translatum,& in cœnobio Cladronensi,quod ipse excitauerat,& ampliter dotauerat, est per Boiemos conditum. Nam nullis persuasionibus, nullaq; ratione Cæsar efficere potuit, ne ab obsidione Boiemi discederent, quanquam principem illis Otthonem, Suatopluci fratrem, quem authore Vacecone in castris sibi legerant, confirmasset, sed nihilo secius, tam castra quàm obsidio ab illis soluta sunt, Cæsare quoq; inde per indignationem abeunte. Primum in comitijs Principalibus locum inter primates Boiemos, Hermannus Pontifex, & Fabianus Palacij arcis Vicegradensis tunc Palatinus,obtinebant. Hi deplorata in concione Suatopluci cæde sicaria, principeq; indigna, haud minore dolore questi sunt de electione in castris facta contra maiorum instituta,moremq; veterem, dein contra iusiurandum, quo fidem suam Vladislao obligauerunt, ne ad alium, quàm ad ipsum,post obitum Suatopluci, principatum deferrent:quoniam ipse olim, absq; vlla controuersia de illo, ipsi Suatocuplo concesserit. Huc flectentibus non solùm ordinum præstantiorum, sed etiam popularium animis, ipse etiam Ottho cum alijs, Vladislaum pnincipem saluratat, & cum multo honore magnisq; muneribus in Morauiam ab eo remittitur. Ab hoc Otthone, quem alij Nigrum cognominabant, Ioannes Episcopus Olomucensis à prominente aqualiculo, Ventricosus appellatus, Cremsirium pro mensa sua, suorumq; successorum emit, pagum quondam humilem ac deformem, postea à Brumone Olomucensi præsule in formam oppidi transformatum, mœnibusq; cinctum, & arce auctum, cuius ædificium in præsentiarum quoque reformatur. Porrò Boriuorius hactenus exilium quietè tolerans, comperta Suatopluci nece, & successione fratris sui iunioris,cõsulenteq; Vigberto Lusatiæ Marchione,cui soror Boriuorij nupta erat,Vladislaum per legatos, quorum præcipuus Hrabissius fuit, adit, per illos principatum suum repetens,quo per vim ac fraudem à patruele suo esset spoliatus, & quem ipse frater natu minor, præter ius gentium,præterq; legem aduitam, sacramento Boiemorum confirmatam sibi vsurparet. Hac re ab Vladislao ad consultationẽ dilata,Hrabissius Pragæ apud sibi familiares,miserando casum Boriuorij,fortunamque eius & calamitatem deplorando, vbi mollibus

*Alias Ioannes Ciſtes eques Bohemus gente Rauita.*

*21. Septembris dicitur confossus.*

*Otthonem fratrem Suatopluco ſufficit Cæſar,quod irritũ habent Boiemi.*

*Vladislaus quintus à Rege princeps Bohemiæ.*

*Cremſiriũ Olomutij Epiſcoporum ſedes.*

*Boriuorius per legatos repetit principatum.*

libus auribus illa accipi sensit, de accipiendo clam in vrbem suo tempore Boriuorio egit. Responsum hinc ab Vladislao huiuscemodi retulit: Non esse rem priuatam, quam Boriuorius peteret, sed ad vniuersi populi suffragium illam pertinere. Proin haud ab vno fratre, sed ab omnibus ordinibus Principatum esse ambiendum, quoniam id demum firmum, stabileque futurum fuerit, quod communi consilio decretum erit. Inter hæc à Cæsare Vladislaus, ad concilium Principum, ineunte nouo anno Ratisbonæ celebrandum euocatur. Cum iam in itinere esset, Pelsinamq; in peruigilio Natalis Domini peruenisset, vt ibi mane veram lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum solemnibus ceremonijs adoraret: eodem die Boriuorius Pragam à suis intromissus est, pauida, & adeò cõsternata plebe, vt præ metu adhuc incerto domos relinqueret, fugaque sibi salutem bona illius pars quæreret. Vbi dein vox insonuit, Boriuorium aduenisse, non vt cuiquam noceat, sed vt pace omnium principem locum iure sibi debitum recipiat, tumultus sedari cœptus, fugaque cessabat. Hermanno Præsuli custodes additi, ne elaberetur, id quod facere parabat, ne alium dicere principem, quàm statim dixit, cogeretur. Nam Fabianus, qui eadem timebat, tempori abscessit, priusquam in arce Vicegradensi præsidio vacua interciperetur. Ferunt abeuntem dixisse: O dignam miseratione Boiemiam, quæ inter tantam principum multitudinem miserè distraheris, numerabatque plus minus viginti, tum in Boiemia tum in Morauia, eiusdem stirpis principes, non quidem omnes adultos, sed iam tamen, vel in hac tenera ætate, æmulationem inter se, & contentionem meditantes. Vladislaus cognita proditione, ad Cæsarem rescribit, illi significans quid si bi acciderit, illumq; rogans, vt boni consulat absentiam sui, fraude inimicorum procuratam, vt dum in via est absentem principatu interuertant, literæ ad Cæsarem Pelsinæ scriptæ. Quadringentos equites secum illò adduxerat itineris comites, cum quibus citus Pragam remeans, vt inimicis ante cor roboratam potentiam occurreret, ducentos præterea obuios contraxit. Ita cum sexcentis equis ad recuperandam Pragam redibat. Mox territus ad portam in minore Praga sibi clausam, ad aliam portam, quæ in arcem diui Viti ducit, Breunouiam appellabant, equum suum reflectit, compellans nominatim illius custodes, ne fidem nuper sibi datam exuerent, sed aperta porta se vt in arcem intromitterent. Illis obstinatè tacẽtibus propter metum Hrabisij, qui arci præfuerat, trans torrentem Bruscam tentoria figit, missis circum vndiq; ad excitandos ad arma nobiles ignobilesq;. Qui superciliũ montis imminentis occupauerant, vident puluerem non sua sponte, sed ex agmine procedente latius excitatum, currunt ex ijs aliqui exploratum, Vladislao ne, an Boriuorio copiæ auxiliares aduentarent. Et comperto Venceslaum Lusatium Vigberti filium, cum mille propemodum equitibus Boriuorio venire subsidio, ad pugnam suos vocant. Vladislao pugnam renuente, hucq; potius animũ flectente, vt sine certamine cognatus suus à præsenti ferẽdo auxilio auerteretur, imbelle visum Vladislai consilium Detrichio Strossio, itaq; suis se iussis sequi, prælium manu sua incipit. Ad quod mox & Vladislaus magno cursu cum cætero equitatu fertur, seq; Detrichio adiungens, ac dextra ensem strictũ tenens, videbis, inquit, & hoc ferrum meum, nõ segnius quàm tuum de hoste triumphaturum, subditisq; equo calcaribus, in mediam hostium aciem satellitum fortissimis se consequentibus, ruit, cædemq; illorum & stragem ante se facit, donec ad fugã Venceslai in re militari adhuc Tyrũculi, tota inclinaret aduersa acies, passimq; ex illa cæteri quoq; se fugæ mãdarent. Venceslaus ad Hrabissium in arcem perfugit, ab eodem & complures alij ex fuga recepti, seruatiq;: nec enim longè ab arce locus pugnæ distabat. Læto præter victoriã, Vladislao,

*Responsum non iniquum.*

*Vladislaus ad comitia profecturus locum dat Boriuorio clam Pragam ingrediendi.*

*Vladislaus ex itinere reuertitur.*

*Excluditur Praga Vladislaus.*

*Vẽceslaus Vigberto Marchionis Lusatiæ F. opem fert Boriuorio.*

*Detrichius Stroßius Venceslaum profligat.*

*Otthο Moranus auxilio est Vladislao.*

aduentus quoque Otthonis erat, cum tribus millibus Morauorum ad opem ferendam venientis, ita vt obsideri iam posset arx Vicegradensis, in quam se Boriuorius receperat. Accessit lætitiæ cumulus ex Hermanno Præsule, qui cum medius animo inter duos fratres fuisse videretur, custodes frustratus, & in castra Vladislaĩ perfugiens, apertè declarauit se proniorem esse Vladislai partibus. Cum hoc consultante Vladislao super rebus præsentibus, responsum datum: Magis adhuc, quàm Boriuorĩj, Otthonis vires cauẽdas esse, ne sub hac specie auxilij validioris, quàm ipse instructus esset, de principatu periclitaretur: nihil enim fidum syncerumque à Vacecone exspectari debere, qui nuper Otthonem principem legerit, nunc eius copijs omnibus præfectum agat. Id verò & tutum & salutare sibi consilium videri, vt ad Cæsarem eant confestim legati, opem aduersus instantia imploraturi. Rogat, & impetrat Vladislaus, vt ipse Hermannus, addito sibi ex proceribus Sesema collega, ad Cæsarem ire pergat. De profectione Cæsar tunc in Italiam cogitabat: ne igitur pòst discessum suum turbarum aliquid in Germania, & seditionum relinqueret, ita quemadmodum Hermannus orabat, affuturum se in Boiemia, turbataq; compositurum recepit. Interim Dipoldum & Berengerum Marchiones præire iubet, qui Cæsaris nomine Regulis denunciarent, incœpto absisterent, depositisque armis ad oppidum Hermanni Præsulis, quod Rokyzanam vocant, Cæsari vt occurrerent. Boriuorium filius Vigberti Venceslaus comitatus est, hunc inauditum Cæsar corripi mandat, quòd contra pacem publicã ex Lusacia & Saxonia, bonam militum partem in Boiemiam deduxerit. Additi mox & Boriuorio custodes, quòd vi, quàm iure de principatu certare maluerit. De Vladislao dein & Otthone, quem Cæsar Boiemis principem confirmauerat, deliberatum, vter alteri præferri deberet. Suffragio tandem Hermanni, principale punctum Vladislaus abstulit. Ottho verò bonis in Moravia auctus, quæ Leopoldus Vdalrici frater, ante obitum suum possederat. Sed nec Cæsar sui tunc oblitus, egit cum nouo Principe, vt sibi in Italiam eunti tercentos equites cataphractos adjiceret. Illis Vladislaus iuuenis Bretislai filius præfuit. At senior Pragam reuersus, de coniuratis quæstionem haberi, deque conuictis supplicium sumi imperat. Captus inter alios Boriuorĩj clientes, Gesco, filius Tistæ Versouicensis, atque omnibus opinantibus, Principem ab illo mortem acerbissimam exacturum esse, dimissus est incolumis, erutis prius tamen oculis, & naso amputato ignominiæ causa, qua Prætorem item vrbis Pragensis insignitè notauit, quippe in equum strigosum impositum, & post tergum illius uetulum canem alligatum, per circum iussit circumduci, lictore barbam eius manu retinente, quam dein cum mandibula abscidit, & columnæ in medio Circi positæ affixit, extra mœnia prætore extruso in exilium.

*Episcopus factioni Vladislai fauet.*

*Episcopus suspectas habet vires Otthonis*

*Episcopus ad Cæsarẽ nomine Vladislai proficiscitur ad disceptationem causæ.*

*Venceslaus Lusatius comprehẽsus. custodia Boriuorio addita.*

*Vladislaus à Cæsare confirmatus.*

*Auxilia decreta Cæsari in Italiam profecturo ad diadema suscipiendum.*

*Gesco Versoui censis & prætor Pragensis ignominiosè multati.*

a *Bellum exitiale inter Boleslaum Criuoustum (hoc cognomen habuit, quia carbunculus ei ab ineunte adolescentia os distorserat) & Sbigneum fratrẽ nothum. Hũc perhibent Boriuorio persuasisse, vt sub tempus nuptiarum Boleslai ditionem inuaderet. Suos ad cognatum bellum segnes reperit Boriuorius. Itaque instituto destitit. Anno sequenti Boleslaus vltũ iniurias Zelislaum mittit in Morauiam. Prælia committit cum Suentopulco, vbi anceps fuit victoria, nisi quod Zelislao manus præcisa: tertiam expeditionem ipse Boleslaus suscepit, & prædam magnam abduxit. Ita Polonus.*

b *Colomannus bello sacro milites cũ Godefrido Bolionæo profectos inhumaniter accepérat, cum ex suo ingenio eos metiens prædatum proficisci suspicaretur. Alij referunt non milites vltum venisse Henricum Cæs. sed auxilia tulisse Almoni Duci*

quem

*quem exegerat frater Colomannus. Cæsarem eos mutuo absque cæde vel prælio reconciliasse.*

[c] *Longè aliter rem gestam scriptor Polonus recensèt. Moderatius Germani Cæsarem (dicunt) Suantopulco socio tentasse Polonos, qui tributa Imperio ex pacto & obligatione debita (tempore Otthonis tertij, & per Casimirum Monachum renouata tempore Conradi & Henrici II.) Impp. negabant. sed quod dilapsis ob cædem clandestinam sui Ducis Bohemis, diffideret reliquis copijs, abduxisse exercitum ab obsidione vrbis Glogouiæ consilio Vipperti Comitis Groicensis & cum Polonis transegisse.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER VNDECIMVS.

VLadislaus perfidia infidelium, quanta potuit indulgentiæ, sæueritatisque moderatione punita, fideique & constantiæ de se bene meritorum gratia liberalissimè per opes & honores relata, vitam deinceps quietam, securamque se in principatu victurum sperabat. Sed hæc spes eum celeriter fefellit, nihil cogitantem de Sobieslao fratre natu minimo, qui se quondam Boriuorio exilij comitem vltrò præbuerat, & hactenus apud Polonos latuerat. [a] Hic simul ac factus est certior, Boriuorium, non potentia aduersariorum, sed Cæsaris sententia in causa sua cecidisse, vinctumque attineri, haud amplius delitescendum ratus, aperte sibi Principatum, auxiliatore Boleslao Poloniæ principe, vindicare parat. Multa fortè securitate & comitate Vladislaus Pragæ conuiuium in die diui Venceslai, cum procerib. celebrabat, cum repentinus ac trepidus irrupit nuncius, inquiens: Tu hîc princeps lætus in arce conuiuaris, foris autem coloni tui omnia tristia à Polonis in agros insultantibus perpetiuntur. Consternati ad hunc nuncium conuiuæ omnes, conuiuium disturbant, & domum quisque suam ad induenda arma properant, armatique ad flumen Cydlinam, prope pagum, quem incolæ Luczka vocant, conueniunt. Polonus ad dolum versus, quo se circumuenturum Boiemum existimabat, pacem bello obtendit, se inquiens, non vt hostem, sed vt arbitrum pacis & concordiæ inter fratres, cognatosque suos conciliandę, si sibi conueniendi seorsum & colloquendi cum Vladislao potestas data fuerit, ingressum esse Boiemiam. Respondet Vladislaus: Si cognitioni causæ Boleslaus, concordiæque faciundæ vacare cupiat, arma ponat, togatusque ad colloquium amicum veniat. Dolo non succedente, aciem Boleslaus instruit, & postquam detrectare pugnam Boiemos, vires maiores expectãtes videt, trans Albim agmina ad vberiores populandos agros secum rapit, prædaque & spolijs onustus, atque inultus, retro ad Poloniam cedebat. Insequitur Polonos cedentes Vladislaus, vsque ad flumen, vocabulo Trutnouo, quod hi primi transibant, qui spolia aut vehebant, aut portabant, vel ante se agebant. Citra flumen steterant Boleslaus à sinistro, Sobieslaus à dextro cornu ad vim arcendã compositi. Vladislaus breuib. milites alloquens, extollit Germanos, & leuat Polonos, simul submonens, quomodo multi tamẽ Germani, paucis Boiemis nuper in pugna succubuerint. Hunc verò hostem, cum illo, sicut nec multitudinẽ multitudini, comparandã esse. Hic rursus Detrichius ante signum pugnæ datũ, in aciem Sobieslai insilit. Cuius impetum Sobieslaus, multa inuicẽ illata cæde, robustissimè sustinuit, vulnere

*Sobieslaus fratrum minimus bellum Vladislao mouet auxilijs Polonicis.*

*Anno* IIII. *siue* MCXI. *s. die Octobris.*

*Polonus arbitrum se simulat.*

*Confligunt cũ Polonis Bohemi.*

*Sobieslaus in prælio saucius.*

Anno 1114. dein accepto, laborem non ferens, suo discessu, non suam modò, verùm etiam Boleslai turbauit aciem, secumq; fugere cōpulit, præda omni victorib. relicta, quā Vladislaus inter polonos spoliatos distribuit. Ne tamen à maleficio intactam Poloni, vel post fugam relinquerent Boiemiam, Glacium prætereuntes, ædificijs quæ circum mœnia erant, ignē subdunt, vnde mox totum municipiū arsit. Hanc porrò inter fratres germanos tam cruentā discordiam, mater Sua taua, Latinè Beatricem dicas, multis cum lachrymis accipiens, & si tam ætas quàm voluntas, iam pridem eam à peregrinatione dehortarentur, cura tamen & sollicitudo reconciliandorū aliquando filiorum (Nam Boriuorius aliam parentem habuit) tanta adfuit, vt illam vel vltima senectute imbecillem, de Morauia in Boiemiam pertraheret. Quid faceret Vladislaus filius pietate in matrem, & amore insignis? nisi vt delicta à fratre in se admissa, parentis miseri cordiæ condonaret, illumque statim ab exilio reuocaret. Data est Sobieslao reduci Lucensis regio, vt ex eius fructibus atque redditibus, tanto vitam lautiorem, quàm vnquam prius in Boiemia viueret. Haud longum inde ei rursus ab æmulo otium fuit Otthone, non vtiq; per arma, sed per quandam contumaciam insolescente, dum ex prisca consuetudine ad conciliū in Boiemiam euocatus, aut venire contemnit, aut veniens tanto stipatus satellitio apparet, vt non solùm Principi grauem molestumque se reddat, sed præterea totam concionem mala suspicione impleat. Addebant delatores se ex ore Otthonis audiuisse iactantis, nulli nisi Cæsari se debere vllum obsequium, cum tamen ad Principem Boiemiæ pleno iure, non autem ad Cæsarem ipsa Morauia pertineat. Talibus igitur commotus Vladislaus, non ad concilium Pragam, sed ad conuiuium Hradetium, ad Albim positum, Otthonem familiariter inuitat, illudque tribus diebus, traducto ad hylaritatem ab omni sæueritate animo protrahit. Quarto demum die abire parantem retinet, contumaciæque arguit, & quædam alia suspiciosè magis, quàm criminosè obijcit. Aderant tamen, qui (vt Principi placerent) luminibus continuò priuandum Otthonem censerent. At ille, procul hinc à me inquit, vt æmulari velim facinus, quod in Boleslao Polono detestatus sum, qui [b] Sbigneum fratrem suum, ne esset ad regnandum appositus, crudeliter excœcauit: satis ego tutus ab insidijs patruelis fuero, si carcere clausum continuero. Iussitque eum ad arcem Creuoclatam deduci, in qua ferè triennium adhibitis custodibus asseruabatur. Apud Hungaros illa tempestate Stephanus Colomanni filius regnum obtinebat. Is bello sibi tam à Græcis, quàm à Polonis impendente, fœdus cū Vladislao ferendum in animum induxit, missis, qui locum ad fines Hungariæ, ad fluuium, cui Olsena vocabulum, colloquio delectum esse, seque illò venturum, si ibidem Vladislaus præsto fuerit, significarent. Accepta vtrinque conditione, vterque bene comitatus ad tempus adfuit, placuitque seorsum à multitudie inermes colloqui. Erat tunc Hungarus quidam, sermonis Boiemi gnarus, Solthum vocabant, deprauata mente hominem, qui cum in vtrisque castris liberè versaretur, Stephanum Regem, Vladislaumque mutua suspicione impleuit, quasi per simulationem colloquij alter alterum circumuenire cogitaret. Itaque in armis vterque suos esse mandat, nec ideo minus ad colloquium veniunt Paulò pòst Vladislao insusurratur, equites Hungaros propiùs Boiemos accedere, sagittisque eos ad pugnam lacessere. Omisso colloquio Vladislaus ad suos accelerat, iam tela in Hungaros retorquentes, sed nondum loco se mouentes, extra Sobieslaum fratrem & Vaceconem, qui Morauis præfuit, hi ambo proximum saltum insederant, vt ex insidijs hostem adorirentur. Vladislaus repentè arma indutus, classicum cani, & ad pugnam progredi imperat, ei se Hungarorum multitudine tanta vi opponente, vt illam non sustinentes Boiemi pedem referre inciperent. Hic Sobieslaus, cum Vacecone è saltu

*Gloscum exustum.*

*Suataua mater fratrum conciliat animos.*

*Ex Adelheita Hūgara sicut & Bretislaus natus.*

*Sobieslao traditur Regio Lucensis.*

*Ottho Marchio Moraviæ Vladislao contumax.*

*Conuiuio exacto capitur Ottho.*

*Colloquiū Stephani II. Regis Hungariæ cum Vladislao ad Orsonam amnem.*

*Soltha atrocissimæ cuiusque discordiæ ac seditionis artifex per facinorum grauitatē in Boiemiam relegatus, falsa Regē cū Duce implet suspicione veluti ad seditionem humanā tantum natus.*

*Bonfinius Decadis 11. lib. 6. rem gestam luculenter enarrat.*

saltu magno & oatu erumpunt, ad quem Stephanus Rex primùm, mox Laurentius Archiepiscopus Strigoniensis terga vertunt: deinde & residui fundun tur, castrisque exuuntur cum Abacis aureis argenteisq;. Comprehensus inter alios impostor, qui in fraudem Hungaros Boiemosq; illaqueauerat, atq; vinctus ad Regē Strigonium perductus est, vt arbitrio suo Rex, ab authore infaustæ & inexpectatæ cladis vltionem exigeret. Quatuor equis ad singulas manus pedesq; alligatis, in quatuor partes illum distrahendum dilacerandumq; tradidit: cœptumq; inde fœdus cum Vladislao, per legatos absoluit, cōtracta insuper affinitate, per sororem suam Sobieslao fratri Vladislai desponsam. Rediit eodem tempore Vladislaus de Italia, multum à Cæsare ex virtute, & industria commendatus. Itaq; rebus lætis vndiq; affluentibus, læticiam Principes per conuiuia, choræasq;, & ludum hastarum agitare, in quem ipsi quoq; arma reti cum hastis progressi sunt, non inanibus, quę ad leuem ictum statim frangantur, sed solidis, & prægrandibus, ac singulis toto certamine durantibus, qualibus Galli & Germani inter se concurrere solent. Quippe ex tali concursu bellicæ rei vsum conualescere putant, atque vtrique originem eius ludi ad se trahunt, de quo aliquando legatus Turcæ ad Mathiam Regem Pannoniæ missus, hanc tulit sententiam. Neq; seriò, neq; ludo satis consuluisse authorem illius pugnæ, minus enim negocij quàm serium exigit, & plus periculi quàm lusus postulat, concursionem illam hastarum exhibere. Ad hæc rex (nam & ipse sæpius in hanc arenam descendebat.) Te, ait, tua tuosq;, nos nostra delectant. Sed inter principes tunc quibus Vaceco immixtus erat, Sobieslaus palmam sibi in eo ludicro comparauerat, præmiumq; victori propositum, monile gemmatum abstulit. AEgre contingit, vt sine inuidia laudem quis inueniat, præsertim in aulis, vbi inuidia, & assidua eius comes calumnia regnum possident. Nam si quando vnus & alter se ibi offerant, qui ad altiorem locum sua virtute aspirare studeant, continuò decem contrà se calumniatores ingerunt, qui per inuidiam alterius & calumnias crescere satagunt. Calumniæ initium aduersus Sobieslaum ex monili, quod collo suspensum gestabat, ortum, quasi illo exprobraret Vladislao casum, quo vnà cum equo à Sobieslao in arena proturbatus ceciderat, alij fictas voces afferebant, quasi de se magnificè, contemptim autem de Vladislao loqueretur, quod neutiquam fieret, si fide syncera cum fratre in gratiam reuersus esset. Hæc cum negligi ab Vladislao viderent, versi ad Sobieslaum identidem eum monent, vt sibi caueat, ne in eundem quem Ottho, carcerem conijciatur: in eandem enim suspicionem per Vaceconem eum veniisse, quasi res nouas contra fratrē machinaretur. Vocat interim Vladislaus ad se fratrem, vt Pragam veniat, magnum negocium esse dicens, quod cum illo de bonis in Morauia ab Vdalrico recens mortuo possessis, tractare cupiat. Inerat & metus, & spes animo. Cæterùm præualente spe, quæ ad assequenda bona illa affulsisse videbatur, dat se absq; contatione in viam, sed equitibus trecentis succenturiatus, quorum ducentos Pragæ appropinquans, nemus proximum insidere iussit, ipse residuum numerum secum ducens, arcem Vicegradensem introijt, confectoq; ex re sua cum fratre negocio, Vaceconem appellat, vt se reuertentem extra mœnia tātùm deducat, esse quod per ocium alloqui eum vellet. Secutæ sunt per viam collocutiones cum Vacecone familiarissimæ vsq; ad insidiosum nemus. Ibi de itinere Sobieslao paulùm deflectēte, accurrunt percussores, & Vaceconem, nullius eius criminis, qui insimulabatur conscium interficiūt, magno principis dolore, pro magnitudine fauoris quo viuum prosequebatur, tanquam virum consilio & manu promptū. Missi igitur continuò qui Sobieslaum de via retraherent, sed cū pares ei viribus non essent, inanes redierunt. Hinc Vladislaus indignabundus prorupit in vernaculum prouerbiū, ab ijs qui iudicandis rebus præsunt in hunc modū vsurpatum:

*Repressis tamē Bohemos à Iano Brosæ filio & Palatino, et castra recepta cum thesauris, inquit Bonfinius.*

*Solthi Supplicium.*

*Vladislaus iuuenis Bretislai F. ex Italia reuersus.*

*Ludicque stres tripudiaq; Pragæ celebrata.*

*Hastarum concursus cuius vsus.*

*Sobieslaus victor in ludicro certamine.*

*Artes aulicæ.*

*Cōflatur inuidia Sobieslao ob humi stratū fratrem Ducē in hastiludio.*

*Vaceconem bene de tota regione meritum Duci charum per insidias Sobieslaus obtrūcat.*

Nimis impatientem esse moræ iudicem, qui tempus mulctæ sibi debitæ expectare nequeat. Cæterùm huic mulctæ Sobieslaus anteuertere cupiens, in Lusaciam ad Vigbertum affinẽ suum remeabat, aduersa tempestate, qualem videlicet depinxit ille qui dixit: Incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdim. Nam Scylla ei erat Arx in Lusacia, Donina dicta, ad cuius saxa hac fraude inductus impegit. Fit ei obuius Erkenbertus, illi arci à Cæsare præfectus. Is notitia & familiaritate antea intercedente rogat de Sobieslao vnde veniat, & quò pergat. re planè cognita (nihil enim eum de sua fuga cœlauerat) hospitalibus verbis libe raliter inuitat ad arcẽ, venientemq; nõ vt hospes, sed vt hostis plenus perfidia & auaritia accipit, quippe cõmodi sui respectu, quod à Vladislao tanquã principe fœliciore expectabat, hunc infœlicẽ in carcerem cõpegit. Ac mox ad firmiorẽ arcem à Vigberto longiùs distantẽ transtulit, apposito ei custode Scriba suo, cui magnam fidem habebat. Et fieri potuit, vt ille in tenui fortuna existens domino, item tenui fidelis fuerit, tunc certè ad spem opimiorem per ingentia Sobieslai promissa erectus, mutatusq;, spem illam pinguiorem fieri stenili antepositurit, vnà cum Getrichio quodam in quem vicaria tuendæ arcis cura incubuerat. Hic tres equos ad fugam adornauit, at Scriba perfractis in fenestra cancellis, primum Sobieslaum, dein semet ab alto demisit, atq; omnes tres ad Vigbertum incolumes perueniunt. Apud quem consilio de fortunis Sobieslai inito, censuit Marchio, adeundum esse Cæsarem, ad quem & ipse literas suas commendaticias affini suo dedit. Quibus in aula recitatis, offensus Cæsar, quòd Vigbertus, cui ipsi deprecatore vel maximè opus esset, propter multa facinora per audaciam designata, adeò impudens fuerit, vt locum sibi pro altero quoq; apud Cæsarem deprecandi esse putauerit. Breuibus itaq; Sobieslaum absoluit, dicens, vt ibidem rebus suis consuleret, vbi hactenus consuluit à fratre per discordiam disiunctus. Ergo ad veterem suum in Polonia nidum Sobieslaus rursus conuolauit. Hinc Vladislaus, qui ad id temporis inexorabilis in causa Otthonis apparuit, precibus tandem vxoris eius suæq; (nam sorores germanæ erant) mitior in eum factus, exemptum captiuitate, libertati, bonisq; omnibus, quæ antehac in Morauia possedit, benignè restituit, cum magna hæc quidem multorum commendatione, sed multo magnificentius atq; liberalius, mox à pluribus testimonium recepit, quando Boriuorium fratrem, tanto tempore vagum & egentem in participatum regni vltrò assumpsit, partito cum eo ad hunc modum regno, vt partem illam Boiemiæ, quam Albis flumen dirimit meridiem versus sibi retineret: Alteram ad Septentrionem sitam, Boriuorio attribueret, cum eodem regimine ita communicato, vt non duos per partes, sed vnum diceres regere vniuersa, adeò vnica inter fratres concordia, vnicusq; consensus, tum in cõsilijs, tum in iurisdictione vno tenore administranda inerat. Par item voluntas in augenda quoq; religione, cultoribusq; eius adfuit, vtroq; videlicet æquo animo ferente, ædes sacras ab altero in portione sua, vel condi, vel absolui, donationesq; in illas fieri. Nam Vladislaus cœnobium nomine Cladronam nuper à Suatopluco inchoatum, additis aliquot pagis & possessionibus, ditioni Boriuorij subiectis absoluit. Ac rursus Boriuorius, vectigal Pragæ in Læta, vt vocant curia, pro appensione rerum promercalium institutum, Sacello Pragensi à se instaurato, consensu vtrinq; mutuo, applicauit. Principum exempla, Vilhelmus & Hermannus natu fratres, dignitate Comites à Sulcepacho imitati, & ipsi in eadẽ Boiemia cœnobium amplum, & lautum, indito illi Vihelmi cognomine erexerunt. Pleriq; enim in locis eiusmodi tunc fortuita inciderant, quę mentes à pietate non alienas, admonere religionis potuerint. Et vt longinquiora prætereantur, intra vallem Tridentinam tantus terræ motus extitit, vt montes circumiectos concusserit, multaq; in illis ædificia prostrauerit. Domi verò ea fuit aquarum redundantia, vt

*Sobieslaus in Lusatiam fugiens ab Erkẽberto capitur.*

*Carcerẽ Ekenbergi Sobieslaus corruptis custodibus euadit.*

*Cæsaris opera frustra implorat.*

*Ipsi patrono opus, quẽ defensurũ pararat.*

*Polonia exulũ Boiemiæ principum extremum perfugium.*

*Otthonem coniuges in gratiã reponunt.*

*Boriuoriũ fratrẽ imperij consortẽ assumit.*

*Summa inter fratres concordia & Ecclesiarum dotandarum studiũ.*

*Sulzpachij Comites monasterium fundant.*

*Terremotus tridenti.*

*Aquarum exundatio.*

Vultauia

Vltauia fluuius, decem cubitis ſupra pontem Pragenſem, qui tunc ligneus adhuc erat, exundauerit, pluresq; circum pagos, cum ipſis paganis ſubmerſerit. Cæterùm Boriuorio imminentem denuò caſum, ruina muri arcis Vicegradenſis, in quam conceſſu Vladiſlai migrauerat, certo paulò pòſt euentu denunciauit, quaſi ad hoc arce ſua ſponte patefacta, vt nouæ diſcordiæ aditum ad ipſum Boriuorium præberet, per quam is rurſum loco ſuo deturbaretur: quod quidem biennio nõdum tranſacto perfectum eſt arte eorum, qui ex diſſidio principum compendia ſua quærebant. Enimuerò arte opus erat, ad excitandum inter fratres adeò concordes odium, vbi non aliud Boriuorio obiici potuit, quàm quòd Germanos magis quàm Boiemos fouere videretur, quoniam aulam eius Germani potiſſimum frequentabãt, indignantibus maximè Boiemis, illis, qui cœco ſui amore nimium laborabant, præ ſe alios intemperantius contemnentes. Aucta indignatio ex voce Boriuorij improuida, qua cuidam ſubmonenti vt parcius natione illa vteretur, reſpondit, prius Vltauiam piſces, quàm ſe Germanos deſerturum eſſe. Ergo Boiemi paulatim ab illo dilabi, clam mordere, palàm occurſum fugitare, Germanos malè tractare, ad omnia iſta Vladiſlao diſſimulante, ſenſimque familiaritatem fraternam & beneuolentiam diſſuente. Ante igitur quàm per diſſutam gratiam Boriuorius inanis excideret, viatico ſatis lauto contracto, fratreq; inſalutato, primam exilij ſibi ſedem in Bauaria delegit. In qua cum Vladiſlaus breui poſt tempore filiam ſuam Friderico Bauariæ principi deſpondiſſet, inde ſecedens in Pannoniam ad Regem Stephanum perfugit, ibiq; vitæ ſuæ finem fecit. Corpus in Boiemiam tranſlatum, atq; in æde Pragenſi funeratum. Deceſſit Hermannus qnoque Pontifex Pragenſis graui cum gemitu, quod maiorem vitæ partem à Pontificatu ſuo in aulis Principum, quàm in templo Domini contriuerit. Potuiſſe enim ſe multis principum ac procerum vitijs cupiditatibusque obuiam iſſe, ſi functione ſua pontificia, ſicut oportuit, vſus fuiſſet. At aulicus faſtus, licentiam peccandi illorum potiùs aluiſſe quàm extinxiſſe, dum inter alios per adulationem & ambitionem Principibus iucundus, quàm ſeuerus eſſe ſtuduerit, atq; hanc ante alias noxam, vt Deus per miſericordiam ſuã expungeret, ſe ſupplicem vehementer deprecari aiebat. Huic ſucceſſorem Vladiſlaus, Maynardum natione Germanum, ſed Boriuorio ſemper probatum ſacerdotem nominabat, refragante diu multumq; Boiema nobilitate, quæ Boiemum malebat habere Epiſcopum. Ad extremum tamen ſuffragio ſacerdotũ accedente, Vladiſlaus victor euaſit. Cæterùm non ita multò pòſt rurſus vehementer ordines offendit, Iacobo quodam Hebræo Quæſtore conſtituto, vectigalibusq; omnibus exigendis, ac ipſi principali fiſco præpoſito, indignum videlicet, intolerandumq; ordinibus videbatur, Iudæum inter Chriſtianos tam inſigni officio debere fungi. Ergo Vladiſlaus, vt hac inuidia hominem leuaret, illi perſuadet, vt ſalutari Chriſtianorum lauacro tingeretur, promitque ſimul edictum, quo multa ſingulis irrogabatur, qui poſt baptiſmum, ſerio aut ioco Iudaiſmũ illi opprobrarent. Hac re ferox ille factus cornupetam induit beſtiam, in Chriſtianos obuios parata tollens cornua, vt illos malè feriret. Interim placidiſſimum atque humaniſſimum ſe exhibens popularibus ſuis Iudeis, inter quos aſſiduus verſabatur, vt qui de grege recutitorum, quàm tinctorum eſſe malebat. Ignominia igitur ſtimulante, quòd Iudæus in aula principis, Chriſtianos honore anteiret, dant ſe aulici ſagaciores ad explorandam vitam illius, tandemq; vna quadam nocte illum in ſynagoga, quæ nuper in ſacellum conuerſa erat, deprehendunt, aram ab Hermanno Pontifice conſtitutam & conſecratam ſuis manibus demolientem, oſſaq; & cineres ſanctos pedibus conculcantem, ac mane ſtatim iniectis cathenis, vinctum ad Principem adducunt flebili voce miſericordiam implorantem, ſuasq; opes omnes prin-

*Ruina arcis Vicegradenſis omineſa.*

*Piſcatorũ more quiaquatur bata lucrũ amplum è piſciũ copia ſibi promittunt.*

*φιλαυτία Bohemorum.*

*Germanis fauet Boriuorius ea propter magnam gratiam init.*

*Boriuorius primum in Bauariam, pòſt in Hungariam fugit.*

*Hermannus plus in curia quàm roſtris verſatus.*

*Maynardus XI. Epiſcopus Pragenſis.*

*Quæſtor Hebræus fiſci præfectus.*

*Baptiſatur in gratiam Ducis.*

*Apoſtata ſuis ædibus aram demolitur.*

*Multa pecuniaria.*

cipi vltrò offerentem, modò ne corpore pœnas lueret. Iussus in carcere attineri, donec cæteri quoq; Hebræi, centum auri, & ter mille pondo argenti apponderent, atq; inde regno expulsus est. Aliquoties aliàs Vladislaus aduersa valetudine tentabatur, à quali tunc fortè etiam in Stebnensi secessu correptus fuit. Eodem anno stella crinita apparente, quæ mortem Principibus minitari solet: quo metu adducta vxor Vladislai, scribit ad sororem in Morauiam, vt virum suum Otthonem ad visitandum ægrum principem incitet, Præsentem dicens facilius de successione transigere posse. Nam post dissidium cum Sobieslao factum, non alium quàm Otthonem successorem sibi destinabat, idque adeò in ægritudine quoq; sua, Otthone coram præse ferebat. Cum rursus mater Suataua, morbo filij cognito, quoquo modo per senectam valuit, Pragam superuenit, vt iterum bonam inter filios gratiam conciliaret. Tantum ætas, reuerentiaq;, & pietas materna potuerũt, vt Vladislaus moriens, Sobieslaum fratrem, Otthone præterito, successorem nominaret. Vladislaus, Henricus, Theobaldus filij, paternum funus, aduſq; Cœnobium Cladronam prosequuti sunt, ibidemq; patrem sepelierunt. Quum ad ineundum principatum Sobieslaus Pragam veniſſet vnà cum vxore, cui nomen Adelheida, quæ interea dum ipse exulabat, in Pannonia apud patruelem morabatur. Ottho ei prius de arce Vicegrado non cessit, quàm comperit, principalibus comicijs, illum tanto omnium ordinum consensu Principem declaratum fuisse, vt arcem se diutius retinere posse diffideret. Qua relicta in Morauiam anxius, minaxq; redibat, tanquam breui vlturus hanc iniuriam, quòd sibi, qui ætate prior esset, Sobieslaum natu minorem Boiemi antepositissent. Eiusmodi minis occurrendum Sobieslaus ratus, confirmato paululum dominatu, copias armat, subitaq; in Morauiam irruptione adeò Otthonẽ deterret, vt defensione omissa, spem omnem fortunarum suarum in Cæsare Lothario, ad quem confugiebat, reponeret. Sobieslaus Brunnam, & alia quædam bona Otthoni adempta, Vratislao tanquam legitimo hæredi attribuit: quippe Vratislaus filius Vdalrici erat, ad quem Brunnensis regio pertinebat. In qua cum fratre Leopoldo insignè cœnobium, quod Trebicium vocant, condidit, monumentum pietatis erga Deum suæ. Ottho Cæsare in conuentu principum Ratisponæ reperto, causam suam publicè agit, Cæsarisq; in primis opem, aduersus illatam sibi à Sobieslao & Boiemis iniuriam submissè implorat. Non erat Lotharius Boiemis valde propitius, propterea quòd illi, Henrico Cæsari, ad opprimendum se in Saxoniam aliquoties imminenti, auxiliares copias nunquam denegabant, bonamque Lusatiæ partem sibi auulserunt, ac nuper etiam arcem Dominam, per Vladislaum occupauerunt, eò procliuius Ottho, quòd optauerat, obtinuit, vt Cæsar in Boiemiam, superata sylua Hercynia cum valido exercitu, deductore Otthone penetraret. Castra Cæsaris ad Chlumecum vicum posita, à quo loco, millibus passuum non amplius octo, Sobieslaus cum suis copijs distabat, mirante audaciam eius Cæsare, quòd contra tantam suorum vim, quæ tam equite, quàm pedite longè superior erat, auderet se in campo opponere, cum vix illam intra mœnia clausus munitissima posset sustinere. Et sanè res admirabilis tunc accidisse fertur. Dubijs enim Boiemis an manus in acie cum Germanis conferre deberent, prodijt in medium Sobieslai Sacellanus cum hasta diui Venceslsi, quam secum attulisse somnio monitus dicebat, illaque sublata, ac manu dextra vibrata, exhortatus Boiemos ad fortitudinem capessendam, præibat ante alios in aciem hostium, eumq; Boiemi, velut diuinitùs oblatum victoriæ ducem, alacri animo secuti, stragem Germanorum insignem ediderunt, occisis paulò minus quingentis Germanis ingenuis, inter quos Hartungus Holsaciæ Comes erat, ibidemque ipse Ottho cecidit. Capti autem sunt Albertus Brandenburgensis Marchio cum Præsule quodam

*Cometes.*

*Coniuges Otthonẽ, Mater Sobieslaum hæredem flagitant.*

*Sobieslaus VI. à rege princeps Bohemiæ.*

*à Boiemis in præiudicium Otthonis electus.*

*Ottho à Sobieslao oppressus Lotharij Cæsaris implorat opem.*

*Leopoldus & Vdalricus fratres Monasterij Trebicensis fundatores.*

*Cladem insignem Lotharius Cæsar in Bohemia accepit.*

*Sacellanus cũ hasta Venceslai.*

*Ottho cuius bellum gerebatur interijt,*

quodam Germano, & tribus opimis patribus, quos Syro vocabulo Abbates vocant, cum interim tres duntaxat Boiemi equestris ordinis desiderati sint. Memoriam tam inclytæ victoriæ Sobieslaus, dedicata diuo Venceslao corona, auri duodecim, & argenti octoginta pondo, additoq; militi donatiuo, liberaliter celebrauit. Quin ipse quoq; Cæsar adeò tunc affuisse prælio numen sensit, vt brachia sua contra torrentem illius dirigere, nouumq; rursus excitare bellum noluerit, sed ad Sobieslaum miserit, qui ei pacem & beneuolentiam Cæsaris offerrent, si captiuos sine precio remitteret: quod quidem ille non solùm extemplo præstitit, sed insuper spopondit, auxilio se Cæsari aduersus æmulos illius, Conradum & Fridericum imperium ambientes, futurum. Et quo expeditius, securiusq; promissis stare posset, ad feriendum cum Bela Rege Hungarorum affine suo, quem [c] Stephanus Rex luminibus priuauit, fœdus, ultra Brodam eius oppidum in Morauia situm profectus est. In digressu Brunnam deflectens, Vratislaum Vdalrici filium comprehendit, ob inquietum animum sibi suspectum, ac primò in arcem Iaromiriam, dein ad Donimam custodiendum detrudit. Venceslao autem Otthonis filio, Olomucium restituit. Post hac rogatu Cæsaris, ad oppugnandam Bambergam, partes fouentem [d] Conradi & Friderici, qui ex sorore Henrici imperatoris prognati, imperium ambiebant, se contulit: transiensq; flumen quoddam in Bauaria, parum abfuit, quin ab aquis vehementioribus absorberetur. equus tamen super quem sedebat submersus est. In tertiũ mensem obsidio dilata est, quàm Bamberga recepta fuit, cunctationem hanc afferentibus validissimis præsidijs ex Sueuo, & Francone vrbi impositis. Inde diuersis itineribus Cæsariani Boiemiq; ad populandos Bauariæ agros, se Danubio tenus effundebant. In eo itinere, viginti loca munita à Sobieslao sunt disturbata, direptaq;, ac miles cum ingenti præda domum reductus. Ipse verò Lotharium hoc beneficio adeò sibi deuinxit, vt in fines Boiemiæ, ad lustricum diem filioli, cui Vladislao nomen inditum, veniret, ibidemque donationem de Lusacia, quam eidem Vladislao Vigberti filius à liberis orbus, faciebat, authoritate Cæsarea confirmauit. Post Sobieslaus Glacium secesserat specie instaurandi oppidi, quod ab igne & ruinis deforme iacebat, sed potior causa secessus illius fuit, vt ex vicino Morauię oppido, improuisus Conrado Leopoldi filio, qui propter captum Vratislaum patruelem suum turbare quietem in Morauia deferebatur, superueniret, itumq; in delatorum sententiam, vt incautus comprehenderetur, inauditusq; Pragam, in arce Vicegradensem custodiendus mitteretur. Atq; hinc in eędem eius à coniuratis properabatur, conductiq; duo robusti iuuenes erant, qui reuertentem per viam, suo tempore locoq; interficerent. Sed vt dicitur, industrium adiuuat Deus, prouidentiam videlicet suggerens prouido, quid cauere aut circumspicere debeat, vt tum Sobieslao euenit diligenter respicienti, qui nam se assectarentur, visisq; duobus sibi ignotis propius se ingerentibus, Deslaum comitem proximè astantem interrogat: Nosset ne ambos illos, vel illorum alterum? Neutrum respondente: Quî scimus, inquit, an nõ tendant insidias illi? corripiq; statim, & ad se adduci iubet. Fugit alter in propinquum nemus, tegiq; arboribus & occultari studet, sed canes vestigijs insistentes latratu illum suo produnt. Ita vterq; ad Sobieslaum pertractus, sua sponte confitentur, precio à Miroslao, & Stresemirio fratribus, materno genere Verseuicensibus, corruptos, propositum interficiendi principis habuisse. Aderat in comitatu Myroslaus, acersitusq; in tabernaculum principis venit, audacter confutans vt vana & falsa, quæ ab improbis, vt dicebat, & nullius precij hominib. sibi fratriq; suo, qui ante biduum discesserat, obijcerentur. Placuit disquisitionem hanc Pragam differri, interimq; indicibus manicas & compedes inijci, ac Myroslao custodes apponi. Præibantq; alij ad Stresemirium compre-

*Paci Cæsar animum aduertit.*

*Fœdus cũ Hungaris pangit Sobieslaus.*

*Patruelem Vratislaum carceri addicit.*

*Bamberga à Lothario oppugnata.*

*Cæsar adest baptismo filij Sobieslai ratam habet Lusatiæ donationem.*

*Conrado Leopoldi filio struuntur insidiæ.*

*Palam fiunt insidiæ vitæ Sobieslai structæ.*

*Myroslaus & Stresemyrius fratres.*

hendendum,atque vbi magna præterea nobilium procerumq; frequentia in arce Vicegradensi præsto fuit, queri Sobieslaus de fortuna sua incipit, velut multò domi quàm foris calamitosiore. Nam præter exilij tædium, nihil insuper mali se foris sustinuisse, at domi in tantum pelagus se periculorum incidisse, vt nullam inde spem enatandi sine fidelium præsidio, sibi futuram videat: ad eos igitur tanquã ad ancoram se confugere, salutemq; suam illis commendare, quos & inquisitores & iudices ita delegerit, vt nihil planè ad gratiam aut odium, sed quod iustum & dignum videbitur in hac causa constituant. Adhibita primùm de omnium sententia duobus illis sicarijs tormenta, ad extorquendam euidentiorem veritatem, & an perseuerarent in confessione sceleris sui, eorumq;, à quibus ad tale scelus perpetrandum præmio sollicitati fuissent. Quibus ad vltimum vsq; supplicium obstinatè perdurantibus, introductus deinde Myroslaus est iudicibus torturam ei remittentibus, si vltrò conscios nominaret, scænamq; totius coniurationis cum fide explicaret: Atq; ille sine cunctatione, [e] Bretislaum Conradi nepotem, mali authorem nominat: seq; ab eo per Bolesam internuncium, in societatem factionis ter inuitatum fuisse affirmat, terq; abnuisse. Post hunc Borychium principis Sacellanum ad se venisse, execrantem Sobieslai sæuitiam & superbiam, quam exerceret in patrueles suos, contemptu, carcere, bonorum priuatione, dicentemq;: Qui suis nõ parcit, is parcet alienis? præsertim eminentioribus, ditioribusq;? sed ne tum quidem coniurationi subscripsisse. Postremò ab eodem Borychio deductum esse ad Meynardum Præsulem, eiusq; pollicitationib. tandem succubuisse, pollicentis se effecturum, vt se fratremq; suum Stresemirium, Bretislaus regimen nactus, Satio & Lithomyritio oppidis donaret. Nominati præterea sunt Creuosudus, Vicemilus, Henricus, necessitudine cũ Myroslao coniuncti, atq; in omnes graui supplicio est animaduersum. At Borichius ad perpetuum carcerem detrusus, absente Meynardo, ac sepulchrum tunc Domini Hierosolimis inuisente. Sed nec Bretislaus impunitus, vt cui oculi eruti fuêre: Sobieslaum à tanto periculo liberatum, tanta religio inuasit, vt supplicatum Deo, votaq; suscepta eidem persolutum, per omnia Pragæ templa nudis pedibus, apertoq; capite ambulauerit: mendicis vbiq; largam stipem porrexerit, sacris supplex interfuerit, ac domi apparato conuiuio, pauperes mensa participi pauerit. Renouata ab eodem in arce Vicegradensi ædes diui Petri nouis picturis, nouoq; pauimento ex quadris lapidib. substrato, iactaq; mox fundamenta cœnobio Siloensi, & sacellum diui Georgij in mõte Rip cognominato, denuò restauratũ, quod denuò etiam Henricus Sobieslai frater, à pueris statim religione sacrisq; à patre destinatus, & postea Episcopus Olomucen. creatus, dedicauit. Meynardo ex transmarinis locis iam reuerso, quem Sobieslaus ad Archiepiscopum Moguntinum, tanquam iudicem ipsius legitimũ, ire ad purgandũ crimen obiectum coegit, submissis ex aula sua accusatoribus: qui cum in nulla re magis, quàm in Miroslai testimonio niterentur, produxit contrà Meynardus complures idoneos testes, qui facilè damnati Myroslai dictis fidẽ abrogarent. Omnibus namq; in Boiemia notũ erat, Myroslaum propter perfidiam, à prefectura nobilioris arcis, quam Meynardus possidebat, fuisse depulsum, vt non fuerit mirum, si in exulcerato animo resideret ea cupiditas, præsuli vel per falsum crimen nocendi. Nam & Borychius Myroslao intimus, conscium illum insidiarũ esse pernegabat, quî ergo fieri poterat, vt proditori oppida pro scelere nefario promitteret? Ideoq; causa diligẽter cum alijs tribus præsulibus cognita, Moguntinus Meynardum absoluit, commendatumq; Sobieslao, cathedræ suæ restituit. Soluti per idem tempus Vratislaus & Conradus claustris quibus attinebantur, bonaque illis reddita sunt. Validissimus tamen omnium in gratia principis Venceslaus Otthonis filius, Olomucio dominans

*Deplorat uicẽ suam Sobieslaus.*

*Inquiritur in conscios coniurationis.*

*In coniuratos supplicio sæuitum.*

*Detecta cõspiratione religiosus Sobieslaus.*

*Henricus Episcopus Olomucensis.*

*Calumnia à Myroslao in Episcopum efficta.*

*Purgat se Meynardus.*

*Absolutus à Moguntino Episcopus.*

MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

minans habebatur,propterea quòd ingenio quietus,obsequio fidelis,ac tanta pietate insignis esset,vt maiorem arcis suæ,melioremq; partem diuo Vencesłao consecrare in animum induxerit.Cum festo quodam die aspexissęt ædem diui Petri in suburbanis,pro præsule & collegio sacerdotum exstructam,capacem tantæ multitudinis,quæ illò confluxerat, non fuisse, sed nec humilis locus tantum dignitatis, quantũ sublimis habere videbatur. Iccirco conductis qui profana ædificia in arce demolirentur, nouam aream futuro templo dedicauit,spacioq; pro fundamento dimenso, in illo vnà cum Henrico præsule, ac patruo suo,angularem lapidem posuit.Et quanquam absoluere tantum opus per immaturam mortem haud potuerit,reliquit tamen Henrico pecuniã ad perficiendum ædificium abundè respondentem. Dedicationi noui templi Sobieslaus & vxor eius interfuere, precioſaque ad altare dona obtulêre. Ad hęc præsul Henricus impetrauit,vt liceret ei corpus diui Christini ex Boiemia illò transferre, cuius tanquam numine præsenti,locus ille augustior venerabiliorq; redderetur. Instruebat Cæsar in Italiam profectionem rogatu Innocentij Romani Pontificis, à quo imperialem accepit coronam. Quo igitur instructior existeret, præter cæteros à Sobieslao quoq; petebat subsidium, qui trecentos illi armatos equites, duce Iaromirio Boriuorij filio,misit. Fortè in via, dum adhuc agmina dissolutè vadunt, accidit, vt Iaromirius locum statiuis apud flumen occuparet, de quo eum Germani cum pellere certarent,ad manus & gladios ventum est, ac nisi magister militum Cæsaris interuenisset,cædes insignis patrata fuisset. Occisi nihilominus duodecim equites Boiemi, ex Germanis autẽ octoginta. Rixæ huius author Lotharingi principis præfectus fuit,ibidemq; in conspectu omnium capitali supplicio punitus. Egebat hoc ipso tempore Bela quoque Rex Pannoniæ affinitate Sobieslao innexus, ope Boiemorum aduersus Boleslaum Poloniæ principem, acriter ei cum Polonis & Ruttenis instantẽ, dum [f] Borichium affinem item suum,sed quem Hungari nothum esse dicebant,imponere ipsis Hungaris pro Rege contendit,exclusoBela luminibus capto,ac semel iam in prelio,quod in Sepusienſi campo initum erat, malè à Polonis accepto, quoniam non omnes Hungari bene Regi Belæ volebant.Adiuuandum itaq; illum, à suis etiam desertum Sobieslaus ratus,copias tã in Boiemia quàm in Morauia contrahit,eisq; Conradum Znoymę principem pręponit,mandans,vt se cum Belæ copijs coniungeret.At Conradus in itinere certior factus,Polonos non longè à Morauia eos agros incursionibus vexare, qui vltra Vagum flumen, quo in loco Ilaua sita est, rectà ad hostem pergit,traiectoq; confestim flumine, Polonos dispersos aggressus fundit fugatq;,ac victorem demum se ipsi Belæ offert,adeò hac victoria lęto,vt sororem suam cum opima dote Conrado desponderit,nuptijs in aliud tempus dilatis.Nec interim Sobieslaus ferias agere, sed ferox infestusq; Vratislauiensem in Slesia regionem persultare, quòd ei iam à triennio per Boleslaum nõ solueretur tributum ex Vratislauia debitum.Subdebat stimulos ludicrum respo nsum, Legatis hanc causam apud Boleslaum agentib. redditum, Boleslao per ludibrium ita respondente: Se existimasse Legatos iccirco ad se missos esse,vt precium referrent alimoniæ,qua plus triennium exul Sobieslaus in Polonia sustentatus fuerit,non autem vt indè quicquam auferrent, cum antea è Gnesna atq; alijs sacris profanisq; locis tãtum abstulerint Boiemi, vt in hunc diem illata damna resarciri nequeant. Cæterùm mox cognito, quæ in Slesia tum adhuc Polonia cognominata,designauerit Sobieslaus, colligit & ipse tumultuarium militem, cumq; in Morauiam mittit, vt totidẽ plagis affligeret Morauos. Ergo multò quàm prius infestior Sobieslaus, Slesiam repetit duob. exercitibus, duobusque itineribus, altero Boiemi,altero Morauibant, pro se vtriq; itinere suo maleficia quanta poterant facientes. Et postquam coniun-

*Venceslaus Marchio Olomucensis arcem suam sacris vsibus destinat.*

*Bretislaus, Marchio Gnesna id abstulerat cũ Adalberti & sociorum corporibus.*

*Innocentius Papa II.*

*Iaromyrius Cæsari Comes in Italiam.*

*Anno 1132.*

*Sobieslaus Belæ est auxilio.*

*Sobieslaus pacta tributa à Polonis repetit.*

*Cedimur & totidẽ plagis consumimus hostem.*

Anno 1134. cti sunt, totum illum tractum, qua Odera ambit, in tantam vastitatem adducentes, vt ex trecentis pagis & vicis, ne vnus quidem superfuerit integer reliquus. Tanti Boleslaum constitit cauillus, quo facetus videri aduersus Sobieslauum volebat. Atq; hinc cum inter discordes sibiq; inuicem adeò implacabiles, nullus mutui belli finis expectaretur, & Cæsar Lotharius auxilio vtriusq; ad sedandos Italiæ varios & graues motus opus haberet, vtrumq; Bambergam vocat, vt dissidentes in veterem gratiam restituat. Sed mirum in modum Boleslaus abalienato animo erat à Sobieslao: illudq; multum præterea illi doluit, quòd Cæsar iusso sibi assidere Sobieslao in ordine aliorum principum, ei seorsim è regione subsellium apposuerit: id namq; ille in deteriorem vertit partem. Quando igitur pax inter illos conciliari non potuit, induciæ in triennium vtrinq; pactæ sunt, Polonusq; ære, Boiemus autem milite Cæsaris expeditionem fecere expeditiorem. Sed ea mox Boleslai animum subijt pœnitentia reiectæ pacificationis, vt nec tertium mensem à reditu in Poloniam transire passus fuerit, quin vltrò per legatos suos Sobieslaum occuparet, atque eum ad pacem perpetuò confirmandam inuitaret. Pollicitus huius rei gratia se venturum è Vratislauia ad oppidum Sobieslai Glatium, ibiq; ex bona fide omnes offensiones coram depositurum. Lætus aduentu hospitis non expectati Sobieslaus, conuiuium solemne apparat, quale veteres Charistia appellabant, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: Nam ij fautores concordiæ inter se optimi, vt penitus sibi ac domestice noti arctaq; naturæ necessitudine implicati. Adhibitæ eidem conuiuio erant mulieres principes, virgines que, quarum pulcherrima, Vasilca Rutheni Principis filia habebatur, ex cuius crebro aspectu Vratislaus Sobieslai parruelis, tacito vulnere saucius, palàm dein stipulatus est, ab eo vnde ducenda erat, eam in matrimonium ductum iri. Ita conuiuij illius hylaritate, non modò simultates & contentiones cum Polonis sunt sublatæ, verùm etiam cùm Ruthenis notitia, & noua affinitas contracta fuit. Nuptias deinde primum Conradi cum sorore Belæ Regis, tum ipsius Vratislai cum Vasilca, ac mox filiæ Sobieslai Mariæ, quam filio Leopoldi Austriæ Principi desponderat, magno apparatu pompaque & luxu, lautas cum principe suo Boiemi læti celebrant, languente tunc Meynardo præsule, nec tamen in ægritudine sua abstinente ab AEsopi apologis. Olim, inquiens, ranæ in gaudium effusæ gestiebant, auditis Solis nuptijs, extra vnam vetustiorem, quæ se, genusque suum miserans, O infœlices, ait, nos, quæ cum vnius solis radios ægrè sustinemus, quo modo æstum illius feremus si filios genuerit? Hæc nugans, iocansque paucis post diebus morbo premente, vitam cum morte commutauit, eique Ioannes Ecclesiæ Vicegradensi præpositus successit. Exin Sobieslaus ad ædificia versus arcem Prindam, Tachouiamque oppidum reædificat, & nouum in eadem regione oppidum, Mysæ vocabulo condit. Ipsam verò Pragam non solùm domibus, & insulis lapideis, vicisque ac plateis saxo constratis, sed legibus etiam & libertatibus, qualibus ante se nullus principum, excolit. Inde secedens in Lusaciam superiorem, Gorlitium igne exustum instaurat, Budissinam vetustate squallentem renouat, ac nonnullas arces viduæ Vigberti, dotis nomine oppignoratas, soluto ei precio redimit. In discessu per syluam transeunti, tantus repentè ventus incubuit, vt radicitùs euulsas arbores in terram prosterneret, ex qua ruina septem itineris comites amisit, nec ipse robore cadente intactus, nam plagam à casu illius in læua manu accepit. Maiore tamen animi dolore tangebatur ex nuncio mortis Lotharij, bene ac liberaliter de se meriti, quanquam multi alij principes, vel ante illum proximum, vel mox post illum mortem oppetierint, quorum de numero fuerunt Ludouicus Rex Galliæ, Henricus Rex Britanniæ, Leopoldus Marchio Austriæ. Ex electoribus verò

*Lotharius Cæsar inter Polonum & Bohemũ principes arbitrum agit.*

*Triennales indutiæ.*

*Glatij pax perpetua sancita.*

*Basilia Ruthena Vratislao desponsa.*

*Nuptiæ paratæ.*

*Maynardus Ludibundus moritur.*

*Iohãnes XII. Episcopus Pragensis.*

*Sobieslaus Prindam ornat Mysam condit.*

*Turbo insignis.*

*Proceres multi ea tempestate extincti.*

rò imperij Albertus Moguntinus Archiepiſcopus, & Bruno Colonienſis. Ipſe Cæſar Tridenti morbo correptus, inter valles Tridentinas in caſa ignobili vita functus eſt. Corpus per Auguſtam Vindelicam, ac dein per Franconiam in Saxoniam, vnde origo eius, delatum atq; in cœnobio recens ab ipſo exſtructo, ipſiusq; nomine appellato, ſepeliri placuit. In duas inde factiones Germaniæ principes diuiſi fuêre, altera Henricum Lotharij generum, Saxoniæ & Bauariæ principem, altera Conradum Sueuum, Henrici Cæſaris ſororium deſtinabat ſucceſſorem. Hæc eadem non expectato comitiorum die, qui indictus de more fuerat, Confluentiam ſe cum nonnullis Electoribus contulit, ibiq; Conradum nominauit Cæſarem, & mox in loco ſolito coronam capiti eius induit. Miſſiq; continuò in Boiemiam qui Sobieslaum verbis Conradi rogarent, vt nominationi, coronationiq; ſubſcriberet, relaturum illum perliberalem gratiam, vel modio olim remetiendam. Subſcribit promptè ille, ac inuicem magnifica de ſe pollicetur, præcipuè aduerſus [g] Henricum nimis impotentem, & propter nimias opes inſolentem. Ab hoc Saxones animis & armis ſtabant, damnantes aduerſariorum ſuffragia, quaſi fraudulenta & ſubrepticia, quibus alieno in loco & tẽpore ſuffragati Conrado fuerint. Ita vt Conradus neceſſe habuerit armis viciſſim cauſam ſuã propugnare. Denuo igitur Subieslaum precibus fatigat, vt honorẽ ſuum & dignitatẽ cuius appro bator fuerit, adiutor quoq; illius retinendi fieret. Scribitur properè à Sobieſlao miles, & per Miſniam in fines Saxoniæ deducitur, quã iam Conradus duobus exercitibus diuerſis vagatus locis, vaſtare cœptabat. Idẽ faciebat Sobieſlaus cum ſuo tertio exercitu. Saxones trifariam diſtracti, atq; per hæc incerti, cui nam parti magis conduceret occurrere: vnis enim caſtris omnes immixti erant, in quibus ne à tot hoſtibus oprimerentur, ad vrbes & arces munitas ſe referunt, indeq; poſt longam deliberationem, legatos communi conſenſu ad Conradum mittunt, veniam rebellionis deprecantes, ipſumq; [h] Henricum in poteſtate eius futurum, cum inſignibus, quæ regalia vocant, apud ipſum à Lothario depoſita promittentes. Difficilimè hæc conditio à Conrado eſt accepta, qui totam ſtatim cum Henrico Saxoniam ſuæ ditioni adiungere cupiebat, ſed inſtantibus alijs principibus, conuentum omnibus celerem Bambergam decernit [i] Ad quem cum veniſſet Henricus, in conſpectum Conradi non eſt admiſſus, ſed paulò poſt cum omnibus bonis, quæ ſe à mari Saxonico, vſq; ad mare Adriaticum poſſidere iactabat, fuit proſcriptus. Hic eſt ludus fortunæ, quæ magnos quoq; & præpotentes principes pro pila habet, qua datatim inter mortales ludit, nunc dando, nunc iactando, nunc mox data eripiendo. Venerant iſtec etiam Sobieslao tunc in mentem, qua re veritus, ne alius poſt obitum ſuum quàm vellet, principatum acciperet, Vladislaum fratris ſui Vladislai filium, ſecum ad Conradum, magna ſibi ſpondentem adduxit. Nullum inquiens, Cæſar beneficium in præſentia maius dare mihi potes, quàm ſi me, adhuc ſuperſtite, Vladislaũ hunc ex fratre meo nepotem, mihi ſucceſſorẽ declaraueris, quod vt facias, non minus tua, quàm mea intereſſe arbitror. olim namq; hac diſciplina à me imbutus eſt, vt Cæſari quę ſua ſunt libenter reddat & mihi quæ mea ſunt, quoad vixero, ne detrahat. Conradus cognita Sobieslai tam amica erga ſe voluntate, ſic talem animum amplexus, ſic exoſculatus eſt, vt contentus nõ fuerit votum eius ratum firmumq; habere, ſed quo teſtatior omnibus, atq; illuſtrior gratia ſua in Boiemos fieret, ſororẽ inſuper ſuam Gertrudim Vladislao coniugẽ dedit, tantoq; beneficio præter ſpem auctos, cum maxima lætitia à ſe domũ ad penates remiſit, Sobieslao poſthac non diu ſuperſtite. Nam cum in arcem quandam ſuam iuxta Hradeciũ oppidum ſitam, grauedine & deſtillationibus laborans ſecedit, ibiq; controuerſiam inter Henricum Olomucenſem præſulem, & Vratislaum Brunnenſem Marchionem,

*Anno 1138. 6. Decemb. Luther vel Lotaria Cæſarea.*

*Conradus Friderici Ducis Sueuiæ F. Cæſar deſignatus Confluentiam. Anno 1139.*

*Sobieslaus pro Conrado Cæſ. exercitum ducit in Saxoniã.*

*Saxones Cõrado ſupplices.*

*Vladislaus Vladislai F. ſucceſſor Sobieslao à Cæſare inſtituitur, data illi ſorore Gertrude coniuge.*

*Definita lis inter Episcopum & Marchionē de vico Blāsco.*

de vico, cui Blansco nomen, componit, vicumq; præsuli adiudicat, in quo ille mox ædem diuo Martino suscitat. Augescente capitis, corporisq; imbecillitate, Pragam se deportari, Henricumq; consequi iubet. Quo simul cum vxore Adelheida, & tribus filiolis Sobieslao, Vdalrico, Venceslao præsentibus, Vladislaum his paucis admonet, vt recordaretur, quod suum erga illum studiū, quæ indulgentia, qui amor fuerit, talis nimirum, vt maior ne à parente quidem in filium vnicum proficisci potuerit, qualis is fuit, quo ipse viuus adhuc, sanusq; illum in consortium imperij in Boiemos admiserit, iunioremq; senioribus etiam patruelibus anteposuerit. Hac vtiq; spe, gratum sperans eum futurum, gratiamq; sibi vxoriq; suæ & liberis olim relaturum, idq; porrò non sperare modò, sed planè confidere ita facturum eum esse, ideoq; magna cum fiducia se, in tutelam eius & fidem, vxoris liberorumq; suorū salutem, & dignignitatem committere, ac ultimum illi, cæterisq; omnibus vale dicere. Quibus cubiculo digressis, iuxta diui Iacobi præscriptum, conuocat Presbyteros, qui super se orent, seq; vngant oleo Domini, & in templo Vicegrandensi, proximè patris sepulchrum condant, Principem tam pace, quàm bello in paucis clarissimum.

*Successori Vdislao tutelam liberorū mandat.*

[a] *Molestè ferens Boleslaus Polonus Boriuorij circumscriptionē, motusq; Sobieslai fratris exulis precibus, cum Henricus Cæsar Romam coronatum profectus esset in Boemos ducit exercitum. Promissis autem legatis postulat à Vladislio dimissionem Boriuorij, & vt se arbitrum in constituendo principatu suscipiat. Recusat Vladislus, & ad arcendam vim Boleslai sese comparat. Itaq; desperata pacificatione Polonus Bohomiæ oram eam, quæ cis Albim est, ferro & incendijs vastauit: Bohemūq; sua defendentē commisso ad Cidlinam amnem prælio, profligatum in fugam vertit, & mox cum magna præda & spolijs hostium propter anni tempus in Poloniam se recepit. Polonus scriptor.*

[b] *Sbigneum Spurium post multa in fratrem Boleslaum distortum commissa facinora alij morte multatum, alij luminibus priuatum ex consilij sententia asserunt.*

[c] *Colomannus pater Almum cum Bela filio luminibus priuauit, non Stephanus Colomanni F.*

[d] *Conradus & Fridericus patrueles Duces Sueuiæ & Franciæ orientalis bellum de Imperio Lothario mouerunt. Sopitum industria sancti Bernardi abbatis Clareuallensis.*

[e] *Bretislaus quis sit: vel cuius Conradi nepos, fax conspirationis vel caput, is excæcatus, quò nam sit referendus in principum serie nec ex præcedentibus neq; ex sequentibus colligi potest.*

[f] *Borichius matre Russa Colomanno repudiata post repudium natus, genuinus Polonis censebatur Colomanni filius. Hunc Boleslaus (cuius sororem Poloni dicunt Stephanum habuisse) restituere conabatur contra Belam cæcum Almi fratris Colomanni filium, ab Hungaris Regem constitutum.*

[g] *Henricus Superbus Saxoniæ & Bauariæ Dux, maritus Gertrudis, filiæ Lotharij, Imperij competitor.*

[h] *Imperialia insignia à Socero Lothario accepta apud se retinuerat, gloriatusse neminem præter se ijs ornandum perpessurum.*

[i] *Proscriptus est Henricus, Saxonia Alberto Vrso Marchioni Brandenburgensi, Bauaria verò Leopoldo Austrio vterino fratri tradita à Cæsare.*

HIS TO-

# HISTORIAE BOIE-
# MICAE LIBER
## DVODECIMVS.

VLadislaus filius Vladislai, qui frater germanus Sobieslai, natuq; maior erat, iustis Chistiano ritu patruo peractis, luctuq; posito, solemnia principatus celebrat, & de more sacramentum fidei à subditis accipit, qui tamen non adeò frequentes conuenerant, nec alij eorum nisi tenuiores ac minùs potentes. Vnde suspicio mox orta, esse aliquos, qui nouandis rebus studerent. Cum interim Vladislao clam significatur: Primores à Conrado Marchione corruptos, cœtus inire, consiliaq; illos cum eodem Conrado miscere, vt Vladislaum tanquam ætate minorem, ac Cæsaris potiùs, quàm Boiemorum principem, quando non in Boiemia, sed in curia Cæsaris princeps sit creatus, throno deijciant, & in locũ eius Conradum substituant. Territus ijs Vladislaus coniurationem[a] Henrico patefacit, & quidnam sibi faciendum suadeat, consilium promere iubet. Atq; ille censet, dissimulandam magis, quàm inuulgandam esse coniurationem, priusquam aduersus illã se armatis circumuallauerit. Omnia enim ista, quæ nunc cunctando, secretoq; consultando agerent cõiurati, missa habituros, vbi intellexerint coniurationem innotuisse, & apertè ad arma ituros, festinaturosq;, vt imparatũ opprimant aduersarium. De sententia igitur Henrici vocantur Tribuni & Centuriones fideliores, daturq; illis stipendium, vt signa, armaq;, & milites comparent, quantò possunt maturius, secretiusq;. Scribuntur item mox literæ ad præfectos Gorlicij & Budissinæ, aliarumq; in Lusatia vrbium, vt certũ equitũ numerum conducant. Theobaldus aũt Principis fratri arci Vicegrandensi, & alter frater Henricus, cũ præsidio vrbi Pragæ præesse iussus: ipse Vladislaus exercitũ ducere instituit. Non latuerunt hæc cõiuratos ad omnia semper intentos: cæterùm morã ijs Conradus pusillam exhibuit, dum expectat à Bela Rege affine suo subsidiũ leuioris armaturæ equitũ. Quo adepto, Pragam properat, vt suum agmen cum consciorum copijs cõiungat. Huic Vladislaus ad montem, quẽ Boiemi Sublimen cognominant, occurrit, infestus infesto, & vtroq; ad pugnam animato, eoq; acrius inter eos pertinaciusq; prælium fuit, quòd longiùs, quàm in tres horas extraxerant. Iacebant vtrinq; frequentia cadauera, ac iam Smilo, Beno, & alia coniuratorũ capita ceciderant, adhuc tamẽ de certamine non multũ remittebant. inter suos videlicet, sibiq; inuicem nostros res agebatur, apud quos æmulatio, audacia, indignatio acriores stimulos ad peruicaciam retinendam, continuandamq; habere solent: latitudine postremò, magis quàm voluntate ita discessum est, vt Conradus superior esse videretur. Nam campum obtinuit, Vladislao se intra mœnia recipiente. Vastat inde foris idem Cõradus agros, ac interim pro supplemento militũ ad Otthonem fratrem suum in Morauiam, alios in Hungariam ad Belam mittit. Cogitat similia Vladislaus, de supplendis augendisq; viribus, atq; vbi domi, vnde numerus integrasceret, nihil excogitare potest, paucis comitatus, & inter illos Henrico præsule, vadit ad Conradum Cæsarem opem imploraturus. Ad Vladislai discessum, omissa populatione agrorum Conradus, Pragam propius accedit, colluſtrans loca omnia, si qua aditus ad arcem Vicegradensem, vel ad vrbem maiorem pateret. Vbi occlusa cuncta videt, arcem alterã minori Pragæ imminentem obsidet, crebris stationibus dispositis, quæ à cõmeatu obsessos prohiberent. Inter hæc rumor de aduentu Cæsaris, deq; ingentibus eius copijs increbrescere, cui ille tamen non prius fidem habuit,

*Vladislaus modo princeps, pòst Rex Boiemiæ secundus.*

*Aduersantem habet Conradũ Marchionẽ Leopoldi F.*

*Detecta coniuratio clam habetur.*

*Bellũ ciuile & quidem parricidiale.*

*Conradus victor.*

*Vladislaus ad Cæsaris opem confugit.*

*Conradus Pragam obsidet.*

quàm certi homines, eius rei causa exploratum ab eo missi, referrent, verum esse rumorem. Hinc ex ira, velut in furorem versus, impiam atq; sacrilegam mentem ad incendenda & spolianda arcis templa concitat, telaq; depromit, quę flammā inclusam alunt, quā tandem arcu excussa, vibrataq; euomūt, vbi tectis adhęserint, quę scandulis intecta sunt, qualia tunc vtriusq; templi erant, tam ad diuum Vitum, quàm Georgium. In hoc flamminicę mulieres, in tantā ab igne consternationē venerunt, vt sui quoq;, nedum rerū aliarū, oblitę, proiectis flammeis & velis, ne agnoscerentur, ex arce profugerint ad montē Petrinum arci proximū, & inde ad ripam Vltauiæ in casulam quandam, in qua tantisper delituerunt, dum Cæsar, expulso Conrado, Pragam ingressus, & à Gertrude sorore honorificentissimè exceptus, cuncta in Boiemia pacata redderet ac tranquilla, Vladislao in suum locum statumq; restituto. Qui eos statim omnes, qui aliqua coniurationis suspicione laborabant, magistratu & honoribus exuit, alijs hac dignitate inuestitis, qui fidem integram saluamq; retinuerunt. Et quoniam Bela tunc viuere desierat, tempestiuū ratus, pœnas à sedicioso patruele persequi Morauiam ad oppugnandum Znoymæ Conradum iter maturat. Verùm ille diffisus mœnibus posse in illis resisti, arces munitas percursat, hincq; & inde volitans, Vladislai vires eludebat, magis quàm retundebat, quanquam magno colonorum suorum detrimento, quorum agros ad omnia loca, ad quæ confugiebat, milites subsequentes depræda bantur. Consultiùs Ottho & Vratislaus egere, qui Henrico præsule vsi deprecatore, gratiæq; conciliatore, ab iniuria & maleficio illæsi permanserunt. Intermissa dein rerum aliarum cura, Vladislaus ad instauranda sacra ædificia, fœdè nuper à Conrado Pragæ deusta, animum intendit, largè suppeditans operæ precium, vt lautiora quàm prius erant, illa resurgerent: nouumq; mox Cœnobium in deflexu montis Petrini ex mulctaticio ære, quo nonnulli coniuratorum mulctati sunt, ædificandum curauit, vocabulo ei indito Montis Syon, propter quandam similitudinem situs, cum monte illo qui in oriente Syon appellatur, ad quem prope accedere istum, Henricus præsul qui viderat, dicebat: Hodie Strahouiam vocant. Cœnobitæ à principio statim ex sodalitio Præmonstratensium deducti, cuius author Præmonstratus quidam, religione celebris, vitaq; & habitu candidus fuisse fertur: eiusq; exemplo multi tunc candidam vestem cum moribus candidis induebant: in qua & Henricus, quanquam præsul, conspici, cultumq; huiusce religionis imitari studuit. Imò aliquamdiu Strahouiense cœnobium, velut seminarium Episcoporum Olomucensium erat, vnde in Morauia Episcopi plantabantur. Eadem porrò pietate Gertrudis erga muliebrem sexum, qua maritus suus in viros, admonita fuit, vt & ipsa monumentum virginibus relinqueret, quod candidatas ex amictu commonefaceret, vt puram castamq; vitam cum sanctis precibus Deo perpetuò exhiberent. Locus Doxanum appellatum, cœnobiumq; ibi benè dotatum, ne per egestatem ad malas artes indotatæ puellæ adigerentur. Iam hoc etiam, secundum religionis curam, pulchrum & laude dignum Vladislai institutum, quo multas causas, auaritia, fraudeq;, iniuria iudicum, vel magistratuum, aut comperendinatas, aut iniustè damnatas ad cognitionem suam reuocabat, iusq; ex æquo partibus, ac maturè iusticiam cuiq; suam administrabat. Laborabant idem, quod ipse princeps, ambo Præsules, Ottho Pragensis in Boiemia, & Henricus Olomucensis in Morauia, vt leges sacerdotibus dictas, & ab illis per summam vitæ licentiam atque libidinem neglectas, ad suum statum reducerent. Ad hunc namque modum viuebant, vt ægre aliquem, præsertim inter paganos, sacerdotes inueniffes, qui se lupa, concubinaq; infamem cum incœstis liberis non faceret, Dominis pleriſq;, quorum in pagis sacerdotia gentilitia erant, lenocinio eiusmodi

*Cæsar in Bohemiam.*

*Conradus templa succendit.*

*Cæsar Vladislaum restituit.*

*Vindictam molitur Vladislaus cõtra Conradum.*

*Diruta à Conrado templa restaurat, & Syon monasterium condit.*

*Præmonstratensis religio. Strahouia.*

*Gertrudis Doxanum monasterium cõdit.*

*Rex magistratus emendat.*

*Clerus examinatus à præsulibus.*

*Ottho XIII. Episcopus Pragensis.*

eiuſmodi ſupparaſſitantibus potiùs,quàm ab illo coercentibus,dum vtilitatē ſuam ante publicam honoſtatem habent. Igitur cum nulla domi remedia apparerent, quæ hanc luem tollere aut leuare poſſent, Henricus vltrò ſe offert, Romam iturum ad paſtorem & curatorem animarum ſacerdotum. In procinctu erat vt abiret,cum eum quidā à Conrado ſubmiſſi adeunt, multis orantes verbis,ne ſe in tam longinquam peregrinationē daret, priuſquam diſiunctos improbitate hominum Vladislaum,& ipſum Conradum fœdere rurſum priſtinę beneuolentię coniungat: neminem enim hominum exiſtere,qui id commodiùs præſtare perficereq; valeat,quando alias nullus tanta gratia,& authoritate apud Vladislaum polleat. Henricus ſyncerè iſta dici exiſtimans,candidè etiam reſpondet: Cur hoc inquiens, quod petitur,Conrado non gratificer,etiamſi longiùs de via mihi deflectendum videam? Pergenti in Boiemiam ad Vladislaum, aſſequitur eum ipſemet Conradus haud procul à Lythomislio, ad villam quæ de menſa, ditioneq; Epiſcopi erat. Vocat hoſpitem ad cœnam Henricus, neſcius lupum veniſſe, qui ſe agnum vellere aureo ſpoliaret, quod pro viaticulo corraſum fuit. Nam mane tandem inſidiæ patuerunt, quas viator quidam obuius, agnito Epiſcopo, indicauit dicens, Saltum proximum ab equitibus eſſe obſeſſum,alicui omnino inſidiantibus,ſe circiter duodecim illorum vidiſſe intentos ad incurſandū. Iubet protinus Henricus retrocedere ſuos. At Conradus ſubitò exiliens à tergo inſtat, & quemcunq; comprehendit,ſternit. Conſiſtunt cæteri,& ſe ad defendendum conuertunt. Ibi Henricus ſpacium elabendi nactus, ſe intra ſyluā abſcondit ſolus ſine vllo comite. ipſo etiam equo à ſe extruſo,delituitq; eodem loco totum illum diem ac noctem inſequentē. Poſtero die à Colono lignatum profecto repertus, plauſtroq; ruſtico impoſitus, Lythomislium eſt deuectus, paucis ex ſuis incolumibus inuentis: cæterùm pecunijs rebusq; ſuis omnibus amiſſis. Actum & de vita erat, ſi poteſtas aſſequendi eius Conrado data fuiſſet, tam is agreſti odio aduerſus Prę ſulem & affinem ſuum laborabat. nulla cauſa alia, niſi quòd Vladislai principis ſui partes conſtanter fouebat. Celeriter huius tam acerbæ iniuriæ nuncius ad Vladislaū perlatus eſt, atq; is ſine vlla mora ex aula ſua equites mittit, qui ad ſe Pragam Henricum deducant,vt communem hanc ſibi cum ipſo iniuriam,communi conſilio vlciſcendam capiat. Sed Henricus remiſſa in præſens omni vltione,nouo rurſus viatico,nouiſq; comitibus ſe inſtruit,ac cœptū Romam iter ad Eugenium Romanum Pontificem continuat,qui audita querela Henrici, legationem de ſententia patrum decernit, nominato ſtatim legato Guidone, qui vnà cum Henrico in Boiemiam iret,ad explorandam, puniendamq; tum improborum ſacerdotum vitam, tum atrocem ipſius iniuriam. Legatus Pragam veniens,cum ad omnia,in quę agenda incubuerat Vladislaū ſibi adiutorem aſciſceret,facilè eius auxilio conſecutus eſt,vt citati ordine ſacerdotes, corā adeſſe, rationemq; vitæ ſuæ reddere cogerentur. Dein pro nequitiæ licentia,alij exilio,alij carcere puniti, nōnullis interdicta ſacrorum adminiſtratio fuit. Ipſe verò Conradus pro contumacia ſua,& crimine,diris Pontificijs eſt proſciſſus,quas cum nihili penderet, imò præterea Legato inſultaret,quaſi execratio eius,non ſolùm de ſpolijs Henrici nihil ſibi detraxerit, ſed inſuper orexim accenderit ad deuorandas etiā Legati fortunas,ſi quas prædadignas ſecum habeat. Ergo ad ſedandam Conradi tam rabidam latrocinandi eſuritionem,Vladislaus pro verborum anathemate,vim armorum iterum ad Znoymæ mœnia ei obtrudit, ſed aliquanto acriore quàm nuper, ſtudio capiendę vrbis immínens. Nam vt militē quoq; ad perſeuerantiā obſidionis confirmaret,pro concione prædæ militū vrbem futuram pronunciauit,ſi per vim capta foret. Hoc terrore ciues perculſi, quorū cuſtodiæ porta qua ad Auſtriā reſpicit cōmiſſa fuit,ſignū deditionis ex muro oſtendunt,portamq;,recepti in

*Olomucenſis auctoritatem Pontificiam ad reformandum clerum petit.*

*Romam profecturus Epiſcopus detinetur, Conradum Vladislao concilia turus.*

*Spoliatur Epiſcopus à Conradi Satellitibus.*

*Elabitur Epiſcopus.*

*Vladislaus honeſto Comitatu Epiſcopum deduci iubet.*

*Eugenius Papa III. Anno 1145.*

*Guido legatus Pontificis cenſurā agit in ſacerdotes.*

*Excommunicatur Cōradus. Ille floccipendit.*

*Znoymæ à Vladislao obſidetur Conradus.*

fidem, aperiunt. Restabat arx vrbi contigua, atq; loco æquo planoq; ab vrbe, modica intercedente fossa, sepositа. Iussus miles fimo, rudere, lignis, atq; alijs rebus obuijs fossam complere, muroq; scalas admouere, præterquam irrito vitæ etiam multorum aduerso labore. Aderat namq; præsens Conradus, vocéq; sua commilitones ad fortiter tuendam arcem incitabat. At vbi tandem faces & tela ignita essent ingesta, arxq; tota fumo & flamma permixta arderet, Conradus per interiorem arcis, secluſioremq; portulam elapsus, victori de arce quoq; cessit. Henricus interim præsul cœnobium Lythomislij à se in periculo votum, quali forma se in oriente vidisse meminerat, ędificare pergit, vocatq; illud rursus ex similitudine situs, Montem Oliueti, Vladislao non solùm factum eius approbante, sed etiam de suo largiente agros & pagos, vnde Cœnobitis Deo consecratis, vitæ necessaria largè suppeditarentur. Vago tunc errabundoq; per Austriam & Bauariam Conrado, quoad persuasione quorundam ad Cæsarē Conradum perfugeret, symbolum crucis militibus tunc per Germanias distribuentem, quos secum in [b] expeditionem Hierosolymitanam ducere statuerat: ad illam cum alijs obeundam, cum sibi promptam voluntatem Conradus adesse, sed ei voluntati difficultatē afferre, præsentem suam egestatem diceret, rogaretq; Cæsarem, vt ille primùm veterem sui offensionem ex memoria deponeret, deinde authoritate sua, vt hanc quoq; recentem dissensionem, quæ inter ipsum & Vladislaum interceſſit, placandam susciperet, quando ipse culpam sua stulticia contractam, expiare per tam longinquā militiam paratus sit, faciliùs à Cæsare in gratiam receptus, quàm ab Vladislao bonis restitutus est. Ad eam autē diem, nulla à Christianis expeditio in orientem delectu, apparatu, copijs, ducibusq; illustrior facta fuit. Inter duces Cæsar Conradus erat, & præterea Reges tres regnorum opulentissimorum, clarissimorumq;, Ludouicus Galliæ, Alponsus Hispaniæ, Henricus Angliæ. Dein miles delectus ex vna quaq; natione præcipuus, non è vulgarium solùm militum numero, verùm etiam nobilissimus quisq; dignitate, genere, factisq;, passim nomina in hanc militiā dabat, vltroq; insignia crucis induebat. Porrò copiæ terra mariq; tantæ, tam terribiles, vt cum Xersis terrore, quē aduentu suo Græcis olim obtulit, conferri potuerint, vtinamq; ipse quoq; exitus par non fuisset, quanquam diuersa clade: quippe exercitus Xersis virtute hostium cecidit: at isti fraude & scelere [c] Manuelis Constantinopolitani Cæsaris prostrati sunt, dum perfido Græculo credunt, promittenti se commeatum illis abundè submissurū, si traiecto Bosphoro, ad obsidendum Iconium diuertissent. Commeatu deficientibus (vide summum scelus) farinam gypso immixtam in castra mittebat, ex qua panis factus, tantam hominum stragem ædidit, vt vix decimo milite superstite, retro in Thraciam Cæsar inglorius redierit. Gloriari videlicet in crucem Domini, non autem in brachio suo oportuit, vt olim feciſſe Constantinum legimus, qui primus inter Cæsares signum crucis ad militaria vexilla, quæ Cæsarē præcedebant, transtulit: hac pietate ductus, vt milites symbolo crucis admoniti, Crucifixum, alienis dijs relictis, adorarent, & illo, tamquam in quo solo fortitudo abscondita esset, victoriam aduersus impios hostes sperarent. At nostrates milites, rarò aliàs maiorem impietatem, quàm sub ostentatione crucis ostendere solent, non minùs Christianos quàcunq; incedunt, quàm Aethnicos, infortunio mulctantes: ergo etiā operæ digna premia plerumq; referūt. [d] Cęsare in regressu Poloniam pertranseunte, vt Vladislaum Polonię principem, à fratribus suis regnum proturbatum in locum quē amisit reponeret, occurrit ei Vladislaus cum Boiemorum copijs auxiliarijs, quarum studium, Christina Vladislai Poloni coniunx, quæ pariter vt Vladislai Boiemi vxor, de domo Cæsaris erat, se marito suo adiunxit. Boleslaus Crispus, qui principatum inuaserat, postquam imparem se agnouit, vt cum duobus

*Vrbs capta ex arce elabitur Conradus.*

*Mons Oliueti Cœnobium Lithomyslij.*

*Conradus nomen dat sacræ militiæ.*

*Taxantur milites nostri seculi:*

*Anno 1149. Ab hoc omnes Sileſiæ principes prodiêre.*

bus exercitibus acie decerneret,nullum certum locum castris capere,sed huc illucq; cum expeditis equitum turmis,haud tamen longè ab hostibus,volitare,vt pabulatores anteuerteret,commeatuq; illos fraudaret,non omissa interim actione,qua cum Cæsare per internuncios agebat, de reconcilianda cum fratre gratia. Volebat Cæsar,vt ante omnia spoliatus in integrum restitueretur:at Boleslaus ei nonnullas arces in Slesia possidendas,donec de controuersia in conuentu omnium in regno Poloniæ ordinum decideretur, obtrudebat. Atq; hæc conditio vt præualeret, tædium longioris militiæ in causa fuit, cuius Germanos memoria prioris famis iamdudum tædebat. Sed nec in conuentu transigi negocium potuit, non tam Vladislao, quàm Christina vxore, apud Polonos implacabili odio laborante propter fastidium eius gentis, quã sic fastidiosè despiciebat,vt ne ministerio quidem vllo in aula sua Germanis referta, dignos duceret, sed abigendos eos ab illa curaret, quasi agrestes,inconcinnosq;,& haris potiùs ob sordes,vti dicebat, quàm aulis aptiores. Quo minus tamen rursus expeditio in Poloniam instaurata fuerit, nihil aliud, quàm obitus Conradi Cæsaris immaturus illam interpellauit. Excessit paulò post Gertrudis eiusdem Conradi soror,Vladislai coniunx,& ad cœnobium Doxanum à se ædificatum elata est. Atq; vt mœror succederet mœrori, eodem anno Ottho Pragensis, & Henricus Olomucensis præsules è vita migrauêre. Illi Daniel è familia procerum à Lyppa, huic Ioannes suffectus, hanc ipsam religionem,quam Henricus professus, & à sacris eius perpetuus. Cæsarem porrò Germani Fridericum, Conradi ex Friderico fratre nepotem, cui Aenobarbo cognomen, quoniam barba rutila conspicuus esset, in comitijs Francfordiæ habitis, declararunt, Vladislao inter primos Electores ei suffragante,tanquam affini suo, & præterea tanta amicitia & familiaritate coniuncto, vt prima in Italiam (coronæ imperialis capiendæ gratia, qua ab Adriano Pontifice Romano donatus est) profectione, vicarium eum Imperij in Germania reliquerit, rediensq; testimonium ei bene administratæ prouinciæ prolixè perhibuerit. Mox vocatum ad nuptias,quas cum Beatrice ex Burgundia adducta celebraturus erat, hunc ei dein honorem vltrò habuit, vt eum auito more, post tam longum interregnum, Boiemiæ Regem coronaret, data in matrimonium viduo filia Lantgrauij principis, cui Iudith nomen erat. Quare vt vicissim gratus Vladislaus appareret, socium belli, quod Cæsar aduersus Mediolanenses gesturum se denunciauit,se exhibet. Offenderant tunc vehementer Cæsarem Mediolanenses, dum per Insubriam eunti, Dertonam velut obicem opponunt,vt progressum in Italiam longiorem impediant. Sed Cæsar Dertona obsessa, & vi tandem capta, iter magnis vijs Romam continuauit. Ibi rursus Mediolanenses tumultum in Vrbe excitant,Romanosq; ad arma conciunt, qui solennia dyademati imponendo peragi non sinant. Facta cædes vtrinq;, Cæsare victore, non tamen victoria ista contento, sed omni præterea studio ad id incumbente, ut ab ipsis quoq; periculi & cædis authoribus debitas pœnas repeteret. Id demum magni interesse, ad conseruandam imperij dignitatem inquiens, si impunè illam nullus tentare, nedum lædere audeat: comprobantibus dictum Germaniæ principibus,& [c]Rege quoq; Daniæ cum illis in commilitium consentiente. Vladislaus non ita æquos sibi domi assensores reperit, pleriſq; non minori iracundia quàm inuidia frementibus, quòd princeps de paucorum consilio res arduas & publicas,vbi sibi placeret, tractandas, conficiendasq; susciperet. Non esse priuati consilij, principem matrimonia foris inire,regium dyadema capessere,externis bellis subscribere. Iis permotus Vladislaus, concilium Pragam indicit, & in illo cum ordinibus expostulat, quòd tam faciles aures calumniatoribus præbeant. Quid enim aliud, quàm meram esse calumniam, capere ma-

*Restitutionem Vladislai frustrà vrget Cæsar.*

*Fastus Christinæ.*

*Anno 1152. Gertrudis coniunx Vladislai moritur, et frater Cæsar.*

*Daniel Lyppanus 14. Episcopus Pragensis.*

*Fridericus Barbaroſſa Cæs. desig.*

*Vicarius Imperatoris Vladislaus.*

*Adrianus Papa IIII.*

*Beatrix Reginaldi comitis Vesontionis in Burgundia filia. Nuptiæ Ratisbonæ celebratæ.*

*Bellum Cæsaris aduersus Mediolanenses.*

*Vladislaus Rex Boemiæ coronatur à Friderico Cæsare Anno 1158. data coniuge Iudith Lantgrauij filia.*

*Obtrectatores experitur Rex Vladislaus quorum calumnijs respondet.*

ledico dente, quæ nulla satis queas voce pro dignitate laudare, qualia sunt, Regium decus in regnum rursus inuectum,& illustres multorum principum affinitate nuptiæ, in quibus acquirendis conciliandisq; iure vtiq; suo, se primas in deliberando partes debuisse obtinere: dein vnius Cæsaris ea in re iudicium pluris se facere, quàm innumeræ multitudinis. Quòd verò sine publico consilio auxilia eidem Cæsari obtulerit,in causa partim ingenuum metum fuisse, verentem ne si cæteris nouo honore prælatus, qui se præsente subsidia promptè pollicebantur, ipse vltimus in eo officio exhibendo appareret, tum ignauiæ, tum ingratitudinis damnaretur: partim etiam laudis & gloriæ ex rebus bellicis assequendæ, magis tunc memorem fuisse, quàm legum domesticarum. Nulli tamen per hæc necessitatem militandi imposi-tam, maneant licet domi resides, maneant item senes, modò ne obstrepant ijs, qui classicum vel externum & longinquum audire gestiunt. Annuente concioni principis Daniele præsule,& Geruasio Vicegradi præposito, ac tunc magistratu insigni, quem Cancellarium vocant, pudor chlamydatos purpuratosq; militiam detrectandi subijt, quam adeò promptè togati assumpserant. Paululum Vladislaus iter anteuertit, priusq; superatis Alpibus Veronam,quàm Cæsar venit. Ciues Veronenses, vbi colonos suos in agris à Boiemis deprædari cognoscunt, mittunt qui Vladislaum doceant, se cum ipsis agris in fide & potestate esse Cæsaris, eoq; tutela magis dignos quàm vlla iniuria. Cæterùm si populari, prædasq; agere libeat, Brixiam illi esse deflectendum, ciuitatem Cæsari perinde atque Mediolanum rebellem, Vladislaus acceptis deductoribus, Brixiam populabundus proficiscitur, admirantibus primùm ciuibus, quòd ab ignoto sibi hoste, per absentiam Cæsaris nimis audacter vastarentur: mox eruptionem in illum facientibus, sed ferocius quàm constantius, semel videlicet iterumq; ad primum statim impetum intra mœnia repulsi. Aduentabat interim Cæsar validissimis Germanorum stipatus copijs, rectaq; viam Brixiam versus dirigebat. Ibi Ottho Cardinalis mœnibus cum alijs incluſus, facta vtrinque æstimatione virium ex duplici pugna, in quarum vtraque Boiemi superiores euaserant,commodissimum esse statuit, ante Cæsaris præsentiam, muris adhuc ædificijs integris, de pace cũ Vladislao Rege per Danielem Pragensem præsulem agere. Legatos Daniel, qui ad se venerant,ad Rgem adducit, pollicentes deditionem se Cæsari, imperataq; facturos, si æqua & tolerabilia imperarentur. Rex datis inducijs, se pacis deprecatorem apud Cæsarem futurum æquissimum spondet, accipitq; interea cum exercitu suo à ciuibus gratuitum commeatum. Vix fides à Cæsare nuncio habita, nuncianti tam paruo negocio Brixiam ad officium esse redactam. Ergo nihil aliud imperatum, nisi vt nobilissimus quisque ciuium ad obsidendum Mediolanum Cæsarem comitaretur, quo minus reliqua multitudo domi remanens nouandis rebus studeret. Inde ad Abduam flumen,aquis tunc ex solutis niuibus supra ripas restagnantem,& pontem à Mediolanensibus interruptum ostentantem, ventum: castraq; in loco ponti vicino posita, vt decrescentibus aquis, quàm primum fieri posset, ille reficeretur. Longior hæc mora visa est,quàm vt illam diutius sustinendam putaret. Odolenus impiger iuuenis, patreq; in Boiemia nobili prognatus, cui ex vico,quẽ possidebat Chyssio cognomen erat. is tentorium suum ingressus, repertoq; ibi Bernardo Lubnensi contubernali suo,ipsum talibus compellat: Quàm diu hic per ocium ignauissimũ residebimus? quasi sedendo aut iacendo dormiendoq; inuenire vada queamus? Quin si quid animi nobis generosi inest, equos potius inscendimus,& per inuia, peruiaq; fluuiũ istum trajcimus, gloriamq; nobis immortalem comparamus. Ad hæc Bernardus, Ecce me tibi, inquit, promptum,paratumq;, duc quò vis,ducem comes sequar, quocumq; locorũ duxeris

*Vladislaus in Italiam. Veronenses se dedunt.*

*Brixianos adoritur.*

*Ottho Cardinalis Brixianos ad deditionem hortatur.*

*Brixia recepta.*

*Abduæ traiectus.*

duxeris. Ille oram ripę legens, vbi tandem aquas latiùs diffusas, & in illis algam fluuiatilem in longum supernatantem conspicit, aut hic vadosus, inquit, erit amnis, aut nullo alio in loco: & cum hoc dicto aquas vterq; ingreditur satis vadosas ad medium fluminis alueũ, vlterius nare aliquantis per ambos oportuit, natatu sic commodo, vt per eandem rursus viam retrò satis commodè renatarent, bonum lætumq; Regi suo nuncium afferentes, posse transiri flumen vel à pedite, si ad sustinendum eius impetum, vno duntaxat in loco æquites oppositi fuerint. Seorsum à Cæsare sua Rex castra longiore interuallo metatus erat, vt Boiemis cum Germanis rixandi occasionem eriperet, eoq; faciliùs Cæsarem, exercitumq; eius de transitu fluminis celauit, adeò, vt cum præter expectationem omnium in altera ripa visus esset, speciem hostium in auxilium Mediolanensium aduentantium præbuerit, per signa demum agnitus, quę in prælio tumultuario explicauerat, ab ijs concitato, qui in stationibus iuxta ripas, in hoc dispositi stabant, vt Cæsarem prohiberent ne pontem reficere posset. Sed illi vt alacriter occurrerãt, ita turpiter mox fugerant desertis omnibus stationibus. Nacti igitur liberũ ab hostibus tempus tam Boiemi, quàm Germani, à sua vtriq; ripa, ad reparandum pontem summo studio, laboreq; intenti erant, cum denuo Mediolanenses, auctis multũ copijs, Boiemos inuadunt, prælioq; ad sesquihoram ancipiti, stabiliq; illos premunt, dein resistere amplius nequeuntes, turbatis ordinibus rursus per fugam dissipantur. Multi in ipsa quoq; fuga cæsi, & plus quàm septuaginta ciues nobiliores ex fuga retracti sunt. Ita pons, nemine deinceps impedire auso, absolutus, & Cæsar sine suo labore insigni præda est potitus. Nam omnes illos captiuos Rex, muneris loco Cæsari representauit. Laudum appropinquantibus, viginti fermè millium passuum à Mediolano distans oppidum, obuiam se effundunt Laudenses, ore habituq; luctuoso, ruinam oppidi nuper à Cæsare instaurati, fortunasq; suas à Mediolanensibus direptas, propterea quòd arma cum defectoribus consociare noluerint, lugentes deplorantesq;. Adsunt & Mediolanenses Legati, haud multum dispari habitu, pœnitentiam admissorum simulantes, veniamq; per omnia humana atq; diuina, nixi genibus deprecantes, seq; ad satisfactiones, & conditiones quascumq; ferret Cæsar, offerentes, tam submisse, tamq; suppliciter, vt cum Rege Boiemiæ plerosq; Germaniæ principes ad misericordiam impetrandam flecterent. Exeuntibus de curia, vt mandatum erat legatis, assurgit Anshelmus Rauennæ Archiepiscopus, qui ante alios Mediolanensium mores exploratos habere putabatur, & ad Cæsarem conuersus, Studiosè cauendum esse ait, ne versipelles isti & subdoli, per fictos & simulatos sermones in aures tuas se insinuent. Vetus enim ingenium, quale Polypus habere dicitur, Mediolanenses obtinere, vt quoties metus adsit vrgeatq;, mutent in obsequia colorem, illo absente euanescenteq;, protinus reuertantur ad mentem perfidam, & contumacem, rebellemq;: Proin si imperio tuo Cæsar, si Insubriæ & Lombardiæ quieti bene consultum velis, non molliter indulgenterq;, sed in virga ferrea illos rexeris, vt aliquando intelligant, sentiantq;, superbiam illorum, & insolentiam, maiores esse quàm fortitudinem. Eadem Papienses Cremonensesq;, & cæteræ vicinæ ciuitates fremunt, rogantq; Cæsarem, vt officio fungatur suo, in chamo & freno maxillas illorum constringendo, ne Cæsare absente, appropinquare & mordere audeant imperio illius obedientes. Tum ille vsurpato tunc Cæsaribus more, Chyroteca manu detracta, & in medium proiecta, hostes imperij denuò Mediolanenses declarat, iubetq; legatos eorum illa hora castris discedere. Erat in castris Eckebertus Comes, necessitudine propinqua cum Cæsare implicitus: hic dum non expectato profectionis signo, cum trecentis equitibus hostiles incursat agros in insidias præcipitatur, intempe-

*Boemi Cæsare nescio amnem traijciunt.*

*Pons stratus.*

*Rex Cæsari captiuos donat.*

*Laudenses & Mediolanenses legati supplici vultu illi pœnam expoſcũt, hi veniã.*

*Anshelmus Rauennæ Episcopus Mediolanenſib. asper.*

*Hostes Imperij Mediolanenses & rebelles declarantur.*

*Comes Eckebertus occisus.*

ſtiuasq; iuuenilis audaciæ luit penas,vnà cum præfecto Rauennatium, & ipſo ſatis iuuene,circumuentus interfectusq;.Vtrumq; proceritate corporis antecellebat,qui aulicis Eckeberti præfuit, pariterq; vt dominus ſplendidè armatus erat.Hunc eſſe ipſum Comitē victores exiſtimantes, incolumen Mediolanum pertrahunt,turbæq; aliquandiu illudendū propinant,mox militibus verberandum obtrudunt, ac poſtremò carnifici membratim diſcerpendum tradunt. Tam indignum, tamq; atrox & immane Cæſariq; contumelioſum facinus,tanta indignatione, tantaq; vlſciſcendi libidine non ſolùm Cæſarem,ſed præterea cæteros quoq; Principes accendit, vt nihil aliud cuperent omnes, quàm vt omnium maximum viciſſim Mediolanenſibus dolorem inurerent. Itaq; nulla mora appropinquandi mœnibus illorum facta. Sicq; per viam inſtructi,cōpoſitiq; ibant, vt confligere cum hoſte, quocumq; in loco eſſet obuius,exoptarēt.At ille mœnia nō egrediebatur.Partiri igitur copias per ſeptē duces placuit, vt ſeptē vrbis portis totidem caſtra cum ſuis ducibus opponerentur.Prima Regi Boiemiæ attributa fuit. Altera Ludouico Rheni Palatino, imperiq; Electori.Tertia Rodolpho Coloniæ,& Anshelmo Rauennę Archiepiſcopis,Papiæq; & Cremonæ auxiliis.Ad quartam Henricus Saxonię & Bauariæ princeps,cum vtriuſq; gentis hominibus eſt collocatus. Ad quintā Otthones duo Rhenani Principes, & milites ex Gallia, quam Ciſalpinam vocant,poſiti. Sextam autem Conradus Princeps Rotenburgenſis , cum Hugone Montiſferrati Marchione,adiunctis inſuper Veronæ & Brixiæ auxiliis,obtinuit.Septimam verò,quam Romanam appellant, Cæſar oppugnandam recepit. Ad hunc ferè modum,numerumq; pro multitudine ciuium, ſociorumq; & aliorum mercede conductorū , ipſi Mediolanenſes ad ſingulas portas diſpoſitos, diſtributosq; habebant defenſores. Quibus omnibus præfuit Gualuaginus Angleriç Comes,vir tum genere,tum factis clarus. Cōfirmabat præterea fiduciam Romanus Pontifex,qui tametſi propalàm, neq; huius neq; alterius partis ſtudiū præſeferret,occulto tamen conſilio Mediolanenſes iuuabat.Sic igitur,vt diximus,vrbe ſeptenis caſtris circumuallata, quies parumper fuit, dum Cæſar poſitis ante oculos mœnibus , in re præſenti melius de obſidione deliberat, & ciues in eruptionem intenti , nihil niſi oportunitatem inſiliendi expectant . Ea vbi adeſſe in caſtris Ludouici Palatini viſa eſt, in quibus remiſſius negligentiusq; cuſtodias obibat miles,arripit illam Statius ciuis Mediolanenſis , ſeq; porta diui Dioniſij , quam curabat,improuiſus in Germanos effundit . Iam totis penè caſtris illis victor Statius volitabat , cum aduerſi tandem caſus nuncius , ad Vladislaum proximè degentem venit . Qui nihil moratus, ſubſidio laboranti Ludouico accurrit , cæſoque ſua manu Statij ſignifero, ordines illius turbat ,& cum plurium clade redire intra mœnia compellit. Tentauerunt mox alteram Mediolanenſes eruptionem aduerſus Henricum Saxonem , & dein tertiam contra Otthones, ſed non eo, quo prius ſucceſſu , Germanis cautioribus ex alieno periculo factis : interim tamen admirantibus , cum nullus in vrbe tam æditus locus appareret , vnde proſpectus in omnia ipſorum caſtra eſſet,vt nihilominus obſeſſi,nunquam niſi per occaſionem bene gerendæ rei erumperent. Cognito tandem ex captiuis , molem proximè ſtatiua Cæſaris erectam , vulgo arcum Romanum dictam, hanc illis proſpiciendi facultatem præbere : ſpeculatoresque ibi latere , qui certo ſigno ciuibus ad erumpendum dato , rurſum per tempus illos in tutum reuocarent. Ad eam molem illis intercipiendam Cæſar bis , & militem , & machinas admouit , vtroque conatu irrito , quoniam ciues , quo plus huic loco timebant , eo maiore vi eundem propugnabant . Quæ tamen res magis Cæſarem irritauit , quàm deterruit ab oppugnatione , quam tertiò hac ratione iniit . Iuſſit in ſingulis caſtris ad arma conclamari , tumultumq;

*Crudelitas Mediolanenſium.*

*Obſidetur vndiq; Mediolanum ad ſingulas portas Duces diſpoſiti.*

*Gualuaginus Angleriæ Comes Dux Mediolanenſium. Alexander Papa III.*

*Statius ſternit Germanos:repellitur à Vladislao.*

*Arcus Romanus ſpeculæ vſum præbuit.*

tumq; insignem concitari, vt metu ambigui periculi ciues distracti, ad mœnia totius vrbis potiùs, quàm ad vnam molem tuendam auerterentur. Quo facto potitur illa Cæsar, suorumq; præsidio eandem firmat. Amissa specula Mediolanenses, tardiores ad excursiones faciendas reddebantur, intus excubijs sine vlla quiete intenti, ne qua hostis ad ipsos penetraret, qui dormientes cum ipsorum malo excitaret. Inter hæc tædio ocij, Fridericus Regis Vladislai filius, parentem orat, vt sibi permissu eius, cum certo militum numero prodire liceat ad expugnandum castellum quoddam in quo vis magna frumenti inesset. Facta eundi potestate, iuuenis quo alacriore milite vteretur, prædam illi, si captum fuerit Castellum, distribuendam promittit omnem, ignarus multas puellas eiusdem Castelli mœnibus esse inclusas, quas parentes affinesq; villulis & pagis diffisi, in illo, tanquam loco munitiore concluserant. Quo capto milites, cum cætera præda, puellas quoque ad sacram ædem confugientes reddi sibi postulabant, vt in seruitutem illas precio distraherent. Prouocat Iuuenis ad sententiam parentis, qui ne fidem filij militibus factam læderet, neue rursus captarum pudorem proderet, quàm pulchram, quàm liberalem, atq; ante alias regiam decreuit sententiam, dicens: Se precium puellarnm militibus daturum, suoq; ære illarum pudicitiam redempturum. Videret modò filius, vt illas à contumelia quorumuis prohibeat, parentibusq; & cognatis gratis omnes restituat. Cæterùm hoc in primis malè habebat Mediolanenses, quòd cessantibus eruptionibus, in conspectu illorum, hostes, vineas & hortos belle cultos deuastarent, arbores fœlices passim succiderent, villas magnificè exstructas diruerent. Igitur multi simul in forum prouolant: Statiumq; tanquam cæteris audaciorem circumsistunt, rogantes, signum eruptioni vt daret, omnes quos adesse cerneret, vel extrema omnia subire malle, quàm tam fœdæ vastitatis spectatores viuere. Cras ille mane redire eos iubet, ordinibusq; trifariã dispartitis, tribus portis contra hostem egreditur, & quia improuisus apparuit, non paruum hostibus terrorem incussit. quo repente excusso, erupit pariter dolor & pudor, quòd non totis viribus, sed raris tantùm ordinibus ad pugnã lacesserentur, quam pugnam tamen magno animo Mediolanenses sustentabant, tantisper, quoad Statius pugnabat, vbi mox ille hasta grauiter ictus cecidit, tanta circa fuga & trepidatio fuit, vt nullo etiam persequente, fugam vsq; ad portas continuarent. In hac trepidatione, res oportuna videbatur, scalis muros tentare, quas Chaustnicus, ordinis equestris Boiemus, in hunc vsum sepositas præparatasq; habuit, vt per illas, nudatis fortè stationibus, vt tum accidit, muro conscenso, aliquẽ demitteret, qui porta ad turrim, quam marmoream cognominant perfracta, cæteris Boiemis aditũ in vrbem patefaceret, dum ipse quos potest in altum pertrahit. Benessius Lubnensis perforandis foribus, securiq; dissecandis operã susceptit, & illam peregit. Clamor protinus ab ingressu Boiemorum, domos ciuium diripientium, totam vrbem peruasit, & ex omni loco armatos excitauit, sic illis resistentibus Boiemis, vt salua præda incolumes ad castra reuerterẽtur. Paulatim inde primores ciuitatis malis fatigati, remittere animos, reprimere in Germanos iracundiam, redire ad sanitatẽ & officij rationem, salutisq; magis tandem ducere quàm frustra contra stimulũ iactare calces. Sed obsistebat vehementer pacis actionibus Gualuaginus metu amittendæ dignitatis, ad quã per tumultũ armorũ peruenerat. Eum igitur de senatus authoritate Guido Blateranus ætate grauis venerabilisq; senator in curiã aduocat: & si quę consilia, aut pellendorũ hostium, aut belli cum aliqua spe ducendi habeat, promere iubet, adijciens, Iturum vniuersum senatũ, in vnius sententiam, si per eam in libertatem, pro qua certat vrbs asseri potest. Sin id fieri posse in præsens non videat, republica in vltimũ casum planè inclinata, ne ra-

*Fridericus Vladislai Regis filius castellum expugnat.*

*Heroicum tam patris quàm filij facinus.*

*Statius in castra Cæsaris eruptionẽ facit.*

*Occumbit Statius.*

*Bohemi portam occupant cum præda salui in castra reuertuntur.*

*Guido Blateranus suadet deditionem contra Gualuaginum.*

tiones priuatas communibus anteponat, sed tempori potiùs, id est necessitati, quæ ad deditionem faciendam vrgeret, dum adhuc tempestiuũ est, vt pareat. Hactenus enim dubio Marte certatũ fuisse, vt non tam desperatione rerum extorta, quàm ex officio debito esse oblata præsens deditio videri debeat, cui hæc insuper tempestiuitas accederet, quòd Anshelmus, nomini Mediolanensium inimicissimus, pacisq; disturbator acerrimus sit mortuus. Mortuum autem hominem, ceu inter ipsos Italos iactatur, nõ solere bella amplius suscitare. At interim extare principes omnes, qui nuper ad misecordiam, pacemq; incundam per legatos Mediolanenses moti erãt, quos & nunc posse cõmouerı, si nouo quodã velut miserationis vento, per nouos oratores excitandæ misericordiæ peritos, afflati fuerint. Nam quod ad te Gualuagine, inquit, pertinet, qualiscunq; futura erit respublica, vtiq; dedita melior, quàm capta, præsertim à crudelissimis, nationiq; Italicæ infestissimis hostibus, tu in illa, perpetuo omnium nostrorũ consensu, dignitatẽ tuam incolumem obtinebis. Quo ille audito, dicere contrà aliquid, aut de belli rationibus differere supersedit, inquiens se in potestate Senatus, siue pacem, siue bellũ decreuerit, fore: in hoc tantùm hærere, vtrũ magis in rem conduceret, ad Cæsarem ne statim legatos mittere, an potiùs deprecatorẽ prius aliquem ad illum allegare, qui ex ferocı faceret mitiorem. Ad quã rem appositissimus illi Rex Boiemię esse videbatur. Ad eum igitur Senatores Mediolanenses quatuor, cõmeatu impetrato in castra veniunt, & ante pedes eius procidentes, manus tendunt, orantq; vt patrocinium ipsorũ de concilianda apud Cæsarem pace suscipiat, ad quaslibet conditiones accipiendas paratos esse, ne pulcherrima totius Insubrię ciuitas, cum tanta multitudine ciuiũ, miserandum in modum cadat, deleaturq;. Largiter olim, ac multò grauius nempe aduersus ipsum Deum, Niniuitas peccasse, veniam tamẽ admissorũ cum salute ciuium ciuitatisq; impetrasse, vbi eos scelerum pœnituit: vt nunc ipsos perfidiæ, rebellionisq; pœnitet, pudetq; & piget. Rogare itaq; per misericordiam Dei, qua nihil in homines benignius, Regem, vt publicam Mediolanensium fortunã miseraretur, ipsosq; apud Cæsarem in gratia reponeret, gratiã pro gratia relaturus. Rex postulata Mediolanensiũ ad Cæsarẽ refert, atq; ille Senatu principum cõuocato, quid de his postulatis fieri placeat, sententias ordine rogat. Ad pacem fastidio longioris obsidionis, maiore principũ parte tendente, Cæsar, quanquã inuitus, & ipse coactus est illam approbare: cõplures enim Principes, sumptu suo, non aũt Cæsaris stipendio in ea militia merebant, quare suũ etiam arbitriũ in illa facienda valere aliquantum voluerunt. Hæ aũt conditiones à Cæsare Mediolanensibus oblatæ sunt. Vt trecentos obsides darent. Vt Laudensibus de omni iniuria illata satisfacerent. Vt Palatia Mediolani, & quæcunq; præterea Cæsarũ alia ædificia illorum violentia, aut negligentia collapsa instaurarẽt. Vt captiuos Papiensibus & Cremonensibus sine mora gratuitò restituerent. Vt ne amplius ciuitatibus, oppidis, castellis ditioni Cæsareæ subiectis vllo maleficio nocerent, néue domi Senatores ex corpore suo quenquã, nisi voluntate assensuq; Cæsaris deligerent. Præfectum deniq; ne alium haberent, quàm eum, quẽ Cęsar in singulos annos vrbi præficeret. Cum his cõditionibus Pragensis & Bambergensis Antistites, vt illarum interpretes populo quoq; fierent, (nam vterq; sermonis Italici gnarus erat) Mediolanum missi, retulerunt ab omnibus illas esse acceptas. Quos mox consequuti sunt duodecim vrbis Senatores, pœnitentium habitu, saccis induti, pedibus nudi, mœrore obscuri, facie & barbis squalidi, strictosq; singuli enses collo suo sucollantes, quasi statim decollandi. Hoc enim gestu in genua procubuêre, collaq; velut ad feriendum sustulêre. diuq; sic ad geniculati prostratiq; durabant, antequã Cæsar claues portarũ vrbis, per quas tui, vrbisq; meram ac plenam possessionẽ offerebant, ab illis reciperet: attinuitq; eosdem in ca-

*νεκρὸς ὁ δάκνει*
*Homo mortuus non fa guerra.*

*Mediolanenses Rege Bohemiæ deprecatore & intercessore vtuntur apud Cæsarẽ.*

*Deliberatio Cæsaris.*

*Cõditiones pacis propositæ Mediolanensibus.*

in castris, donec ipse Triumphantium more vrbē ingrederetur, Senatoribus ceu captiuis ante currum actis. Gualuagino per tempus mœnibus effugiente, ne quod nollet spectaret, aut ignominiæ alicuius particeps fieret. Postridie eius diei Cæsar, insigni equo paludatus, assumptaq; corona auro & gemmis resplendente, quam ei Rex Angliæ dono miserat, Templum, in quo Archiepiscopus vrbis sacra solemnia obibat, introijt. Quo peracto, Senatores cum magna ciuium multitudine, quæ præsto erat, iurare fidei sacramentū adacti sunt, se fideliter omnia facturos, quę Cæsar imperauerit, nec vnquā defecturos ab imperio illius. Post hæc capite depositā corona, illam ad Regē Boiemiæ transfert, inquiens: Ad te Vladislae coronæ huius decus, donumq; iure pertinet, qui præsentis victoriæ & caput, & pes fueris. Sed & cæteros Principes pro meritò quemq; suo lautè remunerauit. Archiepiscopo verò Colonienſi permisit, vt trium Magorū corpora inde Coloniam Agrippinam deportaret. Ex eodem templo Vladislaus candelabrum æreum adfabre factum, quod Solomonis fuisse fertur, largitione Mediolanensium, cum decies præterea mille nummis aureis, Pragam ad ædem sancti Viti asportauit, donatis largè quoq; ante discessum militibus suis, qui Abduam flumen primi transierunt: tum qui murum conscenderant: dein qui portam reserarunt, aut armillis, aut torquibus, aliquos etiā nouis insignibus, & quo præcipuè honore milites gaudent, equestri auratāq; dignitate. Nam & ipse rex insignia regni vetera, nempe Aquilam atram, permutare cū Leone suluo passus est. Quoniam Leoni maius quàm Aquilæ fortitudinis signum inest. Accidit q; res tum ridicula, pictore fortè Leonem in vexillo ita adpingente, vt caudam intra fœmina sulcaret, quasi cauda planè truncus, quē Boiemi intuentes, Et vbinam cauda? inquiunt, nónne hæc Simię turpis bestiolæ, magis quàm generosi Leonis imago? rursusq; Aquilam contempto huiuscemodi Leone requirebant. Quo Cęsar comperto, in risum solutus, pingi Leonem album in vexillo rubro iubet, non vna tantùm, sed cauda duabus in altū porrectis conspicuum, qualem in hunc diem Boemi pręferunt. Diplomaq; eiusdem Cæsaris aureo signo obsignatum, in archiuis asseruant, in quo planè diserteq; nominantur, à quibus rex Boiemiæ coronari debeat. Nā antehac Moguntinus Archiepiscopus id munus sibi arrogabat. Verba Cæsaris ex diplomate descripta, huc reposuimus. Sicut itaque celebratio & impositio coronæ nostrę nō debet fieri nisi per manus Archiepiscoporum: ita præfato Duci Boiemiæ, à nullo hominū circulus imponatur, nisi à dilecto nostro Daniele venerabili Pragensi Episcopo, Ioanne Olomucensi Episcopo. Quòd si fortè Olomucensis defuerit, nihilominus Pragensis, pro sede & dignitate excellentiori, vices compleat amborum. Similiter autem Olomucensis, si fortè Pragensis defuerit. Eumq; adeò morem, sic perpetuum incorruptumq; Boiemi vel hodie retinent, vt dum nuper Ludouicus Pannonię Rex, Dyademate quoq; regni Boiemiæ inaugurandus esset, eiusq; rei gratia, duo fratres germani Tursones, Ioannes Vratislauiensis, Stanislaus Olomucensis Episcopi, Pragam venissent, cupereteque Stanislaus natu iunior, Ioanni tanquam fratri seniori de loco functioneque sua concedere, vehementer proceres nobilitatis resistebant dicentes, vbiuis alibi in locis priuatis se facilè sustinere posse, vt fratres inter se ætatum, officiorumque & honorum discrimina vsurpent, at in publico munere defungendo, publicum decus personarum à maioribus acceptum, non esse commutandum. Vladislao Pragam cum ingenti gloria reuerso, significatur, ipso absente, Sobieslaum filium Sobieslai Principis, tumultu in Morauia susciteto, vrbem Olomucium fœdè direptam occupasse, occupatamque in hanc diem possidere. Maiorem hæc indignationem quàm curam iniecerant, Rege indignante, quòd labore & itinere defesso, ne domi quidem requiescere liceret. Vt igitur hac modestia quàm

*Triumphans Fridericus Mediolanum ingressus.*

*Sacramentum fidelitatis exigit Cæsar.*

*Honor Regi à Cæsare habitus.*

*Militibus præmia distributa.*

*Insignia regni Boiemiæ mutata.*

*Cui concessa sit auctoritas coronandi Regem Bohemiæ.*

*Sobieslaus Sobieslai principis F. Olomutium diripit.*

primum leuaretur, cum tumultuario milite in Morauiam pergere accelerat, positisq; ante Olomucium castris, in tantum pauorem Sobieslaum conijcit, vt desperata defensione, nihil aliud à Rege per Otthonem & Conradum patrueles petierit, quàm vt sibi vna saltem arx in Boiemia attribueretur, quæ vagum tecto reciperet, ac rerum egentem aleret. Datum responsum, curaturum Regem, quum in Boiemiam redierit, vt Sobieslaus ibidem arcem consequatur. Ea arx Prinda fuit, in quam captus vinctusq; deductus est, & per longum annorum spacium custoditus, priusquam ope Cæsaris libertati restitueretur. Adduxerat secum Rex architectum ex Italia, fabricandis pontibus egregium, iam dudum meditans, ponte lapideo, Vltauiam prope mœnia, maioris minorisq; Pragæ, latè exspaciantem coniungere. Firmitatis inprimis, & vtilitatis, dein venustatis quoq; habita ratione, quæ quidem omnia ad extremũ consequutus est, artificio & diligentia architecti, qui ita vt oportuit, factum, & curatum opus dedit, quatuor & viginti pilas, fornicesq; in latitudine complexum. Sed interim dum fundamenta adhuc illius iaciuntur, noua rursus Mediolanensium rebellio, Vladislao, ab ipso Daniele Præsule, quem sibi multis officijs Cæsar commendatum in Italia retinuerat, significatur.

*Prinda arce captiuus includitur.*

*Pons Pragæ supra Vltauam mirãdi operis extractus.*

*Boleslai Distorti filij.*
- *Vladislaus II.*
- *Boleslaus Crispus.*
- *Miecislaus Senex.*
- *Casimirus.*

[a] *Hic est Henricus Episcopus Olomuzensis vel Henricus Regis frater, pòst Episcopus Pragensis, ille verò auunculus Regis.*

[b] *Expeditio Hierosolymitana Lucio & Eugenio Pont. Max. Procurata maximè vero à sancto Bernardo Abbate Clareuallensi. Anno 1146. Nomina dedere potissimi orbis Christiani Monarchæ.*

[c] *Manuel Comnenus sororem vxoris Conradi Cæsaris habuit coniugem, quam Irenen dicunt proditoria perfidia veneno immissum exercitum concidit liuore ductus Imperatoris Occidentis.*

[d] *Henricus V. sororem Boleslao Distorto, filiam Christinam Vladislao filio coniuges tradidit. Hic à fratribus regno eiectus ob affectatam portionẽ reliquorum fratrum faces addente Christina coniuge, de cuius superbia multa scriptor Polonus.*

[e] *Sueno rex Daniæ Erici quinti filius, vel Canutus Nicolai nepos, qui de regno Friderici tempestate certabant.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER TREDECIMVS.

PApiæ tum Cæsar hyemabat, nequaquam ocio deditus, sed rerum suarum satagens, id curabat, vt prætores in suũ nomen iuratos, per ciuitates Insubriæ, Lombardiæq; constitueret, factiones in illis comprimeret, iudicia ad leges reuocaret, omnemq; deniq; armorum in vtraq; regione cautam, tumultumq; tolleret. Eiusq; rei gratia legatos ad singulas ciuitates insigniores mittebat. qui Mediolanum diuerterant, vt viderunt Gualuaginũ reuocatum, restitutumq; in Senatu Principis authoritate præsidere, ad Senatum se, à Cæsare institutum, aiunt, & ad Prætorem vrbis missos, ac præterea ad neminem alium. Si senatus ipsis legitimus datus fuerit, mãdata se Cæsaris exposituros: sin id minus fiat, reuersuros vnde venerint. Magnus ex hoc animorum motus factus, non in curia modò, verùm etiam in foro, ita vt parum abfuerit, quo minus legati à promiscua turba lapidarentur.

*Mediolanenses denuò Cæsari rebelles.*

darẽtur. Qua re plurimùm offensus Cæsar, delectũ rursus per Germaniam & Italiam habet, vt redintegrato bello, perfidiosos, insidiososq; & fallaces ciues quàm acerrimè persequatur, seuocatoq; Daniele cum eo agit, vt negotium suscipiat, eatq; in Boiemiam ad persuadendum Regi suo, vt vel ipse sociam militiam repetat, vel subsidia se digna in illam suppeditet. Eodem tempore Hungariæ Regina, post obitum Geysæ Regis, vidua cum filio pupillo, cui Stephano nomen, relicta, & ipsa auxilia contra discordes Hungaros, regnumq; ad alterũ Stephanum Belæ filium trahentes, ambiebat affinitatem, Vladislao per sponsalia offerens, per quæ filiam suam Stephani sororem, filio Vladislai Suatopluco despondebat cum ampliſſima dote. In vtramq; partem nutantẽ, & vtrisq; satisfacere cupientem, quando vtrobiq; rem sibi & decori, & emolumento, & præsidio futuram perspiciebat: hanc tandem rationem à Daniele non improbatam, Rex secutus est, vt Fridericum filium, adiuncto ei Theobaldo fratre cum auxiliaribus copijs ad Cæsarem proficiscì iuberet, ipse curam belli Pannonici in se verteret, quę magna instabat aduersantibus pupillo Hungaris bellicosissimis, qui Czæcli cognominantur, & ab illis stantibus Græcis, qui cum Manuele Cõstantinopolitano imperatore suppetias ferebant. Hi omnes Tibisco amne traiecto, antequam Vladislaus Hungariam ingressus esset, tãtum alteri Hungarorum factioni metum obiecerunt, vt trans Danubium castris motis, vlteriorem ripam ambigui trepidiq; obsiderent. Superueniens Vladislaus hanc illis trepidationẽ excussit, confirmatis illorum animis robore equitum peditumq;, quos ex Boiemia & Morauia adduxerat & ad hoc persuasis, vt in citeriorem ripam ad vetera castra redirent, hostemq; ibi opperiri, vel porrò aduersus illum progredi non dubitarent, cum repentè Czæcli, per turmas cõglobati, latissimaq; fronte explicati, se primi ostendunt, eosq; sequebantur, quos Albanesos vocant. In vtroq; se Hungarorum equitatus acriter cõcitat, primoq; concursu æquis viribus rem agit, dein adeò impetum remittit, vt nisi agmina illius extrema equite Boiemorum cataphracto firmata fuissent, haud dubiũ erat, quin fuga & clades ingens accipienda fuerit. Sed ita vrgebant Boiemi Morauiq;, & præ se Hungaros agebãt, vt nullam nisi in pugna, quam & ipsi fortissimè pugnabant, spem illis relinquerent, donec auersi Częcli, Græculiq; retrò ad aciem & castra effuso cursu ferrentur. Stabat enim Manuel acie pedestri instructus ante castra. Instruxerat ex suis quoq; Vladislaus similiter suam aciem, similiterq; loco non mouebatur, postquam nemo erat qui eum lacesseret, aut quia defunctum se periculo illius diei arbitrabatur. Postero die Rokyta miles Boiemus, iam inde ab expeditione Hierosolimitana à Conrado & Principibus Germaniæ facta, sub Manuele militans, eidemque ob industriam probatus, specie transfugæ in castra Boiemorum transfugit, perductusque ad Regem habere se ait, quæ referenda ad illum, sibi data à Cæsare Constantinopolitano sint. Iussus illa referre: Non, inquit, eo animo se in Hungariam Cæsar veniſſe dicit, vt litem duorum Regulorum vi & armis dirimat, alioqui tota acie heri certaturum fuisse, si pugnæ auidus esset: sed cum alter illorum in causa regni ad Cæsarem prouocasset, æquum iudicasse, causam illam à se cuius interſit esse cognoscendam: complures namq; regiones, quæ imperij Constantinopolitani fuerint, Reges Hungariæ sibi vindicare, si quid interim præter ius ab vllis turbatum sit, id aliorum temeritati assignari debere: nec enim ad nutum dominorum, præsertim in expeditionibus, omnia fieri ab ijs, quos secum ducunt. Sed nihil adhuc tamen eiusmodi interceſſiſſe quod impediat, ne controuersia sine sanguinis profusione componatur. Videri autem Cæsari, quòd Stephanus Belæ, vti natu maior, Stephano minori debeat anteferri. Hæc tantùm Rex ad ista respondit. Non hîc ætatis certamen, sed successionis esse, quam sibi nemo vindicare, nisi suus legitimusque

*Daniel Episcopus sollicitat apud Boemos Cæsari auxilia.*

*Fuit hæc Minoslai Rutthenorum Principis filia.*

*Rex filium Cæsari suppetias allatum mittit, ipse bellũ Hungaricum suscipit.*

*Bellum Vladislao Regia in Hungaria pro Stephano Geysæ II. filio.*

*Rokyta Græcum Cæsarem Regi conciliare studet.*

*Hungari possident multas Græci Imperij prouincias.*

*Lis inter Reges Hungariæ amicè composita.*

hæres potest, hac salua, de cætero facilè transigi posse. Quemadmodum mox incredibili vtriusq; partis voluntate transactum est, vt filius Geysæ Regis regnaret: patruus autem portionem, quam sortitus est, sibi retineret. Tantæ autem existimationis apud Manuelem fuit Vladislaus, vt vltrò conspectum congressumq; eius expeteret, cuius voti factus compos, maiore adhuc præsentis, quàm absentis admiratione captus est, existimauitq; sua necessitudine dignissimum, qua vt in perpetuum sibi suisq; illum deuinciret, Petro nepotulo suo, Vladislai ex Friderico neptim in matrimonium dari impetraret. Sponsam futuram præsenti statim arrha, nempe purpura, cocco, & gemmis preciosis subarrans, sed munificentiam reginæ Hungariæ, qua erga Vladislaum & Suatoplucum generum suum vsa fuit, nullis muneribus potuit exæquare. Porrò Fridericus Cæsar in obsidione Mediolanensi, multò quàm prius terribiliorem, crudelioremque se vrbi exhibere, nulli eius ædificio parcere, loca sacra profanaq; machinis & tormentis prosternere, nullumq; tempus satis tutum, strata rursus erigere cupientibus pati: neminemq; ciuium capere, sed cõfestim obuium quemq; interficere, totus denique ad excidium totius ciuitatis animo obstinato vergere, exclusis omnibus deditionis conditionibus. Per proditionem tandem ludæorum vrbe potitus, illam diripiendam, exurendamq;, ac solo æquandam militi tradidit, ducto super ruinas aratro, sale inspersо, non ad cõdendam deuuò Mediolanum, sed ad sepeliendam, solitudineq; & sterilitate damnandam tali sulco vsus. Gualuaginus author rebellionis, & dux belli, dum audentiùs in armis resistit, vulnere accepto interceptus est, atq; iræ Cæsaris adhuc flagranti oblatus, triduoq; sub mensa in modum canis detentus, & crebris flagellis cæsus, quarto dein die in Germaniam perpetuo carcere punien-
dus, ab ijs quibus datum negotium, deducebatur. Friderico Boiemo inde amplis varijsq; cum spolijs domũ ad parentem remeante, sed absq; Theobaldo & Daniele, quorum alter sua sponte illic substitit cupidine militiæ continuandæ captus: at Danielem Cæsar, quoniam sæpius opera eius vtebatur, à se non est passus abscedere. Erat enim in multo sermone, nimia hæc illius in Mediolanenses sæueritas, quæ nimium illi negocium allatura videbatur, nimis multis occasum tantæ vrbis, sæuitiamq; in ciues deplorantibus, ob eamq; rem ad defectionem respectantibus. Accessit in cumulum simultas cum Alexandro pontifice Romano, & talis propemodum contentio, qualis quondam inter Iulium Cæsarem & Pompeium magnum viguit, dum ille superiorem non tolerat, neq; hîc parem sustinere potest, vnde compares etiam ferè motus in republica Christiana exorti. Quippe Cæsar pulso Roma Pontifice, vt ille olim Pompeio, omnem quasi Romanæ Ecclesiæ ditionem occupauerat, Alexandroq; legitimo pontifici æmulum, primò Victorem: hoc mortuo, Paschalem: dein Calistum, pòst Innocentium opposuit, qui tamen omnes immatura, execrabiliq; propter infamiam schismatis morte perierunt, superstite Alexãdro, qui exulabundus ad Regem Philippum in Galliam perfugerat. Ibiq; in perfugio Clarimontis concilio habito, Fridericum anathemate ferijt, nulloq; timore de hac sententia dimoueri potuit. Imò per hanc perseuerantiam Cisalpinæ Galliæ populos in tantam libertatis spem erexerat, vt arma resumerent, præsidiaq; Cęsaris ex arcibus illius & munitionib. deijcerent, ac nouam vrbem conderent, de nomine pontificis Alexandriam nuncupatam. In quã millia quindecim Colonorũ, ex omnib. eius regionis ciuitatibus deducta sunt. Talis deniq; huius perseuerantiæ fuit exitus, vt Cæsar repressa tandem iracundia, cum Pontifice rediret in gratiã, eiq; omnia Ecclesiæ bona intercepta restitueret, ac cõmuni deinceps consilio Rempublicam Christianam ambo administrarent. Inter quæ, tam Theobaldus frater Vladislai, quàm Daniel Præsul Pragensis, in Italia fato concessêre: prius Theobaldus mortuus, aura sibi Italica nõ valde aspirante,

*Pax facta fœdera sancita cõnubijs confirmata inter Græcum Cæsarem & Bohemiæ Regem.*

*Vrbs Mediolanensis à Friderico Cæsare funditus euersa. Anno 1163.*

*Fridericus Regis filius domũ reuersus Theobaldus Regis frater & Episcopus in Italia manent.*

*Bellum inter Pontificem & Cæsarem simile bellis ciuilibus Cæsarianis & Pompeianis.*

*Antipapæ à Cesare creati. Papa fugit in Galliam. Alexandria in perpetuam Friderici Cæsaris ignominiam condita.*

*Mors Episcopi et fratris Regis in Italia.*

ſpirante,corpus eius,vt rogabat.Clatouiam Boiemiæ oppidum delatũ,in Cœnobioq; conditum,in quo ille ſodales Dominicaſtros inſtituit. Dein ex peſte ſæuius Romæ graſſante,Daniel obijt.Huius quoq; oſſa,ſed longiore pòſt tẽpore,ambitu affinium magis quàm religione,Pragam perlata ſunt.De ſucceſſore eius inter tres ambigebatur, quiſnam illorũ deligeretur. Petrum & Ioannem Boiemi,vt potè ambos Boiemos fouebant.Regina autem pro Friderico Saxone, propinquitate quadã ſibi coniuncto, acriter certabat: & cum nullo pacto obtinere poſſet,vt exrernus domeſticis pręponeretur,flexit orationem ad preces,quodq; iure non potuit,per gratiam Friderico impetrauit,vt Pontifex inauguraretur. Nam aliâs hunc bolum omnibus iſtis filius regis Albertus eripuiſſet, ſi antea non fuiſſet ad Salcemburgenſem Archiepiſcopatum tanquã ad merendam meratiorem inuitatus.Paulatim inde rex ætate ingraueſcente, curis regni,& laboribus prægrauari,ſecumq; meditari de onere tam graui vel deponendo,vel alleuando,idq; cum fieri poſſe,niſi aliquo in ſollicitudinis partem admiſſo,non videret,ad Vogiſlaum,quem pręter cæteros proceres beneuolentia proſequebatur, grauiorem negotiorum molem conuertit, additis cum quibus conſilia actionesq; communicaret. Ipſe extructo ſibi in Strahouienſi ſeceſſu conclaui,in eo velut in oportuno diuerſorio cum cœnobitis diuerſatus eſt, laudans ſubinde [b] Manuelem Bizantium Cæſarem,quòd depoſito imperio,vitam monaſticam ſecutus fuerit.Cæterùm breui tempore Vogiſlaus, magnam in ſe multorum, inter quos Suatopluci quoq; regis filij, inuidiam cõflauit,propter benignum & largum erga ſe regis fauorem, ex re bene adminiſtrata conceptum, adeò vt idem Suatoplucus obuium ſibi eum ante cubiculum regium habens,eiuſmodi verbis inuaſerit: Quouſque tandem regnum ſpoliare per regias largitiones abs te extortas non ceſſabis? Quoad,inquit,tu rex deſignatus non fueris. Quo ille reſponſo irritatus, ſtringit pugionem,& fugientem in cubiculum,rege coram,ſauciat,nemine in illum injjcere manum auſo,quanquam rex comrpehendi illum iuſſerit. Sed nunquam dein de in cõſpectum regis Suatoplucus venit, aliquamdiu in Hungaria apud Stephanũ regem,poſthac vxore mortua in Bauaria apud Albertum fratrẽ ſuum, vſq; ad exitum vitæ commoratus. At rex ocio,& ſeceſſu Strahouienſi,vel primoribus tantùm labijs deguſtato, abduci ab illo ne hoc quidem incõmodo accepto,potuit, ſed regno potiùs toto cedere Friderico filio maluit,non omnibus conſilium illius comprobantibus:non quòd Fridericus ſucceſſione parum dignus eſſet, ſed quòd vnum regnum, duos reges alere vix bene poſſet, quodq; duobus ſeruire dominis videretur difficillimum.Atq; in hac hominũ diſtractione,ſtatus quoq; regni diſturbari cœpit, patris filijque authoritate apud ſubditos indies magis ac magis elangueſcente. De qua re certior factus Vdalricus frater Sobieſlai, quem in arce Prinda Vladiſlaus vinctum detinebat, imminere cupiditate ad regnum incepit, Cæſaris maximè gratia fretus. quam ſibi aſſiduitate ſua,qua toto decennio,quo frater carcerem triuit,caſtra illius aſſectatus fuerit,in tantum conciliauit,vt diceret ſua ſponte Cæſar,ſe omnia eius cauſa velle,peteret modò,ſi quid concupiſceret: In præſens,inquit, hoc cupio,vt ſolutum vinculis fratrem videam.Cæſar laudata fraterna pietate, dat confeſtim ad Vladiſlaum literas de laxando dimittendoq; Sobieſlao, non tamen dimittebatur.Dat rurſum alteras,vt Norenbergam ad cõuentum principum veniat. Tum ille Sobieſlaum miſſum facere, quàm ſe de ſeceſſu ſuo mouere maluit. Quum ſordidatus Pragam adductus eſſet Sobieſlaus veſte attrita, barba promiſſa, capillo deorſum longè dependulo, templum primò honori Domini & amicis eius conſecratum, ingreſſus ad aras, Deum adorauit, magna ſpectantium miſeratione, qui immundam eius, & ſqualidam fortunam miſerebantur. Inde ad regem iter flexit, offenſionis cul-

*Fridericus XV. Epiſcopus Prag.*

*Albertus frater Regius Archiepiſcopus Salzburgenſis.*

*Rex Vogislao Regni adminiſtrationem dalegat.*

*Vogislaus inter gritate ſua Suatoplucum Regis filium hoſtem habet.*

*Pugione ledi-tur.*

*Suatoplucus in exilium concedit.*

*Fridericum filium Rex viuus ſucceſſorẽ declarat, tota illi cõceſſa adminiſtratione.*

*Multos offendit.*

*Vdalricus Sobieslai frater capti decennio Cæſari ſernit. liberari petit fratrem.*

*Sobieslaus carcere dimiſſus.*

*Gratias Deo Regi eiusque filio agit ob liberationem Sobieslaus.*

pam deprecaturus, à quo leniter & clementer acceptus. Non eadem humanitate à Friderico filio accipi visus est, propterea quòd manum illi, cum forte ex dolore eius laboraret, non porrexerit. Tametsi verò satis de illo dolore pluribus constaret, nō deerat tamen calumnia, quæ in aulis regum magna vi regnat, Fridericum insimulans, quòd solutioni libertatique Sobieslai inuidens, eaq; re tanquam æmulum auersans, salutare eum manu dignatus non fuerit. Et quasi iam exploratas haberēt insidias, orabant Sobieslaum, vt sibi à Friderico caueret, ne ab eo luminibus priuaretur. Subducit ille se per tempus, & rectà ad fratrem ire festinans, comitantibus illum nonnullis Boiemis mutationis rerum cupidis, totam Cæsaris aulam fabula confictæ de Friderico suspicionis complet, nouamq; rursus, tam in Vladislaum, quàm in Fridericum concitat inuidiam. Ad hanc sedandam, simulq; impetrandum, vt regimen à patre in filium translatum, per Cæsarem confirmaretur, Fridericus Præsul Pragensis, & Vanico Melnicensis Comes oratum missi, aliud exorare nequiuerunt, nisi vt rex Vladislaus, vel ipse regnum continuaret, vel daret liberam Boiemis eligendi successorem potestatem. Non enim dubitabat, quin aut Vdalricum, aut Sobieslaum illi legerent, quos ambos ita sibi fœdere addictos habuit Cæsar, vt quæ ipse vellet, illi facerent. Iniunxit tamen vtriq;, vt Vladislao, eum quem regem deceret, honorem perpetuo haberent, eidemq; omnia liberaliter suppeditarent, quibus ad vitam quam delegit, sustentandam opus foret. Qua conditione tanquam degenere vti ille noluit, sed de ingratitudine Cæsaris & inconstantia inter suos questus, quòd spretis veteribus amicitijs indulgeret nouis, in Lusatiam ad regionem Budisinensem, & ad alios Iudith vxoris suæ fundos dotales cum gaza regia, Premyslaoq; & Vladislao filijs migrauit, abducens secum vxorem quoq; Friderici filij, quem petijt, vt & ipse tempestati ad tempus cederet potiùs, quàm pro regno cum multorum bonorum exitio pugnaret. Si se auguria non fallerent, augurari diuturna hæc non fore, ipsumq; per amicos, quos sibi nunc incolumes seruauerit, in suum locū cum maiore gloria restitutum iri. Ita Fridericus, voluntarium in Pannonia apud Belam regem affinē suum subijt exilium. At Vladislaus rex in secessu suo, non amplius quàm menses quatuor superstes fuit, studiosissimus vsq; ad mortem religionis amplificandæ. Nam præter cœnobium Strahouiense, in quo sepeliri voluit, Plassense insuper & Teplicense à fundamentis excitauit, dote omnib. assignata quàmamplissima. Hic rebus Boiemis quinq; & triginta annis præfuit. Rursus deinde Interregnum propter crebram principum mutationem fuit. [c]Nam Vdalricus regnum sibi à Cæsare delatum, celeriter ad Sobieslaum ceu fratrem ætate priorem rranstulit, & is principe loco contentus, ad regiam dignitatem nimis sumptuosam, præsertim ærario omni pecunia exhausto, Boiemisq; per tributa planè exinanitis, aspirandum sibi non putauit. Sed principatum quoq; malo auspicio est auspicatus, à cæde præfecti arcis Prȳndæ facto initio, quem Pragam ad se vocatum, sua manu interfecit, doloris magnitudinem facinori prætendens: grauissimè enim præfectus eum in carcere habuisse ferebatur. Sed cum neq; hoc prætextum ad abolendam cædis infamiam valere sensit, ad publicam vsq; pœnitentiam se demisit, Friderico Præsuli se prosternens, facinus admissum cum gemitu deplorans, Dei misericordiam communibus cum illo precibus deprecans, cognatis pro homicidio satisfaciens, atq; ita demum fidem fecit, vi doloris & iniuriæ victum se peccasse. Circa idem tēpus Gualuaginus corruptis custodibus è durissimo in Germania carcere euolat, habituq; rusticano, ad Insubriam suam redit incredibili omnium Insubrium lætitia: quia præter omnem spem hoc illis obtigit, vt amissum & iampridem à multis deploratum, incolumem reciperent ducem, sperantes cætera quoq; per illum, quæ deerant, se recuperaturos: atque

*Aula Cæsaris concitata aduersus Regem et Fridericum.*

*Fridericum Cæsar confirmare non vult.*

*Rex cōcedit è Boiemia in Lusatiam.*

*Fridericus ad Belam III. Vngariæ Regem.*

*Vladislaus Rex religioni addictißimus regnauit annos 35. obijt Anno 1174.*

*Interregnum.*

*Fridericus interrex I Vdalricus Interrex II.*

*Sobieslaus Interrex III. sua manu præfectum Prindensem interfecit.*

*Pœnitentiam agit.*

*Gualuaginus carcere elapsus Mediolanum repetit.*

*Calumniæ in Fridericū confictæ.*

ante

ante alia omnia vrbis Mediolanensis veterem ſtatutũ, cum noua eius inſtauratione, ad quam exequendam, non cogitatione ille & cura tantùm, ſed labore inſuper & impenſa, omnium vicinarum ſociarumq; ciuitatum adeò incubuit, vt breui opera eius opus inſigne extaret. Sed non tamen illud Cæſarem perinde atq; ipſa Genua rebellis commouit, ad cuius vrbis expugnationem cum Boiemiæ princeps ex promiſſo de copijs auxiliarijs appellaretur, ambo fratres delectũ militum habuêre, tardè nomina dantium, quoniam longam, & ſub tenui ſtipendio propter inopiam ærarij, militiam inſtare videbant: donec Vdalricus, qui ſe ducem agmini in Italiam ituro offerebat, ſpem ingentis prædæ omnibus oſtenderet, vbi primùm Italiam attigerint. Hanc ſpem prom ptiùs quàm ducem ſequentibus, in Boiemia ſtatim rapto viuere incipiunt, eandemq; licentiam rapiendi per Bauariam uſq; ad Sueuiam retinent. Ibi Vlmæ oppido benè opulento dum appropinquant, Legatos oppidani obuiam mittunt, Boiemos orantes, vt ſine maleficio & iniuria agros illorũ tranſeant, id niſi fiat, vereri ſe, ne res ad arma & cædem veniat. At illi, non ſolùm à legatis, ſed à duce quoque ſuo eadem prohibente, manus ægrè abſtinent. Conclamatur igitur in oppido ad arma, ſimulque agreſtis turba armatur ad conſerendam cum Boiemis pugnam, in qua paulò minus trecenti Boiemorum deſiderati ſunt. Mox gentes Alpinæ ſimiliter rapinis vexatæ, bonam præterea illorum partem decerpſerunt. Ita aduentus Vdalrici cum conciſo & lacero agmine, non admodum gratus Cæſari fuit. Perſeuerauit tamen Vdalricus in caſtris Cæſaris ad tertium menſem, quo poſteaquam Genua capta eſt, accepto commeatu domum inglorius repedauit. Octo enim tantùm comites eum ſunt comitati, cæteris omnibus furtim palamque dilapſis, aut occiſis. Qui in Boiemiam profugerant in eos diligenter inquiſitum, & circiter ſeptuaginta reperti, ſuſpendio vitam omnes finire coacti ſunt. Interceſſerat tunc diſſenſio inter Henricum Auſtriæ principem, & Conradum Znoymæ Marchionem, vſque ad mutuas excurſiones, populationeſque, in quibus [d] Henricus ſuperior habebatur. Sed non deſtituit auxilio Conradum Sobieſlaus, amboque Auſtriam ingreſſi, oppidum ibi Rhetium expugnant, diripiuntque, ac terrore & fuga circum omnia complent. Opponit mox illis aciem Henricus, in prælioque malè acceptus, ſeorſum ab alijs fugæ ſe mandat, ad arcem ſuam bene munitam, ſed per pontem peſſimè concinnatum celerans: quo interrupto cadit cum equo, crureque fracto, tertium poſt diem ex dolore moritur, magna cum inuidia Sobieſlai apud Cæſarem & alios Germaniæ Principes. Quam rem vt ex literis amicorum & quibuſdam eorum internuncijs accipit Fridericus, erigit animos, ſeque ad dignitatem recuperandam confirmat, ac mox in Bauaria ad fratrem ſuum Albertum properat, vt per eum ſibi, ſuaque item opera, fauorem & beneuolentiam principum colligat, quos gratia apud Cæſarem maximè pollere ſciebat. Interim Sobieſlaus aliud facinus Cæſari æquè intolerandum deſignat. Diſſidium inter duos fratres de regno Hungariæ erat: quorum Emericus ad Sobieſlaum confugiens; fidem eius implorabat, vt eiuſdem fiducia ſecurus ad Cæſarem perueniret, tanquam ad vltimum regum Chriſtianorum perfugium. At ille captum hoſpitem, reduci in Hungariam ad fratrem iuſſit, quod certè, vt erat indignum, ſic etiam videbatur omnibus, Cæſari præterea minimè talem ferendum, qui ad ſe cuiuſquam profectionem impediret. Itaque placuit Sobieſlaum ad concilium principum vocari. Morbum ille iurare, quàm venire maluit: ideoque præſentis Friderici ratio ibi habita, ad eumque principatus Boiemiæ à Cæſare per vexilla, more ſolenni delatus eſt. Sed quia deerant armati milites, qui eum Pragam deducerent, profectio in aliud tempus dilata fuit. Nam Sobieſlaus obſeſſis omnibus vijs ad Hercyniam ſyluam, qua Fridericus tranſiturus erat, armis ſe tueri

*Genuâ Cæſari contumax.*

*Vdalricus auxilia Cæſari fert.*

*Præda dulcedine deliniti Boemi certatim nouma dant.*

*Vlmæ & in alpib. malè multati Bohemi.*

*Captâ Genuâ Vdalricus cum comitibus reuerſus, in deſertores ſeuerè animaduerſum.*

*Bellum inter Henricum Auſtrium & Cõradum Morauum.*

*Sobieslaus Cõrado fauet.*

*Henricus in ponte Captus moritur. Anno 1177. Hic fuit primus Dux Auſtriæ.*

*Fridericus regnum repetit In aulam euocatur Sobieſlaus.*

*Fridericus inueſtitur regno Bohemiæ à Cæſare.*

*Sobieslaus impedit Friderici ingreſſum.*

decreuerat. Inter hanc dilationem tædio moræ, miles sine mercede militans de stationibus dissipatur, & concordia quæ Sobieslao cum Cõrado Marchione fuit repentè scinditur, seque cum Friderico coniungit, iam cum fratre suo Alberto difficultates per viam impeditam omnes superante, Pragamque iter cœptum magna celeritate continuante. At Sobieslao, non vt dispergere, sic recolligere suos facilè fuit, præsertim aduersario nimium festinante, vt qui ne ad deliberandum quidem satis temporis concederet, manendumne Pragæ, an illa cedendum esset? diuisa enim in vtramque partem erant consilia. Et quanquam huc magis inclinantia vt se mœnibus, & ciuium erga se studio promissisque crederet, respondit postremò tamen: Quis mihi hoc præstabit, vt promissio illorum fidem teneat, quorum iam multos video ad Fridericum respicere, eiusque gratiam sequi? Nihilominus vxorem illis suam commendat, quæ rebus suis compositis sequutura erat maritum, in Lusatiam se cum trecentis equitibus conferentem. Absente Sobieslao, Friderici statim factio plus altera potuit, expectauit tamen dum vxor Sobieslai cum suis omnibus commodè vrbe excederet, ac deinde mox portas Friderico aperuit, clauesque ad eum tanquam ad principem detulit. Ille honorificè ciuibus appellatis, gratias illis agit, quòd beneuolentiam atque officium sibi promptum in vrbe aperienda præstitissent, clauesque illis continuò restituit, seque & vrbem in illorum fidem committit, atque inde magna frequentia per ingentem gratulationem & læticiam in regiam deducitur. Ad hunc fauorem non retinendum solùm, verùm etiam augendum, potestatem mox valde populariter gessit, omnes fouendo, nullum spernendo, etiam eorum quos sibi sciebat aduersos esse. Mariti existimationi Elizabeth vxor in sexu quoque suo bellissimè subseruiebat, matronas eadem qua maritus humanitate & benignitate prosequendo, per easque apud earum viros hoc assequendo, vt contentionem nimis contumacem deponerent, qua contendebant, ne Valentinus, quem ipsa à sacris ministrum habuit, cuiusque dignitatem in petendo Episcopatu accuratè commendabat, Friderico demortuo succederet, propterea quòd natione Germanus erat. Hic ergo magis humanitas & affabilitas ipsius Elizabeth, quàm candidati pontificatus Valentini causa ei apud Boiemos profuit. Redierat hoc tempore Cæsar ex Italia, nimisque intempestiuè, nondum videlicet satis ordinatis confirmatisque rebus Friderici in Boiemia. Eundem Fridericum Ratisbonam ad concilium principum vocandum curauit. Sed adeò recens beneficium Cæsaris ante oculos obuersabatur, vt nisi ingratissimus haberi Fridericus vellet, domi sibi remanere non licuerit. Ibatque ita comitatus, vt ire solent Principes, qui dignitatem suam externis ostentant, non ad inuidiam, sed gratiam potiùs conciliandam. Nam gratus eius aduentus tam splendidus Cæsari fuit: sed per illam gratiam longiùs tractus est, quàm putauit, nempe ex Bauaria in Sueuiam ad componendas quasdam ibi ciuitates, quæ Cæsare absente hostilia inter se ceptauêre. Non dormitabat tunc Sobieslaus, sed de nocte etiam vigilabat in colligendo milite collectiuo. vndecunque contrahendo ad inuadendam Pragam, spe illectus, quam ex factione ibi à se relicta conceperat, fore vt illa potiretur. Sed ab illa quoque falsus est, mirabiliter vtriusque factionis hominibus ad tuendum præsentem statum conspirantibus, dum pariter auersantur crebram dominorum mutationem, rarenter in melius se immutantem. Ne igitur operam planè inanem, cum multitudine conglobata sumpsisse videretur, illam ad intercipiendum Fridericum, proximè syluam Hercyniam vijs obsessis ducit. Sed rursus ibi voto frustratus, alia via Friderico insidias vitante, per illam quoque viam eum persequebatur. Trifariam Fridericus diuisas copias habuit, seorsum ibant auxiliares Cæsaris copiæ, seorsum item principum nonnullorum

*Cõradus Marchio & Archiepiscopus Salzburgensis Friderico fauent.*

*Sobieslaus nõ fidit Pragensibus.*

*Sobieslaus in Lusatiã se confert.*

*Fridericus Pragã potitur.*

*Popularis Fridericus & Elizabetha vxor.*

*Valentinus XVI. Episcopus Pragensis.*

*Fridericus ad conuentum Imperij Ratisbonam euocatur.*

*Tentat Pragenses Sobieslaus sed frustra.*

*Friderico redeunti in itinere insidias locat Sobieslaus.*

nullorum Germaniæ. Ipſe verò ex Boiemis & Bauaris ab Alberto fratre ſubmiſsis, tertium agmen conflatum duxit, ſuperansq; Miſam flumen, iuxta oppidum Beronam fluens, caſtra in ripa fluminis à Boiemis Lodinice dicti, inter vepreta poſuit. Ibiq; cum Sobieſlaus aſſecutus, atq; loco ad fallendum apto lætus, & ipſe latebras haud inde procul occupat, præmiſſis ſpeculatoribus ad explorandas Friderici vires. In quos cum exploratores eiuſdem Friderici neſcientes tam prope Sobieſlaum adeſſe, incidiſſent, pars eorum maior capti, cæteri ad vnum interfecti ſunt. Ex captiuis cognitum, expectare Fridericum Morauos, qui propediem cum Conrado eorum Principe affuturi eſſe dicerentur. Satis eſt, inquit Sobieſlaus, ſemel nos à Friderico deceptos fuiſſe, non eſt cõmittendum vt iterum nobis elabatur è manibus, & repentè ante lucem caſtris Friderici improuiſus ſuperuenit. In tam ſubito & inopinato caſu, pauci erant qui arma corriperent, quibus in hoc vterentur, vt ne inulti caderent, aliſ ſicut fieri in magna trepidatione ſolet, ſine vllo certamine per diuerſum fuga ferebantur pertracto ſecum Friderico, ne quid mali per tenebras contraheret: ſi de die rurſus aggregati, ad vicum Percice cognominatum, vbi Conradus cum Morauis aderat, conueniunt. At victor Sobieſlaus ſuos vrgebat, vt præda caſtrorum in præſens omiſſa, eodem impetu, eademq; celeritate Germanos à principibus miſſos aſſilirent. Inuentisque caſtris illorum, milite fuga ſimiliter diſſipato, vacuis, ad tertia caſtra in quibus Cæſariani inerant, die iam diluceſcente veniunt. hos vt viderunt ad reſiſtendum paratos, ſublato clamore, ſumma vi manus inter ſe conſerunt, pugnamque ad horam vſque tertiam ancipiti fortuna producunt, ac tum demum laſſi grauatique labore Germani, loco & caſtris Boiemis cedunt. Captus in pugna eſt Tribunus militum, vir ſtatu corporis ſuper cæteros eminens, eoque procerior viſus, quòd equo prægrandi & cataphracto, ipſe cataphractus inſidebat. Hic cum ad Sobieſlaum perductus eſſet, in medio caſtrorum eum ſtatui, & circum tumulum aggeſta manibus militum terra erigi, totumq; cum equo adobrui iubet, acceptam à Cæſare iniuriam, hac noua calumnia cum crudelitate coniuncta ſe vlciſci iactans. Extat in hanc diem tumulus ita in plano ibi ſitus, vt congeſtitius non autem à natura factus eſſe videatur. Permiſſa inde militi omnium rerum per omnia caſtra diripiendarum, interque ſeſe partiendarum poteſtas. Quo in negocio, dum aliſ corpora etiam mortuorum armis aut veſtibus nudant, aliſ præterea annulos & torques in nudis membris perſcrutantur: aliſ ciſtas effringunt, ære ſumptuoſaque ſupellectile graues: aliſ deinde viliora, pro conditione quiſque ſua ſectantur, tantum temporis eſt conſumptum, quantum ſatis erat Friderico ad inſtaurandas vires, quas pro tuenda meliùs Praga, raptim ex ſponte accurentibus innouabat reficiebatq;. Duobus autem ſolùm diebus, quàm Sobieſlaus iter Pragam, agmine quadrato anteuertit, effundente ſe obuiam multitudine ciuium armata, præter opinionem frequentiore. Qua Conradus viſa, ſi eandem, inquit, iſti ad ineundam pugnam, quam nunc ad arma geſtanda alacritatem attulerint, iubeo te Friderice de ſumma rerum bene ſperare, nempe viciſti tanto robore ſuffultus. Poſtero igitur mox die, ambo in locum, quem Boiemi Bogiſſtie vocant, quaſi tu Latinè Martium campum dicas, ad luſtrandos eoſdem ciues, atq; in cohortes diſtribuendos deſcendunt. Ibi aliquot ex iſs validæ cohortes decerptæ ſunt, reliquus numerus ſagittariſs adnumeratus, & cæteris ex Morauia & Boiemia militibus immixtus. Adeſt ſequenti die Sobieſlaus ex ſucceſſu minax & ferox, ad eundem campum, nocteq; tantum ad quietem ſuorum interpoſita, mane aciem ante caſtra explicat. Similiter Fridericus & Conradus ante mœnia faciunt. Dato vtrinque ſigno, ingentibus animis confligunt acies, modisque omnibus ſibi inuicem acriter inſtant, eques equitem,

*Sobieslaus Fridericũ tripartito agmine proficiſcẽtem ter quoq; profligat.*

*Cataphractũ terra obruit Germanum in Cæſaris contumeliam.*

*Præda militi conceſſa.*

*Pragenſes dediti Friderico.*

*Cruentuũ prælium ad Pragã.*

pedes peditem, haſtis, pilis, telis, gladijs premens, Sobieſlao vociferante, ne ferro parcerent aduerſus fugaces, aliter niſi cæde fugam tailum ſiſti non poſſe. Contrà Friderico bona ſpe ſuos confirmante, ſi opus perſeueranter executi fuerint, fore, vt manipuli furum, & latronum, cuneos delectorũ militum diutius non ſuſtineant. Vxor interibi Friderici Elizabeth, dum ea pugna gliſcit, quàm ex feneſtra proſpectabat, alleuatis in cœlum manibus, ſupplex vouiſſe dicitur templum in eodem campo à ſe ædificandum, in quo pauperes & egeni hoſpitio acciperentur, ſi Chriſtus victoriam marito contuliſſet. Votumne, an virtus militum, an vtrumq; in cauſa fuit, tantam, tamq; conſtantẽ impreſſionem amplius ſuſtinere Sobieslaus nõ tolerauit, primusq; fugæ exemplum cæteris præbuit: quem Fridericus vſq; ad pagum Proſyka inſequutus, vulnus capiti eius, non tamen letale, ſua manu intulit, celeritatiq; equi magis iam, quàm vlli rei fidentem deſtitit perſequi. Exul tandẽ, extorrisq; aliena in terra mortuus eſt. Poſt hanc victoriam Conradus ampliſſimis muneribus à Friderico eſt remuneratus, bona parte Morauiæ ei adiecta. Munificè item habitus, Vilhelmus dignitate Comes, opibusq; in Morauia clarus, idem aſſiduus Conradi militiæ aſſectator. Hic eſt, qui in eadem Morauia cœnobium opulentum condidit, quod Caunicenſe appellatur: expians delicta, quæ per militiam præcipuè Auſtriacam deliquit, locis Deo quoque conſecratis, flamma & ferro iniuriam faciendo. Nec Elizabeth diſtulit voto ſe abſoluere, quod tunc vouerat de extruendo templo hoſpitali, in quo pauperes hoſpitaliter tractarentur, cognomine ei indito ex ſancti Ioannis nomine. Ad hæc Fridericus externorum etiam rationem habuit, vt eis liberalitate ſua conſuleret, quicunque ex Germania nobiliores ſui gratiam magis, quàm vtilitatem ſuam ſecuti, operam in hoc prælio ſtrenuam nauarunt, optione illis oblata manendi in Boiemia, aut inde abeundi. Qui diſcedebant, hos præter viaticum ſponte datum, equis inſuper, veſtibusq; holoſericis, & vaſculis ex argento conuiualibus, auro inauratis exornatos dimiſit. Quibus verò permanere placuit, eis pro dignitate cuiusque, aut bonorum partem ab illis qui in pugna abſque liberis ceciderant, relictorum addixit, aut locum in aula eum aſſignauit, ex quo victusq; cultusq;, & honos adfluerent. Interim domeſticorum quoque curam gerens, non modò vt bene meritis præmia tribueret, ſed malos etiam vt malè afficeret, qui ex fuga recenti in Boiemia conſtiterant, ſeq; & ſuos latrocinijs alebant. Ad quos excipiendos diſpoſiti equites, ad omnes partes, quaſcunque petiſſe videbantur, hoc egerunt, vt qui capi potuêre, comprehenderentur, reliquis nulla vagandi, latrocinandiq; nec vſquam diutius conſiſtendi facultas præbita, donec quocunque impetus quemq; tulit, diſſiparentur.

*Elizabeth bene precatur marito.*

*Sobieslaus manu Friderici vulneratus.*

*Exercitus cæſus.*

*Conradus Morauia donatus.*

*Comes Vilhelmus Caunicenſis monaſterij fundator.*

*Militibus ampla ſtipendia aſſignata à Friderico.*

*Pœna deſertorum & prædonum.*

*Stephanus Belæ (quod ex Græcis colligitur annalib.) coniugẽ habuit Mariam Iſaaci fratris Emanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris filiam, vt ſit veriſimile neptis ſuæ marito Manuelem auxilia tuliſſe. Mirum equidem totam hanc hiſtoriam alto præterijſſe Hungaros annales ſilentio. Stephano quidem III. Geiſæ II. filio fœdus fuiſſe ictum cum Emanuele Comneno Græco Cæſare produnt aduerſus Venetos ob Illyriam & Liburniam anno 1149. vbi plurima oppida maritima ſuam in poteſtatem Stephanus redegit. Tunc Emanuel (dolorum & perfidiæ officina) cum Alexandro. P. M. ſumma pecuniæ ei oblata de recuperando Occidentis Imperio contra Barbaroſſam egit. Interea Ladislaus Belæ filius imperandi cupidine flagrans ſacram coronam ſurripit, ſeq; verum Regem (ſuffragantibus illi plurimis Epiſcopis & proceribus) eſſe iactitat. Sed poſt ſex menſes moritur. Eius exemplum frater Stephanus imitatus ijſdem ſuffragatoribus coronatus eſt. Patrui tum inſolentiam Stephanus minimè ferendam ratus, prælio decernendum arbitratus eſt. Vbi tanta nobilium multitu-*

*de*

*do interijsse dicitur, vt nihil eo seculo Hungaris miserabilius acciderit. Victus Stephanus Belæ obijt paulò post anno 1173. ante quem & Rex Stephanus obierat. Ne eorriualium Regum bella ferret Hungaria. Nulla tamen hic vel Emmanuelis vel Vladislai fit mentio.*

[b] *Manuel imperio cui 38. annos præfuit, sponte relicto, inclusit se in monasterium Pantocratoris, in quo non ita multò post sexagenarius obijt.*

[c] *Cum enim Vladislaus Rex senio confectus Fridericum filium natu maximum inconsulto Cæsare pro se regnum administrare iussisset, successorem ab Imperatore accepit Sobieslaum Sobieslai filium, quem aliquandiu in vinculis asseruauerat. A quò cum sibi metueret, solum vertit cum vxore & liberis, & intra quartum mensem in Germania diem clausit supremum. Sobieslaus regio nomine abstinens principatam paucos annos gessit.*

[d] *Henricus hic est filius Leopoldi, cui Conradus Cæsar Bauariam, eiecto Henrico superbo, tradiderat*

[e] *Emericus Rex Hungariæ ab Andrea fratre impetitus ob regnum, modestia tamen Emerici, acies ad confligendũ parata dilabitur. Nec fugæ Emerici extra regnum vlla fit mentio, vel quod fratri sit à Sobieslao restitutus. imo hic fratri vitã donauit.*

# HISTORIÆ BOIE-MICAE. LIBER QVA-TVORDECIMVS.

FRidericus post ægrè, ac cum magno rerum omnium suarum dispendio recuperatum statum suum, in maxima difficultate nummaria constitutus, vulgò ab omnibus regno subiectis tributum conferendum edicit, datis tributi exactoribus plerisque Germanis, qui dum exactius, violentiusque delegato funguntur officio, non minus inuidiæ principi quàm sibi contraxerunt, ita vt hæc exactio non valde auspicatum ad principatum Friderico dederit exordium, passim eum criminantibus, quòd à spoliis & rapinis imperium auspicaretur, qui tamen videri esse vindex raptorum vellet. Restinxerat bona ex parte hanc odij flãmam obitus Valentini Præsulis, Friderico apud omnes ordines prę se ferente, quòd neminem ei sufficeret, nisi qui ex parentib. Boiemis esset prognatus. Accidit verò opportunè, vt Henricus Friderici patruelis, ab ineunte pueritia bonis literis deditus, in ijsque domi apud priuatos doctores diu occupatus, confirmata dein ætate, in Galliam ad Parrhysiense Gymnasium, maximè tunc inter alia celebre, se contulerit, vt velut ex fonte, nõ disciplinarum modò, sed etiam virtutum morumq; præcepta abundè hauriret. Quo in exercitio compluribus annis versatus est, desiderio tandem patriæ repetendæ tactus, cõmodissimè ad tempus in illam redijt, suffragio Friderici Pontifex Pragensis declaratus, tanta omnium approbatione, vt summi infimiq; laudibus Fridericum in cœlum ferrent. Sed rursus odium accensum, iam sola nobilitate iracundia aduersus Fridericũ inflammata, quòd magistratum quendam à Boiemis vsurpatum, ad hominem Germanum transtulerat. Missi enim confestim à proceribus & ab equestri ordine, qui cum eo agerent, ne in cooptandis magistratibus nouam rationem institueret, quæ antea non fuit: nunquam alio tempore curiam non solùm Germanis non patuisse, sed ne in aula quidem cõmertium illis quondam fuisse: cæterùm magistratus in Boiemia, neminem nisi Boiemũ gessisse. Quibus verbis quantò minus ille permouebatur, tantò ma-

*Exactiones graues populo Fridericus indicit publicanis Germanis constitutis.*

*Plebs Friderico minimè æqua.*

*Henricus Lutetiæ eruditus.*

*Hẽricus XIII. Episcopus Pragensis Vladislai Regis frater.*

*Episcopi electione plebem pacauit.*

*Succenset nobilitas Friderico ob magistratum Germano collatũ.*

gis illi æstuabant, noua aduersus Fridericum consilia coquentes, haud ignarō Conradō, qui cupiditate principatus tunc statim flagrare cœpit, quando prę-
*Conradus suo Marte victum Sobieslaum iactitans principatum ambit.*
lium Sobieslao malè cecidit: sibi autem victoriam illam, non autem Friderico imputabat, seq; digniorem honore esse iudicabat, ac nihil tunc nisi sibi æquos iudices defuisse querebatur. At nūc vltrò oblatos se obuijs manibus excipere, & ad iudicium illorum libenter se accōmodare velle. Postquam id difficilius visum est ad persequendū, neq; facultas protinus, ita vt cupiebat, perficiendi negocij dabatur, quoniam Praga à Friderico stabat, & magnus adhuc
*Cōradus IIII. interrex.*
nobilitatis numerus supererat nullius coniurationis cōscius, res tunc ad dila
*Fridericus ad conuentum Imperij euocatus.*
tionē perducta est, & melior oportunitas expectata. Quam denuò Cæsar obtulit, nunquam ex Italia reuersus, quin Principum conuentum indiceret, quia nunquam pax fida diuturnaq; ibi durabat. Quin simul etiam principem Boiemiæ ad publicam deliberationem euocaret, quoties in vrbe aliqua imperij propius Boiemiam sita, principum senatum habuit, vt tunc Ratisbonæ contigit. Quò proficiscente cum suis Friderico, nihilq; de coniuratione suspicante,
*Conradus Vicegradum occupat.*
emersit adeò subitò illa, vt prius Conradus arcem Vicegradum Pragæ occupauerit, quàm eum Pragenses adesse cognoscerent. Hinc ciuitas vehementer perturbata, ciuesque non mediocri metu perculsi, neminem apertum hostē
*Pragēses pertentat.*
videntes cui occurrerent. Sed misit mox Conradus, qui Pragenses certiores facerent, se suffragijs primorum ordinum Principem Boiemiæ esse declaratū, congruensq; videri, vt cum prioribus posterior quoq; illorum calculus consentiat, id, quo promptius factum fuerit, eò propensiorem erga se Principem habituros. Respondent: principē se habere cui fidem obligauerint suam, quā
*Mense cū dimidio tolerata obsidione se dedunt Conrado Pragenses.*
fallere non deceret. Atq; inde eunt ad munienda vrbis loca, & ad præsidia disponēda quibus obsidionem arcerent, quam ad sesquimensem sustinuerunt: quo in tempore nullo apparente auxilio, posthac deduntur. Cæsar Friderici vicem incōmodumq; pro sua iniuria dolens, huiusq; sui doloris vehementem concionem apud Principes habens, censuit hostium numero Cōradum cum
*Proscribit Cæsar Bohemos.*
Boiemis habendum. Exurgit Palatinus Bauariæ princeps Conradi affinis, supplexq; orat Cæsarem, vt interea datis ad Boiemos literis authoritatem interponeret suam, dum ipse vadit, reditq; ex Boiemia, sperare authoritati Cæsaris
*Intercedit Palatinus Conradi affinis.*
audaciam Boiemorum cessuram. At illi auditis à Palatino Cæsaris imperiosis
*Bohemi saperte respondent.*
mandatis, quibus ad purgandam causam venire Ratisbonam iubebantur, renunciari iubent: Non ita obnoxiam seruituti vitam illos viuere, vt Dei, Papæ, Cæsaris, & Principis sui (hui quot dominorum) iuga ferre illis necesse sit, satis superq; esse, Deo seruire, & Principi suo. Mansuetius submissiusq; Conradus respondit, suamq; causam procurandam Palatino affini commendauit. Mox & Boiemos arrogantis ferocisq; dicti pœnitentia subijt: siquidem viros sex genere & dignitate primores delegerunt, qui ad deprecandam imprudentiam legati Ratisbonam irent. Cæsar, qui pro maiestate nominis, vim quoque maiestatis obtinere voluit, ad vindictam illustrandam erigi Tribunal, & sub
*Rei Maiestatis Boemi arcessuntur.*
Dio constitui iubet, quod fieri solet quoties læsæ maiestatis rei iudicio peraguntur. Allati præterea erant sex asseres (nouum tormenti genus) ad fragendas duras contumacium ceruices, sed ad incutiendum magis terrorem, vt mox apparuit, quàm ad supplicium exequendum, hæc scæna composita fuit.
*Iurant restitutioni Friderici*
Nam Cæsar in aulam vocatos, satis habuit sæuerissima oratione obiurgare, iusque iurandum ab illis accipere de restituendo in solidum Friderico intra vnum mensem. Cuius rei causa Palatinum quoque Bauariæ principem redire in Boiemiam cum Friderico mandauit, quos Henricus etiam præsul comitatus est, receptis à Cæsare prius more solito suis regalibus. Hac porrò tempestate (ne quis nouam existimet, quia nuper magnum in Boiemia sumpsit
*Regalia capit Fridericus à Cæsare.*
incremētum) hæresis Piccardica malo astro micare cœpit, plurimum quippe mali

mali Boiemis secum inuexit, vt res pridem docuit. Auctor eius Petrus cognomine Valdensis, natione Gallus, ciuitate Lugdunus, vir idiota, indoctus, illitteratus, nec dignus inter serios hæreticos numerari, nisi hæresim eius postea Vi clefus Anglus Sophisticis argumentis condijsset. Cæterùm quando nemo hactenus hæreticorum mutus repertus est, huic quoq; facultas differendi eorũ quæ in buccam veniunt, ac præsertim quoties differendum fuit aduersus Ecclesiæ institutа, aut in eos qui in potestate positi sunt summa aderat. Aderant & opes, vnde alere suam factionem adhuc tenuem potuit. Ex quibus cum timeret periculum, distraxit quas Lugduni habuit possessiones omnes, partemq; de precio, eodem modo quo Ananias & Sapphira, suis domesticis seponens, alteram pauperibus totam erogauit, vt sine opibus, quasi inops absq; vllius timore, suo ductu arbitrioque viueret, & vbi sibi placeret, ibi habitaret. Placuit autem illi, ea pars Galliæ, quæ Piccardia nuncupatur. In hanc igitur Lugduno migrans cum diuertisset, longum post se discipulorum agmen trahens, quos pauperes Lugdunenses cognominabat, celerirer incolas Piccardiæ ita fascinauit, vt & mente, & auribus, oculis quoque cæci euaderent, non iuxta disciplinam Christianam, sed iuxta concupiscentias suas ambulantes. nimirum cæcorum ducum cæci assectatores. Tam latè hoc malum, tantaque vi per domos etiam nobiles vagatum est, quia tardius ei remedium à rege Galliæ adhibitum fuit, vt Ludouicus, eius nominis octauus, post edicta & minas, ad arma postremò venire, insaniamque fanaticorum ferro & sanguinis missione coercere coactus fuerit. Trecentas illorum domus euertit, mœniaque nonnulla solo æquauit: sed nec illi, quos fuga in Germaniam auertit, tutum ibi valde perfugium habebant. Nam Archiepiscopus Moguntinus, ex eorum numero XVIII. viuos comburi iussit, qui rationibus victi, de sententia tamen sua perfida desistere noluerunt. Ergo in Boiemiam tandem reliquiæ illorum confluxerunt, quò sentina omnium sectatorũ confluere solet. Sed loco dein suo de Piccardis. Nunc ad Fridericum reuertendum, qui magna cura, magnoq; sumptu recuperatum principatum rursus penè amiserat. Tantum Friderici odium, tantaque Conrado vindictæ cupido propter interceptum sibi honorem incessit, vt quanquam vultu & sermone se hylarem ostenderet, intus tamen dolorem coercere non potuit, quin interdum ille erumperet, donec in actum quoque venit, non aperto ipsius conatu, sed tacito instinctu & consilio quo adiuuabat, & aduersus Fridericum extimulabat Venceslaum & Vdalricum filios senioris Sobieslai. Ambo isti vagam, & alienæ opis indigam vitam ducebant, nunc Poloniam, nunc Hungariam, nunc Morauiam pererrantes, non sine quadam visentium miseratione, qui eos videbant tam diu, tam incerta fortuna miserè iactari. Quare postquam enotuit hoc illos agere, vt Pragam occuparent, quam ante parens eorum habuerat, collecti vndiq; ex statim dictis regionibus gregarij milites, ad illos accurrebant: poteratq; capi tunc Praga, si pari celeritate ad illam festinatum fuisset. At cum turba prædæ assueta, in diripiendis pagis & vicis moram protrahit, nactus Fridericus spaciũ, omnem ex agris multitudinem colonorũ, cum ipso cõmeatu in vrbem cogit, diuersisq; locis in illam, vel ad munienda, vel defendenda mœnia, additis centurionibus, distribuit. Centuriauit mox & ciues, regionatimq; illis plateas maiores attribuit, vt in quacunq; parte laboraretur, integris viribus ad ferendũ auxiliũ opponi posset. Misit præterea nuncios in Austriam ad Leopoldum Marchionem (quẽ sibi nuper in aula Cæsaris pulchrè conciliauerat) & in Bauariam ad fratrẽ Albertum, vt sibi subsidio veniant: idq; maturè agant: multis enim in rebus se nobilitatẽ domesticam habere suspectam, vereriq; ne si tardatũ foret, apertè illa deficeret, seseq; ad tumultuariam illam manũ cum ipso fortasse Conrado adiungeret. Horum igi-

*Hæresis Picardæ origo, anno 1160.*

*Petrus Valdensis Lugdunensis.*

*Pauperes de Lugduno.*

*Ludouicus VIII Rex Galliæ delet Picardos.*

*Moguntinus exurit, reliquiæ Bohemiã petunt.*

*Conradus Venceslaum & Vdalricum instigat aduersus Fridericum.*

*Conatus eorũ eluditur.*

tur maturo aduentu, Venceslaus & Vdalricus, qui in obsidione tantæ vrbis nihil nisi occasionem fraudis & dolí quærebant, tanto metu sunt perculsi, vt consistere diutius in Boiemia non auderent. Hac nubecula, quæ ventum procellosum minabatur sine vlla tempestate discussa, ad futuram conseruandam serenitatem & tranquillitatem, Fridericus de sententia Leopoldi & Alberti, protinus nobilissimum quemq; nominatim euocat, vt Pragam venire properet. Ibi omnes ad nouum iusiurandum adigit, non alium se principem, quàm Fridericum habituros. Quo negocio confecto, Leopoldum & Albertum hospites, longè maiorem illis operam pollicitus, domum dimittit, retenta vtriusq; parte copiarum quæ secum Pragæ hyemaret. Et quanquam exigua portio Autumni superfuerat, ne illam quidem sine vltione transire voluit, Præmyslaum fratrem iuniorem, turmis & cohortibus instruens aduersus Conradum, ad quem se Venceslaus ex fuga receperat, eidemq; mandans, vt in regionem Znoymensem profectus, totam Conradi in Morauia ditionem peruastaret. Vadit ille in Morauiam, populabundusq; ad arcem vsq; Bitonam, quæ non longè à Znoyma eminet, peruenit. Huius capiendæ animo inflammatus, magno illam impetu adoritur, quem tamen præfectus, tum munitionibus arcis, tum forti præsidio fretus, facilè retundebat. Interibi Premislao nunciatur, Conradum subsidio arci longum militum agmen adducere, & ad eum ex via multos armatos aggregari, qui doleant in conspectu suo Morauiam à Boiemis fœdè vastari: proin certum imminere certamen. ad quod ineundum, quando nõ satis se instructum videret Premislaus, tempori cedendum, quàm temerè resistendum conducibilius duxit, ad fratremq; saluis copijs & spolijs Pragam redijt. Ac primo vere cum sex millibus peditum, & quingentis equitibus profectionem in Morauiam repetit, Conrado omnibus rebus, externo etiam auxilio ad occurrendum & confligendum parato. Erat ex familia Versouicensium, quæ solum inuita verterat, sedesq; sibi in Polonia delegerat, Ratiborius quidam, pollens viribus, manuq; promptus, & ob ea Polonis in primis charus. Is, cum tam longi exilij sine sua culpa contracti, finem aliquem videre optaret, multa super hoc in animo suo sæpius voluebat, præsente tandem fortuna tumultus Morauici ei oblata, quam quidem fortunam, aut nullam dein aliam sibi Principem Boiemiæ conciliaturam sperabat, si videlicet cum aliquo emolumento coram illo appareret, sic illi institit, quoscumq; ex militari nobilitate, vel cognatione, uel amicitia & beneuolentia, aut familiaritate erga se affectos cognouit, alios precibus in societatem militiæ, alios spe consequendorum in Morauia spoliorum inuitabat, douec bene multam equitum Polonorum manum conglobaret, valdeq; in tempore cum illa in Morauiam penetraret. Vix enim tribus millibus passuum à se distabant Premyslaus & Conradus, vterq; ad præliandum compositus, cum exploratores Premyslao indicant, turmas equitum aduentare, & quantum ex habitu & armis cognosci potuit, videri sibi Polonos equites esse. Terruerat hæc res Premyslaum existimantem auxilia illa Conrado in cumulum accedere, sed istum terrorem simul atque errorem Ratiborius castris Boiemorum appropinquans Premyslao ademit, per internuncium ei significans, se auxilio exercitui eius sua sponte aduenire, nullo prorsus alio premio inuitatum, nisi vt per eum gratiam apud Fridericum recuperet, deinde apud ipsum quoque: quam certè gratiam nullo suo vitio, aut vlla mala suspicione, sed familiæ suæ peccato agnoscat esse amissam. Cæterùm quàm æquum sit, maiorum delicti pœnas luere posteros innocentes, ipse dijudicauerit. Iussus bonum habere animum, cunctaq; ex victoria secunda sperare, si illa euentum secundum habuerit, castra cum suis lætus ingreditur. Vbi paucis consilia de pugna in commune conferentes,

*Nouum fidei Sacramentum à nobilibus exigit Fridericus.*

*Conradum fratri Premislao exercitu credito inuadit.*

*Bitonã obsessam metu liberat obsidione Premyslaus.*

*Ratiborius Versouicensis exul, vt familiæ obliteret infamiam, & reditum in patriã lucretur, Premyslao equites Polonos adducit.*

*Premyslao se adiungit Ratiborius.*

ad pa-

ad pagum inde Ludomirum, ad quem Conradus castra posuit, instructa acie eunt, nullam moram pugnæ Conrado interponente. Pariter itaque clamorem tollunt, pariterque ferrum & tela expediunt, ac pari conditione dimicant, tanta constantia, vt nec eques ab equite, nec à pedite pedes, de loco suo se pelli sustinuerit, sed quem quisque eorum dimicans semel ceperat, eundem locum moriens obtinuit. Segregat deinde suos ab alijs Ratiborius, & transuersam Conradi aciem, in qua Venceslaus erat, quanto maximè potest impetu inuadit, perrumpitq;, nec sic tamen ibi fuga alicuius visa, sed cædes potiùs vtriusque partis aderat, nisi quòd iam adeò perturbati hostium ordines visebantur, vt nullam amplius pugnam redintegrare possent. Datum inde à Premyslao receptui signum, prohibitusque miles reliquias persequi, excepto Ratiborio, qui Hungaros equites cum suis insequebatur. Quatuor hominum millia, pari propè vtrinq; clade, in acie cæsa feruntur, inter quos tantus nobilium nnmerus, vt tædio humandi seorsum singulos, multi simul in vnum sepulchrum conderentur. Hoc quoque adijcitur: Tubarum sonitum & clamorem pugnantium, fremitumq; equorum, & armorum strepitum, in arce Caunicensi auditum fuisse, quæ plus vno miliari nostrate à Ludomirio distat: Vnus autem Ratiborius gratiam benè gestæ rei, à toto Boiemorum exercitu tulit, palàm item ferente Premislao, eius opera strenua, factum aditum ad victoriam fuisse. Quæ quoniam Friderico valde placuit, eò procliuius auctorem illius Ratiborium, in fidem suam & familiaritatem recepit, inducta deletaq; omnium iniuriarum præterita rum memoria, insignibusq; mutatis, ne quid odiosum restaret. Quippe pro Nassa aurea, secures decussatim sibi coherentes iussus est ipse & posteritas ipsius gestare. Donatus & arce Bauariam prospectante, quam Pryndam vocant, vt fines Boiemiæ aduersus Germanos limitum transgressores tutaretur. Ab hac victoria, quæ cruenta potiùs quàm læta dici debuit, stimuli non deerant, quibus Fridericus aduersus Conradum exstimulabatur, vt eum funditus euerteret, alioqui nullam inter æmulos pacem futuram, adduci tamen is haud potuit, vt noua calamitate Conradum, sine noua ab eo iniuria accepta vellet afficere. Itaque in Morauiam iturus, vt Premyslaum fratrem de se bene meritum in possessionem Olomucensis regionis induceret, non solùm inermi, sed exiguo etiam comitatu ad arcem Caunicensem venit, quanquam sic quoque molestus tunc Conrado scrupulus est iniectus, & nonnulla dubitatio, quidnam ille de via propius Znoymam deflexus portenderet. Nec diu se cura illa torquens, mutatur in formam Tabellarij à Palatino principe ex Germania cum tabellis ad Fridericum missi, & secretis præterea mandatis. Ad quem perductus, arbitris omnibus semotis, Tabellarij personam protinus deponit, & Conradi supplicis accipit, in potestatem se patruelis tradentis cum suis fortunis omnibus. Hinc tandem offensionum omnium, simultatumq; inter illos factus finis: Conrado ad officia exhibenda parato, & Friderico ad referendam gratiam, vltroque beneuolentiam ostentandam prompto. Redijt tunc Conradus in concordiam cum Henrico quoque Pragensi Antistite, qui dissidij causam hanc præ se tulit, quòd iam vnus & alter Olomucensis præsul, ex ea hominum secta, quæ Præmonstratensis cognomen occupauit, fauore & auxilio Conradi fuerit creatus, cum ad Pragensem Pontificem, eiusq; collegium magis quàm ad alium quemuis pertineret nominare Episcopos in Morauia, & roborare. Paucis respondente Conrado, se deinceps nolle in alieno foro litigare, sed velle potiùs cum Henrico amicis officijs certare. Id verò ab eo precario petere, ne quid noui per ambitionem in deligendo Episcopo Olomucensi institueretur. Cognouerat enim ambitione collegium Pragense, non autem virtutis via ad hunc honorem assequendum

*Cruenta dimicatio ad Ludomirium.*

*victor Premyslaus.*

*Ratiborio acceptum refertur victoria.*

*Recipitur à Friderico in gratiam Ratiborius: arce donatus deleta gentis macula: insignia mutantur.*

*Mansuetus Fridericus.*

*Premyslaum fratrē Olomutio donat.*

*Ementito tabellarij habitu culpam deprecatur Conradus.*

*Conciliatur Henrico Episcopo Pragensi.*

*Cui competat ius eligendi Episcopi Olomucensis.*

contendere. At ſodalitium Strahouienſe, longè à crimine affectati honoris abeſſe, cum inuiti aliquoties ad illum pertraherentur, tamq; bona opinio de illius religione omnium erat, vt decem continenti ſerie Præſules, ex cœnobio Strahouienſi in cathedra Olomucenſi ſederint. Triſtia inde luctuoſaq; omnibus Chriſtianis noua Friderico ſunt allata, de ingenti Chriſtianorum clade, deq; Hieroſolymis à Saladino Aegypti Rege captis profanatisq;, ac mox à Cæſare Friderico literæ, nuncq; venêre ſignificantes, totius Germaniæ concilium Nornbergæ eſſe indictum. Quò ſe cum ad diem contuliſſet Fridericus, audiuiſſetq; Clementis Pontificis Romani legatos, verbis eius pollicentes omnes vires, fortunasq; ſuas, Pontificem ad recuperandam Hieroſolymam eſſe conuerſurum: ſimulq; rogantes Cæſarem & cæteros Principes, vt pro opibus quisq; ſuis atq; viribus in tam ſanctam expeditionem, vel ſua ipſi nomina darent, vel copias ſuas terra mariq; auxilio mitterent, diligenter attendebat, quidnam Cæſar ad ea diceret. Atq; magnanimus ille manifeſta voce, ducem ſe omnibus in Aſia militaturis vltro offert. Pleriq; item principum ſui præſentiam, alij ſubſidia, inter quos Fridericus etiam promittebant. Tum Cæſar, Henrico filio Rege Romanorum deſignato, ne ſi quid ſibi in via præter ſpem accidiſſet, Germania incerto ſucceſſore fluctuaret, paceque inter ſubditos publicè confirmata per edictum, capitalem pœnam aduerſus violatores complexum, atque alijs quæ neceſſaria erant prouiſis: erigit ſignum crucis per ſuperiorem inferioremq; Germaniam, ad incitandos omnium animos contra hoſtes Chriſtianis infeſtiſſimos. Et cum tempus proficiſcendi inſtaret, ipſe Cæſar cum terreſtribus copijs per Pannoniam Thraciamque iter faciebat: Conrado ſuo Fridericique nomine cum Boiemis & Morauis eum comitante. Philippus autem Galliæ, & Richardus Angliæ Reges, claſſibus mare Gallicum, Thyrrenumq;, ſicut Phriſiæ, Flandriæque, & Daniæ populi Oceanum, Itali deniq; mare Adriaticum tranſmiſerunt. Cæſaris igitur in Aſiam cum tanto robore ingreſſus, læto fortunæ vultu exceptus eſt. Nam & vrbe, quam Turcæ defendebant potitur, & agrum hoſtium Iconio conterminum fœliciter populatur, & quod fœliciſſimum viſum, Armeniam minorem in poteſtatem redigit ſuam. In hac dum lauandi cauſa flumen rapidum ſubit, ingenti omnium luctu (vide fortunæ volubilis ludum) mergitur. Perſtiterant nihilominus in propoſito militandi Philippus & Richardus Reges, & quoad concordes manſerunt, adeò acriter hoſtes premebant, vt Saladinus impetum cedendi illis de regno Hieroſolymitano coperit. Mox diſſenſione inter illos ex æmulatione orta, dum alter alteri certat anteferri, ac Philippo per ſimulationem malæ valetudinis in Galliam ſuam reuertente, Saladinus facilè Hieroſolymam quoque retinuit, & poſtremo Richardum, ad quas voluit fœderis conditiones adegit. Idem Saladinus tantum ab inani laude & ambitione remotus, quantum vix vllus tunc Chriſtianus Rex, quod quidem monumento ad memoriam digno teſtatus eſt, ſuos commonefaciens, vt ſibi mortuo, lineam tunicam haſtili adpenſam præferrent, vociferante Præcone, Saladinum Aſiæ domitorem, ex tam latiſſimo totius orbis Regno, tantisq; opibus, nihil aliud ſecum ferre. Quare nihil eſt, quod ſæpius querimur, vinci nos Chriſtianos ab Aethnicis, quaſi illos multis vitijs, ac præſertim arrogantia non vincamus, quorum meritò Deus vindictam à nobis vel per impios exigit. Porrò Conradus, ipſe quoque ex tam longinquo itinere in Morauiam redire feſtinans, paulò plus quàm dimidiam partem militum ſecum reduxit. Et antequam ibi bene ex via recreatur, cognoſcit ab vno internuncio, Fridericum in Boiemia grauiſſimè languere: ab altero paulò poſt ſubſequente, iam diem cum ſuum obijſſe: à tertio, ſe principem Boiemiæ ab ordinibus declaratum eſſe, vertensq;

*Clemens III. Papa.*

*Fridericus Barbaroſſa Dux ſacræ expeditionis pro recuperatione Hieroſolymæ.*

*Pax Conſtantina.*

*Reges Galliæ & Angliæ cõmilitones.*

*Cæſaris in Aſia progreſſus felices.*

*Seleuciæ mortuus An. 1189. x. Iunij.*

*Aemulatio inter Galliæ & Angliæ Reges.*

*Saladini tot victorijs felicißimi Aegypti Sulthani moderatio.*

tensque se ad suos: nunc bene, inquit, nauigaui, postquam naufragium feci, vnde ad principatum vsque emersi. Atque inde absque mora Pragam ad ineundum honorem transijt. Sed nec Henricus Friderici Cæsaris filius in rebus suis curandis, quas domi forisq; curari oportuit, tardus apparebat, animum in primis intendens in Regnum Neapolitanum,[b] Siculumq;, à Tancredo Rogerij Siciliæ Regis ex pellice filio occupatum, contra sententiam Clementis Romani Pontificis, qui sibi ius ad vtrumq; regnum vindicabat. Huius successor Celestinus, perinde atque Clemens in Tancredum animatus, clam procurat, vt Constantia Rogerij filia legitima, à cœnobio Panhormitano educeretur: eamq; tametsi ritè captam, Deoq; per verba religionis consecratam, Henrico in matrimonium collocat. In dotem illi regnum Siciliæ attribuens, suo ipsius marte sibi asserendum. Sed iam Tancredus Neapolim quoq; inuaserat, ad quam recipiendam Henricus cum plerisque Germaniæ principibus se accingens, rogat enixè Conradum, ne se auxilio in tanta necessitate destituat. Conradus aliquantum incertus, mittendúmne subsidium, an potius demerendi noui Cæsaris causa, sibi eundem esset (nam plures erant, qui dissuadebant, quàm qui profectionem suadebant) paucorum tamen ille consilium amplexus, ad oppugnandam Neapolim cum Henrico perrexit, cura interim administrandæ Boiemiæ, Henrico Antisti Pragensi delegata. Neapolim autem Tancredus, militum rerumq; omnium copijs egregiè firmauerat, ita vt nisi per longam continuamq; obsidionem, spes vrbis expugnandæ nulla adesse videretur. Cæterùm tanta vis admonitionis inerat Henrico, vt illa, exercitus ad durandum perseuerandumq; corroboraretur, cum repentè ingens coorta pestis, soluere obsidionem, Henricumq; in Germaniam reuerti coegerit. At Conradus, vnà cum Otthone patruele morbi illius casum illic subijt, cum domi principatum, vix primoribus labris degustasset, ne dum vt aliquid in illo memoratu dignum gerere potuerit. Corpus eius Pragam translatum, & ibidem conditum. Ac ne quod tempus discordia Principum transiret vacuum, duo rursus cognati Principes, Venceslaus & Premyslaus de Principali loco summis viribus contendebant. Vtrique sua factio præsto fuit, atque vtriusque spem Praga verbis alebat. Henrico dein Præsule adiuuante, Venceslaus à Pragensibus intra mœnia receptus est, princepsq; consalutatus. Quo segniùs rem suam agente, superuenit Premyslaus cum non contemnenda manu, circumq; muros obequitat, vt Venceslaum ad pugnam eliciat. Adeunt principem ciues, se quidem ad tempus æquo animo dicentes, oppugnationem toleraturos, cæterùm ad dimicandum prælio vires sibi deesse. Proin ex re videri, vt confestim mittantur, qui Principis imperio nobilitatem ad arma concitarent, quorum subsidio æmulus pelli queat mœnibus. Probat Venceslaus palàm consilium, sed postero die se occultè inde subtrahit, Bambergam petens, in qua tunc Henricus Cæsar substiterat, quum tribus tantummodo mensibus in Boiemia summæ rerum præfuisset. Pragenses destituti principe, ne diutius agri illorum vastarentur, Premyslaum substituunt, eique portas vrbis aperiunt, omnium offensarum, quæ tunc interceserant, gratiam facientem. Sed nec iste ius suum contra Venceslaum absentem diu obtinere potuit, Henrico Cæsare indignante, quòd lex patris sui, quam de pace ab omnibus principibus custodienda dixerat, à præmislao violaretur & iccirco eum ad causam dicendam, cur Venceslaũ expulerit, vocante, simulq; seueriùs minante si tergiuersaretur, se illum Pragæ inuisere velle. Nulla vis Premyslao aderat, quę eum posset ex sęueritate Cęsaris eripere regno in se diuiso, dum altera nobilitatis pars pro Venceslao, altera pro ipso Premislao tenderet, ac iam rumor antecedebat de Venceslai Pragam reditu. Ne igitur eum istic expectaret,

*Henricus VI. Cæsar.*
*Cõradus IIII. Interrex.*

*Conradus Cæsari militat bello Siculo.*

*Henricus Episcopus gubernator Boemiæ.*

*Peste Conradus & Ottho Neapoli extincti.*

*Venceslaus V. Interrex trimestris.*

*Premislao neque Praga neque Venceslaus resistere audent.*

*Venceslaus ad Cæsarem.*

*Premyslaus. VI. Interrex postea Rex Boemiæ. 3.*

*Citatur Premislaus à Cæsare, sed causæ diffidit.*

*Premyslaus quadrimestris princeps.*

*Venceslaus ab Alberto Marchione Lusatiæ captus in carcere moritur.*

*Spitigneus filius venceslai.*

*Henricus causam Spitignei agit.*

*Henricus & Episcopus Pragæ, et Interrex VII.*

*Pecunia ex pacto Cæsari ante confirmationem numeranda.*

*Latrocinia coercet.*

*Adalbertus Marchio Lusatiæ Cæsari rebellis, ei militat Premislaus.*

*Henricus Interrex Vilhelmũ Comitem iussu Cæsaris illi opponit.*

*Cesus Adalbertus.*

rursus in Morauiam, postquam vno amplius mense, quàm Venceslaus principem in Boiemia egerit, se contulit. Cæterùm idem Venceslaus in via per Albertum Lusaciæ Marchionem, Præmyslao gratificantem, interceptus, arctæq; custodiæ traditus est. In qua vitam tandem cum morte cõmutauit, Spitigneo filio superstite, cuius tutelam Henrico præsuli commendauit. Ab hoc Venceslao, Engelbertus Olomucensis Antistes, oppidum Suitauiam ad fines Morauiæ situm, ac iam pridem violentia abalienatum recuperauit. Vacante principali sede, Henricus præsul diem comitiorum habendorum Pragę indicit. Candidatumq; in illo principatus, pro Spitigneo pupillo agit. Boiemi parumper deliberantes, ipsum Henricum vnanimi assensu, magnaq; voce principem Boiemiæ pronunciant. Multis contrà Henricus verbis pugnat, ne quid noui in se constituant aduersus exempla & instituta maiorum, apud quos discretas semper principis ac pontificis dignitates fuisse: sed ne nunc quidem causam se vllam offerre, cur coniungi debeant, præter Spitigneum, tot alijs principibus ætate maturis superstitibus, ex quibus facilis vnius fieri possit delectus. Vrgent illi Henricum compressiùs, docentq; ita demũ concordiam in Boiemia conflari posse, si illam, ipse nullis apertè factionibus imbutus, regendam suscipe-ret. Ea conditione dare se illis manus, respondit, si Cæsar voto illorum subscripserit. Atq; inde ad Cæsarem profectus, vt more solenni principis personam indueret, non aliter ei sunt vexilla de manu Cæsaris porrecta, nisi vt summam pecuniæ, quam se repræsentaturum Venceslaus Cæsari spoponderat, ipse ære suo expungeret: Hinc noua difficultas exorta, vnde nam promissum Cęsari æs diluueretur? Nec enim Henricus soluendo erat, nec creditores reperiebantur, qui eidem mutuum æs dare vellent: quia de perseuerantia illius in principatu ambigebatur: & populus crebris principum mutationibus, per continuos exactores valde fuit attenuatus. Quicquid tamen ex priuata arcula, & à fidelioribus amicis contractum æris ad manus venerat, illud in præsens ad Cæsarem missum, cum syngrapha obligatoria de reliquo debito dissoluendo. Posthæc nihil habuit antiquius, quàm vt nobilitatem in antiquam redigeret concordiam, vtq; ipsam Boiemiam à rapinis & latrocinijs, à quibus sibi factio Premyslai non temperabat, liberaret, dispositis per loca oportuna stationibus, quæ ad omnem latronum excursionem occurrerent, audaciamq; illorum punirent. Nam ipse Premyslaus, relicta Vladislao fratri bonorum in Morauia possessione, cum certa equitum manu in Lusaciam ad Adalbertũ, rebellem tunc animum aduersus Cæsarem gerentem, Saxoniamq; imperio illius subiectam, vexante sua sponte concessit, vt & laborum eius, & prædarum esset particeps, atq; eadem opera, vt iniuriam suam vlciscetur, qua se à Cæsare Venceslao paulò ante esse venditum conquerebatur. Cæsar Italicis negocijs distentus, ablegat nobiles homines ad Henricum, qui ipsum debiti nomine appellarent, aut si mallet expeditionem in Lusaciam, ad retundendam Alberti & Premislai ferociam suscipere, gratiam ei non debiti tantum faceret, sed insuper arces & oppida dono daret, quæcunq; de bonis Alberti auulserit. Henricus vbi cognoscit, mille faciliùs milites, quàm mille aureos mutuos se contrahere posse, modò vt ex populationibus militi viuere liceat, delectum habet, eiq; Vilhelmum Comitem præponit, dato eidem mandato, ut licentiam militis cohiberet, si forsan illa corruptus, vltra quàm conueniret progredi vellet. Vilhelmus vsq; ad pugnam, quam cum Alberto & Premyslao conseruit, in officio militem habuit: illis superatis, fugatisq;, & Premyslao tantum nõ capto, victor exercitus neminem amplius metuere, sed ex libidine cuncta agere, sacraq; pariter atq; profana diripere, cum ex præda, non autem ex pecunia militare se diceret. Serò pœnitentiam agente Henrico, quòd tam dissolutam expeditionem in Lusaciam, sine stipendio expedierit, Instruebat tunc Emericus

Hunga-

Hungarorum Rex,Belę filius ingentiq; apparatu nuptias,cum Constantia Aragoniæ Regis filia Strigoniñ adornabat: Ad quas Henricum quoq; Boiemiæ principem inuitauerat.quod quia percommodè cecidit,ita videlicet vt Henricus cupiebat, iam pridem appetens,auidusq; fœderis cum Rege Pannoniæ ineundi,tam tempestiua occasione ad id conficiendum sibi oblata, non mediocriter lætabatur:uenitq; Strigonium ad diem nuptijs dictum. Quibus peractis ,ictoq; cum Rege pacis fœdere,dum Pragam remeat,in itinere accipit, insidias sibi in Morauia esse paratas, quas vt deuitaret, longiore diuerticulo vsus est,in Austriam vsq; deflectens à via, omnesq; frustrans insidias. Pragam reuersum,Proceres & frequens nobilitas , quæ ipsum Henricum in via sequebatur,vna omnes voce flagitant, ne inultam sinat Morauorum perfidiam. Tum Henricus, longè à me, inquit, tam impia mens faceſſat, vt propter delictum paucorum,in omnes desæuire velim , quando & illi pauci suo tempore, cuius Deus optimus est arbiter, debitas scelcribus pœnas luituri sint. Nimis religiosa hæc cunctatio,nimisq; nobilitati odiosa visa, dicenti, Principem decere,vt in puniendis propulsandisq; iniurijs segnis non appareat,alioqui malitiam dilata animaduersione longiùs processuram.Aut igitur delectui esse ei adnuendum,aut spectandum dum ipsi suo sumptu,vel inuito principe,copias contrahant in Morauiam deducendas. Ita velis nolis expeditioni Morauicæ adnuit,edicto prius proposito,capitis pœna sancito, si quis Præfecto copiarũ non paruerit,aut loca sacra quouis modo violauerit.Præfectus Morauiam ingressus, nullum in conspectu hostem armatũ videt. Mox edoctus ab exploratoribus,ad primum Boiemorũ aduentum perculsos,insidiarum conscios,arcibus etiam atq; vicis suis desertis,ex Morauia ad Premyslaum confugisse,arces illorum cum ipsis hominibus in deditionem recipit, ac solam pecorũ armentorumq; prædam militibus dilargitur. Sedatis rebus turbulentioribus Henricus,à quibus natura abhorrebat, ad Pontificiam deinceps functionẽ se vertit: atq; ad eam in primis intentus, munere suo in corrigenda Ecclesiastica disciplina fungitur. Adeò tunc ab intemperantibus & lasciuis sacerdotibus labefactatam,vt lapsus eius erigi,ac rursus in statum suum constitui,nisi per summã authoritatem, & præsentem censuram non facilè potuerit: latè enim vitia,& per multos sacerdotes diffundebantur , & idcirco multam seueramq; medicinam postulabant.Neq; enim temulentia,neq; libido,sicut neq; alius inueteratus morbus,alio quàm acri asperoq; , ac minimè blando medicamento curatur. Igitur Henricus , positis per diuersa loca tribunalibus,in quibus dati iudices præsidebant,per eos sacerdotibus temetum,ganeumq; sectantibus,famem sitimq; in carcere procurabat. Ibidem incontinentium æstuantem libidinis impetum eodem pharmaco domabat: cæteros verò, pro improbitate quemq; sua,ab officio ministerioq; suo remouebat,donec ad bonam frugem reuerterentur. Per quæ tamen remedia consequi non potuit, vt malum tam longo tempore , spacioq; propagatum statim tolleretur , sed vt minueretur, infirmareturq; . Fortè per idem tempus à Celestino Pontifice Romano legatus è collegio Cardinalium , Petrus à lata via cognominatus,in Boiemiam & Poloniam missus erat, vt decumas ab ijs, qui in sacris constituti sunt exigeret, in bellum Asiaticum conuertendas. Magna enim spes omnibus Christianis iniecta fuerat recuperandæ Hierosolymæ, Saladino mortuo. Et quanquam Henricus ita tum langueret,vt prodire obuiam legato ipse non potuerit: eos tamen procedere iussit, qui alios honore & dignitate præcederent. ab illis Pragam honorificentissimè deductus,ac liberalissimè cum toto comitatu ab Henrico habitus , vt intellexit sacerdotes plerosq; in Boiemia, vitã satis propudiosam viuere, diem consecrandorum sacerdotum promulgat. Ad quem cum plures iam pridem iniciati, quàm iniciandi Pragam ad S. Vitum conue-

*Filia Ferdinandi Regis Castellæ.*

*Henricus Strigonienſibus nuptijs reuerſurus in Moraua inſidias vix effugit.*

*Incitatur ad vindictam.*

*Premyslaus auctor inſidiarũ.*

*Cenſuram Henricus agit in ſacerdotes.*

*Petrus Cardinalis à via lata legatus Cœleſtini III. P. M. Pontifex decumat ſacerdotes in bellum ſacrum.*

*Oratio Cardinalis ad ſacerdotes de Cœlibatu.*

nirent,accurata oratione de Cælibatu habita, in hanc tandem summã dicta redegit,vt consecrandi continentiam iurarent.Hic turba sacerdotum cancellos circumstans,septa transilit, ac pro se quisq; candidatos sacerdotij, per diuos perq; diuas obtestatur, ne se liberos solutosq; alligari, castrariq; patiantur. Affatim superesse Monachorum, quibus solemne sit mundo & cupiditatibus eius renunciare per iusiurandum: illis cõtentum debere esse Legatum. Nec insuper mundo destinatis ministris, iugum velle imponere, quod patres eorum portare nequiuerunt.Hac petulantia verborum legatus vehementiùs accensus, imperat seueriùs Archidiacono, vt sacerdotum tumultum coherceat,& quos oportet,vt iurare cælibatum cogat. At illi Archidiaconum multis conuitijs, mox pugnis inuadunt, cum de repentè satellites armati ab Henrico ad sedandam rixam submissi aduolant. Ibi audaculorum aram, alij columnam, quæ corpus dominicum sustinebat circumplexi, religionem contra vim obtendebant. Sed eos Legatus inde abstrahi, per vimq; abduci mandat, inquiens,Nihil auxilij ex religione habere illos, qui violenter illam temerassent.Ac mox seueriſſimam in illos dixit sententiam,partim vt in carcere inedia necarentur,partim exilio punirentur.Qua tam acri animaduersione perterrefacti cæteri, ad sanitatem sobrietatemq;, & temperantiam paulatim sponte sua redibant. Idem Legatus benignũ hoc responsum ab Henrico tum de decumis,tum insuper de militia Asiatica retulit,fore vt ipso Henrico duce, si ex infirma valetudine conualuerit,Boiemi nequaquã vltimi,tam piam expeditionem sint sumpturi.Decere enim bonum pastorẽ, vt pro ouibus Christianis,animam quoq; suam libenter ponere velit.Iussitq; delectum haberi,ac cætera ad longinquam profectionem necessaria sensim parari. Cæterùm fama morbi eius crebrescente,& vsq; ad aures Premyslai perueniente,qui vt intentus ad omnem occasionem erat, ita subitum in Morauia vnà cum fratre suo Vladislao agmen coegit,quod Pragam duceret.Vocat ad se Henricus proceres,animumq; illis suum de Principatu deponendo aperit,datq; eisdem legendi principis potestatem quemcunq; voluerint, sibi, inquiens,vires ad obeundum Pontificatum vix sufficere, nedum vt principis præterea onus ferre possit,in tanto præsertim rerum motu,atq; cõtinenti ferè illius honoris ambitu. Qui aderant,simul omnes rogant, ne animũ despondeat ad inanem inimicorum strepitũ, quem mox ipsi suis viribus sint discussuri absq; omni eius cura, daret modò se ad meliores cogitationes, quibus nõ demutando rerum statu, se de recuperanda pristina valetudine secum cogitaret: sumptisq; propere armis,Vladislao & Premislao occurrunt.Non existimabant futurũ, vt tot agmina,tamq; robusta,in tam breui spacio coire possent.Cui tamen rei ambo fratres magnam causam præbuerunt, dum populationibus per viam qua ibant factis,concitant indignatione in se omnes læsos,illæsosq;. At contrà Henricus ex munificentia,in maxima tunc annonæ caritate,per frumentum à se coemptum indigentibus gratis exhibita,adeò factus est popularis, vt populatim ad eum defendendum vniuersi confluerent.Itaq; fuga maior,quàm prælium ab aduersa parte visebatur. In qua tamen Vladislaus captus & retractus, ad arcem Creuoclatam à custodibus deportatus est. Henricus rursum proceribus accersitis,consilium medicorũ illis indicat,suadentium loci cœliq; mutationẽ fieri debere,& ab omnibus rebus, quæ animũ sollicitant abstineri, alioqui nihil sibi profutura medicamenta.Se itaq; velle Egram oppidum in vltimis Boiemiæ finibus situm, refouendarum virium gratia petere.Interim administrationem regni curæ illorum delegare. Quartodecimo die, postquam Egram peruenit ibidem ab humanus exemptus est.In vtroq; magistratu tam æquus & moderatus, vt in dubio reliquerit, princeps an pontifex melior vixerit. Corpus Doxanam illatum,quo in cœnobio matrem etiam suam sepeliuerat.

*Castitati refragantur sacerdotes.*

*Archidiconus pugnis multatur.*

*Milites prætoriani sacerdotum tumultus compescunt.*

*Henricus morbo correptus principatu se abdicat.*

*Premislaus & Vladislaus inuisi cuiq; obgrassationes.*

*Henricus annonam egentibus gratis suppeditat.*

*Egræ moritur Henricus & princeps et pastor bonus decimoquinto Pontificatus anno.*

De

De ſucceſſore in comitijs ab ordinibus variatũ, primoribus ad Premyslaum, vti cæteris ætate priorem, inclinantibus: alia nobilitate cum ipſis ciuibus, Spitigneo adoleſcenti, ob memoriam Conradi ſuffragantibus. Sed ab hoc ſuffragio iſti à primoribus dicentibus, quòd ad parietem nimis adhuc propter ætatem caducum applicare ſe ſtuderent, victi protinus deſtiterunt, atq; de Premyſlao cum illis in certamen venerunt, interrogantes, an expediret ſummæ rei præponere eum, cui Cæſar eſſet infenſus? & quem ipſi recenti prælio vehementer offenderunt, fratre intercepto, & ipſo Boiemia turpiter expulſo? ita vt facilè coniectare liceat, ne nunc quidem aliud eum meditari, quàm quo pacto ſe vlciſcatur. Hæc tandem ſententia obtinuit, vt Premyſlai fratrem Vladiſlaum, de cuſtodia ereptum, principem conſtituerent, haud dubiè huius tanti beneficij, quàm iniuriæ ſua culpa contractæ, magis memorem futurum. Imò ea ipſa re, Premyſlaum quoq; multum de iracundia remiſſurum, poſtquã videret fratrem dominari. Eunt igitur confeſtim ad arcem in qua cuſtodiebatur, ibiq; principem illum ſalutant, & inſigni comitum pompa Pragam deducũt, prorſus ignarũ, vbinam gentiũ Premyslaus ætatem degeret: ſed nec quiſquã preſto erat, qui eũ de ſtatu illius docere poſſet planè miſero. Ad has enim rei familiaris anguſtias, ad eamq; pecuniæ inopiam redactus fuit, vt ob quærendũ victum quotidianum Ratisbonæ, vbi templum ædificabatur, ſeruili habitu operã ſuam architecto locare, totumq; diem rotam verſatilem in ſubducendis in altum lapidibus, verſare coactus fuerit, vno tantùm ex ſuis clientulo fideli, laboris ſudorisq; ſocio, quo cum dies continuos decem, cum ſe in opere illo defatigaſſet, relaxandi animi cauſa extra mœnia ad pontem Danubio imminentem progreditur, garriens cum clientulo, quicquid in buccam venerat, cum ecce tibi nuncius adeſt de morte[d] Henrici Cæſaris, Meſſanæ in Sicilia mortui, notum omnibus faciens. Quo Premyslaus exhilaratus, Adhuc, inquit, numen aliquod, fortuna melius nos reſpicit, quin redimus, & læti hunc diem in œnopolio conſumimus. Imò ait clientulus ſi lautius obſonare vis obſonium, en cape duos aureolos, quos in vſum futurum hactenus repoſitos habui ad obſonandum. Eos ſimulatq; ille accipit, ſubridens in Danubium proiicit. Domi, inquiens, non hîc lautiorem quærendam cœnam, ad quam maturiùs cœnandam, fac vt poſtero die accinctus ſis ad iter maturandum Boiemiam verſus. Cuius fines attingens, gratiora adhuc noua audit, fratrem videlicet ſuum Vladislaum natu minorem, Principatum in Boiemia gerere. Sed cum ſimul ei veniret in mentem, quàm incõmunicabilis eſſet regni ſocietas, viſum eſt, vt fratris ſententiam de longiore tutioreq; loco tentaret, ſi ſibi tanquã ſeniori de throno cedere, aut ſe in regni conſortiũ accipere vellet, datq; hac de re ad fratrem literas, controuerſiã tunc de Pontifice cooptando, cum collegio Pragenſi habentem. Suam enim Vladislaus in hoc authoritatẽ valere voluit, vt pro arbitrio ſuo, quẽ cuperet, Pontificem cooptaret, quemadmodum re ipſa fecerat, Henrico Danielem ſuum ipſius à ſacris vt vocant Sacellanum, ſubſtituendo. Sed in eius nomine ſacerdotes Pragenſes nullo pacto acquieſcere, nec eum ad vllam adminiſtrationem prius admittere voluerunt, quàm leges ipſis, iuraq; & ſuffragia libera reſtituerentur, quibus ex antiqua cõſuetudine hunc ipſum Danielem ſibi Epiſcopum legerunt, haud dubiè Vladislao gratificati. Quibus literis, cum eſſent redditæ, ſcriptum inerat: ex malorum theſauro, hoc malum illi defuiſſe, vt latomias Ratisbonæ lapidarias colere fuerit coactus, ſed omnem ſibi mœrorẽ abſterſiſſe lætitiam, quam ex fratris principatu concepiſſet, cuius fructum ad ſe quoq; ſperaret pertinere. Has literas Danieli & quibuſdam alijs recitans, rogabat illorum ſententiam. Cui Daniel, Caro, inquit, & frater tuus eſt Premyslaus, piumq; videri ac verè fratrem, vt in iſta anguſtia animę eius, tua opc illum ſubleues. Reſcribit mox Vla-

*Vladislaus Interrex è carcere III. quinquemeſtris.*

*Sors miſera Premyslai Ratisbonæ latomis inſeruientis.*

*Anno 1198.*

*Præmislaus Cæſaris audita morte in Boiemiã feſtinat.*

*Fratris animũ pertentat.*

*Ius nominandi Epiſcopi collegio non principi competit.*

*Daniel XVIII. Epiſcopus Pragenſis.*

*Reuocat Vladislaus fratrem Premyslaum.*

dislaus fratri, vt ad certum locum, quem nominabat, ad colloquium veniat, velle se tranquillo animo absq; multis arbitris cum eo, de rebus communibus fraternè conferre. Sed non latuerunt hæc cæteros nouarum rerum studiosos,

*Spitigneus cõprehendere conatus Premyslaum captus oculis priuatur.*

qui vt rursus aliquid nouarent, Spitigneo adolescenti persuadent, vt Premyslaum in via intercipiat: quo intercepto, ingens obstaculum, quod nunc ad emergendum ei obstaret, sublatum iri. Imprudens iuuenis, paruula manu, atq; ea inermi contracta, cum stultis consultoribus incidit in foueam quam fecit.

*Cedit fratri seniori Vladislaus.*

Hunc principes captum oculis in vincula conijciunt, ne aspirare deinceps ad principalem honorẽ posset. Ipsi inter se cõmendabili Vladislai pietate, qua vltro maiori fratri de loco suo, quem tantũ quinq; menses occupauerat, cessit, ita rem cõposuerũt, vt Premyslaus Boiemis, Vladislaus Morauis imperitaret.

[a] *Saladinus à Caliphis recens subiugata Aegypto, Hierosolymitanum regnum euertit Anno 1187. octuagesimoseptimo postquam à Godefrido in libertatem fuit vindicata anno.*

[b] *Tancredus Rogerij spurius præter Pontificiam auctoritatem occuparat regnum Siculum. Hoc pontifex Henrico donauit. Vt ius occupandi haberet, Constantiam monialem voto soluto illi iungit. Mortuo Tancredo eiusq; filio Rogerio, Henricus vtramq; Siciliam occupat, & ex quinquagenaria coniuge filium suscipit Fridericum II. Anno 1193.*

[c] *Constantia hæc postea vidua nupsit Friderico secundo Imperatori (quod vetus scriptor Hungarus) non Henrico Barbarossæ filio secudum Bonfinium. Ex hac Henricus senior Dux Sueuiæ, Rex Romanorum.*

[d] *Veneno quod propter adulteria coniunx illi propinasse dicitur. Vel inter venandum gelidam è fonte biberat, hinc mors sequuta.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER QVINTVSDECIMVS.

*Philippus Barbarossæ filius Imperator desig. Anno 1199.*

NOn perinde in Germania tunc res, atq; in Boiemia tranquillæ erant, Principibus seditione laborantibus, & quod ante id tempus cõtigit nunquã, duos Cęsares sibi legentibus, Philippũ Sueuiæ Principem, Archiepiscopus Moguntinus, Othonẽ Saxonẽ Archiepiscopus Colonienſis inaugurauit, vtrumq; factione potenti fultum. Quippe vltra Germaniæ Principes, Philippum, Rex Galliæ: Othonẽ, Rex Britannię adiuuabat. Premyslaus mediũ tum adhuc agebat animo fluctuãs, in vtram partẽ sese daret, cũ ei ex Lusacia affertur, Saxones excursione illò facta, pagos aliquot diripuisse, pecoraq; inde in Saxoniã abegisse. Extrudit cõfestim

*Contra eum Ottho dux Saxoniæ Henrici Læonis F. Henrici Superbi.*

*N. Saxones populantur Lusatiam.*

suos Premyslaus, qui Othoni, Saxones de prędа abacta deferrent. Atq; ille subridens, deludensq;: Nimis, inquit, intempestiuã sibi videri hanc querelã, quasi Premyslaus morũ militariũ sit ignarus, qui aliter viuere nisi rapto vix sciant,

*Ottho Premyslao conquerenti superbè respondet.*

& postquã in Saxonia rebus necessarijs in præsens destituantur, quid noui, si illas apud vicinos rerum abundantiores quærunt? Inter hæc legati à Philippo in Boiemiam veniunt, spes amplissimas Premyslao ostentantes, si Philippizare in animum induxerit. Sine vlla deliberatione, ita se facturũ respondit,

*Philippo Cæsari Premyslaus se adiungit.*

& illis adhuc præsentibus, Otthoni bonam vicinitatẽ renunciat, subiungens: Suum quoq; militẽ scire ex rapinis & spolijs viuere. Delectoq; robore trium millium

millium in Boiemia equitum,quibus duo ductores dati cũ mandato,vt hunc numerum in Lusatia adaugerent, si aucto opus esse cognoscerent, ac talem cum illo in Saxonia operam nauarent, qualis mercede digna foret. A finibus illi statim vastare Saxoniam incipiunt, tantumq; incolis terrorem igni & ferro immittere,vt multitudo gregatim ad Otthonem confugeret: sed neq; ipse hostibus,quorum vires planè ignotas habuit,se obijcere audebat, sed mœnibus inclusus munitissimis,expectabat dum tempestas adeò procellosa transiret,quod ante factum non fuit, quàm se miles Boiemus varijs spolijs satiaret, ac sua sponte inde decederet.Hæc quam grata Philippo acciderint, ex beneficio Moguntiæ Præmislao collato facilè quis existimare potest. Venerat post rem bene gestam Premislaus Moguntiam, in qua conuentũ principum Philippus habuit. Ibi priusquam de bello instaurando deliberari, aut quicquam tractari cœptum esset, Premyslaum de omnium qui aderant, sententia, Regem Boiemiæ creat, imposita ei sua manu corona regia.Exin tandem interregnum in Boiemia finitum, Regibus sibi deinceps continua serie succedentibus. Postquam vsu didicerant, ad dignitatem atq; existimationem tuendam plus referre inter ipsos Reges, quàm inter principes censeri, præsertim apud Boiemos in tam corrupta procerum indulgentia ac licentia, per quam ipsos principes non solùm nimis sibi familiares, verùm etiam obnoxios faciebant. Primus Philippo congressus cum Otthone ad Aquisgranum fuit, non valde secundus.Nam Ottho locum illum obtinuit, in quo etiam coronatus est. Indeq; circa Rhenum,quasi iam omnium victor, circumuolitabat, donec Philippus reparatis viribus,Regeq; Premislao sibi adiuncto,licentiam eius reprimeret, vno prælio ad Mosellam inito, cuius traiectum Otho impedire conatus est, altero iuxta * Aquileiã,in quo similiter ac priore Otho malè acceptus est,ita vt lentiùs posthac æmulum prælio lacesseret. Sed non defuerunt protinus, qui semina discordiæ inter Philippum & Premyslaum disseminarent, ac inter primos Arnolphus quidam Episcopus cognomento Tarsonus,grauiter Premislaum accusans de damnis Bauariæ illatis, dum ab expeditione, tum Germanica, tum Italica reuertitur, quæ tam grauia fuisse fingebat, vt Bauari quouis gentium multò libentiùs abire mallent,quàm expectare tertiam Boiemorum per Bauariam expeditionem, quæ haud dubiè illos ad extremam vastitatem redigeret.His Philippus ad indignationem commotus,breues admodum ac præcisas ad Premyslaum scribit literas:Non egere se amplius,inquiẽs, eiusmodi Premyslai auxilio,quod vltimum suis subditis exitium afferat. Subitò hæc indignatio per rumigerulos in aulam Othonis dissipatur. Nec Otho segnis ad explorandum quo in se animo Premyslaus esset, & si qua ratione pertrahi in suam causam possit.Missus ad Regem Hermannus Turingiæ princeps,veteri familiaritate illi iunctus,cum muneribus & ingentibus promissis. Quibus adeò Rex se expugnari passus est, vt cum Theoderico etiam Misniæ Marchione,qui Philippi adherebat factioni,affinitatem dirimeret,facto cum sorore eius diuortio sub sterilitatis prætextu,illaq; in Misniam remissa, vt nouis in Boiemia nuptijs locum euacuaret,quas paulò post Rex,cum [a] Constantia,Belæ Regis Pannoniæ filia contraxit,Romani Pontificis assensu,quem per Otthonem,Innocentio tunc adhuc acceptum obtinuit,in tantamq; gratiam se apud eundem Ottonem posuit, vt cum Saxones Premyslaum laudantes, identidem sua voce repeterent,Otthischgar, hoc est, Otthoni totus deditus, quod Boiemi non intelligentes, putabant nouum Premyslao à Germanis indi vocabulum, vocariq; Ottogarum, nec aliter posthac quàm Otthogarum cognominabant. Ergo vt se Otthonianum esse ostenderet, quantumuis leuiter adhuc à Philippo exagitatus fuerit, nimis impotenter tum igne, cæde, vastitate, imperio Philippi subiectos opprimebat:cæterùm nusquam ad ma-

*Irritatus Premyslaus bello persequitur Saxones.*

*Saxoniã vastat Premyslaus.*

*Premyslaus Rex III. Bohemiæ à Philippo Cæsare Moguntiæ corona tus.*

*A Premyslao omnes ordine sibi succedunt Reges Boiemiæ. An. 1199. Ottho IIII.*

*A Richardo Rege Angliæ Colonienſis impulsus Ottonẽ Aquisgrani coronat.*

** Argentinam vel Coloniã siquidẽ vtrobiq; victor fuit Philippus.*

*Arnolphus Episcopus Regẽ Boemiæ falsò criminatur apud Cæsarem Philippum.*

*Patulas calumnijs Cæsar habet aures.*

*Factioni Otthonis Premyslaus adhæret.*

*Hermannus Langrauius Thuringiæ.*

*Premyslaus repudiata Misnij filia, Hungarã ducit.*

*Innocẽtius III.*

*Origo nominis Otthogarus, alij Odoarum dicunt.*

*Ottischgar.*

*Vastat Philippi Cæs. ditionem Rex.*

nus & prælium ventum, quod tamen futurum tolerabilius videbatur, quàm tam lata regionatim, violentaq; populatio. Ac tum demũ Philippus ſuorum incommoda, non vt prius ab Arnolpho conficta, ſed re ipſa oculis repræſentata, cum ſummo dolore ſenſit, ſeq; probè vlciſci parabat, ſi Arnolphus vindictam morte non præueniſſet. Nec interim tamen quidquam eorum omiſit, quibus Premyslao viciſſim incommodare potuit, æmulo quoq; ei obtruſo. Erat id temporis Magdeburgi ſtudiorum gratia Theobaldus, ſtirpis Boiemiæ principum iuuenis: hunc Theodoricus Marchio, perblandis & benignis verbis aggreſſus, ad ingentes ſpes inuitabat, dictisq; aſſentientem, ad Philippum Cæſarem ſecum adduxit, quem is mox per vexilla, more vſitato, principem Boiemiæ declarat, prætendens indignum eſſe regno Premyslaum, qui Theoderici ſororem indigniſſimè repudiauerat: amboq; iuuenem contra eum ornant, atq; inſtruunt armis, virisq;. Sed adeò iam Premyslaus in regno inueterauerat, ſuoſq; in poteſtate habuit, vt ſibi à Tyrunculo illo copijsq; illius nihil planè timeret. Quin rurſus potiùs aduerſus ipſos belli authores ferrum & arma ſua conuertit, non ſolùm in ædificia profana, ſed etiam in ſacra loca, rapinis & omnium ſpoliorum genere deſæuiens, ipſo Othone quoq; indignante, quod neq; ditioni ipſius ſubiectos Boiemi intactos reliquerint. Non elanguit cura Philippo, quanquam recenti ſuorum calamitate plurimum offenſo, quin ſollicitus tamen cogitaret de reconciliando ſibi quouis modo Premyslao, maximè poſtquam animaduertit, ea quæ alium terruiſſent, hunc magis incitare ad audaciam. Quare omiſſo terrore, rurſus fauore potiùs permulcendum eum ratus, hactenus ſe ſubmiſit, vt in oppidum Egram, in extremis Boiemiæ finibus ſitum, venturum ſe vltrò ad Premyslaum offerret: adeò Cæſares quoq; interdum erga eos, quorum egregia opera indigent, ambitionis ſuæ obliuiſcuntur. Ibi non ſolùm ſimultas, quæcunq; inter eos interceſſerat depoſita, ſed noua præterea affinitas contracta fuit. Nam Philippus filiolam ſuam, cui Kunigundis nomen, filiolo Premyslai Venceslao, quem ex Conſtantia tulit, interpoſitis ſolemnibus pactionibus deſpondit, eamq; paulò poſt cum ſponſo nutriendam Pragam miſit, non ſine offenſa principis Rheni Palatini, cuius filio ante pacta fuit. Theobaldus item in gratiam Premyslai tunc repoſitus, quam per æmulationem à Theodorico inductus turbauerat. Porrò Philippus, quem paulò ante aduerſariorum copiæ timidiorem reddebant, vbi tantam rebus ſuis, ex amicitia Premyslai & auxilio factam vidit acceſſionem, ſic & animo & ſpe confidere cœpit, vt Otthonem laceſſere, belloq; perſequi, ac poſtremò in vrbe Colonienſi obſidere auderet. Hoc verò maximè indignum videri Othoni, qui mentem altam & ferocem præ ſe ferebat, vti mœnibus velut carcere coherceretur: totus igitur ad eruptionem faciendam, manumq; cum hoſte conſerendam feſtinabat. Erumpentem ciues deſerunt, mœnia armatis complent, portas occludunt, ad hancque neceſſitatem adigunt, vt non tam præliari, quàm perrupto agmine, in locum tutiorem euadere opus fuerit. Euaſit vnà præſul vrbis, & princeps Lymburgi. Præſul ad arcem Vaſenbergam, cuius munitioni fidebat, ſubſtitit, ſed eam mox cum illo Philippus recepit. Cæterùm Otthonem cum Lymburgo aſſequi non potuit, in Saxoniam ſuam nimis properantem. Quare Coloniam reuerſus, quò ſibi ciues magis obnoxios faceret, aliquantum temporis cum Premyslao per ſummam lætitiam ibi contriuit, dein Regem liberaliſſimè donatum à ſe dimiſit. Non diu poſthac ſuperſtes, Palatino Rheni ob contumeliam, quam mutatis ſponſalibus accepiſſe ſe putabat, vitæ eius inſidianti, donec incautum manu ſua Bambergæ noctis tempore[b] occideret, cæde antehac in Germania aduerſus Cæſarem inaudita: illum tamen viciſſim, ſed non continuò Henricus Philippi intimus

*Thobaldus à Mſniæ Marchione Premyſlao æmulus obtruditur.*

*Quonam hic ſit referendus Theodoricus nulla cõiectura aſſequi licet.*

*In auctores cuditur faba.*

*Philippus Cæſar Egram ad Regem venit illum placaturus.*

*Kunigundis Cæſaris filia Venceslao Premyslai F. deſponſata.*

*Theobaldus Premyslao reconciliatur.*

*Philippus Otthonem Coloniæ obſidet.*

*Eruptione facta Ottho cum Epiſcopo Colonia excluditur.*

intimus amicus, in Rheni insula simili casu prostrauit impunè. [c] Occiso Philippo imperium ad Othonem recidit, de vindicta inprimis sollicitum, quam inferre Premyslao statuerat. ad quam rem, & militem scribere cœpit proposito continuaturus, si non illud cognatus eius princeps, & Magdeburgensis antistes interpellassent. Multa alia & magna restare dicentes, ad quæ peragenda prœuerti deceret. Iacere adhuc Imperium seditionibus, bellicisque tumultibus perturbatum: quæ quidem mala nisi ex illo sublata fuerint, suspicionum, offensionumque, denique & bellorum causas nunquam defuturas: auferri autem posse hac vna ratione, si omnes imperij principes, data publica fide, ad deliberandum, statuendumque de quibuscumque controuersijs conueniant. Si quis principum abfuerit, suo quemque damno abfuturum. Quum placeret consilium, dies principibus publica fide Bambergam ad conuenien dum edicitur. Ad quam Premyslaus quoque præter Othonis expectationem venit, non pluribus quàm ducentis equitibus comitatus, Ibi occurrentibus principibus sua prudentia authoritateque, ac se medios inter Cæsarem & Regem interponẽtibus, dissensio citra vllam cõtrouersiam sedata fuit. Actumq; deinceps de expeditione in Italiam facienda, coronæ Cæsareæ sumendæ gratia, plerisque principibus nomina in illam sua dantibus. At Rex trecentos viros, æquosque cataphractos se missurum Cæsari spopondit, & ad tempus præstitit. Exin rebus suis domi curandis intentus, Venceslaum filium, etiamtum puerum, Regem coronat, [d] Theobaldo filiam Henrici cognomento Barbati, Vratislauiæ principis, in matrimonium elocandam curat, additque eidem copias, quibus succinctus opem ferat socero, ad recipiendum Poloniæ principatum, ad quem [e] Lesco natu minor aspirabat, Conrado Masouiæ principe eum adiuuante, instiganteque, vt cum Henrico, quem mansueto, & à cædibus alieno esse animo sciebat, armis cõtenderet. Castris prope Cracouiam positis, inuitat ad colloquium Henricus Lesconem, eique conditionem offert, vt ad arbitrium Poloniæ Procerum, rem controuersam potiùs, quàm in discrimen belli conferant. Qua accepta Lesco, sententiam etiam Polonorum fauorabilem accepit, vt ipse princeps, tanquam magis acer, excluso mitiore diceretur: munificentissimè tamen Henricus à Lescone & Polonis habitus est. Ibi tum primum gens ista, quæ se Thataram appellat, gentium omnium, quæ extremos Scithiæ vergentis in ortu fines incolit, barbarissima truculentissimaque, rumore emersit, postquam trans Tanaym, & Mœotim, duce Persa quodam, humili & sordido loco prognato, sed manu strenuò, Dauida vocabant, aliquot populis expulsis, occupataque Chersoneso Taurica, finem tandem sedis incertæ fecit, quanquam in hunc diem vaga duret, ac inquieta, & castra potiùs in campis, quàm ædificia in oppidis habitans, tam indomita genti feritas, vt ne tanto quidem tempore intercedente, beluinam vitam exuere queat, tamque immanis in Christianos illius rabies, vt cani magis rabioso, quàm homini Christiano se parsuram iactitet. Sed nec efferaciùs ista verbis iactat, quàm opere exercet, id quod Poloni, Rutheni, Lithuani, miserandum in modum subinde experiuntur. Subinde enim nationibus illis propter vicinitatem feræ illæ immanissimæ, improuiso superueniũt, quo faciliùs incautos opprimant. Sed mox plura de Thataris. Sub idem tempus Premyslao ex Italia noua afferuntur: Othonem post susceptam ab Innocentio pontifice imperij coronam, pro eo beneficio, malam illi referre gratiam, dum pleraque Pontificis oppida in Hetruria inuadit, atque occupat, dumq; Siciliæ, Apuliæque, & Neapoli imminet, quæ Regna Fridericus adolescens, Henrici Cæsaris filius, authoritate Pontificis tenuit. A quo sæpius Otho commonefactus, vt ab eiusmodi iniuria abstineret, ac id potiùs, quod officij sui esset, ageret, tam in amplificando Ecclesiæ statu, quàm in conseruandis

*Cõuentus Bambergæ ab Othone indictus.*

*Sublata odia inter Cæsarem & Regem.*

*Rex filiũ Venceslaum puerũ coronat.*

*Thatari.*

*Thatari Russis & finitimis Lithuanis atque Poloni primũ innotuerunt. Anno 1188. vel vt alijs 1202.*

*Otho à coronatione ingratus Pontifici.*

*Abrogatur illi Imperium.*

*Sigisfridus Moguntinus formulam anathematis publicauit.*

*Fridericus II. Cæsar desig. Anno 1210.*

*Fœdus Friderici cum Philippo Rege Franciæ.*

*Galli victores.*

*Copijs Anglicis prælium hoc infeliciter gestum.*

*Sponte abdicauit quinquennio ante mortem.*

*Anno 1218.*

*Amplissimis priuilegijs Rex Boiemiæ à Friderico II. Imperatore donatus.*

regnis Christianis in bona pace & tranquillitate. Tantùm abfuit vt resipiscere voluerit, vt magis adhuc quàm prius Pontifici insultaret. At ille contumacem anathemate ferit, imperiumq; ei abrogat, & Lectoribus dat legēdi aliū potestatem. Qua de re cum Premyslaus quoq; à Pontifice literas accepisset, cum Moguntino Treuerensiq; Archiepiscopis, & Turingiæ principe, Fridericum annum vigesimū agentem, deligunt Imperatorem. Hic statim in Sueuiam ad natale solum, superatis, auxilio Premyslai & Leopoldi Austrię principis alpibus, profectus, regni Germanię diadema à Moguntiuo Archiepiscopo accepit, & cum Ludouico Gallię Rege fœderis amicitiæq; pacta iniit. Quibus omnibus Otho, velut facibus ardentibus inflammatus, & ipse in Saxoniam suā reuersus, ignem toti Germaniæ immittere festinabat: quo, se pernitiem cunctis suis aduersarijs allaturum minitabatur. Sed cum accepisset, Regem Gallię firmo ac valido exercitu in eam Germaniæ partem, quæ Flandria cognominatur, aduentare, ei rei primū præuertendum ratus, Gallo magnis item viribus in via occurrit, nec vllam prælij conserendi moram facit. Diu pugnam ancipitem Saxones, pro domino suo fortiter pugnantes fecerunt, sed vicerunt tandem Galli memorabili victoria, fuso prostratoq; Othone, tanta clade, vt posthac nunquā ad pristinam potentiam se erigere valuerit, pœna (ut ferunt) peccati, quam ex contemptu religionis contraxit, sic eum vbiq; locorum deprimente, vt Friderico, cum quo Premyslaus assiduus erat, ad omnia loca, ad quę pugnam contra eum instaurabat, turpiter succumberet. Ex mœrore inde mortuus. At Fridericus Cęsar, quo gratum liberalemq; animum erga Premislaum Regem ostēderet, arbitrium ei petendi offert, quicquid impetrare à se cupiat. Cupit ille, vt finibus regni sui in Germaniam promotis, liceat sibi posterisq; suis pacatè perfrui. Vt item liceat liberè in toto regno, sine vlla tributi externi exactione regnare. Vt deniq; liceat concilijs principum à Cæsare indictis non adesse, nisi indicta fuerint, aut Bambergæ, aut Norнbergæ, aut Ratisbonę, vrbibus Boiemiæ vicinis. Ad hæc omnia præstanda Fridericus non modò benignum se & facilem prębuit, sed laxato beneficentiæ suæ sinu, fines præterea Regni amplificauit, additis illi, Meylinensi, & Mantiliensi regionibus, ac nonnullis arcibus insignibus æternùm possidendis. De Episcopis verò hactenus, & in hæc ipsa verba sua literis expressa indulsit. Ius quoq; & authoritatem inuestiendi Episcopos Regni sui, integraliter sibi & hæredibus suis concedimus, ita tamen, quòd illi gaudeant libertate & securitate, quam à nostris prædecessoribus habere consueuerunt, de nostræ, aut imperialis libertatis munificentia. Sed domi quoq; Premyslaus Regnum nouis ædificijs, nouisque religiosorum sodalitijs exornabat. Nam inter alia opera præclara, duo Pragæ cœnobia

*Familiæ sodalium Franciscanorum & Dominicanorū in Boiemiam inuectæ.*

*Premislaus pietati parum addictus.*

*Andreas XIX. Episcopus Pragensis.*

*Obiurgationē Episcopi non æquis auribus audit.*

*Sacerdotes uectigales facti.*

exsit, alterum diui Clementis, alterum diui Francisci titulo, atq; in vtrumq; sodales transtulit, quos nuperrimè, siue ipse Franciscus, siue Dominicus plantauit. Cæterùm hactenus pietas Premyslai probata, de cætero frigere cœpit, calore religionis illam sensim deserente, dum sacra Premyslaus cultumq; diuinum nunc intermittit, nunc fastidit, nunc planè omittit. Cuius certè negligentiæ morbus subitus, ita vti Andręas, qui Danieli in Pontificatu Pragensi successerat opinabatur, pœnas ab illo exigere videbatur. Regem igitur ægrotum inuisens pro officio suo, ad expiandam sacrorum negligētiam illum adhortabatur. At ille tacere eum iussit, si alia remedia dicere nesciret præsenti languori apta, habuitq; posthac eū in odio, ex quo multa in sacerdotes mala permanarunt, Rege iniurias illorum dissimulante, quas à nobilitate, aut à vulgò per conuitia, per spolia, & aliquoties per verbera accipiebant. Repertaq; in eosdem tunc fuit iniquissimæ exactionis singularis improbitas. Nam vbi ab Hæbræo vnus vectigalis nomine exigebatur nummus, ibi à sacerdote decem, mox viginti nummi extorquebantur, frustra Andræa Pontifice aduersus impotentiam

potentiam queritante. Atque ea causa ei fuit, cur ex Boiemia in Austriam secederet, vt videlicet ex loco tuto Regem vnà cum nobilitate percutere Anathemate posset, quo facto, Romam migrauit. Tanto inde atrociùs quàm prius Lupi in gregem dominicum, pastore absente desæuiebant, iam cum pabulis caulas quoq; illi & stabula adimentes, ac præcipuè in cœnobitarum possessiones inuadentes, illas q; diripientes. Cuius rei indignitate ante alios Abbas Strahouiensis commotus, Regem sibi compellandum huiuscemodi verbis putauit: Quo in periculo sita sint Deo consecrata loca nostra, Rex inclyte, nos qui in illis habitamus, etsi propiùs sentimus, tamen alij quoq; de longinquo videre possunt, ad quam miserabile exemplũ, omnibus fermè præda sumus, quos modò prædari haud pigrescat, qualium sine numero quotidie apparet numerus, quoniam nemo existit, qui illorum licẽtiam cohibeat, sed pleriq; etiã eos in nos exacuunt, quasi nostra hic res ageretur, quos habent cõtemptissimos, quia mundum, quem ipsi amant, contempsimus, cum tua potiùs res maximè agatur. Nam quid nos aliud, quàm curatores & fiduciarij tutores sumus, vt bonorum videlicet nobis creditorum fideliter negocia geramus, cæterùm imperium & potestas, atque legitima tutela tam in nos, quàm in cœnobia, ad te vnum, tanquam ad Regem nostrum pertinet. Ab Regibus namq; & principibus donationes istæ in pia consortia profectæ sunt, non vt profanentur ac temerè distrahantur (semel enim Deo sunt dicatæ,) sed vt pietati perpetuò seruiant, quod quidem aliter fieri nequit, nisi Reges dona sua perpetuò tuenda susceperint. Nam vt inter alia, quæ cum decore pietateq;, & vtilitate in regno constituta sunt, & in hac parte maiorum tuorum licet prudentiam agnoscas. Extruebant illi compluribus in locis cœnobia, plurimisq; vicis & pagis ac colonis illa dotabant, religionis vtique amplificandæ in primis gratia, interim tamen commodo etiam suo Regniq́ue sui, quod retineri sine opibus & viribus non potest, consulentes. Adeò autem opes cœnobiorum inter suas nũmerabant, vt Cameram suam appellarent, quòd inde belli tempore, velut ex penu annonam, & alium commeatum sibi sumerent. Et si opus erat perfugio, præsertim in seditionibus domesticis, non tam cœnobia, quàm propugnacula, ac tuta militibus receptacula habebant: quorum nihil facere licebat in locis profanis, suos possessores habentibus, sæpius etiam principibus suis rebelles. At fidi, dictoq́ue Regum nostrorum semper audientes, nos contubernales, qui in omnibus pijs contubernijs viuimus, perseueramus, deprecationes, obsecrationes, interpellationes in dies singulos, noctesq́ue, cum gratiarum actionibus facientes pro omnibus hominibus, ac præcipuè Regibus, & alijs in eminentia constitutis: nec interim curare negligentes, vt salua tibi maneant cœnobiorum tuorum bona, cum Regni tui salute. Vide igitur an conueniat, te propria, quod prouerbio dicitur, vineta cedere? quibus amputatis, sterilem posthac domi, mutilamq́ue, & apud exteras nationes non satis honestam obtineas dignitatem. Benignis ista auribus sunt audita, factumq́ue mox edictum capitale, si quis deinceps auderet viris locisque religiosis insultare. Venitq́ue simul regi in mentem Andrææ præsulis, vti eum Roma Pragam per literas reconciliationem pollicentes reuocaret. Sed iam Andræas in itinere erat cum Legato, quem Honorius Romanus Pontifex ad Regem mittebat, qui cum illo de iniurijs sacerdotum ita ageret, vt omnibus calamitatibus in posterum liberarentur, vtq́ue Præsulem in antiquam cum Rege gratiam reduceret. Quæ sanè Legatus nullo ferè negocio celeriter confecit, adeò Rex se facilem ad mandata Honorij præbuit, quem sic constantem, suiq́ue iuris tenacem esse sciebat, vt nullis Friderici Cæsaris minis, aut armis deterreri potuerit, quo minus in illum Ecclesiasticã ditionem impugnantem, gladium censuræ Pontificiæ stringeret, armaq́ue

*Rex excommunicatus.*

*Abbas Strahouiensis lepida oratiuncula Regẽ permulcet.*

*Cœnobia, Regum sunt horrea & penu.*

*Cœnobia, Regni ceu fiscus.*

*Edictum denõ lædendis sacris bonis.*

*Reuocatur Andræas Roma. Honorius III. seuerus in Fridericum.*

*Satisfit sacerdotibus.*

deinde armis opponeret, postquam gladium, quem spiritalem vocant, Fridericus perinde quasi plumbeum irrideret. Sed Regem paulò post tristis nuncius mœrore affecit. Vladislaum fratrem cum quo illi prorsus fraternè semper conueniebat, supremum in Morauia diem obijsse, funeratumque esse nuncians, in nouo cœnobio, quod recens Velegradi excitauerat, & absoluerat. Nam cum locus ille Velegradensis animo Vladislai valde arrideret, propterea quòd fœlix auspicium Morauis ad Christianismum dederit, extaretque in illo, primum Christiano ritu à diuo Cyrillo consecratum templum, non cultu, non laxitate, non situ conspicuum, vetus dirui, & nouum haud procul inde, assensu Ruberti Olomucensis Antistitis ædificari iussit, in hanc quam hodie quoque conspicimus amplitudinem & dignitatem. Mandatumque item suis, vt ibi conderetur, quemadmodum conditus est ingenti omnium ordinum luctu: de omnibus namque ordinibus optimè meritus esse videbatur, optimè consulens vtilitati omnium, pace, iusticia, æquitate, ciuilitate. Ad hæc in operibus pietatis sic exercitus & perseuerans, vt nullum ferè diem intermitteret, quin pietatem aliquam exerceret in orfanos, in viduas, & alienæ opis indigentes. Cum Roberto verò præsule, donariorum quibus aræ altariaq; ornantur, quasi certamen inerat, vter videlicet preciosiora templo diui Venceslai, quod Robertus igne collapsum instaurauerat, offerret: obtulitq; crucem auream vnionibus distinctam, duodecim auripondo grauem: quam tamen & opere, & precio, & gemmis, præire videtur scrinium reliquiarum diui Christini, quod Robertus pro Sarcophago in Choro suspendit. Natione hic Brittannus erat, sed multis annis inter Boiemos versatus, in contubernio sodalium Cistercienſium, qui in oppido Boiemiæ Nepomuco commorabantur, quibus præpositi etiam nomine præfectus fuit, antequam ad Episcopatū postularetur, ipsius quoque Vladislai testimonio, vti dignus approbatus, qui debuerit ad eum locum prouehi. Ab hoc præpositura Olomucensis instituta, rebusque necessarijs liberaliter instructa: Mortuus, in eodem quo Vladislaus templo est sepultus. Emiserat fortè in aula Regis, cum de obitu Vladislai nuncius Pragam veniſſet, Andræas Pragensis Antistes, vocē haud satis prouidam, inquiens, vnicum sacerdotum præsidium patrociniumq; vnà cum Vladislao intercidisse. Qua voce Rex, nō secus atq; contumelia offensus, iudicansq; mala fide secum in gratiam præsulem redijsse, vicissim illum contemnere, ac bilem illi sæpius dissimulata sacerdotum iniuria excitare, donec iterū Andreas Romam perfugeret, vbi tandem extremū vitæ clausit diem. Caput eius sacerdotes Pragam referri, & in sacello diui Venceslai supra aram recōdi curarunt, dignum esse dicentes, vt caput libertati illorum natum, in loco obuio, ac maximè celebri reponeretur. Successorem Vladislao in Morauia Rex Vladislai filiū cognominem dedit. In Boiemia autem haud parua de præsule dissensio erat, proceribus qui bona illius intercepta occupabāt, pro humili quouis simplicij; contendentibus vt in locum Andreæ cooptaretur, cæteris hebetem, inhabilemq;, & futurū velut pictum Episcopum abominantibus, cum episcopus magnarum rerum, tum diuinarum tum humanarum curam sustinere cogatur, secundumq; à rege locum in regno obtineat. Itaq; duo sunt nominati, ambo ex collegio Pragensis consorcij, alteri Peregrino, alteri Budiuoio nomen. sed vtrumq; Honorius pontifex Romanus exautorauit. In Ioannem tandem cognomine Scolasticum, ex eodem collegio profectum suffragia conspirauerunt, accedente Regis quoq; calculo. Quem Honorius Pontifex approbauit, breui pòst vita functus, Gregorio eius nominis nono, successore, pariter diris Fridericū Cæsarem insectante, quoniam frustrata sæpius Hierosolymitana expeditione, vires suas ad persequendos romanos pontifices cōuertebat. Redierat illo tēpore in Germaniā Fridericus, indicto totius Germaniæ cōcilio Argento-

*Vladislaus Regis frater moritur Velegradi quod cœnobium ipse eo loci vbi nunc est extruxit.*

*Donauit Ecclesiam Olomucensem pretiosis ornatibus.*

*Robertus Anglus Episcopus Olomuzij.*

*Præposituram Olomuzensem instituit.*

*Andreas Episcopus denuò Regem offendit.*

*Vindex & assertor libertatis Ecclesiasticæ.*

*Competitores de Episcopatu.*

*Iohannes Scolasticus XX. Episcopus Pragensis.*

*Gregorius IX.*

*Fridericus non suscipit sacrū bellum.*

Argentorati:cui vt Premiſlaus quoq; Rex intereſſet,vehementer rogabat.Sed ille tum ętate,tum diuturno otio ſegnior factus,tam longum iter ire grauabatur. Ne tamen Cęſari nō gratificaretur, Bretiſlaum agnatum ſuum illò miſit, data ei ſententiæ dicendę poteſtate,ſi quid in rem cōmunem conſuli ſenſerit. Conſilium ibi erat de legendo Imperatore, de quo Fridericus ad omnes ordines retulit,nominansq; filium ſuum Henricum annos natum decem,ingētia pollicebatur aduerſus hoſtes in Syria Chriſtianis infeſtos, ſi de hoc ſucceſſore certus ſecurusq; fieret. Cuius deſiderij compos factus,ſuo rurſus more vniuerſos fefellit,copias non in Syriam,ſed in Italiam contra Pontificem traducendo,quam tum primum in duas factiones diuiſit,vt apertè ei conſtaret, vtras quiſque partes Pontificis an Cæſaris ſequeretur. Pontificios Guelphos, Cæſareanos verò Gibellinos,execrandis factionum,ac toti Italiæ maximè funeſtis nominibus appellabat.Nulla enim regio, nulla ciuitas, nullum oppidū ab hac contagione liberum erat, ſed in omnibus locis prælia ſtudio partium, plus quàm ciuilia miſcebantur. Actumq; de pontificis maieſtate videbatur,ſi non ille armis Venetorum & Florentinorum adiutus, militem præterea cruce inſignem,ad retundendam Friderici ferociam per tempus obieciſſet.Leopoldus Auſtriæ princeps, Cæſaris caſtra cum primis armatus comitabatur, cura adminiſtrandæ Auſtriæ filio Friderico demandata. Huius incuria nonnulli inquieti Auſtriaci,prius latronum modo ſparſi,pòſt manipulatim collecti,ad populandos agros Znoymenſes in Morauiam ſunt ingreſſi. Vladiſlaus Marchio ad Premiſlaum Regem patruum ſuum opis ferendæ gratia Pragam confugit,qui cum viribus tunc attenuatus eſſet,vltionem mandat Venceſlao filio, quem iam pridem regem cum vxore Kunegunde, auſpice Zyfrido Moguntino pontifice coronauerat, atq; ille ab oppido Auſtriæ, iuxta Danubium ſito,quod Cremes vocant, exorſus finem vaſtandi, ſecundum Danubium loca omnia non prius facit, quàm ad fines Morauiæ cum multiplici præda redit. Volant protinus in Italiam ad Leopoldum à Friderico literę,grauiſſimam querelam de calamitate à Boiemis accepta complexæ.Sed longè grauius Leopoldus apud Cæſarem queritur, ſe, dum illum in peregrina militia ſequitur, hoc domi lucrifeciſſe, vt ſua ferè omnia bona audiat à Premyſlao eſſe peruaſtata, ideoque commeatum abeundi petere, vt rebus ſuis præſens conſulat, ſenſurum breui Boiemum quem laceſſierit. Non erat tempus diminuendarum, ſed potiùs augendarum copiarum in tanto Italiæ tumultu.Itaque Cæſar amicis Leopoldum verbis conſolari, ſibique hanc vindictam vendicare, quam ſe retributurum Boiemis cum primum in Germaniam reuerſus fuerit, pollicetur,interimque Auſtriam cum filio ſecuram præſtaturum: ſcriptæque confeſtim ad Premyſlaum literæ minarum plenæ, quòd Cæſare abſente,Germaniam cum armato milite incurſare auſus fuerit, eiusque audaciæ pœnas ſe exacturum interminabatur.Cæterùm Leopoldus haud multos poſt dies in Apulia eſt mortuus. Cæſar autem tot ibidem & tantis negocijs diſtinebatur, vt ab illis ſine maximo ſuo incommodo & contemptu auelli non potuerit, præſertim Innocentio eius nominis quarto in Pontificatum ſurrogato. Nam hic tandem par cum pari cōpoſitus videbatur, propter parem animi magnitudinem, quam vel in tuenda Parma aduerſus obſidionem Cæſaris oſtendit. Sexaginta millia hominum in caſtris Cæſaris erant: nihilominus Pontifex, ciuſmodi preſidia vrbi impoſuit,legatumq; ſuum illis,virū tam forti conſtantiq; animo præpoſuit,vt non ſolùm tam diu obſidionem tolerauerit,ſed facta etiam ad poſtremū eruptione,Cęſarem nihil tale in tanta multitudine timentē fuderit,fugauerit q;, caſtris quoq; eius rerum omnium copia refertis potitus,in quibus & corona Cæſarea ingentis precij intercepta fuit, ipſo ex tanta clade ad Cremonenſes perfugiente. Hoc propemodū tempore longè maior

*Conuentus Argentorati Imperij.*

*Quò hic ſit Bretislaus refe rēdus,dubium.*

*Filium decennem ſucceſſorem impetrat.*

*Origo factionum Guelphæ & Gibellinæ.*

*Auſtrij Princi peabſente Morauiam populantur.*

*Leopoldus VII. dux Auſtriæ.*

*Venceslaum filium Rex opponit. Vaſtatur Auſtria. Sigifridus.*

*Conqueritur apud Cæſarem Leopoldus.*

*Minatur Premiſlao Friderici us Cæſ.*

*Leopoldus in Apulia moritur anno 1192.*

*Innocentius Papa IIII.*

*Parmam Cæſar obſidet, Pōtifex defendit.*

*Annno 1230. κατακλισμὸς in Phryſia.* ab hominibus calamitas in Phriſia Germaniæ inferioris prouincia accepta, quippe ad centum hominũ millia, Oceanus ruptis obicibus redundans ſubmerſiſſe ibi fertur. Præterea cometem dein viſum, & alia quædam fortuita

*Cometes.* pleriſque in locis repræſentata fuerunt, inter quæ [d] Meſconis principis in Po-

*Meſcho princeps Poloniæ miſerabili interitu arroſus.* lonia miſerabilis interitus numerabatur. à Muribus namq; ſoricibusq;, nulla vi humana, ſed neq; fluminibus atq; aquis ad reſiſtendum ſufficientibus, mirè arroſus & aſſumptus eſt. In Boiemia autem terræ motus fuit, qui rariſſimè apud Boiemos apparere ſolet. Sed tunc Premyſlao apprimè ſalutaris appa-

*Terremotus terrore Regi religionem incuſſit.* ruit, vt qui animum eius ex negligentia religionis torpentem, iacentemq;, motu ſuo vegetauit, erexitq;, vt multò quàm prius motu maiore, templa, cultumq; Dei celebrauerit. Ac mox fundamenta cœnobio eleganti, ſub titulo dui Iacobi, haud procul à domo Regia poſuit, inſtabatque operi, vt eò celeriùs exurgeret: plurimum inter hæc exhylaratus aduentu filiarum, quarum alte-

*Filiæ Regis Premislai quibus matrimonio copulatæ.* ram Vdalrico Carinthiæ, alteram Henrico Vratiſlauiæ principi nuptui dederat: ambæq; Pragam venerant ſalutandi duntaxat parentes gratia. Nam ter-

*Agnes ſpreto Cæſare monialis fit.* tia illarum ſoror, cui Agnes nomen, cum nulla perſuaſione adduci potuerit, vt Friderico Cæſari coniungeretur, virginitatem perpetuam Deo conſecrauit, habitauitq; Pragæ in ſodalitio veſtalium à diua Clara inſtituto. Alienum verò eam à Cæſare animum habuiſſe, propter ſummam illius intemperantiam ferunt, per quam Deus ab illo offenſus, tradidit illum in cupiditates ignominioſas, ita vt more Regum æthnicorum greges aleret pellicarum, quarũ ipſe deuorato omni pudore, velut admiſſarium agebat manifeſtarium. Contrà ipſa Agnes, inter ſodales virgines, dum non aliud cogitat quàm vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, hanc ſanctitatis gloriam adhuc ſuperſtes emeruit, et ſigna & miracula æderet, quę diua Clara poſt obitum ſuum nuper ædebat. Tam gratos igitur acceptosque hoſpites, cum multum temporis Premyſlaus, & vxor Conſtantia penes ſe tanquam pignora ſua retinuiſſent, hoſpitalibus tandem

*Fridericus Leopoldi filius vindictam meditatur.* donis, amplisq; muneribus donatas à ſe dimiſerunt. Non expectabat Fridericus Leopoldi filius dum Cæſar ex Italia reuerteretur, ſed domi ſuorum delectum inſtituit, & præterea oratum partim ad affines, partim ad vicinos miſit, qui ſubſidio ſibi quàm primùm venirent: nec enim iniurias à Boiemis accepras ſe diutius inultas tolerare poſſe dicebat. Conueniunt ad tempus in Au-

*Principis auxiliares Auſtrij.* ſtriam ſubſidia, quorum duces illuſtriores erant, Patriarcha Aquileiæ, Pontifex Bambergæ, Marchio Vardæ, Comes Tyroli, ſparguntque in vulgus rumorem, quaſi in Italiam ad Cæſarem proficiſci vellent, vt ita improuiſi Boiemis inexpectatique ſuperuenirent. Sed dum auctore Friderico arcem in Morauia

*Vetouiam oppugnant.* Vetouiam opportuno loco ſitam oppugnant (finibus namq; Auſtriæ, Morauiæq; & Boiemiæ adiacet, facilemq; prædonibus in omnes has regiones excurſum præbet) Venceſlaus Præmyſlai filius ſpacium armandi Boiemos nactus, coacta breui magna vi militum conatus illorũ celeritate anteuertit, ipſe potiùs hoſtibus de improuiſo interueniens, nemoribus qui iuxta arcem ſunt, ſilentio noctis ſuperatis, iugisq; collium milite occupatis, ne elabendi facultas hoſtibus daretur. Itaq; mandauit, vt taciti ſine quouis ſtrepitu vſq; ad auroram in ſtationibus durarent, quoniam videre prius hoſtem, quàm aggredi

*Boccco à kunſtat.* placuit. Sed hanc eius rationem Boccco à Cunſtat, qui colles obſidebat, turbauit, multa adhuc nocte, cornua, tympana, tubas perſonare, tumultum à militibus per ſtationes fieri, & clamorem quantum poſſent maximè cieri ad deterrendos hoſtes iubens. Id verò, quonam animo fecerit, dubium quidã reddunt, Boccconem inſimulantes, quaſi Friderico in hoc gratificantem, vt ſi-

*Territi Auſtrij fugam capeſſunt.* gno ille per tumultum & ſtrepitum maturè accepto, fugam quoq; maturaret, antequam inſidijs circumueniretur. Id quod factum fuit, vt Fridericus cũ cæteris, nondum Boiemis propter tenebras conſpectis, ſtatim diſſiparetur, moleſtè

molestè Venceslao ferente, ademptam sibi fuisse dimicandi facultatem, qua data victorem se futurum sperabat. Nec tamen fugientem Fridericum persequi omisit, quem vt ad arcem Rhetiam assequutus est, obsidione cingendum duxit, qua aliquandiu perdurante, nunciat Venceslao Fridericus: si vir haberi velit, vt relicta obsidione singulare secum certamen cras ineat. Accipit Venceslaus conditionem, suiq; copiam Friderico die postero facit. At ille subortam repentè ægritudinem assimulans, nullus apparuit. Inde Venceslaus ad populandam Austriam conuersus, magnas pecudum, aliarumq; rerum prædas ante se agit, ac mox ad parentem reuertitur graui valetudine laborãtem. Aduentu filij Premislaus parumper focillatus, aggrauata dein rursus valetudine morbo succubuit, adstantibus Constantia vxore & Venceslao filio, cum cõiuge sua Kunegunde, quibus omnibus funus & parentalia procurantibus, regia pompa Rex Premyslaus, primus Othogari vocabulo cognominatus, Pragæ ad S. Vitum conditus est iuxta aram, cui superstes adhuc reliquias Apostolorũ Iacobi, Thomæ, Marhiæ intulit. Atq; idem author fuit, vt Procopius gente Boiemus, in album diuorum referretur.

*Duellum offert Austrius, quod postea renuit.*

*Premislaus, primus Othogarus.*

[a] *Constantiæ huius nulla sit vspiam apud Hungaros mentio, nisi dicas fuisse Arragoniam Emerici Regis viduam. Eam tamen postea Friderico II. Cæsari nupsisse tradunt Hungari.*

[b] *Otthoni Vittelspachio Kunigundis prius pacta fuerat. Quem cum ob cædem in Bauaria patratam infamem audiuisset, indignum iudicans, homicidam humano aspersum cruore filiæ nuptijs, eam Bohemo despondit. Hanc iniuriam non nisi cæde Cæsaris expiari voluit Ottho, vsus ope Ecberti Episcopi Bambergensis.*

[c] *Henricus Calatinus Marescalcus Otthonẽ interemit 1209. anno.*

[d] *Diopoldus alijs, qui Adelheidam duxit. hinc natus Boleslaus: alijs Boriuous Diepoldi Marchionis Morauiæ filius: qui Tartarico bello ad Legnitiam cum Henrico Pio occubuit.*

[e] *Lescus Albus Poloniæ princeps tertiò declaratus (bis exactus) contra quem Marcus Palatinus Henricum Barbatum armarat. Lescus cum fratre Conrado Masouiæ principe illi se opponit. Castris ad Stacouiam positis Iuonis Episcopi opera pax inter cognatos duces componitur.*

[d] *Popielo cuidam circa annum 823. hoc Poloni tribuunt, alij Mieslao Conradi Ducis Masouiæ filio, qui circa hæc tempora vixit.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER SEDECIMVS.

PAtre funerato, Venceslaus & ipse Othogarus cognominatus, regni gubernacula excepit, cũ à pueris statim Rex declaratus & coronatus fuerit, sed vis tamẽ regiminis penes patrem duraui, ac post obitũ tandem ad filiũ iure pleno translata est. Orba eodem tempore Morauia quoq; principe suo erat, & tãquam ad prędã Friderico Austriaco homini inquieto exposita videbatur. Cui periculo vt tẽpestiuè Venceslaus occurreret, Premislaum filiũ, auito etiam cognomine Othogarũ, appellatum, Morauiæ titulo Marchionis præfecit, attributa ei Olomucensi & Oppauiensi regione. Hunc iuuenem, mater Venceslai Constantia sponte sua comitabatur, vt teneram nepotis ætatem, & adhuc ciuilium curarum exper-

*Venceslaus Othogarus IIII. Rex Boiemiæ Luscus dictus.*

*Premyslaus filius Morauiæ Marchio desponsatus.*

*Constantia regina supra sexum prudens arces, oppida & monasteria condit. Nunc Biberspurg.*

tem, senili interdum consilio adiuuaret, confirmaretq;. Nam Constantia ad cæteras heroicas virtutes, quibus Reginæ decorantur, illustranturq;, prudentiam quoq; negociorum publicorum consultè tractandorum adiecerat. regali præterea munificentia insignis erat, dum regia magnificaq; ædificia, tam in Pannonia in fundis suis dotalibus Morauiæ vicinis, quàm in ipsa Morauia extruit. In illa arcem cognomine Rubram excitans, Ternauiamq; ibidem, antea vicum ignobilem, mœnibus aliisq; priuatis tectis in speciem nobilioris vrbis cingens, communiensq; In Morauia autem Hodoninam arcem, & arcem Lunpeburgam, vtramq; Austriæ, ad arcendos incursus Austriacos oppositam condidit, ac insuper duo vestalium virginum cœnobia, alterum Tysnouiam, alterum Oslauiam dictum, atq; vtrumq; vicis, colonis, agris insigniter dotatum. Porrò in Boiemia, cum ad Venceslaum Regem Ottho & Ioannes Brandeburgenses Marchiones Pragam veniissent, nō eius solùm rei gratia, vt in verba Regis more solemni iurarent, fidem se de bonis à regno possessis seruaturos, sed oratum præterea ab eodem auxilia, contra Vilibrandum Magdeburgensem, & Ludolphum Halberstatensem Pontifices, cum quibus pertinacia prælia atq; mutuis cladibus exitiosa continuabant. Rex veteris familiaritatis & cōtubernij memor (in eodem enim simul cum Venceslao contubernio à Premyslao educati fuerant) peditum tria millia, & trecentos equites subsidio illis misit. Accrescentibus viribus, animi quoq; Marchionum sic se erexerunt, vt aduersarios suos Pontifices vltrò ad pugnam lacesserent, qua ad fluuium, quem Bysam incolæ vocant, inita, Marchiones superiores euadunt, alterumq; Præsulem in pugna intercipiunt, altero vnà cum Henrico Misnense Marchione per fugā elapso. Ad hos, aliosq; per Germaniam motus sedandos, ac præcipuè ad impium [a] Henrici filij, quem Romanorum Regem declarauerat, conatum comprimendum, [b] Fridericus Cæsar ex Italia in Germaniam celerans, cōuentum Bambergæ edicit, solusq; ipse causam suam in illo aduersus filium rebellem agit, conuictumq; testimonio & iudicio manifestæ defectionis, in Apuliam relegat, ac paulò post interficiendum curat. Ibi quoque Vilibrandus Magdeburgensis Præsul, oblata sibi facultate conquerendi de Venceslao (aderat namq; Bambergæ Venceslaus) ipsum fidem publicæ pacis rupisse incusat, suamq; cladem nuper in prælio factam, eidem acceptam refert: Nec malefaciendi ei defuturā vnquam causam dicit, nisi longiùs submoueatur, ademptis ei arcibus & oppidis, quibus à Friderico Premyslaus eius pater, tum in Saxonia, tum in Misnia donatus sit. Minus vtiq; ferire nocereque quod longiori distaret spacio, at vicini pecoris mala contagia sæpius lædere. Quo audito Cæsar, statim à prandio Regem acciri in conclaue, vno tantùm comite comitatum iubet. Comes Vogirius erat atq; ipse etiam Cæsar vno Pontifice Bambergensi coram, acerbius illum, quasi pacis turbatorem appellat, cunctaq; ab illo repetit, quæ quondam patri illius dono dederat. Confusus ille re improuisa, paulum reticuit: mox recepto animo: Non ego, inquit, vlli, aut in Saxonia, aut in Misnia tumultui causam præbui, sed omnes hasce turbas illic tui excitauerunt. Quam autem ob rem, ipsi viderint: cæterùm inficias non ire, se auxilia Marchionibus ad obtinendas illorum fortunas submisisse. Ita enim vt facerem, ait, merita illorum, cognatioq; inter nos, & vitæ à prima ætate in eadem aula consuetudo poscere videbantur. Nihil deniq; noui à se factum. licuisse namq; Regibus Boiemiæ semper, licereq; subsidia amicis liberè ferre. hanc libertatem à maioribus se accepisse, acceptamq; retinere, ne ab illis degeneret, velle. Et ego, inquit Cæsar mea mihi redhiberi volo, quod nisi propere fiat, ab inuito per vim extorquebo. Pertinacius dein obsistentē obluctantemq; Venceslaum, nec minas Cæsaris magnipendentem, à se manibus retrudit. Ambo autem vino haud minus quàm ira æstuabant, vt fieri solet à lauto prandio. Vencel-

*Marchiones Brandeburgi Boemorū feudatarij. Filij Alberti à Ballenstad domini in Anhalt quæ familia Marchiæ tūc præerat.*

*Bellum Marchionibus Brādeburgi cū vicinis Episcopis.*

*Accusatur tanquā pacis turbator Rex Vēceslaus.*

*Vigirius Comes.*

*Priuatum inter Regem & Imperatorem iurgium.*

Venceslaus igitur retrusus dextram Cæsaris manum,sua leua arripit,alteraq; stringit gladium,promptè iurans,se illum in corpore Cæsaris demersurum, si nõ sospes omnibus suis fortunis saluis dimissus fuerit.Interimq; Vogirius Prę sulem Bambergensem,tãquam viribus valentior,vi retinet, ne cubiculo egredi,neue posset vociferari.Atq; ita Cæsar inter sacrum,quod dicitur, & Saxum positus,sanctè promittit,se nihil Regi nociturum,neq; quicquã illi adempturum.Redeunti in hospitium,Abbas à Fulda,magnitudine opum superbè inflatus,fit obuius,accedensq; proximè Regem humerum eius manu suspensa pulsat,insolenterq; appellat,inquiens: Si personam Cæsaris gererem,tibiq; ita vt ille vicinus essem, aliter atq; ille audaciam tuã, ne illam aduersus Germanos Pontifices acueres,retunderem. Adsilit illico Vogirius,palmaque porrecta os Abbatis prȩcidit,exclamans:Monache,video te sub improbo præceptore meruisse. Nam si bonus ille tibi cõtigisset,vtiq; præmonstrasset,quem & qualem honorem Regibus habere deberes. Pergit inde qui vapulauit queribundus ad Cæsarem,at qui percussit, cum Rege suo in Boiemiam,hospite etiam insalutato. Domi ab eodem Rege meritorum Vogirij habita ratio. Nam oppido Belina cum suis latifundijs ab illo liberaliter donatus est.Mutauitq; Rex paulò post cognomen suum, dum inter venandum parum cautus,in ramum obuium inpingit, alterumq; amittit oculum,vnde monoculus deinceps pro Othogaro nuncupatus fuit. Adeò autem Cæsar præter omnem spem Venceslai,expectationemq; patratæ nuper audaciæ memoriam deposuit,vt celebraturus cum sorore Angliæ Regis nuptias,inter præcipuos hospites multis inuitamentis reconciliati animi velut testibus ad se Venceslaum euocauerit,nullumq; comitatis,atq; liberalitatis in eum genus prætermiserit,& ad postremũ curam ei vnà cum principe Bauarorum inuadendæ Austriæ mandauit.In qua Fridericus captum Henricum Cæsaris affinem, in arcem quandam coniecerat,nec inde dimittere eum volebat.Hæc mandata Cæsaris Rex eò lubentius, maturiusq; exequenda suscepit, quòd idem [c] Fridericus Austriacus,quum viribus totis nõ auderet, furtiuis tamẽ excursionibus lędere Morauos,aut Boiemos non cessabat. Sed nec Bauarus in mora fuit,cum Bauaricis Sueuicisq; agminibus, vastare cum ijs Austriam statim à finibus orsus.Mox Boiemo coniunctus,prȩsidia arcib.imposita depellebant,oppidaq; alia pugnando,alia per deditionem recipiebant.exercitum deinde ad vrbem Viennam admonuerũt, modico præsidio munitam, quoniam Fridericus omnes vires suas secum ad ciuitatem,quam Nouam uocãt, transtulerat,ei loco potissimũ fisus.Ad quem cum Viennenses misissent nunciatũ, quòd nisi celeriter vrbi foret subuẽtum, actum de illa iri: iussit renunciari, tempori vt cederent,rebusq; suis quo melius scirent modo consulerent: Regi Venceslao se dediderunt. Itum hinc ad oppugnandam Nouam ciuitatem, mœnibus,fossis,copijs,cõmeatu,atq; omni tormentorum paratu munitissimam, instructissimamq;. Ibi,quando nihil succedebat,sed omnis conatus frustra esset,oppugnare illam,obsidereq; desti terunt,firmataq; præsidijs Vienna,& cæteris oppidis insignioribus,rem in Austria gestam suo ordine Cæsari exposuerunt. Atq; ille partorum omnium tutelam, fidei Regis Venceslai cõmisit, quoad Fridericus in gratiam non redierat,amissaq; nõ recuperauerat, adnumeratis prius Venceslao viginti aureum nummum millibus, quàm de Vienna decederet. Quam summam ille confestim, inter suos qui aderant, pro sua cuiusq; conditione promptissimè distribuit,non tam ambitione ductus, quàm ingenita quadam ad liberaliter agendum naturæ suæ inclinatione. Cuius vel hoc specimen insigne fuerit: Attulerat absenti dispensator auri massam,in montibus Gilouensibus de silice auul sam, totam prorsus auream, magnitudineq; & pondere conspicuam, quippe pondo duodecim pendebat. Hanc cubiculi præfectus acceptam in lectulum

*Cæsar Regem incolumem se dimissurũ polliceri cogitur.*

*Abbas à Fulda insultans Regi mali à Vogirio accipitur.*

*Venceslaus Monoculus.*

*Rex à Cæsare ad nuptias inuitatur.*

*Mechtildi alijs Isabellalohannis Regis Angliæ filia.*

*Vienna Regi Venceslao seſe dedit.*

*Noua vrbs frustra obsessa.*

*Fridericus Cæsari conciliatur redimit à Rege Viennã.*

*Venceslaus ad prodigalitatẽ vsq; liberalis.*

Regis ſepoſuit, oblitus interim præſenti Regi illam repræſentare. Ibat Rex cubitum, totamque illam noctem peruigil tranſegit. Mane palàm de inſomnia conquerens, iubensque lectulum excutere, ſi quid ineſſet quod ſomnum adimeret, maſſam auream cubicularijs in conſpectum Regis afferunt, eamque in lectulo ſe inueniſſe, & præterea nihil aliud, dicunt. En, inquit Rex, veneficium adeſt, quo ego velut incantatus infaſcinatusq; dormire nequiui, auferte hinc malum ab oculis meis, faciteque vt ne amplius in ſecreta cubiculi redeat, ſed foras eliminetur, inter vos diſtrahendum diſpertiendumque. Eratque ei hoc verbum frequens in ore, liberalibus omnia liberaliter adfluere. Sed cum nõ ſatis modum, menſuramque liberalitatis teneret, ad profuſionem videlicet magis propendens, egere paulatim cœpit, æsque alienum primum contrahere, dein cum ſoluendo non eſſet, tributa alia ſuper alia indicere, vectigalia augere, ludæos compilare, nec ullum genus exactionũ prętermittere. Apud nobilitatem quoque magnam ſibi inuidiam conflauit, quòd nonnullos eorum in carcerem detruſerat contradicere auſos, magis etiam, quòd Proceres ne audire quidem voluerit veniam illis deprecãtes. Ergo bene multi in Morauiam abeunt, filiumque eius Premiſlaum ad rebellandum patri ſollicitant, iuuenilibus adhuc conſilijs vtentem, præſertim Conſtantia auia, cuius reuerentia in officio continebatur pridem mortua, atque in cœnobio Tiſnouienſi ſepulta. Pulchrum autem iuueni videbatur regnare, quò illum, qui ex Boiemia venerant, ſuo aliorumque ordinum nomine vocabant, & quaſi iam regnum Boiemiæ in manibus haberent, illud ad Premiſlaum deferebant, Regemque appellabant. Arridente iuuene ad glorioſum titulum, ſeque facilè ad mala illorum conſilia traduci ſuſtinentem, conſulentium vt contra patrem copias in Morauia compararet, ſibique Henricum Miſniæ Marchionem Regi infeſtum, in ſocietatem belli adiungeret propter equeſtrum militiam qua ille abũdabat. quod poſtquam factum fuit, copiæq; vtriuſque Marchionis ad municipium Boiemiæ Pontem dictum, proximè fines Miſniæ poſitum coñſſent, illò vſque pater è Praga, filio cum ſuis item copijs occurrit, ipſe quoque externo equite inſtructus, quem ei[d] Vdalricus ex ſorore nepos, ab Alpibus Carinthiæ adduxit. In vtroq; præterea exercitu equites Boiemi erant, ſed cum parte familiæ procerum inſigniores, nempe à Sſuanbergo, à Lambergo, à Ryſenbergo, ab Oſſeca. Atque ij vt in conſpectu Regis fidem operamque ſuam illi approbarent, primi omnium prælium incipiunt, vi tanta, vt ſuſtineri ab aduerſa parte non potuerint, equeſtri acie impulſa, peditum quoq; ordo & ſigna perturbantur: mox terga data, fugientibus ſimul Premiſlao, Henricoq; ducibus, quos perſequi Venceſlaus ſuperſedit. Nec ita multò pòſt, ductus pœnitentia eorum quę aduerſus patrem commiſerat, Premiſlaus vltrò ad patrem habitu lugubri venit, ſeq; ante illum in terram proſtrauit, miſericordiam paternam inuocans: ſed ne ſic quidem rigorem patris flectere potuit, quin cuſtodiendus in arcem traderetur. Quo quidẽ tempore, toto rumor manabat regno, aduentare Thataros, ſic enim ipſi ſe in hunc diem nominant. Sed Strabo vnica immutata littera Thacaros nominare videtur, ita libro vndecimo ſcribens: Ex Scythis Nomadibus, maximè innotuerunt Aſij, Paſſiani, Thacari. Hactenus enim Nomadum vitam viuunt, vagi, ſine domibus & tectis, greges pecorum, armentorumque, ac maximè equorum, in campis paſcentes latiſſimè patentibus. Equi ſanè ſtatura non magni, ſed corpore validi, impetu acres, leuitate veloces, quibus vt mitioribus commodioribusque vtantur, exceptis admiſſarijs paſſim illos caſtrant, ſingulique binos in prælia trahunt, & alternatim ex vno in alterũ, mira celeritate inter ipſum etiam curſum tranſſultant, acinace, more Perſarum, arcuque & ſagittis armati, niſi quòd Thatari illas ſanie viperina, cum ſanguine humano commixta plerumque tingunt irremediabili ſcelere. Modicum

*Maſſa auri ſomnum Venceslao turbauit.*

*Apophtegma Venceslai.*

*Premislaus patri ſe opponit.*

*Premislaus ad iutus Marchione Miſniæ exercitum cõtra patrem ducit.*

*Profligatus Premislaus.*

*Suplex patri Premislaus carceri dicatur.*

*Digreßio de Thataris.*

*Straboni noti Thatari.*

*Thatarorum figura & mores.*

dicum namque apud illos discrimen inter fas & nefas, vt apud nationem, feris quàm hominibus similiorem. Nihil enim extra figuram hominis Thatarus,nisi fera bellua,in feritatem sanguinolentam semper ruens, quam pastus quoque cruentus exauget:cruore enim venis equi incisis,& carne tantum nõ cruda vescitur.neque enim illam ad ignem vel torret,vel elixat,sed sub sellam in qua residet positam, pondereque corporis sui arefactam, statim deuorat, sine sale,sine pane, quem in vsu non habet, ideoque agriculturæ minimè studet,sed pascua tantum colit, viuitque crudelis ex rapto atque bello. Vt enim cruditas,ita crudelitas ex facie protinus & vultu apparet, toruus videlicet,turgidusque Thataris & horridus vultus ineſt, oculi caui & truces,caput turbinatum,circumrasumque,contrà mentum turpiter hirtum, intonsumque,totius denique corporis habitus deformis atq; seruilis, qui facilè declaret Thataros sobolem esse Scytarum eorum, qui serui dominorum suorum in Asiatica expeditione diutius commorantium vxores duxerant, prolemque ex illis degenerem susciterunt. Nam in hunc diem Turcæ, & ipsi Scythæ, pro seruis [e] Thataros habent, nec aliter quàm degeneres auersantur, quanquam potentiam illorum cum suo magno malo sæpius experti. Sed nec hodie statim illis cedunt, diuisi per quatuor Tetrarchias. Maximus illorũ Tetrarcha, Zeuolhensis habetur, quem ipsi gentiliter * Vlucham, id est, magnum imperatorem appellant. Fines eius imperij ab ortu solis mare Caspium, ab occasu Tanais, à septentrione & meridie plana partim ad Euxinum pelagus, partim ad Albanos & Ibericos montes protenduntur. Huic proximus à Polonis Præcouiensis dictus, quoniam super cætera naturæ munimenta, fossis etiam & aggeribus munitas habet regiones, Chersonesum Tauricam, & quicquid ad Meotidis vsque paludem interiectum est occupat: pessimus Ruthenis, Lithuanis, Polonis vicinus. Hoc multò imbecillior est Cosanus, ab arce Cosana cognominatus, quæ ad Volham fluuium ingentem,qui fines Moschouiæ præterfluit,situm suum obrinet. Nam propter virium imbecillitatem, ferre iugum à Moschouitis impositum cogitur. At quartus Tetrarcha plagam septentrionis frigidiorem inhabitans,quem Nohacensem vocãt, tam validum se robustumque ostendit,vt præter Moschouitas,alias quoque circum nationes vltrò lacessat nedum sustineat.Hæc igitur plusquam barbara turba & col luuies, anno à Natali domini Millesimo ducentesimo quadragesimo primo, ex ijs locis, quæ modò enumerauimus, [f] Batho,& Peta Ducibus effusa,cũ Ruthenos inuasissent,cæsisq; isthic Principibus & plurima nobilitate, totam Russiam ferro atque populationibus peruastasset,eodem inde se impetu in Poloniam concitauit, tanto post funestam Polonorum stragem terrore illato, vt ad illum Boleslaus Poloniæ princeps,non amplius dehinc domesticis viribus, non arcibus & mœnibus, sed fugæ potiùs salutem suam crediderit. [g] Abducta itaque secum matre & vxore,Cracouiaque ciuibus vacua relicta:quisque enim illorum sibi locum, qui tutior esse videbatur, quærebat, ipse in Morauiam ad cœnobium Velegradense confugit.Thataris interim suam immanitatem in Polonia exercentibus, in diripiendis oppidis,in polluendis templis, in profanandis sacris,in cædendis senibus, violandisque tum matronis tum virginibus. Ex huiusmodi successu,multitudine illorum quotidie succrescente,placuit tantas copias (nam quinquies centum latronum millia confluxisse dicuntur) ita diuidi, vt Bathus aduersus Hungaros aliquanto dimidia parte maiorem sibi numerum sumeret. Peta cum reliquis agminibus, Slesitas,Morauos,Boiemos vt aggrederetur.qui Peta,vt in Slesia quoque haud secus atq; in Polonia [h] ciues pauore tam magno perterritos reperit,vt ipsam etiam Vratislauiam,inter vrbes Slesiæ præcipuam, fuga sua desertam relinquerent,pari atque Poloniam impetu, crudelitateq; & scelere fœdabat, donec Lygnitium

*Virgilius.* Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Crudiuori Tatari.

Ortus Tataro rum.

* Quasi dicat trans Volgam fluuiũ qui Rha ueteribus, in Caspium descẽdit mare.

Præcopiensis huius filiam Selymus Turca duxit: vnde natus est Solymãnus.

Anno 1241.

Boleslaus Pudicus princeps Poloniæ.

Polonia peruastata Slesiam petit Peta.

*Henricus Lignizẽsis se opponit Thatariis.*

attingeret,ad cuius oppidi principem Henricum,multa vis nobilitatis se congregauerat. Fortis enim dux, militiæque gnarus ipse Henricus habebatur,palamq; tunc præ se ferebat, mori se malle,quàm impio impuroque hosti quantumuis terrifico cedere. Ad hunc igitur integri adhuc reliqui Poloni, Magisterq; Prussiæ eum suis crucigerulis,& præterea frequẽtes pedites,inter quos auri,argentiq;,ac ferri, ærisq; robusti fossores, & ipsi crucẽ vestibus attextam crucis hostibus ostentantes. Quibus Lygnitio proximantibus,obuiam Henricus progreditur aduerso omine. Nam ædem diuæ Virginis prætereunti, saxũ ingens subitò lapsu ante pedes decidit, nulla propalàm causa apparente, cur de solido integroq; muro auulsus ille vnus lapis caderet. Non deerant,qui retrò eundum, illoq; die pugna abstinendum censerent, sed nihil ille hoc casu territus,iter cœptum continuat, festinatq; vt aciem per tempus ante mœnia instruat, existimans Thataros quoq; legitima acie prælium inituros. At postea quam cognouit, more illos suo incondito cateruatim agminatimq; conglobatos,quaternis agminibus aduentare,& ipse copias suas quadrifariam distribuit,ne tam facilè à tanta hostiũ multitudine circumueniretur. Vnus namq; illorum globus maior erat, quàm Henrici totus ferè exercitus. Nihilominus tentare omnia,perpetiq; vel extrema placuit, quàm religionem Christianam per metum aut fugam prodere. Prima sors pugnæ super Boleslaum [i] Dipoldi filium, iam pridem cum ipso parente ex Morauia in exilium actum cecidit.is militi collecticio cruce insigni præerat, cominus ad dimicandum paratus.Verùm Thatarus eminus in eum sagittas mittebat,tam densas,quàm densam solet cœlum nubilosum grandinem mittere, cuius vi catuq; toram interdum segetem prosternit,ita stratus cum suis iacebat Boleslaus. Post hunc Magister Prussiæ, cui Pompo nomen erat, similem calamitatem, ab simili sagittarum tempestate expertus est,nisi quòd maior equorum, quàm hominum,qui bellè armati venerant,facta strages fuerit. [k] Huius vtriusq; mali facies cum ob oculos Henrici versaretur, iubet carros laxari explicariq́ue, ita vt duo reliqua agmina, quorum alterum ex Polonis coactum, Mesco dux Opolienſis,alterũ ex Slesitis, ipse Henricus ducebat, recipere,lateraq; omnium tegere possent,à fronte scuta & pluteos opponit.Et quoniam Thatari per spacium aeris carris tela in altum quoq; iaculabantur, vt lapsu illa suo, vel incluſos ferirent,milites galeatos stare,atq; omnes in hoc maximè intentos esse mandat, vt alterã hostium iaculationem facta subita eruptione præueniant,cogantq; illum manus non arcu sed gladio conferere. Quod vbi accidit,pecora cum viris pugnare diceres,adeò postquam ad manus ventum est, pecorum ritu mactabantur. Inter hæc signifer Thatarorum simulachrum in effigiem humanam deformatum,hastili præfixum gestans,vibrare illud,magnoq; motu & ululatu contorquere, concutereq; incipit, donec ex ore illius atro,fumum piceum eliceret,ita obscurum,vt mutuum adimeret prospectum, tantisper dum illi retrocederent, rursusq; arcu & telis se armarent. Ortus hinc in castris Henrici clamor, occurrite, occurrite,quem Mesco Opolienſis aliter accipiens, quasi clamaretur,currite,currite,ad cursum & fugam cum bona parte equitum se dedit. Henricum solum ex ducibus superstitem relinquens, qui ad mortem vsq; suam constanter & fortiter dimicauit. ad internitionem cum suis deletus,caput eius hostes acynace à collo reciſum,hastato cuidam per ludibrium circũferendum tradiderunt.Lygnitio tamen nõ sunt potiti,vbi Anna Henrici vxor cum liberis,eademque Venceslai regis soror inerat. Properantes videlicet ad Morauiam populandam, quam Slesia aliquanto lautiorem esse audierunt.In summa dominorum illo tempore Moraui orbitate positi erant,nemine postvinctum Premislaum Marchione in Morauia existẽte, sed nec aliquo præside cum imperio & potestate in illa præsidente: ipso autem Rege Venceslao non solùm

*Goldburgenses metalli fossores.*

*Læuum omen spernit Henricus.*

*Boleslai primũ agmen deletum.*

*Pompo secundus in ordine Magister Prussiæ.*

*Magica arte ostentum prolatum Punico terrore Henrici exercitũ repleuit.*

*Mesco fugæ per errorẽ auctor.*

*Prælium commissum. Anno 1241.*

*9 Aprilis ad woliſtadiũ iuxta Legnizĩũ.*

*Morauiam petunt Thatari.*

solùm absente, sed ancipiti præterea sententia cum Boiemis vacillante, prodeundum ne tantæ multitudini obuiam, an mœnia Pragæ munienda potiùs, defendendaq; essent. Euictus tandem periculis Morauorum, querentium ex quo tempore nati sint in maiore vitæ, rerumq; omnium se discrimine non fuisse, præfectum illis cum aliquot Boiemorum cohortibus, vnum ex procerum familia, quæ à Stellis cognominatur, Olomutium, quò se turba illa turmatim effundebat, subsidio misit, eiq; iniunxit, ne acie cum hostibus confligeret, sed mœnia ciuesq; & alios defensores, munitionibus vt tutaretur, idq; eò promptius illum præstare posse, quòd Thatari ad expugnandas vrbes non essent idonei. Aduentabant iam illi longè ac latè fuso agmine, & quacunque ibant, pecora, hominesq; trucidabant, capitaq; hominum vtriusq; sexus, iubis equorum suspensa, ad terrorem obsessis incutiendum ostentabant. Verùm enim obsessi, inusitata ignotaq; immanitate vehementer irritati, præfectum rogare, vt portas aperiri iubeat, nequaquam se vltra spectaculum tam cruentum spectare posse clamabant. Hunc ardorem animorum præfectus vix edicto restinxit, capitale supplicium minitans, si quisquam se de statione sua commoueret. Vagi interim hostes mœnia circumequitant, & quemcumq; ex muro prospectantē aspiciunt, eundem certo sagittarum ictu feriunt nunquam à scopo aberrantes. Nam aliquoties experiundi gratia simulachrū in modum humanum figuratum, pro murorum pinnis expositum erat, illudq; protinus tot sagittis, quot Erinius spinis horrebat, sæpius etiam totam vrbem telis obumbrabant. Sed quum hac re nihil se proficere sentiunt, vertuntur ad ignem, quem primum ædificijs suburbanis incolis vacuis subijciunt, dein ad cœnobium Gradycense, iuxta mœnia situm transferunt, bonamq; ibi præsidij partem comburunt, residuam interficiunt. Postquam neq; telis, neq; igne, neq; cœnobio capto, Peta obsessos in apertum extrahere potuit, valde illos perinde quasi imbelles ac degeneres contemnere cœpit, multumq; de cura diligentiaq; & vigilijs remisit. Quod animaduertens prętectus, accitis centurionibus, decurionibusq; militum: En, inquit, iam nunc tempus adest ad erumpendum, non vt quidem intempestiuum sed planè maturum: quandoquidē omnia apud hostes dissoluta esse cernitis, alios per agros palantes, grassantesq; discurrere, alios equos pascētes longiùs hinc distare, ibidemq; à duce suo seorsim pernoctare: sed & ipse Dux tardioris obsidionis tædio fasti dire, torpereq;, & ita stertere videtur, vt egeat ad se excitandum stimulo. Quare si placet occasioni oblatę insistere, cras ante lucem exurgamus omnes, in illumq; adhuc dormientem, ex nec opinato impetum impressionemq; faciamus. Dicta præfecti non solùm centurionibus decurionibusq;, verùm etiam militibus omnibus comprobantibus, crepusculo adhuc matutino Thataros per tentoriola ex villis pecudum cōfecta, sopore stratos adoriuntur, cæduntq; pariter iacentes & obuios velut pecora: quippe Thataro pediti, nulla penè vis: quicquid valet, eas ille vires ab equo mutuatur. Exorto subito clamore, tumultuq; Peta è somno excitus, arripit equum, adestq; suis rector & hortator, vt confestim equos conscendant, reddantq; insidiatoribus acceptam cladem, sed nullo imperio multitudo consternata perculsaq; regi potuit, præsertim obscura adhuc luce. Nec ideo tamen Peta vel animo deficiebat, vel ab officio ducis cessabat, donec in manus præfecti, casu magis quàm data opera incidisset, à quo hasta transfossus, de equo mortuus cecidit, ignaro Sterenbergio, (hoc cognomen præfecti erat) quemnam è Thataris occidisset. Dubia enim lux etiamtum erat, quum suis ille signum receptui daret. Mox clara dies aperuit, ducem Thatarorū iacere interfectū, Thataris cadauer eius ingenti vlulatu planctuq; circunstantibus, osculaq; illi plena lachrymis affigentibus. Allatū dehinc fuit sagulum purpureū, quo amictū, secum post solutā statim obsidio-

*Sternbergius Morauis à Rege auxilio mittitur.*

*Olomuntium obsident.*

*Arte sagittandi pollent Thatari.*

*Gradycum monasterium exurunt.*

*Hortatur Dux milites ad opprimēdos Thataros.*

*Inopinantes obruunt Thataros.*

*Peta dux Thatarorum interfectus.*

*In Hungariam reliquiæ Thatarorũ ſeſe recipiunt*

nem,in Pannoniam ad Bathum ducem ipſorum maiorem extulerunt.Steren bergio interim vota à ſe nuncupata peragente,victoriamq; partam,Deo acceptam referente, cum Venceſlaus Rex premij loco,territorio donauit,quod in hunc diem [1]Sterenbergium appellatur, ab arce, quam ipſe ſibi hoc vocabulo ibidem ædificauit, primusque in Morauia magiſtratum geſſit, quem nunc Capitaneum vocant. Hîc nos haud ſinunt Hungari inter grauiſſimas clades à Thataris illatas numerandi,de ſe taceri, quando illi quoque ex Morauia profugi, ad ruinam Hungarorum accedere non dubitarunt. [m] Bela Rex id temporis in Pannonia regnabat, non admodũ charus ſubditis regno, propterea quòd difficiliorem illis, ſuperbioremque ad ſe aditum, quàm Cumanis,quibus tunc infenſiſſimi erant Hungari,præbebat. Ergo cum iam agri ferro & igne à Thataris vaſtarentur, prædæque agerentur, ac crebra per partes & aduerſa prælia intercederent, aliquamdiu per contumaciam mala perferre, quàm in medium conſulere malebant, odiosè vociferantes, veniant Cumani,proque Regis ſui ſalute, nunc cum opus eſt, fortiter dimicent. Hæc ab Hugolino Colocenſi Archiepiſcopo audita, ſtomachum ei ita cõmouerunt, vt ſe continere non potuerit, quin populares ſuos libera voce perduellionis argueret,tanquam illi omnes de numero perduellionum cenſendi eſſent,qui regiam maieſtatem offenderent, quiue communem regni ſalutem auxilio ei detracto proderent. acerrimè itaque contendebat,vt Rex omnes Hungarorũ copias ad oppidum Peſthum in ripa Danubij è regione Budæ poſitum cõtraheret. Quo vt frater quoque Regis Colomannus venit, hoſtemque non longo iam interuallo abeſſe cognouit, nempe ad Vaciam oppidum,author Belæ fuit,vt caſtra in locum tutiorem transferret. Tranſlata mox ſunt Agriam verſus vltra flumen,quod Saium vocant,altum ripis,alueo limoſum,nec niſi pontibus peruium,quos Hungari validiſſimis præſidijs firmauerãt. Bathus Vacia exciſa,veſtigijs abeuntium inſiſtit vſque ad flumen, conſpectiſque Regijs cõpijs,ſuas ex altera parte ripæ opponit, tam longè lateque diffuſas, vt impoſſibile fuerit illas oculis perluſtrare. Iccirco faciliùs etiam euenit, vt Hungaros in eos tantùm, qui videri poterant, intentos fallerent.Centum millia Thatarorum flumen reperto vado,longiùs à caſtris ſemoto, prius traieciſſe,Hungarosq; à tergo aſſiluiſſe dicuntur, quàm cuiquam illorum in mentem de eiuſmodi aſſultu improuiſo veniret. Oppugnabat eodem tempore Bathus præſidia ad pontes diſpoſita,nube tanta telorum immiſſa, quantam ſuſtinere non poterant qui in ſtationibus erant. Ita pulſo præſidio, & pontibus tranſitis,à fronte quoq; hoſtis ingruebat. Sed vtrobiq; maiore corporis viriumq;,& animi robore Hungari repugnabant, quãdiu pugna intra manus ſtetit,pedemq; inter ſe conferebant. Nam & auertebant ſæpius Thataros,& auerſos inſequebantur,haſtis illos confodientes,aut gladijs obtruncantes.Redibat Bathus ad arcum ,atq; vndiq; per latera quoq; denſis agminibus circumfuſus, obruere telis Hungaros conabatur: at illi miſſa ſpicula,peltis ſuis quibus præter haſtas armãtur, excipiebant,ac tanto acrius in hoſtes velut cæci ruebant,quanto minor ſalutis ſpes oculis obijciebatur.Senſit peritus bellorum Bathus,ex deſperatione hanc tam obſtinatam ferociam Hungaris durare, quoniam concluſi mortem ſe euadere deſperarent, ideoque pugnando,quàm ſe dedendo mori malle,laxari ordines,tela cohiberi, darique erumpendi illis facultatem iubet. Eam quicumq; nacti erant, omiſſa pugna,fugæ ſe mandarunt.inter quos Rex Bela pedes elapſus eſt,cæteri cæſi ad vnum omnes.Cæſorum clariſſimi,Colomannus Regis frater,Mathias Strigonienſis Archiepiſcopus,Hugolinus Colocẽſis ſimiliter Archiepiſcopus, dein Gregorius Iaurienſis, Reynhaldus Vltraſyluanus,poſt Nitrienſis, Sibinienſisq; Epiſcopi,& cum ijs plurimi,ſumma nobilitate dignitateq; viri deſiderati ſunt. Rege interim peregrino habitu,circũ

*Hungari multa atrocißima à Thataris per peßi.*

*Colomannus erat Rex Haliriæ in Rußia filius Regis Andreæ.*

*Die qua Paſſio Domini celebratur Vaciã flumine abſumptã memoratur.*

*Dimicant cum Hungaris Thatari.*

*Stratagema Bathi.*

*Cæſi Hungari.*

fines

fines Polonię & Morauiæ oberrante, donec ad vxorem suã, quam in Austriam sepoſuerat perueniret. Ibi latentẽ, mox proditum, Fridericus Austriæ princeps adeò non eſt miſeratus, vt ad nouam inſuper miſeriam, nempe ad ægeſtatem illum redigeret, expreſſis ab illo pecunijs, aureisq; & argenteis vaſis, quæ Regina ſecum extulerat, quaſi à ſe Rex olim tantundẽ extorſiſſet, quando pro damnis in Hungaria illatis facere ei ſatis coactus fuerit. Ab hoc naufragio Bela ad Illyriam ſe contulit, mari Adriatico quàm Danubio fortunam reliquam credere malens. Sed ne in rebus odioſis, nimiumq́ue calamitoſis diutius immoremur, ad Venceſlaum remigremus, vt diſceſſu hoſtium ex Morauia exhilaratum, ita adhuc ſollicitum, curaq́; & metu ſuſpenſum, ne illi de reditu cogitarent. Itaq; tum in Morauia, tum in Boiemia munire tam arces quàm ciuitates mœnibus præſidijſq́;, & frumentarijs ſubſidijs non prætermiſit: ſeq́; tandem facilem præbuit, vt filium ſuum Premyſlaum cuſtodia liberum, in paternã gratiam reciperet, Nicolao Pragenſi, & Roberto Olomucenſi Epiſcopis deprecatoribus. Qui hoc præterea obtinuerunt, vt Morauiam ei cõditione qua prius, poſſidendam, reſtitueret. Admiſſum tunc Pragæ à nobili iuuene facinus, cum à libidine, tum à cæde violentum, nomen iuueni Veleſlao, amore puellæ Hebręæ ad inſanum modum capto, ita vt præ illo nec mente conſtare, nec vllo tempore quietus eſſe poſſet, niſi illo ſolo, quando in oculis vultuq́; puellę acquiſcebat, eiuſq́; rei ſępius adipiſcendæ occaſionẽ ſedulò quærebat, modò æs mutuum à parente illius accipiendo, alias pignus oppignorando, redimendoq́;, vt tanto frequentius ſaltem aſpectu puellæ perfrui liceret, quãdo colloquium à parente interceptum erat. Fortè accidit vt ille ipſe parens ægrotus in lectulo cubaret, venit clam ad domũ illius Veleſlaus, latensq́; in inſidijs egreſſam puellam è cubiculo parentis adoritur, nolentemq́ per vim ſeducit & incęſtat, dein amiſſo quoq; pudore, eiulare, ſeq́; lamentabiliter afflictare nõ ceſſantem, ne voce eius proderetur, eandem ſtrangulat, proditus tamen continuò à vicino, qui intrantem & exeuntem viderat. Porrò Hebræus occaſu filiæ accepto, multò ex illo acerbius quàm ex morbo ſuo dolebat. Cæterùm dolorem tantum, poſt recuperatam etiam ſanitatem valde diſſimulabat, quaſi prorſus nihil ſciret, ſuane ſpõte an aliena iniuria filia occidiſſet: metuebat videlicet, ſi Veleſlaum in aula gratioſum incæſtus homicidijq́; reum faceret, ne à iudicibus aulicis nouam inſuper aliam cõtumeliam ſibi accerſeret. Ad inſidias igitur inſidijs retaliendas animum ſtudiumq́; conuertit, inſidiatorem nactus Veleſlai domeſticum, grandi ære corruptum, vt herum ſuum interficeret. Sed iſtius quoq; cædis author ipſe Hebræus diu celari nõ potuit, illoq́; patefacto, magnæ ſtatim turbæ inter nobilitatem & Pragenſes concitatæ ſunt, vtriſque tumultuantibus, ad armaq́; conclamantibus, alteris vt vim omnibus iudæis propter vnum inferant, alteris vt tantum impetum arceant, cauſamq́; integrã Regi cognoſcendam reſeruent. Iſti poſtquam nõ ſolùm in certamine, verùm etiam in cauſa præualuerunt, indignata nobilitas, odium in ipſum Regem diuertit, quaſi proniorem ad plebis & iudęorũ fauorem, nouasq́; rurſus res, nouamq́ue coniurationem molitur, duce Stiborio, cui cognomen à prudentia fuit, Caput canum, penesq́ue eundem magiſtratus, qui ſummum in regno ius reddebat. Et quoniam haud dudum Rex edicto pœnam capitalem in iudices, à quibus fraus iuſticiæ fieret, ſanxerat, non minus alienum ob hanc legem à Rege animum habebat, quàm cæteri nobiles, quorum frequens erat numerus, ob cæſum minimeq́ue vindicatum Veleſlaum. Is nunc ſingulos appellare, nunc plures cohortari vt cœpto inſiſterent, ſeq́ue à ludibrio luſci, ſuperbiq́ue & crudelis Regis aſſererent, Rege alio ſubſtituto, ad augendam, aliterq́ue honorandam, non autem ad peſſundandam nobilitatem appoſito, qualem exiſtere Premyſlaum Othogarum putaret, nuper à patre

*πῆμα κακὸν γειτόνων.*

*Friderici Auſtrij in humanitas barbarica.*

*Bela Rex in Dalmatiã euadit.*

*Premislaus Regis filius libertate donatus reſtituto illi Marchionatu.*

*Nicolaus XXI. Epiſcopus Pragenſis.*

*Veleslaus nobilis Boiemus vir ginem Hebræam vi ſtupratã iugulat.*

*Veleslaus quoque inſtinctu Iudæi interfectus.*

*Tumultuatum Pragæ Victores Iudæi.*

*Cõſpiratio Regem principe coniurationis Stiborio Regni procere ſupremo.*

*Coniuratiregnum Premislao deferunt.*

pessimè tractatũ, nec in præsentia valde liberaliter tractari. Hunc igitur quàm primum adeundum esse, vt per tempus sententia animi eius exploretur. Eunt confestim ad illum cõiuratorum maximè insignes, consiliaq; omnia cum illo cõmunicant, & viam aliam quàm pridem ad regnum inuadẽdum docent.

*Differendum censet Premislaus.*

Ad hęc Premyslaus, malo accepto sapientior factus, cũ se obsequentẽ potiùs, quàm contumacem, & rebellem erga parentem ostendere, sed neq; hospites tamen, dicto ingrato abruptoq; statim lædere cuperet, ita respondit. Non esse illis festinatò agendum, sed impensius considerandum, & postea rem tam arduam exequendam. Inter hanc moram, incertum vndenam conspiratio ista Regi prodita fuerit, capitur Stiborius, factaq; quæstione, interrogatur de conscijs. Viginti quatuor viros stemmate claros ædidit, vnaque cum illis iussam pœnam subijt. [n] Qualem videlicet Rex cuiq; illorum in piscibus sibi allatis representauit, alios piscium capite truncans, alios veru transfigens, nonnullos membratim discerpens, postremò hanc vocem adijciens, Quemadmodum obsonarunt, ita cœnare illos oportere. Venerat autem Nicolaus quoque Pragensis Antistes propter mutuam cum Stiborio, & assiduam familiaritatem, in suspicionem, quasi cum illo consilia miscuisset, coactusq; est fidem suam Regi obstringere, ne de domo in qua erat, nisi Rege concedente egrederetur. Fit magnus ad domum illam plebis concursus, de Rege lamentantis, quòd non contentus fuerit in tot viros nobiles desæuire, nisi insuper Pontifici regni nullius crimínis conuicto, sed tantùm suspecto, vim afferret. Aderantq; sacerdotes præterea sacris omnibus in Regno interdici postulantes, quam diu Pontifex dimissus non esset: eamq; tandem inuidiam & indignitatem Rex haud ferens, abire Pontificem quò vellet, permittit. Ipse nouam diuo Francisco, eiusq; assectatoribus ædem Pragæ ædificat: mox cum sorore sua Agnete flaminica, peculium suum in subsidium offerente hospitali cœnobio iuxta pontem Pragensem sito, fundamenta iacit, illiq; dein vterque virum præficit, ei religioni deuotum, quæ pro insigni crucem cum stella gestat. Cæterùm in tintinabulis, quas vulgo campanas vocant, adeò auersas Rex aures habuit, vt statim ad tinnitum crepitumq; illarum, ambas aures ambabus manibus obstrueret. Quare necesse fuit, Rege Pragæ commorante, à pulsu illarum quæ maiores essent, temperare. Audit deinde Thataros post vexatam, populatamq; & omni clade peruastatam Hungariam, sua sponte, aut fame potiùs in tam inculta vastitudine vrgente, ad natale solum remeare, Belamq; rursus suum regnum repetere, auxilio fultum [o] Magistri Rhodi, & Comitum, quos à Frangepanibus cognominant: Apud illos namq; Magister naues suas milite iuxta oppidũ Segniam exonerauerat, vt terrestri inde cum Rege itinere pergerent. Præmiserat verò Rex in regnum nonnullos qui antecederent, aduentumq; suum reliquijs Hungarorũ prænunciarent, vt sine pauore interim & periculo suam præsentiã expectarent. Ad hunc rumorem Fridericus Austriæ princeps excitus, tumultuarium militem colligit, obuiamq; Belæ quem odisse cœpit, postquã rebus eum suis spoliauit, ire contendit, aliquid iterũ ab illo extorquere cupiens. Fortè ita accidit, vt Bela nondum toto hostiũ metu posito, ad fines prouinciæ Friderici deflecteret. Petit igitur ab illo vectigal Fridericus in singula militũ capita, & nisi datum fuerit nullam ei transeundi copiam ait fore. Nouitate rei, indignitateq;, omnibus qui cũ Bela erant cõmotis, expediunt statim arma, impetumq; in [p] Austriacos faciunt, atq; celeriter pugnã conficiunt, saucio Friderico, ac mox è vulnere mortuo, vnica superstite fratris sui, tunc vidua filia, cui nomen Margaretha, ad quã successio in Austriã pertinebat. Sed illam[q] Vdalricus Carinthiæ Princeps, ex soro re Venceslai Regis procreatus occupare conabatur, acceptis per deditionẽ aliquot arcibus & oppidulis, parabatq; maiora aggredi, suppetias sibi Morauis ferentibus

*Detecta coniuratio capto Stiborio.*

*Sumptum de omnibus coniuratis supplicium.*

*Episcopus Regi suspectus.*

*Tumultuante plebe & sacerdotibus ex interdicto absoluitur Episcopus.*

*Xenodochiũ Pragense extructum.*

*Campanarum hostis Rex.*

*Bela in Hungaria regnum reductus.*

*Fridericus à Bela ob transitum vectigal petit.*

*Fridericus vltimus suæ gentis Austriæ ab Hungaris necatur, dictus belli cosus.*

*Vdalricus dux Carinthiæ Austriam inuadit. capitur ipse.*

rentibus,si non etiam Austriaci de subsidio Bauarorum sibi prouidissent. Lentius negocium suum, imò verius negligentius Vdalrico agente,insidijs eum pars aduersa circumuenit, capitq; viuum, & cum illo complures Morauos, quos Bauari partim nare,partim auribus, aliquos etiam manu mutilant, atq; omnes incolumes dimittunt. Sed hoc tam fœdum sæuumq; dehonestamentum, Bauari paulò pòst magna suorum cæde, multoq; regionis detrimento expiauerunt,quo illos Premyslaus Othogarus, mandato Venceslai patris affecit, Bauariam cum valido Boiemorum, Morauorumq; exercitu ingrediundo,illamq; circumquaq; ad vsq; Danubium euastando, ac multos viros fortes ibidem interficiendo. At Austriaci non prius arces per Vdalricum interceptas recuperare potuerunt,quàm liberum à custodia ipsum Vdalricum facerent. Quam autem fortes, quamq; constantes viros arcibus præposuerit, indicant duo præfecti, ambo Morani, quorum vterq;, cum sub arce sibi credita ab insidiatoribus inter venandum comprehensus esset, horumq; alteri conditio proposita fuerit, vt vel arcem integer traderet, vel oculum dextrum amitteret, oculum sibi erui, quàm de arce cedere prælegit, sicut alter in altis niuibus discalciatus tantisper stare,dum pes ei vterq; frigore obriguerit. Ambobus honor cũ ab Vdalrico,tum à Venceslao Rege habitus,gratiaq; cum amplo præmio vtriq; relata. Verùm enim Austriaci post receptas etiã arces quas amiserant,de se anxij sollicitiq; erant, cuiusnam in tantis Germanorum dissensionibus, quas ab obitu Friderici Cæsaris, in ipso interregno suscitauerant, patrocinium respicerent. Nam in Margaretha parum auxilij inesse videbatur,multò minus in alijs vicinis principibus,vix ad sua satis tuenda sufficientibus, imminere autem Austriæ à fronte Hungaros, à latere Morauos ac Boiemos, gentes validas & inquietas, ipsis autem quiete opus sub muliebri dominatu degentibus. Inter multam dein longamq; deliberationem, placitum,vt ad fidem & tutelam Venceslai Regis confugerent,qui ætatem curasq; regni sui excusans,filium Othogarum illis obtrudit,communiq; consensu, atq; ipsa in primis Margaretha assentiente, matrimonium inter illos conciliat, celebratisq; nuptijs, legitimum Austriæ Principem Othogarũ appellat. Quod vbi Bela de alienata Austria,quam pro sua iure belli ducebat, interempto in illa Friderico, qui vltimus Austriæ hæres erat, factum comperit,aduocato suorum consilio in campum Pesthensem,& adhibitis Cumanis, paulò tunc moribus à Thataris distantibus, rem integram ad omnes refert. Quibus tumultuosè ritu Scythico frementibus, ac ferocissimè censentibus, iniuriam acceptã protinus bello esse persequendam, initio à Morauia sumpto,in qua multa furoris, multa crudelitatis & sæuitiæ fœda exempla ædiderunt,priusquã succurrere laborantibus,aut Venceslaus,aut Othogarus posset. Antcuertit autem filius patrem in succurrendo, satis tunc milite etiam Boiemo instructus,quem aduersus Styriam, iugum detrectantẽ comparauerat. At Hungaris animus quidem vt olim ferox,durauerat,sed vires per Thataros plurimum attritas habebant,nihilominus Belam Regem suum perpulere, vt fortunam prælio experiri vellet. quo inito, cum ingenti strage sternuntur,ipseq; Bela in eum metum est compulsus, vt vltrò ad conditiones pacis amissa etiam finium aliqua parte descenderet. Inde porrò ad Styrios subdomandos Othogarus iter tendit,paucisq; eorum castigatis,cæteros ad officium sibi debitum præstandum coegit:in animo habens parentem inuisere. At ille breui pòst in secessu villæ, tertio lapide à Praga secedente, dum venationi intempestiuus incumbit, valetudinem sibi contrahit, qua prægrauatus Pragam repetit,atq; intra paucos dies,religionis pietati,salutiq; suæ vacans animam expirauit. Mors per amicos,officia etiam mortuo tanquam viuo exhibentes,eatenus suppressa,quatenus licuit omnes eos euocare,literis quidem à se com-

*Ignominiosè Morani puniti pœnas exigunt ab Austrijs.*

*Constantia & integritas præfectorum duorum.*

*Dominũ quærunt Austrij.*

*Ottogarus dux Austriæ.*

*Bellum Ottogaro ab Hungaris ob Austriã paratur.*

*Cæsis Hũgaris Bela Rex iniquas conditiones pacis accipit.*

*Regis Venceslai mors clam habita donec pignori depositā à creditoribus redimerentur.*

positis, sed signo Regis obsignatis, qui ære vili mutuo dato, dites Regis arces pignoris loco possidebant: ij quasi mandato Regis ad rationē reuocati, pecuniam mutuam, certis nominibus deductis, accipere, & arces inuicem restituere compulsi sunt. Ac tum demum mors diuulgata, funusq; Regium quo decuit honore celebratum. Corpus ad ædem diui Francisci, quam Rex suo sumptu extruxerat, delatum. Traxeratq; & ipse Venceslaus ex patre suo, Othogari cognomen, quod tamen in frequenti vsu ei non erat, donec Premyslaus filius Othogarorum strennuissimus, magnificentissimusq;, proprium id sibi perpetuumq; dicauit.

[a] *Huius Henrici vxor fuit Margaretha Austria, pòst Ottocari coniunx, Leopoldi glorioſi filia.*

[b] *Fridericus Cæsar Henricū filium Cæsarem designatum perpetuo carcere multat. Cosentiæ mortuus in Calabris Anno 1235.*

[c] *Fridericus Austriæ Marchio ob enormia flagitia ad causam dicendam citatus, Cæsari petulantissimè respondens venire abnuit. Hinc bellum indictum, & Regia (vt nonnullis placet) dignitate cum esset ornatus Anno 1225 ab eodem Friderico II. Cæs. dicitur exauctoratus Anno 1236.*

[d] *Vdalricus Vdalrici filius matre N. filia Premyslai Regis, vltimus Dux Carinthiæ.*

[e] *Hordas illi vocant, ceu fora vel conuentus, quibus præficiunt principes. Chamum suo idiomate summum vocitant Imperatorem.*

[f] *Battus Hocotij filius Changij Magni Chami Nepos. Eius dux Petta.*

[g] *Alij ad Belam Regem Hungariæ cuius filiam Kingen siue Kunigundem habuit coniugem, fugisse cum illis minus tutus esset, in Pienina arce latuisse dicunt.*

[h] *Arcis obsidione ab fulmine celitus emisso repulsi. Henricus pius Barbati & Sanctæ Hedingis filius.*

[i] *Theobaldus duxerat Barbati filiam Henrici sororem, hinc Boleslaus Henrici amitinus.*

[k] *Quinq; alij tam Tataris quàm Christianis tribuunt exercitus.*
1 *Boleslao cum fossoribus & auxiliarijs.*
2 *Pomponi.*
3 *Mesconi Duci Opolienſi & Ratiborienſi.*
4 *Polonis duce Sulislaro Voldomiri Cracouienſis*
5 *Henrico Principi.* (*Palatini fratris.*

[l] *Sternbergius primus Morauiæ Capitaneus, qui est supremus à Marchione magistratus, eius quasi vicarius.*

[m] *Cutenum Comanorum Regem cum toto populo Tataros fugientem & religionem Christianam professum in Hungariam receperat Bela, & ciuitate donarat, vt Hungarus & Cumanus nullo discrimine haberetur. Indignè ferebant Hungarorum nonnulli, & odiorum faces accendebant.*

[n] *Tarquinius in Ardeatibus decussis capitibus papauerum, supplicij edidit simulacrum.*

[o] *Rhodum Crucigeri occuparunt 1308. anno primùm. quis igitur hic Magister, nisi dicas Magistrum equitum Hierosolymitanorum, cum ordo sit institutus sub Balduino de Burgo Rege Hierosolymitano, circa annum Christi 1120. sub diui Iohannis equitum nomine.*

[p] *Anno 1246. prælium ad Neapolim Austriæ commissum est 15. Iunij.*

[q] *Vdalrico Duci Carinthiæ desponsa filia Premislai primi Ottocari. hinc natus Vodalricus.*

[r] *Hanc alij sororem Friderici statuunt. fuit nupta Henrico sexto, quē Fridericus II. pater Cæsar in Apuliam relegatum carceri inclusit, quæ gemellos Fridericum & Henricum pepererat. & quia Gertrudis Margarethæ soror Hermanni Marchionis Badensis vidua ius suum Belæ aut eius filio Stephano resignarat. Huius filius fuit Fridericus*

dux

*dux Austriæ qui vnà cum Conradino Neapoli à Carolo Andegauense capite plexus est.*

[s] *Premislai filium fuisse Ottogarum affirmat Bonfinius, fratrem Venceslai, quem sine liberis dicit obijsse, eum Ottocarum quintum Bohemiæ Regem dictũ. Quod etiam Peucerus libro 5. Chronicorum asserit, sicut etiam Munsterus.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER SEPTEMDECIMVS.

ADuentus Othogari in Boiemiam ad ineundum regnũ vt in speciem erat splendidus, propter frequentiã comitatus qui eum ex Austria, Styria, Morauia comitabantur, ita plerisq; metuendus, quia armatus venerat. Auctus metus capto Boressio ab Osseca, quem idcirco capi & in carcerem seruilem detrudi iussit, quòd vocẽ ille suam patri Venceslao ad perniciem filij præbere esset solitus. Itaq; alij eiusdẽ criminis affines, ne similem casum subirent, matura sibi fuga cõsuluerunt. Cæterùm à fidelioribus Rex submonitus, vt clementia potiùs sibi fauorem ordinum, quàm nimia seueritate, præsertim inter initia regni cõciliaret, inimicos vltra persequi ita omisit, vt ne vocem quidem eius inimicã possent exaudire. Tantisper autẽ in Boiemia tunc cõmoratus est, dum eã in regno constitueret, quæ ante discessum cõstituenda erant, maximè in magistratibus surrogandis, qui vel negocia regia curarent, vel iura ordinibus dicerent, pauperes cum diuitibus pari iure continentes: non deserta interim equestris disciplinæ meditatione, quam in hoc instituit, vt domi haberet equitũ copiam, ne illam foris quæreret: nonnihil etiam offensus inertia iuuentutis nobilioris, quã viderat vino, somnoq; & lustris magis, quàm equis & armis intentam. Vt hanc igitur socordiam illi ignauiamq; excuterẽt, ad exercitium equestre iuuenes nobiles laude præmijsq; & honoribus inuitabat, præpositis veteranis, qui per ludicra pugnæ equestris ad serium certamen ineundũ Tyrones consuefacerent. Atq; ista re breui consecutus est, vt externo haud multum indigeret equite: nam pedite abundabat. Ordinatis itaq; rebus in Boiemia suis, ad Austriam redibat, auidus prolatandæ potentiæ vsq; ad mare Adriaticum: eiusq; rei gratia Vdalricum proxima sibi necessitudine innexum statim adijt, vt cum eo de Carinthia ad se transferenda ageret. Senex namq; Vdalricus liberisq; viduus erat, ac fratre tantum Philippo superstite viuebat: qui cum Præsul Salcemburgensis esset, sua se contentum sorte esse dicebat. Vnde facilior cum Vdalrico actio se offerebat, sua sponte à curis rerum ad ocium & quietem propenso: ad hunc modum inter eos transactum est, vt Othogarus certam pecuniæ summam adnumeraret: qua recepta, vicissim Vdalricus de Carinthia, Histriaq;, & de portu Naonis ei concederet. Hac virium accessione factus audacior Othogarus, bellum Prutenicum à se exequendum, perficiendumq; recipit. Pruteni namq; Christiana religione violata, [a] Magistroq; in Prussia à Friderico Cæsare constituto ad resistendum impare, vim intolerandam omnibus Christianis domi, forisq;, vel in Mazouia, vel ad Pomeraniam accolentibus, spolijs cædeq; & strage inferebant, ita vt in illos Romanus Pontifex vexillum crucis sustolli iusserit. Induit crucem Othogarus cum Boiemis & Austriacis. Similiter Brumo nuper Episcopus Olomucensis creatus, cum Morauis. Accessit mox in itinere haud procul à Vratislauia Otho Brandeburgensis Mar-

*Otthogarus V. Rex Boiemiæ.*

*Armatus regnum init.*

*Asper in patres cõsiliarios. Monitoribus cedit.*

*Forum iudicia rium emendat.*

*Equestria exercitia instituit.*

*Ottocarus pacta pecunia Vdalrici prole carentis recipit ditiones amplas.*

*Bellum Prutenicum Anno 1255.*

chio,ex ſorore Othogari prognatus: quibus copijs in vnum coniunctis, procedebat Rex quadrato agmine, ſperans futurum, Prutenos obuiam in aciem prodituros. Quod vbi non eſt factum, edicit Rex ne quiſquam militum Chriſtianis,eorumq; poſſeſſionibus noceret: cæterùm in perfidos hoſtes iure belli vt agerent,datiq; à Magiſtro deductores,qui rectà milites ad agros hoſtium perducerent. In illis nullum maleficium prætermiſſum, donec per agmina duo Prutenorum Duces diuiſi, ſe à longè oſtenderunt, repenteq; accurrentes,caſtra Regis tumultu nonnihil turbauerunt:vnde animo accepto,die poſtero haud ſegniter aciem inſtruunt, pugnamq; cum Rege conſerere audent, ſi pugna dici debet, in qua poſt primum impetum ſuſtentatum (qui acerrimus erat) hoſtes adeò ſtatim animis conciderint, vt certamine abiecto, aliſ quò quiſq; potuit,ipſi verò duces in vicinũ oppidum mœnibus munitũ perfugerint. In hac fuga multi viui capti,atque omnes vita à Rege donati,quicumque tingi,aut reuerti ad Chriſtianiſmum non dubitauerunt,cæteri perfidam retinentes pertinaciam, ad internitionem cæſi. Itumq; hinc ad expugnandos duces oppido incluſos, in quo nullum oppidani commeatum, præparatum habebant,quo obſidionem paulò diuturniorem poſſent tolerare. Accedentes igitur duces,cõſulere eos rebus ſuis alia ratione hortabantur,quando in oppido cibo potuq; exinanito, nullam ſpem ſalutis propoſitã videant. Requirunt illi oppidanorum conſilium:qui reſpondent,ſe iam dudum delibe raſſe, vt religionẽ Chriſtianam libentius amplectantur, quàm cum liberis & fortunis intereant. Ergo & nos,inquiunt,pariter illi manus damus,poſteaquã apertè cognoſcimus fruſtra nos cum Deo pugnare. Delecti confeſtim qui Regem adirent, dicerentq;, ſi incolumitatem obſeſſis concederet,ſe in ſequenti luce deditionem,imperataq; facturos. Quibus ille reſpondet,ſe Regem Chriſtianum eſſe,fidem illis fidelem præſtaturum. Mane Duces primùm à Brumone Epiſcopo,aqua & chriſmate tinguntur,quorum alterum Rex de more à lauacro ſuſcipit, alterum Ottho Brandemburgenſis, atq; vterq; nomen ſuum ſuſcepto imponit,Rex ſuum Othogarũ,Ottho item ſuum Othonem vocans, amboſq; Rex veſte ex ſerico candida auroq; intertexta induit, & vt amicos conſalutat. Poſt hos cætera multitudo certatim ad fontem ſacrum properabat,non ex eo loco tantùm,ſed ex tota inſuper Pruſſia,quam Rex vſq; ad mare victor peragrauit, vrbemq; in littore maris præclaram condidit,quam ex titulo ſuo Regio,Montem regalem appellauit,vt tanto Prutenos in officio retineret facilius. Condidit ibidem Rege annuente, Brumo quoq; Epiſcopus nouam ciuitatem,eandemq; ſimiliter ex ſuo nomine Brumonis montem vocauit, non ad ſuum quidem, ſed ad Epiſcopi vſum, quem Prutenis pro paſtore conſtituebat, atq; illi mox inde eum ad Varnienſem ſedem tranſtulerunt. Sed de Brumone, deq; magnificentiæ eius ſtudio, in locis ſuis plura. Cæterùm Rex Pruſſia ſubacta, gloriari palàm ſolebat, ſe terminos Regni Boiemiæ à mari Adriatico, vſque ad mare Germanicum promouiſſe, quod aliſs ante ſe Regibus, ne per ſomnium quidem contigerit. Domum reuerſo,Hungaricum illum ſubitò bellum excepit, ipſo Bela fœdera rumpente, ac Styriam non ſolùm incurſante, ſed arcem præterea in illa cum oppido primario, cui Petouia vocabulum, oppugnante: hoc propoſito, vt cunctam Styriam regno ſuo adjceret. [b] Cuius voti minimè compos, ab Othogaro videlicet inde expulſus & fugatus, ad vaſtandum rurſus Morauiam, & verò etiam Auſtriam conuertit animum, coactis nouis viribus ex gentibus vicinis, quas nunc appellant Valachos, Ruthenos, Raſcianos, Boſnenſes, Bulgaros, & alios Chriſtianis inimicos. Atque has omnes copias bifariam diuiſas, (nec enim vnus tantam multitudinem regere poterat) partim ſibi, partim Stephano filio ſuo regendas commiſit. Mox vtraſque ad fluuium Tayſam

*Cæſi Pruſſi. Pruſſi baptiſmum ſuſcipiũt.*

*Duces duo Pruſſi baptizante.*

*Mons Regius ab Ottogaro conditus.*

*Mons Brumonis ab Epiſcopo.*

*Brumo Epiſcopus Olomutij Khunigsberg Brumsberg.*

*Imperium Bohemicũ ab Oceano ad Adriaticum Ottocarus prolatauit.*

*Bellum Ottogaro in Hungaria ob Styriam An. 1260.*

*Stephanum filiũ Grazio Styriæ metropoli Bela præfecerat.*

sam ab Austriacis dictum, qua Morauiam ab Austria Hungariam versus dirimit, adduxit. Eódem Othogarus vires suas omnes contulit, castris suis ex aduersa ripa positis haud procul ab hostibus. Qui vbi maius in conspectu bellum vidit, quàm quantum de illo rumori crediderat, Caduceatorem ad Belam misit, qui Regi diceret: Non sanctè illum aduersus fœdera agere, quibus Deo teste pax inter ipsos Reges hac conditione fuit conciliata, vt si quid in illa ab vtrauis parte turbatum esset, id vt iudicio æquabili discerneretur, se in præsentiarum quoq; pacis quàm belli cupidiorem esse, optareq; vt inducijs liquot dierum datis arbitrio amicorum potiùs, quàm ferro discordia finem accipiat. Bela quanquam ex timore ista dici putaret, attamen quia Hungari nondum omnes conuenerant, inducias dierum decem Othogaro concedit, intra quos agi de controuersia liceret, vltro citroq; liberè commeantibus arbitris, sed qui ab Hungaris veniebant, fiducia virium solam frustrationem quærebant. Retrò aliquantum Bela cum suis à flumine cesserat: Othogarus verò vsq; ad oppidum Austriæ Lauam concesserat, vt ibi aduentum Othonis Brandemburgensis expectaret. Brumo autem cum Morauis, qui ab eius vexillo non discedebant, statiua ad vicum Morauiæ, quem incolæ Pohorelice vocant, modico à Laua interuallo dissitum habuit. Ibidem ex Slesia Henricus Vratislauiensium, & Vladislaus Opoliensium duces. Inter hæc Stephanus Belæ filius, vado in Thaysa flumine reperto, atq; per suos exploratores comperto, Brumonem cum debiliore copiarum parte seorsum à Rege castra tenere, deductori mandat, vt se rectà Pohorelitium ad Brumonem perducat. Nox erat ex pluuioso cælo tantis tenebris obscura, vt ductor etiamsi locorum satis gnarus, à via tamen aberraret, Stephanumq; non ad Brumonis, sed ad Regis castra adduceret. Inter Excubitores illius noctis fuerunt Otho & Conradus Comites ab Hardeco, nobilitate illustres, ij sonore audito, quem strepitu pedum multi equi concitabant, adequitant propius explorandæ rei gratia, inciduntque in Hungarorum antecursores, amboq; cum illis fortiter dimicantes occiduntur. Qui clientulorum superfuerunt, castra tumultu implent, hostes adesse vociferantes. Hoc clamore excitus Othogarus, arma celeriter expediri, armatosq; milites pro stationibus suis tantisper stare iubet, dum qui hostes, quantusq; illorum numerus esset certius cognosceretur. Nam & Stephanus ad tam sibi propinqua aduersariorum castra substiterat, non ausus per tenebras vltrà progredi, cum nondum videret castrorum situm. Aurora deinde aperuit Othogaro hostem, Stephano errorem perductoris. Cum igitur subterfugiendi tempus nullum, sed vtrisque pugnandi necessitas instaret, concurrunt hinc & hinc animo flagrantissimo, sed non perinde pertinaci. Quippe Stephanus, vbi sibi haud succesit, vt primo impetu ordines Boiemorum conturbaret, quòd se multitudine abundante effecturum sperabat, diffisus turbæ ad fugam se dare incipit. Quem protinus Othogarus cum Othone Brandeburgo à tergo insequitur, deprehensos per viam concidens, atque ita reliquos primo ad Thaysam, dein ad Moram fluuium vrgens vt præ festinatione ac trepidatione, vadorum immemores, turmatim cum equis ab vtroque flumine ex pluuia adaucto haurirentur. Ibidem Regem Brumo cum Morauis & Slesitis assecutus est, ausumq; per corpora submersorum, velut per pontem in alteram ripam contra Belam transire, audacem se ei comitem præbuit. Quis crederet Belam cum tot gentium tantis copijs, subito metu adeò obtorpuisse, vt neq; mens neque manus suum satis facerent officium, sed totam potiùs spem salutis in pedibus equorum fugacibus repositam habuerit? Sedecim tum millia hostium interfecta esse narrantur, paulò videlicet minor numerus, quàm vniuersus Othogari exercitus fuit. Huic tam insperatæ, tamq; insigni victo-

*Pacis cupidus Otthocharus.*

*Cunctator Bela.*

*Auxiliares Othochari copiæ.*

*Henricus III.*

*Henrici pij filius.*

*Stephanus errore ductoris impingit.*

*Comites Hardeggi.*

*Prælium conseritur.*

*Fugit Stephanus.*

*13. Iulij prælium commissum.*

*Hungari mactantur.*

riæ pro argumento miraculum adĳcitur, tunc cum acerrimè præliaretur, vi-
*Miracula in conflictu.* ſam Aquilam niue candidiorem, quæ ſupra vexillum diuo Venceslao conſecratum, in cuius nomine lætum pæana Boiemi cecinerunt, (quale ad hoc tempus ante pugnam canere aſſolent) placidè volitabat, ſenſimq; per incrementa alas extendebat, donec totum Boiemorum exercitum amplecteretur, quaſi illum protegens, ne ei ab hoſtibus malè Chriſtianis noceri poſſet. Ipſe tamen Rex ſine vlla oſtentorum commemoratione in epiſtola, quam ad Vrbanum Romanum pontificem de hac victoria dedit, ſimplicitus vereq; Deo optimo maximoq; acceptam illam retulit, ſuamq; gloriam & potentiam ita
*Italia patrocinium Othogari expetunt.* dilatauit, vt ex Italia Veronenſes, Feltrenſes, Taruiſini, ac totum penè forum Iulium vltro ad Othogarum oratores miſerint, oratum vt ab eo in clientelam reciperentur. Nam Cæſar nullus adhuc legitimus in Germania declaratus fuerat, nec alius in illa Othogaro potentia, opibusq;, ac regio prorſus apparatu par inueniebatur, maximè poſt triumphum de Bela partũ, poſtq; caſtra eius direpta, in quibus tantum auri ex præda nactus eſt, vt aureum deinceps pro argenteo abacum ſibi ad menſam inſtruxerit, aureosq; calices ad aras, &
*Præda opima è manubijs hoſtium parta.* aurea Thuribula facienda curauerit: tantum præterea manubiarum, vt præter donatiuum militibus affluenter dilargitum, tam larga adhuc ex illis ſupereſſet pecunia, vt inde nobile atq; opulentum in Boiemia cœnobium, quod Re-
*Cœnobium & oppidum è ſpolijs hoſtiũ condita.* giam coronam vocari voluit, conderet. Ac mox in Morauia aduerſus Hungaros munitiſſimũ oppidũ, quod ab ipſa munitione lingua noſtra Hradiſſtein appellamus à fundamentis erexit. Et antequam illinc diſceſſit, Brumonem, eiusq; ſucceſſores, oppido Hulin dicto, cum aliquot pagis annexis liberalita-
*Brumonis Episcopi Olomucenſis origo, genus, & qua ratione eſt Episcopatum adeptus.* te Regia donauit. Natus in Saxonia Brumo erat, in domo Comitum qui à Schombergo cognominantur, tunc inſuper comitatum illuſtrem, quem Holſaciũ vocant obtinebat. Huic cum ſtola ſacerdotalis magis quàm chlamis militaris cordi eſſet, animum ad ſacra appulit, factusq; eſt ſacerdos Magdeburgę in æde Cathedrali, cui nomine Præpoſiti præſidebat. Hìc cum eo fortè tempore Romam veniſſet, quo Decanus Olomucenſis cum nonnullis ſacerdotibus exilium ſpontaneum ſubeuntibus, iam annum ſeptimum in foro Romano, aduerſus Venceslaum regem Othogari parentem contenderant, propterea quòd alium Epiſcopum, quàm quem ipſi delegerant eis obtruſit, celeriter ſe cum illis Brumo inſinuat in familiaritatem, linguæ Vandalicæ commertio, cauſaq; illorum cognita, comperendinationes in illa tam moroſas incuſat, ſuppletq; de ſuo pecuniæ defectum, quem litigatores ſuſtinebant, atque breui, & ſententiam pro Olomucenſibus, & pro ſe Pontificatum Olomucenſem obtinet, promptè de loco ſuo cedente, pro quo tam diu Romæ certatum fuit. Poſteaquam igitur Brumo, Hulino & quibuſdam alĳs fundis à Rege auctior factus eſt, haberetq; proximè pagum quendam quem Cremſirium appellabat, commodiore loco ſitum, nempe iuxta Moram fluuium vicino ſaltu amœnum, Regem pro facultate ſua imitari volens, & ipſe nouum cum arce oppidum, quod in Hungariam proſpectaret, demoli-
*Cremſiriũ extruit arcem Epiſcopalem.* to ſordido pago ædificandum ſuſcepit, illudq; veteri vocabulo Cremſirium vocauit. huicq; templum cum collegio ſacerdotum honorabili adiecit, ſtipendio illis de pagis conſtituto, quos ipſe coemerat, vt in promptu haberet miniſteria, ſi quando Cremſirĳ quoque ſibi, non ſolùm Olomucĳ placuiſſet ſacra obire. Nam Cremſirĳ ferè aſſiduus reſidebat, finesq; interim ditionis ſuæ potiſſimum Hungariam verſus prolatabat, empto cum arce
*Hugualdum emit.* Hugualda toto Comitatu Hugualdenſi: in quo protinus oppidum de nomine ſuo Brumſpergum: ſicut deinde prope Kelczium, arcem de cognomine quoque ſuo Schombergam nominatam erexit, vt nunc alia tranſeam, tum in Morauia, tum in Sleſia (quippe in illa etiam Oſoblauiam arce & mœnibus

bus cinxit) opera, in quibus excitandis magnificentiam ſuam talem oſtendit, qualem tunc alius ſuperare non potuerit, niſi ſolus Rex, qui iure ſuo gloriari ſolebat, plura ſe ædificia noua relicturum, quàm vt ad ea inſtauranda, ſarciendaq; & tegenda, vnius hæredis cura ſufficiat; quanquam adhuc legitimum tunc hæredem nullum habuerit, vxorem ſterilitatis ſæpius inſimulans, ſemper illa tamen valde declamante, donec ei Rex hanc conditionem offerret, dicens: Da mihi è gynecæo tuo puellam aliquã in cubiculum meum, ſi illa ex me prægnans intra annum non fuerit, reus ſim ego impotentiæ & ſterilitatis, ſin illa hoc temporis ſpacio conceperit, infantemq; ædiderit inter infœlices, infœcundasq; arbores tu te numerato. Probata conditione, puellaq; ex Auſtriaco genere Regi oblata, naſcitur ei decumo menſe filiolus, cui Nicolao nomen Rex indidit, dein altero filia, tertio item & quarto geminæ filiæ, quas poſtea adultas proceribus ſuis deſpondit, vnam Vartembergo, alteram Straconicenſi, tertiam Crauaro, dote cuilibet attributa, quæ notham maculam deleret. Nam vt ille dixit, vbi dos adeſt, nullum vitium vitio vertitur. Ergo & filium Nicolaum nothum regione Opauienſi à Morauia auulſa, dotauit, appellauitq; Ducem Opauienſem. Cæterùm ſtatim poſt datum fœcunditatis ſpecimen, diuortium cum Margaretha vxore fecit, ad flaminicas illa in cœnobium, vnde prius abducta fuerat, relegata, quartoq; demum anno, Kunigunde legitima rurſus vxore ſuperducta, ex qua Venceslaum regni hæredem procreauit. Obierat iam Bela Rex ſucceſſore Stephano filio: is tanquam cum patre fœdus denuo nuper initum, ſimul eſſet ſepultum, bellum aduerſus Otthogarum per incurſiones in Morauiam factas renouat. Qua de iniuria, deq; rupto fœdere, quum per Caduceatorem egiſſet cum Stephano Othogarus, ac rogaſſet, vt prohiberet populationes à ſuis in Morauia fieri, reſponſum ab illo elatiùs, inflammatiusq; retulit, dicente: Nondum ſe conductũ ab Othogaro eſſe, vt curam tuendæ Morauiæ recipiendam putaret, ſibi rem ſuam curæ fore, viciſſim ſuam curaret Boiemus. Hæc Rege ad ordines referente, omnium in vnum ſententiæ congruebant, vt primo quoq; tempore inſolentiæ Hungarorum reſiſteretur. Othogarus comparatis breui copijs, rumoreq; diſperſo de ſua in Morauiam profectione, quaſi inde Stephano occurſurus quocumq; in loco eum inueniret, ſubitò agmina in Auſtriam conuertit, in qua claſſem præterea in Danubio paratam habuit, vt terra & aqua Poſoniũ in ripa Danubij poſitum, improuiſus oppugnaret. Nam audiebat in arce oppidi bonam Gazæ Regiæ partem à Bela adhuc repoſitam fuiſſe. Celeri itaq; itinere Poſonium concedens adeò coniuncta ponit mœnibus caſtra, vt alloqui oppidanos cohortariq; liceret, ne ſe per contumaciam repugnandi periculo ſubijcerent, quod imminere ſolet captis per vim vrbibus. Illi cum ſe, & à præſidio, & à commeatu, propterea quòd præter opinionem obſidio acciderat, deſtitutos viderent, oblatam ſibi ab Othogaro ſalutis ſpem amplexi, deditionem ei faciunt. Arx diutius defenſa, quia ſitu alto firmior, & rebus defenſioni neceſſarijs inſtructior erat. Sed de illa quoq; propugnatores vi depulſi ſunt, aurumq; & argentũ, quod ibi inerat, direptum eſt, Stephano ad laurinũ morante, cum non adeſſet nauium copia, quibus poſſet vltra Danubium, qua parte Poſonium iacet, copias ſuas transferre. At Othogarus claſſe abundante, exercitum ſuum ſtatim tranſmiſit, illumq; in hoſtem tranſmouet, ardens cupiditate cum illo pugnandi. Iuſſit tamen præfectum aulę, quem Mareſchalcum vocant, is erat Rodolphus ab Habſpurgo Comes, antecedere, qui per viam occurſum hoſtium exploraret, cum repentè ille redit, ac propè adeſſe hoſtes renunciat. Viderat quidem turmas frequentes accedere, ſed in illis tamen ipſe Stephanus non erat, vt mox cognitum eſt. Cæterùm tanquã adfuiſſet, Rex aciem ad pugnam ordinauit: contra hoſtes ſine ordine in medium procurre-

*Splendidè magnificus Brumo.*

*Anus effœta & ſterilis Regina.*

*Iurgium de impotentia inter maritos.*

*Ottogarus ex pellice Auſtria vtriuſq; ſexus gignit liberos.*

*Oppauæ.*

*Nicolaus dux.*

*Margaretha repudiata Kunigundam ducit. hinc Venceslaus.*

*Stephanus Rex Hungariæ Belæ F. Otthocaro bellũ indicit.*

*Anno 1276. in Iatiusq;*

*Claſſe Poſoniũ obſidet.*

*Poſoniũ ſe Ottgaro dedit.*

*Arx Poſonienſis expugnata.*

*Rodolphus Comes Habsburgi Marſcalcus Ottogari.*

*Tumultuaria seu potitus velitaria certamina.*

bant,vt si qui ab exercitu excurrerent,cum illis dimicarent,id quod semel iterumq; permissu Regis factum est, pari ferè vtriusq; partis detrimento. Cohibuit deinde Rex extra ordinariam pugnã, & ne quis amplius à signis discederet,vetuit.Id cum metu factũ hostes putarent,extremã infesti aciem adsiliunt, sed tantum abfuit vt illam de gradu cõmouerent,vt clade suorum non modi ca accepta, ipsi fuga in castra sui Regis dilaberentur. Inter Iaurinũ oppidum & Rabum fluuium,[d] Stephanus castra posita habuit,atq; is fluuius propter altas ripas, & imperuium alueum transitu difficilis erat. Non dubitauit tamen Othogarus, quin Stephanus, vti belli author, transito per pontem fluuio, sibi vltro ex parte altera occurreret,in qua ipse aciem suam constituerat,ibiq; accessum hostiũ aucupabatur:verùm illi ad confligendum acie non valde animati,quoniã equite grauis armaturæ deficiebantur,ad dolum versi castra aliquantum retro à fluuio referunt, pontemq; clam interscindunt,vt oneri succumberet,si illum Boiemi superare tentarent. Quod quidem illi fecerunt,sed continuò pons ad transitũ eorum qui ante aciem procurrere solent,ponderi cessit,partemq; antecursorũ mersit,reliquã partem vltra pontem progressam, Hungari totam deleuerunt, socijs nuper cæsis litantes. Expectabat incolumi acie Othogarus, dum vel pontem nouum ibi cõstituerent,vel aliam ad pugnã rationem aliquã inirent:vbi comperit Stephanum castris sublatis,quasi victorem Budam accelerare,paucis diebus in Hungaria per populationes consumptis,Viennam se contulit,atq; inde Pragam cum laude repedauit.Istic eum legatio ex Germania honorificentissima excepit. Conradus Coloniæ Agryppinæ Archiepiscopus,atq; idem Elector imperij eius legationis princeps fuit,per quam ad Othogarum summum honoris fastigium, nempe Romanum Imperium deferebat.Duo nanq; de viginti annis interregnũ in Germania tũc dura uerat,contendentibus interim de Imperio tam domesticis,quàm alienis,tum armis, tum largitione. Domestici erant [e] Henricus Thuringus, & Vilhelmus Batauus, qui in prælio apud Frisios cecidit. Duo item externi Alphonsus Castellæ Rex, & Richardus Regis Angliæ frater, à quo longissimè ratio voluntasq; Electorum abhorrebat.Percepta igitur legatione, Othogarus cum suis deliberat, plerisq; eorum subuerentibus, ne si ad regnum Boiemiæ tam latè longeq; tunc propagatum,imperium præterea Romanum accederet,intoleranda Othogari arrogantia fieret,ac tum deinceps à continuis ac longinquis bellis nulla intercapedo. Primus in senatu Ioannes Pragensis præsul sententiam rogatus,dixit breuibus, vt Rex vltro oblatam dignitatẽ vtroq; brachio complecteretur:à natura enim optimo cuiq;,tantoq; magis Regibus tributũ esse, vt honoris & gloriæ sint appetentes. Eadem sibi videri, parens Præsulis, qui summam præfecturam arcis obtinebat, respondit. Hunc in dicendo secutus Andreas Ricianus, à magistratu cameræ Regiæ,vulgo Camerarius cognominatus, infit. Sibi aliam ac planè contrariam in animo sedere sententiam, quæ suadeat repudiandum esse potiùs, quàm amplectendum munus quod offerretur,tanquam nec regno vtile,nec Regi valde decorum.Quæ enim Regni vtilitas in absentia Regis? non alia videlicet, quàm est in exercitu cum abest Imperator,ubi statim vel cessant,vel torpent cuncta officia.Nemini autem ignotum, quàm sepissimè negocia imperialia, etiam ad longè semotas prouincias,Imperatores euocent,diutissimeq; detineant euocatos. Quid deinde titulus impræsentiarum inanis ad eam fœlicitatem, qua Othogarus potentissimis adæquatur Regibus, plus ei decoris astruere potest? Imò apud se persuasum habere, germanos principes ambitionis auidissimos,non ideo legatos in Boiemiam misisse vt Regem honore cumularent,sed vt in tantis circumundiq; tumultibus,onere illum potiùs quàm se opprimerent. Sibi igitur honestius decentiusq; videri,vt Rex fortuna sua amplissima contentus,domi

*Ottogarus ad imperij habenas capessendas inuitatus petulantissimè recusat.*

*Deliberatio in Senatu de Imperio suscipiendo vel reijciendo.*

*Ioannes xxij. Episcopus Pragensis Georgij Drasitij. F. Riciani Camerarij votum.*

ira

ita viuat, vt vel Cæsari esse possit terrori, quàm vt Germanis principibus fiat obnoxius. Illum enim demum Regem fœliciter vitam traducere suam, qui libertatem existimaret fœlicitatem, rursus fœlicitatem esse libertatem. Hac assentatione callida sic Othogarus inflatus & captus est, vt se potētia Cæsarem anteire putaret. Itaque totam imperij conditionem ad se delatam, improuidè renunciat. Cæterùm neq; ipsos legatos sine precioſissimis muneribus, neque eorum comites sine purpura aut serico, neq; extremum quemq; sine vestibus ex cariore vellere confectis, vacuum à se dimisit. Alioqui in vestiendis hominibus omnium liberalissimus, bis in singulos annos cunctam suam aulam vestiebat. Inter sacerdotes deinde quoscumq; obuios, quotannis pannum lautiorem, qualem ei vectigalia ex Danubio suppeditabant, assiduè distristuebat. Postremò per tempus cuiusq; Quadragesimę, quingentos simul mēdicos nouis induuijs induebat: ac præterea cibo suo eosdem aluit: sic interim superstitionem perosus, vt illam supplicio puniendam duxerit. Irrepserunt tunc ex Saxonia complures in Boiemiam cū peregrina religione, Lupercali haud multum dissimili: nam vt nudi Luperci currebant, ita isti vmbilicotenus nudati ambulabant, lora manibus gestantes, quibus terga sua, non autem vti Luperci vultus, sanguine fœdabant, per hæc februari se, purgariq;, perinde atq; baptismo sanguinis docentes. Magnus ad illos sicariorum, adulterorumq;, & aliorum perditorum vtriusq; sexus hominum fiebat concursus, sed habitum omnes, non autem mores apud eos mutabant, imò pleraq; prioribus deteriora peccabant, donec Othogarus, alios igne combureret, alios aqua submergeret, plures regno exturbaret. Ab hac item parte eidem regno benè consulens, quòd pōdera in illo & mensuras, partim varias & inter se diuersas, partim fraude doloq; nonnullorum vitiatas, ad vnum æquabilemq; modum reuocauerit, quòdq; securitati viatorum prospexerit, sublatis de regno viarum insessoribus. Porrò Germani principes, simul atq; cognouerunt, imperium Romanū ab Othogaro despici contemniq;, non vltra distulerunt, quin vicissim in contemptum eius Cæsarem sibi deligerent, Rudolphum Habesburgi Comitem, qui paulò antè præfectus aulæ Othogari fuit, hac potissimum ratione inducti, quòd Rudolphus satis multo tempore sub Othogaro tanquā militiæ peritissimo duce meruerit, aliquotiesq; ordinibus regendis à Rege præpositus erat, ac bellè semper operam suam Regi approbauit. Illum autem imperare debere Germani dicebant, qui armis aduersario posset resistere, quam potentiam Rudolphus in fortuna sua non admodum ampla, quò facilius assequeretur, totum se principibus permisit, qui eum statim in Germania more solemni coronauerunt. Post hæc continuò indictus ab eo conuentus, vt omnes imperio subiecti. Norbergam ad exhibendum nouo Cæsari officium debitū & obsequium conueniant. Rursus Othogarus venire contempsit. At Rudolphus de principum sententia, primum Austriam ab eo, tanquam Imperij prouinciam, quam mulier abalienare, aut dotis, aut alio quouis titulo non potuerit, repetit. Dein Carinthiam etiam, atque Stiriam, quas æquè Vdalrico, sine Cæsaris assensu vendere minime licuit, quum vtraque ad Imperij, vt vocant feudum pertineat. Hoc insuper adposuit, vt in verba sua more maiorum iuraret. Vehementissimè ad singula excanduit Othogarus: ipsa re, inquiens, verum experior, de quo aliquando subdubitaui: insolentius nihil esse humili cum surgit in altum. Hic Rudolphus, heri videlicet assecla noster, hodie Germanorum Cæsar, vt subitò per summam insolentiam veteri domino suo insultat. Sed propediem sentiet, vter magis valeat, dominus an seruus. Iratus denique respondet: Nihil se Rudolpho debere, nihil etiam velle ei reddere. Ita vtrinque exacerbati ab vtraque parte copias ingentes comparant. Cæsare cum suis destinatum habente Hercyniam syluam

*Othogarus ob latū repudiat Romanum Imperium.*

*Munificus Othogarus.*

*Flagellatorū abolet sectam Othogarus.*

*Pondera & mensuras emēdat.*

*Purgat latronibus itinera.*

*Rudolphus Imperator. Anno 1273.*

*Tenuis fortunæ Rudolphus tres electores affinitate traditis filiabus vxoribus sibi coniungit.*

*Othogarus proteruus Cæsarem contemnit à quo repetundarum accusatus.*

*Bellum Rudolphi Cæsaris aduersus Othogarum.*

occupare, ac ſe inde per Teplenſes agros in Boiemiam interiorem inſinuare, ſed præuertit Rex, omnia in ſyluas & montes itinera omni modo impedire, ne qua facultas fieret introeundi. Ergo Cæſar exercitū in Auſtriam vltra Danubium traducit, ibiq; Belſum oppidū, mox ipſum Lincium, & alia præterea loca ſua ſponte in partes Cæſaris tranſeuntia recipit. Indeq; ſecundum flumē lentè progreditur, aucupans Regis conſilia, ſi qua de traiſciendo exercitu iniret, quem vt abhorrere à traiectu videt, nec ipſe tranſire flumen feſtinat. Ita medius inter duos exercitus Danubius, pluſquam ſeſquimenſem fluebat, quo temporis ſpacio, pabuli frumentiq; inopia vtraq; caſtra arctè premi cœpta ſunt, non ſine metu futuræ ſeditionis:

*Cæſar in Auſtriam.*

*Fames.*

*Neſcit enim plebs ieiuna timere.*

Sed vtrinq; tandem pacis authores reperti, qui dicerent, tempus maximè idoneum de pace agendi adeſſe, dum adhuc vires vterq; ſuas oſtentat, nondū autem in periculum illas adducere audet, ac pari ambo difficultate annonæ vrgeantur, quæ vtrumq; cogat, vel ad conſerendam ſtatim manū, quod fieri niſi traiecto Danubio nequeat, vel ad caſtra turpiter ſoluenda. Nónne conducibilius fore, vt citra ſanguinis profuſionem Cæſar cum Rege pace & concordia conueniant? Inſula modica in Danubio erat, quam Kambergam appellabāt, in hanc, vt cum ijs modò, qui à conſilijs eſſent vterq; veniret, cęteraq; interim multitudo, vt ripas Danubij quietis ſtationibus occuparet, placitum & decretum fuit. Vbi illò ventū eſt, Rudolphus ſimulato erga Othogarum obſequio, prior ei cum ſalute & complexu occurrit, patremq; & patronum ex veteri fortuna conſalutat, agitq; gratias quòd pacatum, quàm hoſtilem indueret animū, & fœdere potiùs, quàm ferro periculoſiſſimum vtrinq; bellum extinguere maluerit. [f] Dein Principes adhibet, quibus velut teſtibus mutuam ante omnia cum Othogaro affinitatem contrahit, deſponſa filio eius Venceſlao octauum annum agenti, viciſſimq; petendo, vt Rudolpho filio Othogarus filiam ſuam daret in matrimonium. Quibus rebus per ſpeciem ſummæ amicitiæ cōfectis, hylariq́ue & læto conuiuio, ſine vlla Othogari ſuſpicione confirmatis: tum demum Rudolphus, quod cum animo ſuo, cumq; ipſis Principibus ſtatutum atq; deliberatum habuit, in primis videlicet vt arrogantiam Othogari infringeret, dein vt Auſtriā illi adimeret, ſpecioſiſſimis illum blandiſſimisq; inuitat verbis, vt ſi palàm pudeat, ſaltem ſecreto intra tentorium paucis corā arbitris, debito per fidem Cęſari præſtandam fungeretur officio: aliter namq; ſtabilem inter ipſos perpetuamq; amicitiam coire non poſſe, niſi exhibito ſibi prius obſequio. Abominantem rurſus Othogarum dignitatem ſuam, Rudolpho ſubmittere perſuadent proceres, non minus Cæſarem ob veterem familiaritatem, quam Regem ſuum reſpicientes, vt ſe fidei Cæſaris committat. Quod cum ille facit, atq; vt mos habet quinq; vexilla Cæſari de manu ſua offert, reſtituit duo ille duntaxat, ac ſibi tria, Auſtriæ videlicet, Carinthiæq; & Stiriæ nomine retinet, quaſi tutelæ interim titulo poſſideret, dum matrimoniū recens conciliatum ad effectum perduceretur, tum deinde illas quoq; regiones, Venceſlao Othogari filio pro dote acceſſuras: addita ad hanc vafriciem illa inſuper contumelia, per tentorium machinoſum ita concinnatum, vt laxatis funibus confeſtim in partes rueret. Dum igitur genu adhuc nixus ante Tribunal Cæſaris procumberet, repētè tentorium diſſolutum eſt, atq; vtriq; exercitui Othogarum ſpectandū præbuit, Germanis ignominię applaudentibus, cōtrà Boiemis dira deteſtatione illam proſequentibus, mirumq; in modū admirantibus, quid nā Regi acciderit, quòd tam ſubmiſsè abiecteq; ſe Rudolpho proſtrauerit. Sed quid Rex faceret inſidioſis rhetibus irretius, quę iā excutere non poterat, niſi vt ad preſens ſcęnæ ſibi per dolum pręparatæ inſeruiret? ex qua mox plenus tacita indignatione diſceſſit. Sed quanto atrocius Regina mulier

*Concordiæ rationes ineuntur.*

*Congreſſus Imperatoris cum Rege Kambergi.*

*Affinitate contracta lites dirimuntur.*

*Ad præſtandū Cæſari ſolitū & debitum obſequium Othocarus inuitatur.*

*Morauia cū Boiemia Othogaro conceſſa reliquæ prouinciæ adentæ.*

*Callidè Auguſtale tentoriū extructum ante ſubſellia ſui ruina prouolutum ad Imperatoris genua exhibet ſpectā dum Othocarum.*

mulier impotens domũ reuerſo inſultauit, multa ei probra aggerens, quibus ſe domumq; ſuam cum toto regno turpiter dedecoraſſet: millies enim mori, quàm ita ludificandum ſe hoſti præbere decentius fuiſſe dicebat: tanto acrius Rex in apertam vltionem erupit, à ſuis auſpicans, quorum cõſilio imperium à ſe reiecit, deinde in verba Cæſaris iurauit. Ergo Riczano magiſtratum inſignẽ, quem gerebat, Vilhelmo arcem Podiebradam, Vartembergo Glacenſem adimit, quibuſdã etiam aula interdicit, ac filiam ſuã, quam filio Rudolphi deſpondit, Deo cum alijs decem puellis conſecrat, vt mutuam dirumpat affinitatem. Pòſt, nouum rurſus contra Rudolphum ex Boiemis Morauisq; & Polonis ſcribit exercitũ, vt ab eo fraude, ſicut dicebat, erepta, armis repetat. Rudolphus tametſi vniuerſam Germanorum potentiam contra Othogarum concitatam circum ſe haberet, nihilominus tamen operam præterea dabat, vt ſibi regios nõnullos, recenti iniuria læſos, præmijs, pollicitisq; adiungeret.

*Conſultoribus honores adimit.*

*Filiam ſacrat. recrudeſcit bellum.*

[g] Fortè Rex tum oblitus fuerat offenſionis, qua præfectũ Morauiæ, quem Capitaneum vocant, Milotam nomine, quondam offenderat, cum Morauicas copias in eius fidem ſubleſtam futilemq; committeret. At Rudolphus memoria meminerat, ideoq; non omiſit illam Milotæ, cum quo diu aliquando domeſticè vixerat, refricare, eumq; temporis commonefacere, quòd ei facultatẽ & veteris aduerſus Regẽ offenſæ vlciſcendæ, & nouæ gratiæ apud ſe exaugendæ tribueret. Prope Znoymam Rex caſtra iam cotraxerat, maiores ibi tum ex Boiemia, tum ex Polonia vires expectans, interimque arcem cum caſtello in Auſtria, quod Droſendorfum appellant, oppugnans, quod etiam expugnauit.

*Cæſar Milotam Morauiæ Capitaneum corrumpit.*

*Droſendorfiã expugnat Othocarus.*

[h] De Cæſare nihil adhuc certum habens vbinam ſe contineret, cum ecce tibi ille ſuperato Danubio cum tota mole ſua ad oppidum Lauam inexpectatus adeſt. Nullo pacto Rex contemptum Rudolphi ex animo ſuo poterat deponere, quaſi contra eum ſatis ſemper inſtructus paratusq; eſſet, quare nihil cunctatus, obuiam ei cum ijs, qui ad manum aderant, procedit, accedensq; propius, aciem ipſemet diſponit, in leuo cornu Milotam adiunctis ei Polonis, locat, monitum, quando equitatu grauioris leuioriſque armaturæ abundaret, vt operam nauaret ſtrenuam, neſcius aliam eum operam Cæſari prius vendidiſſe, nimirum perfidioſiſſimam, vt ne pugnaret, ſed fugæ principium vt faceret. Ipſe Rex in dextro, vt ſolitus erat, cornu ſtans, ad Boiemos verſus, Non recuſo inquit, quo minus vobis liceat, vt me æmulemini, ſiue audacię ſiue timoris exemplum dedero, iubetq; ſe illos ſequi. Ruebant Boiemi cum Rege ſuo in Rudolphi aciem: nam in eum potiſſimũ totus erat conuerſus impetus, cum eques citato equo Regi nũciat, Milotam de acie ſua cedere. Quid mihi, inquit, tam optandum quàm ſcelere proditorum meorũ cadam potiùs, quàm per ignauiam aut trepidationem fugiam, cadere autem Rex honeſtius, niſi in prima acie nõ poteſt, hunc itaq; locum tuebor, quoad facultas tuendi ſupererit. Inſtabat Rudolphus iam grauior, quàm vt ſuſtineri potuerit: Eum duo fratres ex Styria necis Regiæ auidi, quoniam tertium illorum fratrem Rex de medio per ſupplicium ſuſtulerat, aſſiduè ſequebãtur. ij propius Rege viſo, cognitoq; maxima ambo vi in vnum cooriuntur, multoq; labore feſſum, haſtis ad terrã affigunt, & poſtquam mortuum vident, grandi voce exclamant, proſtratum iacere Othogarum. Ferunt Rudolphum ab hac voce aures ſuas auertiſſe, nec fratres illos poſtea in conſpectum ſuum admiſiſſe, adeò grauiter cæſum, non autem captum eſſe tulit. Dies qua tam inclitus & generoſus Rex cecidit, diuo Ruffo celebris fuit. Ex hinc inter infandas infauſtasque à Boiemis habita, quæ opinio poſthac confirmata eſt cæde Ioannis Regis Boiemiæ, eadem die in prælio Britannico interfecti. Corpus Othogari primum Znoymam delatum, aliquamdiu ibi honorificè quieuit, pòſt transferri Pragam illud placuit, & in cœnobio diui Franciſci ab illo ædificato, maiore pompa ſepeliri.

*Prælijũ ad Lauam cõmiſſum.*

*Milota fugæ principium facit.*

*Regis inuictus animus.*

*Othogarus interemptus Hũgari à Rege ſuo interfectũ merentur.*

*Anno 1278. 26. die Auguſti.*

*Reliquias belli persequitur Imperator.*

Cæterùm victor Rudolphus, non contentus successu pugnæ, cædeq; Boiemorum qui in illa ceciderant, alios quoq; fuga incõposita dispersos, vsq; in Boiemiam persequebatur, itinere vbiq; locorum quà incedebat, pagis vicisq; & colonis infesto, ac præsertim cœnobijs ditioribus exitioso. Nam cœnobium Regiæ coronæ ab Othogaro extructum, amplissimisq; donarijs exornatum, non

*Monasteria expilat.*

solùm ad murorum ædificiorumq;, sed ad hominum quoq; Deo consecratorum exitium pessumdatum. Direptum mox cœnobium Osecum, ab eodem Othogaro exaltatum, & igne tandem à Germanis exustum. similem calamitatem Zderasium, Teplense, Doxanum, Ostrouiense expertum. Nisi quòd ex Ostrouiensi cœnobio sodales per tempus aufugerunt, rebus cæteris secũ ablatis omnibus, extra illas quæ in horreis, & penu recondi solent, quarum copiam Germani nacti, sesquimensem ibi substiterunt. Indeq; ad Pragenses vsq; agros populandos excurrebant: postremò tamen eam, quam alijs gratiam loco retulerunt, ignem illi subijciendo. Vnum modò cœnobium, Vilimense co-

*Vilimense monasterium Germanos repellit.*

gnominatum, in quo centum & octoginta contubernales sacerdotes erant, in tot ac tantis malis fortiter restitit, dum legem illam magis sequitur, quæ vim vi repellendam iubet, quàm eam quæ pugnare sacerdotes vetat. Bis igitur acri violentoq; assultu mœnibus cœnobij Germanos assultantes, tanta bis etiam vi strageq; illos à se depulerunt, vt centum & quinquaginta illorum desiderarentur, nec tertiò quisquam muros aggredi ausus fuit. Venit tandem in Boiemiam Otho Marchio Brandenburgensis, vnà cum vxore sua, quæ soror Othogari erat, tutelam Venceslai susceperus, si ei per Rudolphum concessa

*Otho Longus Marchio Venceslai pupilli tutelam suscipit assentiente Imperatore.*

foret. Nam vt diximus, Venceslaus Othogari filius, pusio etiamtum erat, nõdum annum excedens octauum. Eius curam, pater expeditionem faciens, Gregorio Drasitio, & Ioanni filio eius, qui præsulem Pragensem agebat, mandauit. Sed Ioannes ex nimio angore animi, quo eum calamitosa patria ab exterpnis miserè peruastata affecerat, vitam tunc finierat suam. Magis igitur idoneus Rudolpho visus est Otho, tanquam Marchio, vt tutorem pupilli Regij ageret, quàm Gregorius priuatam gerens personam. Ita solus Marchio tutelæ, simulque regno gubernando, quoad puer adolesceret, præpositus. Tum etiam

*Præmium proditionis Glatium negat Crommarus.*

per eundẽ Rudolphum ipsi Milotæ summus in Morauia Magistratus, additis benè multis possessionibus, ad arbitriũ voluntatemq; ipsius prorogatus. Donatus & Polonus oppido Glatio, cum tota eius ditione. Sed quanto maiora præmia proditionis erant, tanto maior infamia eminebat & apparebat.

[a] *Conradus frater Ludouici Lantgrauij Hessiæ mariti Diuæ Elizabethæ in ordine magister Prussiæ.*

[b] *Alpra Comanorum Dux auxilio fuit Belæ, licet affuisse etiam Polonica Boleslai verecundi dicantur auxilia.*

[c] *Hungari adeò bello Tartarico effætam fuisse dicunt Hungariam, vt vix tot tota Hungaria, etiam qui tum vixerant, superstites relictos testentur. Fidem facit & inopia equorum, vt bigas homines equorum loco ducerent.*

[d] *Stephanus belli fortuna non eadem ac patri fuit, quippe, qui Australes & Bohemos insigni vsq; adeò victoria profligauit, vt paterni iacturam nominis in hac re magna ex parte retorserit. Tanta clade Othogarum ad flumen Raperam superauit, vt parem pro patre vicem hosti retulisse prædicetur.*

[e] *Aemuli Romani Imperij Henricus Landgrauius Thuringiæ & Hessiæ, Vilhelmus comes Hollandiæ, Richardus Cornubiæ comes Iohannis Angliæ Regis filius, Henrici Regis frater, Alphonsus Hispanus Rex Castellæ.*

[f]

| | |
|---|---|
| *Rudolphus Cæsar* | *Othogarus Rex Boiemiæ* |
| *Rudolphus filius* | *Agnes filia* |
| *Iuttha filia* | *Venceslaus Rex Boiemiæ* |

*Amante*

g *A morte Mieſconis contra Tartaros qui militarat, Ottocarus vi Oppauiam occuparat, & Nicolao ſpurio tradiderat. Repetebat Boleslaus pudicus Poloniæ princeps & ex decreto conuentus Oppauienſis. auxilia ſubminiſtrauit Othocaro contra Cæſarem.*

h *Cæſari Ladislaus Chunum Regem Hungariæ opem tuliſſe tam Hungari quàm Poloni & Germani affirmant. hi 15000 Hungarorum affuiſſe tradunt.*

# HISTORIÆ BOIE-MICAE. LIBER OCTODECIMVS.

PRagæ Venceſlaus cũm matre Kunegunde ab Othogaro relictus, ibidem à Gregorio alumno, iuxta præſcriptum paternum fouebatur, donec ex conſenſu omnium ordinum, cura fouendi illius ad Marchionem Brandeburgum transferretur. Qui, vt iam inde ab initio fauorem ſibi Boiemorũ conciliaret, locutus illis dicitur fuiſſe placita, ſed aſſimulata verius, quàm ſyncera. Valde enim hoc placuit, quòd magnæ ſibi curę fore polliceretur, vt omnia in regno pacaret, in meliusq; cuncta reformaret, quę per Germanos eſſent interturbata, multò iſtud magis gratius fuit, quod ſubiunxit: Aequum eſſe, Boiemos cogitare vtrum ſibi putent eſſe vtilius, ſuisne vt legibus, & moribus ſeruiant, an vt imperio Germano obtemperent, cuius egregiam ſcilicet moderationẽ intra paucas ebdomades experti eſſent: ſe vtroq; verſum pro adiutore vterentur, ſiue primum retinere, ſeu alterũ ſubire malint. Illis perire malle, quàm Germanis ſubijci exclamantibus, En me, inquit, Ducem promptum contra Rodolphum habetis: ſcribite modò protinus militem, & bellum cõmunis libertatis Boiemorum cauſa renouate. Capti hoc verſuto Marchionis ſermone Boiemi, illum quaſi cœlo demiſſum patronum laudibus in aſtra ferebant. Sed breui apertæ ſunt, quæ latebant inſidiæ prorſus immanes. Quid enim immanius, quàm gentis totius exitiũ quærere, nullius rei alterius cauſa, niſi vt tu in illius locum, cum gente tua ſuccedas? Id quod Marchio affectabat, magnamq; inde gloriam ſe, cum à Cæſare, tũ ab vniuerſa Germania adepturum ſperabat, ſi Boiemos in vnum locum contractos, Germanis interficiendos obijceret. At Cæſar tam impiam, tamq; inhumanam & truculentam vaſti animi affectionem, grauiſſimis ſcriptis reprehendit: ipſumq; Marchionem tutelaris fidei ſubmonuit, in quam pupillum receperit cum toto regno tuendum. In illo ſi qui reperti fuerint, quorum audaciã ipſe coercere haud poſſet, ſibi puniendos relinqueret, pacis autem & quietis amantes ne læderet. Se namq; pupillo, quem in locum filij, deſponſa ei filia ſua adoptauerit, hoc meritò debere, vt incolume Regnum illi reſtituat: ſatisq; idem Cæſar negocij habuit, vt Marchionem Boiemis tam inſigniter offenſis reconciliaret. Qui ſanè id temporis in Boiemia diutius nõ eſt moratus, quàm dum officia deſcriberet, illaque ferè Germanis tantùm diſtribueret, inter prę-cipua illis iniungens, ne quem Boiemum in arcem Pragenſem per ſpeciem ſalutandi aut Reginam, aut filium eius, intromitterent, atq; illi quod iniunctũ erat, adeò inſolenter exequebantur, vt ne Thobiæ quidem Pragenſi Antiſtiti, Primitium ſacrum in æde diui Viti facere cupienti, portas arcis voluerint aperire, ſed coactus eſt rem diuinam in cœnobio Strahouienſi peragere, ingenti contra Germanos murmure populi, qui Pontificem, religionis officijque cauſa in cœnobium proſequebatur. Quod vbi Marchio accipit, manu Saxonum valida comitatus, Pragam redit, ſecum Præſulem Brandebur-

*Vèceslaus VI. Bohemiæ nec non Poloniæ Rex impubis adhuc.*

*Aſtutus Marchio.*

*Doloſum & vafrum conſilium in perniciem Boiemorum inſtitutũ.*

*Cæſar offenſus Marchionis peruerſo animo.*

*Marchio conſtituit magiſtratus in Boiemia.*

*Tobiæ xxiij.*

*Epiſcopus Pragenſis.*

*Inſolentes Germani.*

*Marchio adducit Episcopum Brandenburgensem in Boemiam.*

gensem adducens, moribus suis multum congruentem, nisi quòd audacius Præsul quàm Marchio, religionem propter nimiam sibi cum illa familiaritatem contemnebat. Hunc igitur cum Marchio discedens pro se vicarium tutorem pupillo, quem in arcem remotiorem vnà cum matre sepositurat, præfecisset, eiq; Pragæ firmum suorum præsidium reliquisset, vocat ad se pius Pontifex, Marchione iam absente, cætum sacerdotum in arce Pragensi degentiũ, cupitq; ab illis se deduci ad sacellum, quòd audiat regio splendore ex auro & gemmis ab Othogaro esse exornatum, velle se illam magnificentiam Regis

*Episcopi sacri legium in diripiendis thesauris Sacelli Regij Pragensis.*

inspicere. Inseruiunt illi sine vlla suspicione cupiditatis illius, hospitemq; Præsulem ad Sacrarium deducunt, atq; inde ad ostendendum promunt quicquid præciosissimum istic inerat, vestes grauioribus vnionibus distinctas, aulæaq; auro textili intexta, hinc sigilla, effigiesq; numinum, inde rursus calices, candelabra, phialas, pelues, & cætera vtensilia sacris vsibus destinata, ex auro solido omnia ita elaborata, vt ars cum materia certare videretur. Hæc postquam ille satis spectasset, satisq; munificentiam Regis laudasset, subitò suspirium ex penitissimo pectore ducens, quo ad aurum ex pietate aspirabat. Dicite boni fratres, inquit, quid in sacro facit aurum, si illo ad vsum necessarium non liceat vti? Nónne vestræ leges vestriq; decantant canones, Aurum Ecclesia habet vt egentibus eroget? Quid Rege vestro egentius? quid regno spoliatius? in tantùm videlicet, vt in illo, ne Marchio quidem pro sua dignitate sustentari queat. Vt igitur tantis sumptibus, quantos ille pro tuendo Regno quottidie insumit, copiæ suppetant, ex ista rerum copia præsente, aurum illi mutuandũ erit. Perculsos hoc sermone, cõturbatosq; vt vidit deductores, exire actutum illos foras iubet, domumq; reuerti. Ipse cum clientibus suis remanens, quæcumq; cariora exposita erant, illa abstulit, ac prædam cum Marchione partitus est. Ferebat ea grauissimè Thobias, nec tamen quid aliud faceret, ipse penè exul habebat, quàm vt sacrilegum per literas moneret, videret quid ageret, daturus breui malè gestorum rationem Pontifici Romano, eidemq; meritas sacrilegij pœnas. Tum ille etiam istiusmodi minis irritatus, multò magis insanire, nec solùm fana sacrariaq; expilare, sed ipsos etiam sacerdotes cũ plenis horreis, cellisq; vinarijs, & caulis pecorum interuertere, atq; in primis colonos ad ditionem Thobiæ pertinentes vexare, grauioribusq; oneribus illos, quàm ferre possent premere, Marchione ad iniuriarum querimonias surdo, mutoq;. Porrò Regina lautiori, solutioriq́ue vitæ adsueta, cum arcem, in qua cum liberis erat, æquè ac carcerem exhorreret, orat præfectum, vt sibi copiam & potestatem faciat adeundi vicinum oppidum, in quo posset vota, quæ vouisset diuo Georgio, qui in oppido colebatur, exoluere, ac mox in arcem reuerti. Præfectus fidem Reginæ experiri volens, Si, inquit, sola absq; liberis secedas, abire & redire licet, redijtq; ad tempus. Idem fecit iterum, ac tanto faciliùs tertiò obtinuit, vt Melnicum, quod erat suum oppidum, animi causa peteret, ibiq; tres dies consumeret in ocio fide integra. Componit deinde literas nomine Agnetis filiæ, quæ Pragæ in contubernio virginum, Deo virginitatem offerentium, nutriebatur: in quibus scriptum erat, Agnetem ex morbo laborare, ingentiq; desiderio matris videndæ teneri. Id quoq; ei concedendum Præfectus putauit. At illa deflexit de via Pragensi, Oppauiam versus, ad Nicolaum Othogari, quemadmodum diximus, filium nothum, vt illic arbitrio viueret suo, nemini obnoxia. Ea tamen res aduentum Marchionis in Boiemiam maturauit, anxij ne quid mulier satis audax rerum nouarum ibi moliretur: siquidem vox eius ferebatur, iactantis, se perbreui tempore perfecturam, vt filius quoq; suus de manibus & custodia Germanorum erueretur. Huic rei anteuertere volens, accuratissimè apud ordines agit Marchio, vt sibi per illos liceat Venceslaum in Marchiam suam (hoc namq; vocabulo vsus est) secum abduc-

*Grauis sacerdotibus Brandenburgicus Episcopus.*

*Meditatur Regina fugã.*

*Oppauiam Regina fugit.*

*Marchio Vẽceslaũ in Marchiam abducit.*

cere,

cere,melioribus illic quemadmodum ſperaret diſciplinis, ſe coram,quàm hîc ſe abſente inſtituendum. Vehementer vndiq; reclamabatur,negantibus omnibus vllo modo fieri poſſe,vt Rex eorum de regno abduceretur.Cæterùm ſi dignitati iuuenis Regis,ſuæq; Marchio rectè conſultum velit, liberum cuſtodia Venceſlaum,arci Pragẽſi,vnde clàm auectus eſt,reſtituat,eiq; addat præceptores, quàm hactenus modeſtiores, qui æqua ei & regno commoda,non autem iniqua, auaraq;, & ſacrilega,ac nemini amplius toleranda præcipiant.Nã quis ferre queat præcepta,fame & peſte,quibus modò cum alijs malis perfuncti eſſent,peſtilentiora? quando vtraq; harum calamitas,multa integra multis reliquerit: at iuſſa iſtiuſmodi præfectorũ & exactiones eò ſe extendere, vt ne cuiquam Boiemo quicquam in locis,vel ſacris vel profanis remaneat.Marchio vt animaduertit voto ſe ſuo de Venceſlao fruſtratũ iri,ſi Præſulem Brandeburgenſem inexpiabili apud Boiemos inuidia flagrantem, de adminiſtratione regni non amoueret,è re ſua regniq; ſecuritate magis eſſe duxit,concedere Boemis,vt penes illos regimen eſſet regni,quàm quòd Regem in poteſtate ſua haberent.Itaq; de ſuffragio illorum Thobia Pragenſi Epiſcopo,& Theobaldo regni Iudice,ſummæ in Boiemia rei adminiſtrandæ præfectis, ipſe confeſtim inde Brandenburgam ſecũ Venceſlaum auehens,remeauit,dicto prius die,quo eum Boiemis repræſentare atq; reſtituere velit.Fortè in ipſius diſceſſu,arcus cæleſtis ſolitò vegetior,coloratiorq; Pragã cinxerat. nõ caruit id ſpectaculum interprete, qui diceret, finem malorum Boiemis per hoc ſignum portendi,quoniam ad exortum iridis tempeſtas celeriter euaneſcere ſoleat.Et certè duo illi rectores à Marchione relicti, qua inter ſe concordia erant, & ad omnes æquitate atq;,vbi opus erat,ſeueritate quoq;,breui temporis ſpacio diligentia ſua tantum profecerunt, vt omnẽ ferè in Boiemia nubem obſcurorẽ diſcuterent,reſtituta Boiemis lætiore facie,quam maximè induerunt, poſtquam graſſatoribus cuiuſuis nationis latrocinãdi finis impoſitus fuerat. Sed interim domum Regiam turpis macula aſperſit,quam Regina,nimis familiariter cum Zauiſſio Roſenſi,Znoymæ viuens,contraxerat,dum ibi ſoluit pudorem, iacetq; puerpera in lectulo, & poſtea cum adultero matrimonium init, vt hoc nomine prætexat culpã,quam multo magis detexit.Eo deniq; in metu ambo erant,vt in Boiemiam ad poſſeſſiones ſuas redire non auderent. Venit tandem Venceſlai ſiſtendi tempus, ſed eum Marchio ſiſtere noluit,niſi ſexagies mille aureũm Boiemi repręſentarent,tanti enim conſtare ſumptum,quẽ Venceſlai nomine inſumpſiſſet,dicebat.Noua difficultas orta, vndenam ſumma illa pecunię corradi poſſet,vacuo ærario exiſtẽte,nec vno tributo ad exoluendum ſufficiente, moram autem non ſolùm periculi,ſed etiam tædij plenã videri, ſi diutius Rege cogerentur carere. Conuenit ad extremum inter omnes,vt quodcumq; pecunię contrahere quiſq; valeret, quamprimum contraheret,ac pro reliquo debito,vt arces nonnullæ Regiæ Marchioni oppignorarentur.Quam conditionem ille non abnuens,Venceſlaum Boiemis reddidit, annum ætatis quindecimum agentem. Pragam ſubeunti tantus ex omnibus vicis & plateis ab vniuerſo populo excitatus eſt plauſus, vt nunquam maior, fauſtisq; ominibus & acclamationibus plauſibilior excitari potuerit.Inter cætera ab omnibus acclamatum eſt,Aduenisti tandem deſiderabilis,quem tam diu expectabamus, Othogri o inclyta proles.Nihil videlicet tunc nomine Othogari clarius erat, nihil ad conciliandum omnium ordinum fauorem efficacius,quanquam mox ipſe per ſe,indole & virtute ſua fauorabilis euaſit,primamq; laudem ex pietate retulit, quam matri ad primũ eius conſpectum exhibuit,gratiam delicti faciendo.Cæterùm,Zauiſſium aſpicere dedignatus eſt, vetuitq; in aula ſua eum apparere,donec eadem mater,veniam illi quoq; impetraret, celeriterq; illum in tantum dignitatis locum proueheret, vt penes

*Querela in præfectos Germanos.*

*Abrogatur præſuli Brandeburgico magiſtratus.*

*Epiſcopus Pragenſis cũ Theobaldo prætore rem Boiemam adminiſtrant.*

*Regina ex adulterio grauida adultero nubit.*

*Regno patrio reſtituitur Venceslaus. Anno ætatis 15.*

*Fauſtus Venceslai Pragam aduentus.*

*Matri condonat culpam. ea intercedente & maritum recipit.*

vnum omnis potestas aulica esset. In qua ille, haud secus impotenter, atque Marchio olim egit, cuncta æquè sibimet vindicans, ex arbitrioque & libidine sua, quos voluit magistratibus præficiens, alios per contumeliam ab officijs submouens, rapinasq; & prædam vndecumq; contractã, in sinum suum vxorisq; conuertens, cuius maximè patrocinio è manibus delatorum accusatorumq; elabebatur: nec enim filius, matris honorem diuinitùs præscriptum, vllo pacto exuere, suumq; erga illam obsequium extinguere voluit, vsq; dum oportunè illa naturæ debitum solueret, moriensq; plurimum de potentia Zauissij secum auferret, adeò vt ab eo gesta, præiudicataq; Rex non pauca resciderit. Nec vltra prorogatum, quo minus nuptiæ pridem cum filia Cæsaris pactæ celebrarentur. Pragam enim sponsa cui nomen Iudith, aduecta fuit, Pragæq; nuptiarum solemnia regio luxu & apparatu peracta. Aderant nuptijs duo filij Cæsaris, Rudolphus, & Albertus: duo item Marchiones Brandenburgenses, Otho & Hermannus: dein Fridericus Misniæ princeps, tum Henricus, Casimirus, Bolco Slesiæ duces: & multi præterea insignes Præsules, Moguntinus, Meydeburgus, Constantinus, atq; ei vicinus Basilienſis, deinde Misnenſis, & Cracouienſis, tanta deniq; nobilitatis frequentia, vt satis constet, Venceslaum, quottidiano epulo non minus centum millia hominum excepisse, fueruntq; non beatæ modò, verumetiam fœcundæ nuptiæ vt ex quarum prouentu, intra annum primum natus est parentibus Venceslaus filiolus. Quæ quidem res ea Cæsarem affecit lætitia, vt propius accederet Boiemiam, & tam filiam quàm Generum ad se in ciuitatem Egram seuocaret, vt cum illis festa, Charistia veteribus dicta, per munera & conuiuia familiariter agitaret. Data in dotem illa ipsa Egra Venceslao, & insuper arces complures in Misnia & Lusatia, quarum Cæsar per mortem principis Misniæ liberis orbi, dominus factus erat. Hic postremò honor eidem habitus, vt ibidem regalia certis in locis à Cæsaribus in Reges Boiemiæ proficiscentia, Cæsar solemniter in Venceslaum transferret, iuberetq; in acta publicè referri, quòd Rex Boiemiæ Electoribus imperij, sine vlla ambiguitate perpetuò adnumerari debeat, pocillatoris nomine, quod quidem ius in hunc diem Reges Boiemiæ incolume obtinent. Sed rursus Zauissij indomitum animum, noua cupiditas, audaciaq; & amentia incessit, vt sororem Ladislai Regis Hungarorum, ante plures annos ritè Deo captam, deuotamque procaretur, puella haud inuita: videbat enim pares sibi cum illo futuras nuptias. Nam & Zauissius ei religioni dedicatus fuit, quæ pro insigni crucem gestat, eidemq; in Boiemia tanquam magister Straconicensis præfuit, quare par iugum libenter subijt, sacraq; nupsit sacerrimo, ipsa religione id quoque temporis adeò frigente, vt calidas thermas posset refrigerare. Nuptiæ in Morauia factæ, & erat ibi tota factio Zauissiana prioris licentiæ auida, vt per potentiam Zauissij liberè, absque metu Regis valeret insultare cui liberet, metum autem illum sublatum non iri, nisi Rege quacumque ratione solio euerso. Porrò multas rationes iniri posse aduersus Regem, iuuenili adhuc animo, & ad insidias cauendas incauto, vtentem, dicebant, modo quisquam existat, qui aliquid audeat. Ita contra Regem occultè à factione illa coniuratur: sed re ipsa expertus est Rex, quòd qui se committit adiutorio altissimi, illius tutelam suscipit Deus, ne incidat in laqueum venantium. Tali autem sedulitate quottidie Rex protectioni Dei se commendabat, vt nullum planè diem transire passus fuerit, quo non diuina sacrificia cum Dei sacerdote celebrauerit, taliq; animi intentione, vt nullius interpellatione preces suas interruperit, ac tanta instantia, vt sæpius cum domum orationis primus ingressus esset, vltimus pòst sacra omnia peracta egrederetur. Duos verò ante matrimonium continuos annos, cilitium, quod castigandi corporis gratia induerat, non exuit. At ieiunium qua cœpit abstinentia etiam maritus perpetuò

*Impotens Zauissij dominatus.*

*Mors Reginæ auctoritati Rosenſis multum derogat.*

*Nuptiæ Venceslai cum Iuditha Cæsaris filia.*

*Conuiuæ pluri mi.*

*Sumtus insanus.*

*Cæsar adest ne potis baptismo.*

*Priuilegia amplissima ab Imperatore Regibus Boiemiæ concessa.*

*Rosenſes conspirant in Regem.*

*Pietas Venceslai erga Deũ.*

petuò ſeruauit. Per tempus denique ieiunij laqueus coniurationis contritus eſt,& Rex liberatus fuit, coniecto in carcerem Zauiſſio, ex quo alius non erat exitus,quàm vt reſtitueret arces Reginæ dotales,quas ferè omnes poſſidebat, firmisque præſidijs munitas habebat, obſtrictis iureiurando præfectis,ne cui de locis ſibi creditis,niſi domino ſuo præſenti concederent. Itaque neceſſe erat,vt per ſingulas arces circumduceretur,quas etſi inuitus,ſine mora tamen reddebat. Poſtremò ad arcem quam Boiemi Hlubokam appellant, veniens, æſtuare, callideque tergiuerſari, Czencone affine ſuo ſibi ſupparaſitante,cœpit: accerſitus mox carnifex, caput vtrique à ceruice abſcindit. Paulò poſt Ladiſlaus Hungarorum Rex coniurationis conſcius, à Cumanis gente ſua miſerabiliter interemptus eſt. Henricus autem Vratiſlauienſis princeps,& ipſe inſidiarum particeps, veneno ſublatus, eiusque principatus, per tranſactionem ab Othogaro factam, ad Venceſlaum deuolutus eſt. Ad hunc enim modum Othogarus cum Henrico ſterili tranſegerat, vt ſi prior is decederet, ipſe ei in bonis ſuccederet. Sin aliter caderet,vt Othogarus Glacenſe præterea territorium Henrico, quoad ſuperſtes eſſet, fruendum adderet, deinde Venceſlaus, vt in ſolidum hæres omnium bonorum fieret. At Henricus malè in Venceſlaum animatus,vt Vratiſlauia eum fraudaret,ſe ſuaque ſub imperium Rudolphi Cęſaris ſubiecit,apud quem tamen plus cauſa Venceſlai,quàm fraus Henrici valuit.Imò principatus inſuper Oppolienſis Regi acceſſit,principe Oppoliæ ſua ſponte in verba Regis Boiemiæ iurante, cum antea Reges Polonię reſpiceret. Tum verò Polonia non à Regibus, ſed principibus inter ſe diſcordibus, non tam regebatur, quàm diſtrahebatur.Nam Leſco niger cognominatus, Griffinæ vxori ſuæ moriens teſtamento Cracouiam, & Sandomiriam cũ amplis ditionibus legauit.Eaq; Griffina ius ſuum Venceſlao nepoti ſuo ex ſorore delegauit, quippe Kunegundis mater Venceſlai, & ipſa Griffina ſorores germanæ, ambæq; filiæ Regis Bulgariæ erant. Ne igitur ad alienas manus legata peruenirent,maturè Griffina nepotem,ad cernendam bonorum in Polonia hæreditatem, inuitabat. Paruit votis amitæ Venceſlaus,magis honoris illius,quàm vtilitatis ſuæ gratia: ipſe enim quantum ab omni ambitione, tantum à cupiditate alieni remotus erat, ſed ne cognata queri poſſet, ſe auxilio amicorum deſtituam eſſe, Thobiam Pragenſem Antiſtitem ire in Poloniam cum armata iuuentute iuſſit, mandauitque vt ſe ibi tantiſper pro hærede gereret, dum ipſe eò veniret. Thobias Cracouiæ appropinquans, in qua Griffina inerat, obuios ciues cum clauibus habuit, in fidē Venceſlai poteſtatemq; vltrò ſe tradentes. [a] At Sandomiriam Premiſlaus maioris Poloniæ princeps, validiore præſidio occupauit,quàm vt Thobias auderet illam aggredi.Arcem tamen iuxta Viſtulam flumen ſitam, Obleco dictam, & præterea Viciſlam oppidum vi expugnauit, atq; inde ad Regem ſcripſit,iuſtiore opus eſſe exercitu, vt Sandomiria de manibus hoſtium extorqueatur. Scribit igitur nouum militem Venceſlaus, agitq; cum [b] Othone Marchione, vt ſecum militiam ineat Regis ſtipendio, & ab eo impetrat. Ad arcem Oppoliam ambo in vna caſtra conuenêre,iunctisq; copijs Cracouiam inde petiuere,vt Thobiam quoq; ſibi adiungerent, à quo edocti, Premiſlaum addito ſibi belli ſocio Vladiſlao Leſconis fratre,Siradiam munire,rectà contra hoſtis ire contendunt. At alij mœnibus diffiſi,ſuo more in agris per turmas obequitant,nō vt acie pugnent,ſed vt pabulatores intercipiant, vel ipſa pabula corrumpant, quorum copia non magna aderat.Inuadunt interim Boiemi oppidum,primoq; impetu illud prę ter arcem capiunt. Arcem porrò ad expugnandum difficilem palus circumfuſa reddiderat,quam tamen pertinax militum virtus peruiam tandem fecit. Non expectauit Sandomiria obſidionem, ſed obuias victoribus Boiemis manus dedit. Lætis hoc ſucceſſu cæteris ſimul cum Marchione, Rex luctuoſas à

*Zauißius reſtitutis ditionibus reginæ,capite multatur cum Czencone affine.*

*Ladislaus Chunus Rex Hungariæ à Chunis interfectus. Anno 1290.*

*Henricus VI. Probus Vratiſlauienſis princeps.*

*Pactum inter Henricum & Othogarũ de ſucceßione.*

*Caſimirus Opoliæ princeps Regibus Boiemiæ ſe & liberos ſubdidit.*

*Interregnum in Polonia.*

*Leſco niger Poloniæ princeps Griffinæ coniugi legat Sandomiriēſem et Cracouienſem ducatus. Illa ius ſuum ſororis marito Venceslao Regi Boiemiæ tradit, anno 1191.*

*alij Morauiæ, alij Moſcouiæ, alij Pruſſiæ.*

*Thobias Epiſcopus Venceſlai in Polonia vices gerit.*

*Vladislaus Leſconis Nigri frater Loktecus quaſi cubi talis à ſtaturæ exilitate dictus.*

*Siradiũ Bohemis expugnatum.*

Regina de morte Cæsaris accipit literas, ab eadem queribundas de Alberto fratre ipsius, qui statim ab obitu patris Rudolphi, in dotem sororis, quam à patre in Austria habuit profectitiã inuolauerit. Præsidio igitur Siradiæ impositio, cęterisq; locis viribus firmatis, rursus Thobię, quemadmodum antea, curam seruandæ retinendęq; Polonię delegat, ipse festinabundus domum properat: & callidè in causa vxoris per arbitrũ, ab ipso Alberto datum circumuenitur. Prænsabat eodem tempore Albertus magno studio imperium, sed in suffragijs Electorum principum adhuc tacitis longè præualebat Venceslaus, ad quẽ deinde apertè à maiore Electorum parte, vt olim ad patrem Othogarum, honor ille vltrò deferebatur. Cæterùm non eodem filius quo pater, fastu & contemptu, sed per summam animi moderationem, qua se intra fines curasq; regni sui continebat, honorem sibi delatum accipere grauabatur. Præteritoq;

*Morte Cæsaris & filij Alberti: machinationibus reuocatur Venceslaus.*

*Venceslaus delatum Imperiũ Adolpho Nassouiæ Comiti tribuit. Anno 1292.*

Alberto & familiaritate & necessitudine deuincto, vt dolum eius vlcisceretur, Adolphum Nassæ Comitem, nec opibus nec dignitate illi parem, ac fama tantùm notum, Imperatorem nominauit, cæteris quoq; principibus eam nominationem comprobantibus. Nec immeritò itaq; Adolphus Venceslaum affinitate sibi mox conciliare studuit, [c] petita & impetrata eius filia, quæ Ruperto filio suo in matrimonium collocaretur. Proxima partui Regina erat, onereq; ventris præter solitum aggrauabatur, neq; cur id fieret, causa ante apparebat, quàm ex nixu ipsa de medio tolleretur superstite infante, cui matris nomen Iudith impositum. Sed nec illa diu in vita incolumis duranit, Venceslao ad vtriusq; mortem ingemiscente. At Thobias & nuncijs & literis instabat, vt Venceslaus consilia Polonorum de Rege creando anteueniret. Eam enim rem impediri posse docens festinatione aduentus sui, antequam crescerent inualida consultatio paucorum in Polonia Præsulum, qui Premislaum Regem coronandum censerent, instigatore Alexio iureconsulto, qui ex procuratore factus præuaricator, causam ipsius Regis parti aduersæ prodat, & id nunc fatagat, vt declarato ex authoritate Bonifacij Romani Pontificis Rege Premislao, Venceslaum Cracouia & Sandomiria interuertat. Rex, dum vel dictis paruam habet fidem, vel Alexium Romani fori rabulam despicit, mox audit Premislaum à Gnesnensi & Posnanensi Præsulibus Regem Poloniæ esse coronatum. Cæterùm neq; Cracouiam, neq; Sandomiriam persuaderi potuisse, vt in verba noui Regis iurare vellent: atq; in hac fide vsq; ad necem Premislai perduratũt. [d] Occisus autem est Premislaus octauo postquam regnauit mense, ab Othone & Ioanne Marchionibus Brandeburgensibus, dum eis cum tumultuaria manu ad Pomeraniam occurrit, quam illi hostiliter deprędabantur. Illo tumulato, Vladislaus, cuius suprà mentio facta est, in locum demortui aspirabat, sed non peruenit propter feros intemperantesq; mores, quibus vitam suam nunc grassando & spoliando, nunc per stupra & adulteria corpus volutando fœdè contaminabat. Subijt tandem animos Polonorum dictum Domini dicentis: Omne regnum in se diuisum desolabitur, quo metu subacti, in cõmune consulere incipiunt. Et quia Venceslaus nobiliorem regni portionem auulserat, vt ea corpori suo redintegraretur, in eum potissimum votis suspirãt omnes, vt regnet in Polonia, hac tamen conditione, si filiam Premislai Regis, vnicam regni hæredem, cui *Elizabeth nomẽ, vxorem duxerit. Quod vbi se facturum annuit, Gnesnæ à Iacobo loci Archiepiscopo Rex Poloniæ inauguratus, vnctusq; & coronatus est. Ac inde continuò Posnaniam deflectens, lautissimas cum Regina puella nuptias lege matrimonij consumauit. Reliqua deliberatio supererat de Vladislao ex Polonia depellendo: nihil enim insanum hominem sani perpetraturum, si quid in Polonia suum possidebat, omnibus videbatur. Quare de cõmuni sententia decretum, vt patrimonio omni exueretur, nempe Cuyauia & Lancitia oppidis, ac nonnullis arcibus, in quibus à patre

*Premislaus Rex Poloniæ inauguratus, Anno 1295. 26. Iunij cum 215. annis rege caruissent.*

*Bonifacius Papa VIII. qui etiam Iubilæũ instituit.*

*24. die Aprilis interfectus Premislaus.*

*Vladislaus dissolutè vixit.*

**Rixam Poloni vocant.*

*Venceslaus Rex Poloniæ sacratus & salutatus, Anno 1300.*

patre hæres relictus fuit. Ductus ſimul ad vtrumque oppidum Boiemorum exercitus ſine vllo certamine oppida recepit, dedentibus ſe abſq; mora oppidanis, vna tantùm arx exuſta, quæ defenſionem parabat, cæteræ ſimiliter, atq; oppida, deditionem fecerunt, vago tunc Vladiſlao, ac pluribus locis, & iſs diuerſis latrocinante. Sed ad omnia ei loca Venceſlaus turmas equitum oppoſuit, nec deſtitit à perſequendo, quoad in Polonia erat is, quem perſequi eques poterat: in Hungariam fugientem conſectari prohibuit. Tranquillatis in Polonia rebus omnibus, de reditu in Boiemiam Rex cogitare cœpit, ſecumque diligenter conſiderare, quemadmodum pax in regno Poloniæ conſtituta, ſe abſente incolumis permaneret, an vnus videlicet regno præfectus hoc præſtare poſſet, vt in officio omnes Polonos contineret, an pluribus illa cura tutius crederetur: vtraque poſtremò via placuit, vt & vni, & pluribus regendam Poloniam committeret. Ad vnum plures, vt reſpicerent, & vnus ille, ne quidquã ardui ſine plurium conſilio ageret. Totius igitur regni Poloniæ caput, quem ipſi Capitaneum vocant, vnus Henricus à Lyppa gerebat, vir procerum Boiemiæ, tum pacis tum belli conſilijs eximius. Huic dignitate proximus Vdalricus à Boskouicze, Cracouiam & Sandomiriam gubernabat. Dein Protaſius Viſſemburgius, Cuyauiam, & Pomeraniam Fridericus è Sleſia, Rege cum noua Regina in Boiemiam remigrante, & animum ad nouam monetam cudendam intendente, magis argenteam quàm hactenus in Boiemia excuſa fuit, maiorẽ tunc argenti copiam ſuppeditantibus montibus Cuthnenſibus. Ad quos è Florentia Aetruſca monetarij acciti, nummos argenteos primi in Boiemia, hac forma & imagine qua nunc ſunt, quos groſſos Boiemos vocamus, excuſerunt, ſed tantum iam præſentibus de argento detrahitur, vt dimidio viliores quàm prius habeamus. Ex eadem Italia Gotius quidam Vrbeuetanus in Boiemiam venit, legum peritiſſimus: hic miratus Boiemos iudicia nullis ſcriptis tractare legibus, ſed ex opinione quemque ſua dicere ſententias, ſæpe inconſultas inconſtantesque propter iuris & legum ignorantiam, Regem ſubmonuit, vt morem iudiciorum corruptum reformandum ſuſciperet, ſimulque operam ſuam illi pollicitus eſt ad deſcribendas leges, quibus ciuiles atque criminales actiones, iuſtè, ac ſine vlla varietate dijudicari poſſent. Hæc Rege ad proceres nobilitatis referente, maior numerus meliorem vicit, ne quid de vetere conſuetudine in iudicijs immutaretur. Id porrò in concinnius agreſtiusque ab illis factum, quòd odio literarum, quibus ingenui adoleſcentes ad virtutem & humanitatem finguntur, impedimento fuerint, quo minus Rex, quemadmodum deſtinauerat, gymnaſium literarium Pragæ excitaret, attamen vt piæ mentis in cauſam piam opus extaret, magnificum cœnobium, quod Zderas appellant, ædificauit. Fulgura & tonitrua adeò expaueſcebat, vt aſſiduè reliquias ſanctorum circumferret, etſi copia templi vicini aderat, in illud ſe penetrabat, admotusque altaribus, Deum auxiliatorem deprecabatur. At in Germania ortus aduerſus Cæſarem Adolphum contemptus, quem ſibi ex ſordibus auaritiæ contraxiſſe putabatur, quaſi improbam monetã cuderet, & clàm argentum de fanis auferret, quodque euidentiſſimum erat, Angliæ Regem Eduardum, contra Philippum Galliæ Regem dimicantem, centum millibus aureûm nummum interuerterat. Nam cum eam auri ſummam ſtipendij nomine ab Anglo accepiſſet, ad ſe illam tranſtulit, qua mox emit de quodam Comite bona illius. Acceſſit ad cumulum, quòd eodem tempore Bonifacium Romanum Pontificem, vlcus, quod dicunt, Noli me tangere, offenderit. Is igitur non diu expectato, Albertum Auſtriæ principem, ſuffragantibus nonnullis Germaniæ principibus, Imperatorem declarauit, qui Adolphum apud Vangionas prælio ſuperauit, & occidit. Idem Bonifacius Pontifex Vngaris etiam tunc Regem, Carolum Robertum dedit, ad quem magis re-

*Bonis omnib. exutus Lokte-cus. Omodæus Palatinus eum hoſpitio excepit.*

*Regnum Poloniæ per præfectos adminiſtrat Venceſlaus.*

*Domi argento feriũdo vacat.*

*Primus greſſos Boiemicos cuſit.*

*Gotium Iureconſultũ prohibẽt reformare forum, & iudicia deſcribere Boiemi.*

*Gimnaſium odio literarum erigi prohibent.*

*Fulgura perhorreſcit Rex Adolphus Naſſouius Cæſar Romanus locat Anglis operam.*

*Auaritiæ inſimulatus.*

*Bonifacius Papa, Albertum Auſtriũ Imperatorem declarat, anno 1298. 10. Iulij.*

gnum Hungariæ, quàm ad[c] Andræam cognomento Venetum pertinere di-
Anno 1299. cebat: quippe Carolus, Ladislai Regis Hungariæ sororem, suam Auiam nuncupabat. Sed plerisque procerum, & præ cæteris Archiepiscopo Colocensi vehementer hic ritus nouus ratum habendi, quicquid Romanus Pontifex, etiam in ipso Rege[f] declarando constitueret, displicebat. Et quoniam sede Strigoniensi id temporis vacante, summa penes eum authoritas indicendorum comitiorum fuerat, omnibus ordinibus diem comitialem ad ferenda ex more suffragia indicit, circiter decem continuos dies. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Vbi tandem audit hoc agi in comitijs, ne quis regnet in Hungaria nisi ex Prosapia Regum propagatus, qui tamẽ eiusmodi sit, qui onus tantum ferre, & ipsum Regnum consilio & viribus tueri posset, nominari sibi talem virum cupiunt. nominat Colocensis Venceslaum Regem Boiemiæ & Poloniæ. Erat enim Venceslaus Annæ Belæ quarti filiæ, Venceslai de quo diximus amitæ nepos- quo nomine audito exclamat populus Hungaricus: Esto Rex quoque noster Venceslaus, vt est Boiemorum & Polonorum. Ac continuò deliguntur legati procerum culmina, qui gratulandi causa eant in Boiemiam, ibique Venceslaum ab omnibus ordinibus salutent Regem Hungariæ. Legati quum beneficium per se amplissimum, magnifica insuper oratione extollerent, rati Venceslaum alacrem cum gaudio illud accepturum, audiunt eum vultu demisso, gratias accuratè & benignè agentem, quòd se dignũ duxerint, quem Regem Hungariæ appellarent, sed sibi nullo amplius regno opus esse, cum duobus istis quæ possideat plus satis oneretur. Nec vlla persuasione de hac sententia dimoueri potuit, tam mirabili moderatione præter cæteros Reges vsus est in affectibus suis. Ad extremum tamen exorare se, quanquam & tunc cunctanter passus est, vt filium sibi cognominem Venceslaum daret Hungaris Regem. Cunctationis causa fuit quòd vnicum illum habuit, & tum primum è pueris excedentem, quem ipsemet pater in Morauiam ad arcem Hodoninam, limitibus Hungariæ coherentem deduxit. indeque deducendum Hungaris & Boiemis ad oppidum, quod Albam regalem vocant, exhibuit, vt ibi more solemni & vngeretur, & corona regia coronaretur. Quod postquam factum est, tanta indignatio animum Bonifacij Romani Pontificis, qui à Carolo stabat, subijt, vt sacrificijs in Hungaria interdiceret omnibus, qui Carolum destituissent, & ad Venceslaum se applicuissent. Eaque re cum parum proficeret, iram in seniorem Venceslaum iunioris patrem distringit, concitans aduersus illum Cæsarem Albertum, qui tametsi cum Venceslao in gratiam redierat, incredibili tamen inuidia flagrabat, videns tam claram eius fœlicitatẽ, qua tot & tam florentibus Regnis breui partis. Cæsarem potentia anteibat. Occasione tantum opus erat ad dirimendam rursus amicitiam, quam facilè Albertus reperit, qui nihil cupiebat nisi Venceslaum lædere. Petit igitur ab eo nullo iure, nulloq; Cęsarum exemplo decumas argenti, quod in Boiemia ex montibus, puteisq; argenteis, ac præcipuè Cuthnensibus erueretur, inquiens, eodem iure, atq; eadem conditione obligatam esse imperio Boiemiam, qua cęteræ principum in Germania prouinciæ, quæ à Cęsare iurisdictionem suam accipiunt, vt meritò Cęsar vicissim ab illis decumas metalli exigat. Ad hanc planè inexpectatam petitionẽ, antea quàm Venceslaus respõderet, inter suos subridens: Num (ait) vanum hoc prorsus in aulis iactatum dicteriũ? Rex pauper idem calumniator. Vndenam tam euidens calumnia? nisi ex pera Alberti vacua? posthæc responderi iubet, se non obstare, quo minus Albertus vectigalibus Cæsaribus debitis, iure suo vtatur, fruaturque, modò ab alienis sibi temperet, quorum in possessione perpetua semper fuerint, non solùm Reges, sed etiam ante illos Principes Boiemiæ, qui sic à Germanis Cæsaribus in amicitiam & fidem recepti sunt, vt præter honorem

*Venceslaus Hũgariæ Regnũ aspernatus filium Regem illis cõcedit duo decennem. Anno 1302.*

*Ladislaum Hũgari vocarunt.*

*Decimumtertium agebat ætatis annum.*

*Pontifex vrget Caroli confirmationem.*

*Pontifex Albertum Cæsarem cõtra Venceslaum irritat.*

*Albertus gloriæ Venceslai inuidit.*

*Cæsar decimas è Boiemicis petit metallis.*

*Non pro voto respondetur.*

norem quem maiestati Cæsareæ deberent, cætera immunes & liberi essent. Hanc adeò libertatem maiores suos, seq; in hodiernum diem vsurpasse, eandem velle inuiolatam posteris quoq; suis tradere. Obdurat in proposito animi Albertus, vt argentarijs Venceslaũ euertat, fortunamq; sibi aduersus eum talem pollicetur, qualem aduersus patrem eius Othogarum Rudolphus pater suus habuit. Scribitq; continuò ipse in Sueuia, & filius ipsius Rudolphus in Austria exercitũ. filio præterea ex Hungaria à factione Romani Pontificis, quæ rebus Caroli fauebat, dati auxiliares Hungari, Bulgariq; & Cumani, cum quibus ille ita peruagatus est Morauiam, vt cæde illam compleret immani. Quid enim immanius, quàm capita mulierum infantumq; hastis per ludibrium affixa cum iubilo gestari? Prior aliquanto Albertus è Lyncio breui per montes itinere in Boiemiam penetrauerat, positisq; iuxta Buduitium castris, expectare filium statuerat, dum & ille in Boiemiam veniret, vt coniunctis copijs Venceslaum aggrederentur. Interim Germani, qui prædandi in Boiemia gratia suo sumptu Cæsaris castra sequebantur, cognito, non ita longè distare montes illos Cuthnenses, retineri non potuerunt, quin illò prædatum celeri gradu præirent. Satis quidem virium, operæ, quæ in metallis fodiendis operabantur, ad prodromos illos manu arcendos habebant, sed plerisque eorum vt in turba hominum promiscua & seruili, veneno magis in hostes grassari quàm virtute placuit. Corrupto igitur scoria & alijs purgamentis, atque spurcitijs metallicis, virus letale continentibus, Pacho fluuio, qui interfluebat, quicumque inde aquas hauriebant, siue homines siue equi, miserè magna strage sine vllo gladio prosternebantur. Conueniunt tandem vtrinque cum suis ducibus copiæ. Nam & Venceslaum Hermannus Brandenburgensis Marchio, qui mille quinquies Cataphractos equites adducebat, & cæteræ ex Polonia equitum turmæ aliquantisper remoratæ sunt. Prior nihilominus Cæsare suos ipse in aciem eduxit, illoq; intra munitiones latitante, circiter meridiem exercitum in castra reduxit, miratusq; quamobrem, qui ad bellum prouocasset, data pugnandi potestate prælio non decertaret, causa huiusce rei nox insequens prodidit, qua Albertus subductis inde copijs, saluas illas domum in alium vsum conuertendas reducere, quàm dubio marte de alienis montibus pugnare maluit. Nõ instabat castra deserenti Venceslaus, nec Albertus posthac quietum lacessebat. Cæterùm maior cura Venceslaum de filio sollicitum habuit, quomodo illum de Regno Hungariæ domesticis factionibus & seditionibus pleno abduceret, in quo præter nomen Regis inane, vim regnandi nullam obtineret: partim ob teneram adhuc ætatem, multò magis ob quorundam procerũ præposteram ambitionẽ, quorum videlicet quilibet plus regnare quàm Rex cupiebat. Incusserat dein metum, vita filij dissolutior, quàm inerti ocio, vinoq;, & prodigis epulis ferè quotidie transigebat, ne hac assuetudine postea desistere nollet: quum inter hæc nuncium à filio accipit nunciantẽ, quanto in discrimine sit ipsius res, Carolo æmulo denuo regno imminente, nisi per tempestiuũ in Hungariam aduentũ parens subueniat. Non moratur filij votum pater, coactoq; rursus forti exercitu, magnis itineribus ad oppidum Pesthum, Danubio à Buda diremptũ superuenit, positisq; castris eodem loci, vnde hostes metu aufugerãt, mittit Budam ad filium, ei iniungens, ne Danubium traijciat, néue in conspectũ parentis appareat, nisi coronatus corona illa quam Hungari sanctam vocarent. Nam si pro sancta habetur, impiè agere omnes eos qui per impia arma illam violarent. Assentientibus qui aderant proceribus, iussa obit filius, allataq; corona, illam capiti accommodat suo, & ita demum ad osculum & complexum parentis venit. Venceslaus parumper coronam contemplatus, seponi illam iubet, quasi diligentius paulò post consideraturus, nec deinde illam Hun-

*Immunitates Regum Boiemiæ.*

*Bellum Alberto Cæsari contra Venceslaũ.*

*Antecursores Germani Cuthnas inuadunt.*

*Venenũ aquis immersum tam homines quàm equos pessundat.*

*Re infecta neq; signis collatis retrocedit Cæsar.*

*Hungari domi nis non sat morigeri.*

*Crapulæ assuefit filius Regius in Hungaria.*

*Anno 1303.*

*Erepto è manibus Hungarorum filio cum exercitu contendit in Boiemiam Venceslaus.*

garis restituit, prætendens futura pericula, si illa vel amitteretur, vel per vim ab æmulo interciperetur, quæ tantum momenti secum traheret, vt ibi regnũ Hungariæ esse putaretur, vbi corona sancta deposita iaceret. Ita non illam solùm, verùm & filium secum in Boiemiam asportauit, Petermanno Budæ relicto, qui præfecturam, velut antea tum arcis, tum vrbis gereret. Sed breuis regni quies remoto Rege mansit, nam præfectus ad sedandos grauiores tumultus inualidus, & præterea ciuibus per auaritiam, sicut proceribus per contemptum inuisus. Ergo in vnum consulunt, vt nouum sibi Regem Budam inducant, quem Carolo eiusq; factioni opponant, placuitq; Otho Bauariæ Princeps, tam dignitate, quàm opibus Regni Hungariæ capax. Nec is regnare abnuit, si Venceslaum pro derelicto regnum illud habiturum intellexerit. Ad explorandam igitur voluntatem eius, missi affines & cognati Othonis cum grandi pecunia, qua, si res prosperè caderet, coronam statim à Venceslao redimerent, illamq; secum in Bauariam afferrent. O Venceslaum inter munificentissimos, atque liberalissimos qui vnquam fuerunt Reges numerandum, qui tam nobile, tamq; opulentum regnum, nullo in precio fructuque suo, sed in mero planè beneficio reponere voluit, largitus promptissimè Othoni gratuitam coronam cum omni iure, quod filius acquisitum in regnum Hungariæ habuit. Hac denique corona Otho, à Benedicto Vesperinensi, & Antonio Chanadiensi Episcopis, in loco solito coronatus est. Digressis Praga Othonianis legatis, Iudæi, sacra die Parasceues facinus in hominem Christianum atrocissimum designarunt, nempe in locum abditum pertractum in cruce nudum suspenderunt, circumstantesq;, alius in illum expuere, alius pugnis os verberare, alius virgis cædere, alij denique cuncta in illo repræsentare, quæ quondam Christus à gente illa immanissima atque impijssima est passus. Hanc Iudæorum carnificinam, cui ad crudelitatem odiumq; in Christianos nihil adijci potest, populus Pragensis non expectato etiam Rege, qui in puniendis delictis hoc verbo vti solitus est, quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, quanta crudelitate valuit, nouis item supplicijs excogitatis vltus est, monumentumq; nouo Martyri, ex Iudaicis spolijs posuit. Iccirco autem in secessibus arcium, sæpius quàm in vrbe Praga Venceslaus tunc commorabatur, quia malo corporis habitu tentari, paulatimq; tabescere incipiebat, cui vitio vt occurreret, de consilio medicorum loca frequenter mutabat, ocio in illis indulgens, & ab omnibus negocijs rebusq; abstinens, quæ animum sollicitare possunt: aderatq; ad omnia loca filius, sed inuitissimus, vt qui dies noctesq; aliud non somniaret, quàm vrbis delicias, lususq; & conuiuia. quo demum instante, vt in Poloniam ad regnandum mitteretur, Pragam Venceslaus deliberandi gratia reuertitur, sed ex tussi & pituita quæ molesta accesserat, finem vitæ appropinquare præsentiens, ad deliberandum se de regno Dei, quod intra nos est dum adhuc viuimus, dedit. Accersitis igitur vti diuus Iacobus admonet, præsbyteris Ecclesiæ, vt orarent super se, vngentes oleo in nomine Domini, & ita obsecratio fieri, vt saluum ipsum peccatis remissis redderet. Vocat dein filium quoq;, paucisq; eum coram Ioanne Pragensi, & Theodorico Olomucensi Præsulibus, in hunc modum appellat: Vnum ego tantùm, fili mi, ait, regnum à patre meo accepi, atq; illud ipsum lacerum, nunc duo tibi regna satis florentia relinquo, & si Deum timueris, bonorumq; consilio parueris, in eo dein flore tibi & statu haud dubiè permansura, alioquin breui ruitura, si malorum, stultorumq; persuasionibus, qui nisi noxia suadere nesciunt, auscultaueris, autsi tibi placẽs, tuæ tantùm prudentiæ innitaris, cum nemo mortalium horis omnibus sapiat: porrò stulticiæ comes est infœlicitas & calamitas, à quibus, mi fili, vt eruaris, cole & sectare disciplinam prudentium, qui te docere queant iusticiam, & iudicium, & æquitatem.

*Venceslaus filium in Boemiam reducit.*

*Ottho dux Bauariæ rex Hungariæ nominatur.*

*Venceslaus & coronã & ius Hungaricum à filio in Otthonem precario confert.*

*Iudæorum facinorosum scelus in Christianum, pari carnificina eorum expiatum.*

*Cachecticus Venceslaus ruri degit.*

*Sunt qui phthisi contabescentem dicunt.*

*Morituri Regis ad filiũ parenesis.*

*Voluptatibus iunior Venceslaus deditus.*

Nam

Nam ijs artibus, plus quàm vllis armis, non solùm parta regna seruantur, sed noua insuper acquiruntur. Commendo tibi, fili mi, vxorem meam, nouercam tuam, imò matrem potiùs, cui vltra dotem, viginti præterea millia aureûm nummum dari volo: fac in hoc quoq; vltimam voluntatem meam vt adimpleas: valeq; illi dicto, & omnibus circumstantibus, rursus ad deprecandum Deum cum præsbyteris se conuertit, orans vsq; ad extremam vitæ horam. Ac mortuus, quemadmodum iussit, in aula Regia, quod cœnobium ipse ædificauit, conditus est. Funus eius omnibus ordinibus atq; ætatibus ingenti luctu prosequentibus.

*Coniugem filio cõmendat.*

*Vẽceslaus Rex mortuus tabe Anno 1305. 24 Iunij ætatis 33.*

[a] *Premislaus Posnaniæ, siue maioris Poloniæ princeps ex testamento Henrici Vratislauiensis principis qui Lesconi successerat, hos duos principatus contra Griffinam obtinuerat.*

[b] *Ottho longus Marchio prius gubernator Regni Bohemiæ.*

[c] *Ex Vrsina familia opera Alexij Iuris Canonici Doctoris magnati nupsisse Iuditham auctor est Pius Pontifex.*

[d] *Mescingus Pomeranorum Dux regionem testamento legarat Premyslao, quod vicinos Marchiones malè habebat.*

[e] *Andreas Hierosolymitanus Rex Hungariæ, Damiata reuersus è filia Marchionis Estensis susceptit filium Stephanum, qui è Tomasina Maurocena Veneta Andream hunc Venetum Regem Hungariæ genuit. Carolus Robertus natus Carolo Martello, hic Carolo Claudo cui soror Ladislai Cuni Maria coniunx fuerat.*

[f] *Pontifici ius non datur in Reges Hungariæ constituendos.*

[g] *Hungari numinis loco habent sacram Regum suorum coronam.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER NOVEMDECIMVS.

ANnum Venceslaus sedecimũ agebat cum patri in regno Boiemiæ succederet, quæ sanè ætas ad regendum adhuc quàm ad regnandum aptior, nisi quòd adolescentes, vbi se Reges esse sentiunt, regere quàm regi malunt. Rector vitę eius à parente Dobessius à Bechina inter præcipuos addi tus fuit: qui vt vidit Regẽ insignia mœroris ante tempus exuisse (nam Optimates etiamtum atrati incedebant) im probare cœpit tam intempestiuã vestis mutationẽ, rursusq; eũ ad luctuosum habitũ inuitabat. Ad hæc nihil iuuenis seni respondit, ne palàm censurã illius contempsisse videretur, sed protinus ab oculis eius, atq; à tota vrbe se procul remouens, ad arcẽ quandam secluſiorẽ cum nouis illis induuijs proficiscitur: ibiq; lætos cũ æqualibus, & à seuerioribus arbitris liberos dies per cõuiuia & cõpotationes, quibus in Hungaria insueuerat, cõsumebat. Non defuerant sibi compotores, sed captato temulentię tẽpore, alius aliud quod placebat à Rege parum sobrio impetrabat: quidnam etiã agros & pagos. Aucta mox lætitia ex aduentu hospitũ ab Hungaria, qui in eandem arcẽ ex insperato superuenerãt salutatũ Venceslaum, eiq; de regno Hungariæ gratulatũ, quòd ad eum per cap tiuitatẽ Othonis reuersum esse volebant. ([a]Captus aũt Ottho erat à prẽfecto Transyluano, & in arcem illius cõclusus, vt inde ne exiret, nisi restituta corona Hungariæ, quã in potestate sua haberet.) Sed ea lætitia Venceslao cũ poculis euanuit, Carolo interim regnũ Hungariæ occupante. Ibat rex venatum, & illo itinere arcem suam, sed ab alio possessam, præteribat. Applicat se vnus & alter

*Aetas Venceslai gubernationi nondum matura.*

*Moderator Bechina.*

*Luctum vestibus mutatis deponit prius quàm aulici rex.*

*Rex ebrioſus distribuit omnia petẽtibus.*

ex comitibus,atq; vterq; cũ dolore in aures insusurrat,querens quod tam nobili arce Rex careat,& alius illam priuatus obtineat,pro qua nullã, aut vilissimam dederit pecuniam.Rex dicta eorum tunc dissimulans,reuersus domum, ollas complures afferri, & in ordinem disponi locariq; iubet, ac in conspectu illorum amborum comitũ,vnamquamq; nomine illius ciens, qui arcem oppigneratam sibi haberet,singulas bacillo confringebat,insultans:Redde Regi, quod regium est, alioqui tergiuersanti caput adhunc modum cõminuetur. Hæc quidẽ Rex clam esse cupiebat,sed quod duo sciunt,sciunt tres, mox quatuor,dein omnes sciunt,& prout quemq; res afficit, in bonam aut malam accipiunt partem.Nihilominus Rex ludicrum hoc in serium vertit, occupatoribus duabus arcibus ademptis, alteri Gradecã cum oppido lauto ad Albim sito,alteri quã Zuicouiam appellant:sed inuicem Hermanno Marchioni Brandemburgensi,totam in Misnia regionem, quam nuper magno ære parens redemit,abalienauit.Consultatum hinc de vxore iuueni danda,ex ea domo,quę regiæ maiestati responderet.At ille forma captus filiæ ducis sui Tesnienſis, sine longa deliberatione & pompa nuptias cum Viola,id puellæ vocabulũ erat, peragit. Sororẽ deinde suam Annam nomine, Henrico Principi Carinthiæ in matrimonium elocat,instantibus proceribus, ne puella nubilis plus æquo in cælibatu permaneret.Cæterùm nullus erat,qui hanc eius nimis segnem negligentiam, vel in primis non incusaret, quòd adire Polonos crebrius monitus, & apud illos regnum legibus illorum inire neglexerit,cum id cõmodè, absq; vlla difficultate &periculo facere posset,nullis tum motibus illic existentibus, quos paulò post Vladislaus, quem ex Polonia pulsum, supra commemorauimus excitauit, dum à longo exilio in fidem Polonorum,tanquam populariũ suorum confugit,& Boiemos vt externos,ac Polonis velut alienis infensos insimulat,per quę tantus breui in illum fauor emicuit,vt oppida aliquot in quibus præsidia Boiemorum non erant, sua sponte portas illi aperirent, ac magnus præterea armatorum numerus quotidie accurreret. Henricus à Lyppa, qui Poloniæ præfuit, crebris in Boiemiam missis nuncijs subsidia depostulabat,vbi nulla apparuerunt,concessit ipse ad regem coramq; exposuit, quo in periculo sita esset res Polonica,cui tamen obuiam adhuc iri facilè posse, cum Sandomiriam,Cuyauiam, & ipsam regiam sedem Crocouiam obtineat, modò per tempus succurratur. Omni autem ope & nixu esse succurrendum,conandumq;, ne regnum paternum turpissimè amittatur. Tacitus ista ex Henrico audiuit,at postquam cæteri quoq; proceres, & inter illos malæ fidei possessores,expeditionem in Poloniam statim faciendam suaderent,liberè exclamauit:Restituite, inquit, nobis equum, si cupitis vt in Poloniam equo vehamur.Nunc enim præter sellam, atq; eam malè sartam, maleq; tectam, quid aliud nobis reliquistis,ita vt ne aulam quidem ex dignitate alere, nedum militem scribere queamus.Antequã latius indignatio serperet, excipit Henricus, seq; pro omnibus sponsorem facit,daturũ quemq; pro virili sua esse operam, ne miles regni deficiat. Scripta confestim ex Boiemis duodecim, ex Morauis autem quatuor millia hominum. Tum Rex accersito Henrico ex Carinthia, cui nuper sororẽ desponsauerat,eiq; cura regni administrandi,dum ipse abesset, commissa, pergit ire in Morauiam, vt in vnum contrahat omnes copias, diuertitq; Olomutium in domum suburbanam,quę Decani vocabatur,ad captandam auram frigidiorem:erat enim dies æstatis calidissima.Ibi exutis vsq; ad tunicam lineã vestibus omnibus,dum extra cubiculum solus per conclaue ambulat, repentè nescio quis in eum irruit, nudumq; & inermẽ adolescentẽ tribus lethalibus vulneribus confodit.Cum gladio cruento,Conradus quidã natione Duringus in scalis cõprehensus est,sed is ab aulicis ante discerptus est quàm vt vel agnoscere parricidiũ,vel ædere authores,cõsciosq; cædis posset.

*Iuuenum consilia.*

*Repetit regias arces non soluta pecunia.*

*Misniæ portionem vendit.*

*Violam Ducis Teschinensis filiam vxorem ducit.*

*Annam sororẽ despondet Henrico Carinthio.*

*Ad Poloniæ regnum incundũ vix impellitur.*

*Vladislaus Loktenis Redux in Poloniam.*

*Gubernatores Poloni Regem sollicitant.*

*Sugillat proceres Venceslaus Rex.*

*Promittunt Boiemi auxilia in Poloniam.*

*Vēceslaus Rex Olomutij confossus incertũ an percussores subornati à suis, vel Alberto Cæsare vix decimum sextum annum expleuit.1307.*

Sic

Sic periit Venceslaus Rex, qui duobus tantum modo annis ab obitu patris regnauit, vltima soboles, quatenus ad virilem stirpem attinet, Principum Regumq; Boiemiæ, qui genus originemq; suam, ad Premislaum Boiemię primũ principem referunt. Id quod futurũ, tanquam vates idem Premislaus sub hac verborũ ambage denunciauerat, fore inquiens, vt tum genus Regũ Boiemiæ deficeret, cum nepos aui sui cædem vlciscereturr, quod breui pòst accidit, vt Ioannes, qui ex filia Othogari, à Rudolpho in prælio occisi, nepos erat, vicissim Albertum Rudolphi filiũ interficiens, auum vltus fuerit, vt suo mox loco dicetur. Cæterùm mors Venceslai, quia nimis immatura, quia liberis orba, quia magno cum scelere violenta, ijs etiam miserabilis fuit, qui diffluente eius adolescentia offendebantur. Non enim sic naturæ illam, vt malę educationi, imputabant, rectius videlicet sine liuore de iuuene iudicantes, cui quidem multa signa generosæ indolis inerant, ad meliorem frugem haud dubiè euasura, si robustior ætas accessisset, & pro molli illa & delicata priore educatione, sæuerior disciplina animum subijsset, quanquam negari haud potest, quin ad rem plurimum referat, à teneris consuescere bonis moribus. Quare optimo iure laudandi Persæ, qui à prima statim ætate, quæ disciplinarum capax est, Regum suorum vitam optimè instituunt, adhibitis quatuor viris optimis. Quorum primus est prudentissimus, qui Dei cultum docet, ac regia placita. Alter iustissimus, identidem commonefaciens, vt in omni vita Rex veritatem & æquitatem custodiat. Tertius temperantissimus, vetans, ne voluptatibus seruiat, sed liber viuat vti Regem decet, omnium indecentium cupiditatum ardore restincto. Quartus deniq; fortissimus, fortia facta, nemini cedentia, nulli metui aut labori, doloriq; succumbentia, semper inuicta, (nam hoc proprium fortitudinis) cõmemorat. Digna sanè imitatione, hæc Persarum prorsus Regia educatio. Porrò Boiemi hęrede regni amisso, Pragam in domum Episcopi, ad ius comitiorũ coeunt, summaq; contentione de Rege eligendo certant, alijs peregrinum Regem penitus aspernantibus, alijs inter Rudolphum Cæsaris Alberti filium, & Henricum ex Carinthia, qui præsens aderat, variantibus. Tam diuersas voluntates vt magis adhuc irritaret Thobias Bechinus, regni Boiemię vt vocant, Camerarius. Quando inquit, non alium Regem, quàm Boiemum creare libet, Regiaq; progenies in Boiemia planè deficiat, reuertamur ad pagum Stadium, vnde Premyslaus ex rustico, primus in Boiemia factus est princeps, atq; indidem nos quoq; Regem nobis asciscamus. Hæc vt cõtumelioſius dicta, statim refutata sunt, iussusq; serio promere de Rege futuro sententiã. Is cum prius Rudolphum nominasset, nominauit fratrem eius Fridericum. Quo audito Crussina Lychtembergus, Quousq; tandẽ, inquit, nobis ingeres tuos Germanos (quippe à Germanis oriundus erat Thobias) Regum nostrorũ parricidas? nec plura locutus, stringit gladium, & Thobiam trãsfodit. Postero die ambæ sorores, Anna videlicet Henrici vxor, & Elizabeth nondum cuiquã desponsa, comitia ingrediuntur, orantq; sui haberi rationẽ, ne velut alienæ à regno prætereantur. Ita ad Henricum propter Annam regimen tunc defertur. Quod ille tamen diu retinere haud potuit, Cæsare acriter instante, ne filius suus, qui priores partes in suffragijs tulerat, posteriores in regno acquirendo ferret. Itaq; duobus exercitibus celeriter comparatis, vno ab se altero à filio: ipse Lunam oppidum à plaga occidentali, filius ab orientali Iglauiam occupat, & vterq; opinione celerius Pragæ appropinquat, Henrico aduentum eorum non expectante, nec solito itinere, sed per Bauariam domum cum vxore reuertente. Pragam ingresso Rudolpho, vt multorum obsequia nobilium, Regem nouum salutantium præsto erant, ita non pauci primores data opera ab officio illo aberant, inter quos Ioannes Pragensis Præsul, qui totus Henrici erat, oculorum valetudinem excusabat, Vilhelmus autem

*Extincta Regũ Boiemiæ stirps antiqua.*

*Explicatio enigmatis quod de perpetua successiõe principum Boiemi vaticinatus erat Premyslaus.*

*Deploratur immatura Venceslai mors.*

*Persarũ in Regijs liberis educandis mos laudatißimus.*

*Pietas, Iustitia, Temperantia, Fortitudo.*

*Comitia cruenta de eligendo Rege.*

*Rudolphus Mitis, Fridericus pulcher.*

*Tobias à Crussina interfectus.*

*Henricus Carinthius regnũ administrat vxorio nomine.*

*Albertus Cæsar cum Rudolpho filio Boiemiæ regnum occupant.*

*Rudolphus interrex paucis primatum acceptus.*

à Valdeco,& Bauarus Straconicenſis,atq; alij qui arces Regias tenebant,nullam abſentiæ cauſam afferebant,dolorem eius rei tunc Rudolpho premente, ne acerbitate aliqua regni initia inquinaret. Imò ad conciliandos Boiemorum animos muliebri quoq; gratia vſus eſt,ducta in vxorem Elizabeth,quam Venceslaus ſenior viduam reliquerat, apud omnes ordines, propter modeſtiam vitæ multum gratioſam. Accedebat præterea nonnulla commendatio ex oppidis,quæ dotis nomine in Boiemia,& munita,& ſatis fructuoſa poſſidebat. Nam ad rem attentum vſq; ad reprehenſionem fuiſſe Rudolphum narrant,datum vitio,quòd negociationem in montibus Cuthnenſibus, vbi tunc operarum maxima frequentia aderat,exerceret,vinum,ſal, ordeum, triticum, vnde non panes modò, ſed multo magis potus,quem vulgo Cereuiſiam vocant,coqueretur, illo ex Auſtria de horreis ſuis conuehendo, preciaq; rebus promercalibus ex arbitrio ſuo conſtituendo,atq; in eo genere mercaturę monopolium ſibi vindicando. Hanc verò calumniam,iſta ratione ille refellebat: Se non auiditate animi, ſed neceſſitate compulſum, huc deſcendiſſe, vt hoc, quo inſtituerat modo, ſummā ærarij inopiam ſubleuaret, vt ſit vnde viuat,& vnde debita per vtrumq; Venceslaū contracta diluat. Quā adeò rationē longè ſibi tolerabiliorem videri,quàm ſi nouis & crebris tributis pauperes homines oneraret:dictaq; factis comprobat, ſtatuens,vt duo millia aureum in illis ipſis montibus,ebdomatim æri alieno diſſoluendo attribuerentur.Sed id minimè ferendum ratus, tam obſtinato animo nonnullos detrectare imperium ſuum,vt in conuentū omnium etiam procerū vocati,nollent apparere. Quorum præfractior,cum Bauarus exiſteret,quia plura alijs bona regia obtinebat, inter quæ arcem primum eius regiam,quam Zuicouam appellant, oppugnari placuit,eaq; oppugnatio Henrico Roſenſi commendata fuit.Ipſe dein Rudolphus oppidum Horaſditium,in quo Bauarus inerat,obſidet, ac magna repentè vi obſeſſum adoritur, ſed cum multis vulneribus, & militum pernicie. Itaq; tutius viſum, machinis oppidum, & operibus aggredi. Quæ opera dum fiunt paranturq;,Rudolphus in ſtatiuis ex nimio eſu fructuum æſtiuorū, fluore ventris corripitur. Aduolat mox Henricus Roſenſis,ingreſſusq; Regium tabernaculum, quiete Regi & curatione opus eſſe dicit, id verò commodius ei contingere non poſſe,niſi quàm primum Pragam redeat.Se interim operam daturum, vt tam arcis, quàm oppidi obſidio continuetur,donec vtrumq; captum fuerit.[b] Sed non potuit perſuaderi,vt ab obſidione diſcederet,maluitq; in tabernaculo ex diſſenteria mori, cum vnum duntaxat annum in Boiemia regnaret. Mortuo ſtatim annulus detractus, illiusq; ſigno literæ obſignatæ ſunt,quibus data à Rege fide,Bauarus ad colloquiū inuitabatur. Qui nullam fraudem ſuſpectans, in tabernaculū Regis venit, aulæis ita obtentum,vt præter lectuli in quo Rex iacebat, modicam portionem nihil aliud videri potuerit.Ibi Henricus interpretem ſe Regis tanquam adhuc viuentis aſſimulans,petit à Bauaro arcem Zuicouam,qua reddita,cætera pro voto Bauari conuentura pollicetur.Accipit conditionem Bauarus, & per eam artificio Henrici arce fraudatur,cæterùm oppidum integrum retinet.Corpus Rudolphi vxor in arce Pragenſi ſepeliuit,reluctante aliquandiu Præſule, propterea quòd Rudolphus caput diuæ Margarethæ à templo diui Viti ablatum, illo inuito in Auſtriam tranſtulerit.Ingenti rurſus certamine comitia inibantur,Ioanne Præſule ius Annæ,quę Henrico nupta fuit,legibus propugnante,cum diceret,fratribus non extantibus, primam ſororibus in ſucceſſione regni cauſam eſſe,non quidem vt ipſæ regnent, attamen marito regnum acquirere poſſunt, ſi eum habuerint,quem aut pater,aut regnum illis dederit.Sententiam Prę ſulis comitiaq;

*Rudolphus ducit Venceslai Senioris Regis viduam coniugem.*

*Sordidis quæſtibus Rudolphus addictus ſuam tamen auariciam ſpecioſo prætextu celat.*

*Debita contracta diſſoluit.*

*Bauarum Straconicenſem oppugnat ceu cōtumacem Rudolphus.*

*Rudolphus in caſtris moritur. An. 1030 7. non vnum expleuit annum.*

*Extorquentur arces Bauari.*

*Ioannes xxiiij. Epiſcopus Pragenſis.*

*Comitia prætoria repetita.*

*Epiſcopus fauet Annæ marito.*

plures alij proceres ſecuti. At Pragenſes cum conſcijs,Friderico,qui filius item Cęſaris,fraterq; Rudolphi erat,enixè ſtudebant,quòd vicinior Boiemię,potentiaq;

tiaq; validior exisseret. In hac dissensione Cæsar, vt cognouit, rursus filio suo ad regnũ consequendum opus esse bello, cogit repentè copias, introgressusq; Boiemiam, inter montes Cuthnenses & oppidum Coloniam castra ponit, spe rans vtroq; loco, se facilè potiri posse, ac imprimis montibus, quo in loco municipium, nec mœnibus, nec muris cinctum erat. At enim incolæ vndiq; ex finitimis nationibus mixti, qui Argentarias frequentauerant, se suaq;, fossa & vallo, loricisq; egregiè munierant, præsidiumq; validissimum in cœnobio iuxta sito, ab Henrico à Lyppa, & Ioanne Vartembergo impositũ habebant. Illi verò ambo cum turmis equitum loca cuncta infesta faciebant, ad quæ Germani pabulatum ire solebant. Quibus rebus illi irritati, signum inuadendi Cuthnenses proponi exigunt, quo proposito, magno illos conatu inuadunt: contrà illi, tum munitionibus, tum viribus strenuè se defendunt, & ad extremum, interfectis paulò minus tercentis militibus, retrò in castra cedere cogunt. Haud multò disparem fortunam in oppugnanda Colonia experti, audaciam inde insultandi remiserunt, hyemsq; iam appetebat, obsidioni tolerandæ valde incommoda. Cæsari de hybernis cogitanti præter spem euenit, vt eum nurus Elizabeth adiret, seq; ipsam, tanquam viduam post mortem filij Cæsaris relictam, & oppida dotalia in tutelam soceri traderet. Lætus ille admodum tam sibi tempestiuè oblata occasione, maiorem copiarũ partem in Boiemia relinquit, illamq; in hyberna oppidatim deducit, vsurus opera eius ad vernũ tempus futurum. Sed homo (dici solet) cogitat, cæterùm ipse Deus plerumq; aliter cogitata disponit, vt tum Alberto accidit, qui in ipso reditus sui procinctu, de medio in itinere sublatus est, à quo minimè omnium expectabat.[c] Erat ei ex fratre nepos Ioannes nomine, frater autem Alberti, Rudolphus vocabatur, cui olim filia Othogari Agnes desponsa fuit, cum inter eundem Othogarum & Cæsarem Rudolphum pax & affinitas, de qua dictum est, conciliaretur. Ita idem Ioannes ipsi quoq; Othogaro nepos ex filia fuit. Is adeò Ioannes patre suo Rudolpho mortuo, patruum suum Albertum cum assiduo assectaretur, deprecans, vt uel in quamcumq; patrimonij sui sortem admitteretur, ne tam miserè egeret, frustra semper, ac postremò cum ludo habitus, hoc facinus patrare ausus est, vt suis manibus patruum, eundemq; Cæsarem transfoderet, quem tamen eius facti, adeò mox pœnituit, vt se non mundo solùm, verùm etiam libertate abdicaret, viuens in heremo ad patris hæremitæ præscriptum. Cæso Alberto, Henricus armatis suæ gentis stipatus (ad quatuor millia eum comitabantur) Pragam cum vxore reuersus, interceptum sibi per Albertum regnum denuo recuperauit, ac iam sine æmulo regnare cœpit: quoniã Friderici us à morte patris, multò magis imperium, quàm regnum Boiemiæ ambiebat. Sed hybernabant adhuc in oppidis Reginæ nuper ab Alberto in Boiemia relicti milites, aut potiùs latrones insignes, diebus noctibusq; per inuia & peruia grassantes. Huic rei tam infami & noxiæ, quàm primum abolendæ, nihil aliud Henricus præuertendũ existimauit, ac suos statim armatos comites extru sit, qui vnà cum globis Boiemorum latrones illos insectarentur, comprehensosq; condignis afficerent pœnis, quod illi quidẽ strenuè executi sunt. Eodem tẽpore Henricus Lucemburgæ Comes, Friderico Austriæ principi in comitijs antelatus, Imperator à Germanis principibus eligitur. Ita [d] Clemente Romano Pontifice electionẽ ratam habente, vt primo quoq; tẽpore Cæsar delectus in Italiam transcenderet, Gallo videlicet Pontifici, sua Gallia, plus quàm Italia tunc inquieta arridebat, voluitq; illam per Cæsarẽ potiùs, quàm per se pacari. Nec ipse tamen segne ocium Lugduni tum habitans, transegit, intentus cum toto Cardinalium cætu, delendis reliquijs spurcissimæ Hæresis, cuius originẽ ad Dulcinum, & Margaretam, lenones Nouarienses referunt. Ex eorum doctrina coibant multa nocte in abditum promiscuè viri mulieresq; cum sacri

*Fridericus pulcher competitor, Cæsaris filius, cui ad regnũ adipiscendum cum exercitu pater præsto est.*

*Aduerso successu pugnant Cæsariani. Rudolphi vidua Alberto Cæsari sese dedit.*

*Anno 1308. Calendis Maij.*

*Henricus interrex.*

*Milites præsidiarios Alberti regno eijcit.*

*Henricus comes Lucemburgensis Imperator appellatus. An. 1308. Calen. Decembris: alijs xv. Nouemb.*

ficulis ſuis,diuinas quidem laudes ritu Chriſtiano cantantibus,ſed mox lucernis extinctis, fœdis illas factis fœdantibus, dum ad hoc verbum à ſacrificulo promulgatum:[c] Creſcite & multiplicamini,in omnem mares fœminæq; libidinem prolaberentur. Intra Alpes potiſſimum hæc tam horrenda, tamq; peſtilens,& pernicioſa ſecta inualuerat,flagitioſorumq; aures ita occluſerat, vt nullam ſani paſtoris vocem ſalutarem admitterent. Ergo medicamentum illis de ſententia Clementis, poſtquam anathemati eius illuderent & inſultarent,tale adhibitum,quale adhiberi ſolet eis, quorum ſalus deſperanda eſt, vt alij inedia,alij frigore,alij armis opprimerentur, authores ipſi membratim dilacerarentur, ac pleriq; igne, cum ipſis oſſibus comburerentur, quorũ etiam cineres diſperſi, ne quid vſquam reliquiarum ſupereſſet. Sed ne hac quidem induſtria cinerem illum immundum Clemens abolere potuit,quin duo deinde tempore prunas in Boiemia redaccenderent in ſinu illorum, qui ſe Fraticellos cognominant. Porrò Henricus,velut adhuc de regno aliquandiu retinendo dubius, cautus agere,multos procerum vtriuſq; ordinis ſuſpectos habere, pecuniam ex argentarijs permagnam conficere, illamq; in Carinthiam ſuam tranſmittere, cum grandi detrimento regni,& iniuria eorum,quorum debita ex illis officinis à Rege diſſoluenda erant. Regem autem Henricum vocamus, non quia redimitus regia corona fuerit, quò ne quidem aſpirauit, ſed quia regnum Boiemiæ adminiſtrauit ex vſu ſuo, ciuili ordine in hoc ei ſupparaſitante, & in primis ciuibus Pragenſibus & Cuthnenſibus. Illas namq; ambas ciuitates præter alias amicas habuit,Pragam,quòd ad ſpolia argenti muſſitaret, quoties proceres inter ſe de hoc commurmurarent: Cuthnam propter ſpoliorum ſocietatem,quã Ruthardus Cuthnenſis, Henrico cum ſua factione addictus exercuit, breui tempore ad maiores, quàm ad priuatas opes euectus. Ex qua fortuna & ſacietate ferox factus,auſus eſt in cœnobium Sedlicenſe, Cuthnis proximum, quò nobiliores complures aduerſæ partis conuenerant,impetum cum ſuis facere,aliquot eorum captiuos ſecum Cuthnas abſtrahere.Acceſſit nobilitati dolor ingens,cum Ruthardum violentię reum ab Henrico videret abſolutum. Hinc odium Henrici intendi, pax inter ordines turbari, totum deniq; regnum ſuſpicionibus & ſeditionibus, ad mutuas vſque rapinas deſcendentibus exagitari. Quorum motuum ſedandorum,conuentum Henricus omnibus ordinibus Pragam edicit, ibiq; nouam crudelitatis ſcænam aduerſus Proceres,rationibus ſuis contrarios inſtruit. Cænaculum grandè ſeorſim à Palatio, quo multitudo coibat ſibi exornat, adponitq; Tribunal, tanquam ex illo ius nonnullis priuatis dicturus, ſolosq; in conſilium adhibet fraudis conſcios Iudices: deinde nomina procerum ſibi inuiſa citat, nec cuiquam eorum dicendi poteſtatem facit, ſed cauſa indicta ad ſuum, ſuorumq; præiudicium, hunc de contumacia, illum de contumelia, alium de maieſtate læſa damnat,iubetq; ſingulos in proximum cubiculum diſcedere, in quo apparitores præſto erant vincula, picem laqueos ad terrorem oſtentantes: ſumptum tamen præſens quoq; ſuppliciũ de quibuſdam in loco ſecluſiore, ne mors eorũ ſubitò facinus vulgaret. At quos incolumes præſtitit,eos ſub cuſtodia Pragenſium in carcere attinendos iniunxit. Nomina illorum clariora, ſed vſitatis patriæ vocabulis dicenda, hæc ſunt: Henricus à Lyppa, regni Camerarius: Petrus Cancellarius: Ioannes magiſtratu Straconicenſi præditus, tum alij proceres, Ianus Vartembergus, Reymundus Lychtenburgus,Vlricus Rycianus,quibus nõ ante clauſtra quibus occluſi erant laxantur, quàm ſe nuptijs plebeis (tanta Pragenſes ambitio occupauerat)redimerent.Ergo Henrici filia,Iudici Pragenſi pacta eſt. Viciſſim Lychtemburgus, Iacobi à turri,ciuis Pragenſis filiã ducere in matrimoniũ coactus eſt.Ac tum deinde poſt eiuſmodi affinitatem contractã, cæteri quoq; carcere emiſſi,

*Reliquæ Adamitarum in Boiemia.*

*Henricus interrex non ſatis confirmatus in Regno prædas dubius agit.*

*Cuthna & Praga venationũ et prædæ ſocij.*

*Cõuentus Pragam ab Henrico indictus.*

*Indicta cauſa ſa multos proceres damnat Henricus.*

*Nuptijs plebeiorum vitam mercantur Barones.*

emissi,vnam omnes dabant operam,ne se amplius Henrico principi crederẽt, neue vllam existimationis suæ partem ei committerent, quod quidem mutuum fiebat.Nam neq; princeps illis,neq; posthac Pragensibus fidebat,sed nouis præsidijs ex Carinthia comparatis, se aulamq; suam contra insidias bellè munierat,de hoc interim vehementer sollicitus, quonam pacto occurreret, ne Elizabeth vxoris suæ soror, quam Boiemi velut adhuc innuptam, legitimam regni hæredem cierent, cuiquam externorum principum in matrimonium collocaretur:æmulum videlicet regni se olim fortiorem metuebat.Sollicito in mentem tandem venit,vt illa marito coniungeret,qui regnum petere erubesceret. Mox communicato cum vxore consilio, Hinco à Quercu, iuuenis nobilitate & opibus clarus, sponsus puellæ deligitur: reliquum erat, vt animus & voluntas puellæ ipsius exploraretur. In arce Pragensi apud diuũ Georgium, in contubernio virginum vestalium Elizabeth contubernalis erat,virgo sanè inter virgines commodissimo in loco.Hanc Henricus ducta secum vxore, adire non est grauatus, & dum alios familiares, puellaresq; serit sermones,matrimonij quoq; facit mentionem,nominatq; maritum quem ei dare vellet,nempe Hinconem. Tum virgo generosa,memor generis regij,vtinam inquit prius cum honore vitam præsentem amittam, quàm vt impares nuptias subeam.Vrget Henricus obstinatam pressius,blanditijs,promissis, deinde terrore etiam carceris,nisi rigidum flectat animum. In carcerem alterius arcis quàm Vicegradensem vocant ire, quàm ab instituto dimoueri maluit. In ea arce frater virginis,sed nothus,præpositum agebat.Huius cura & opera virgo custodes frustrata,inde Nymburgam auecta est.Vicus tenuis antehac Nymburga erat, dein beneficio & liberalitate Venceslai Regis, ipsius Elizabeth parentis, mœnibus & turribus aucta, ius ciuitatis obtinuit. Quare etiam virgo maiore fiducia, Nymburgensibus, perinde atq; suis ciuibus salutem commendabat suam. Quo Henricus comperto, magnum ciuibus malum minatur, ni confestim ad se virginem reuehant. Metu ex hac denunciatione Nymburgensibus perculsis,Henricus Lyppensis, cum Iano Vartembergo tempestiuo interuentu subueniunt, aduersus omnia illos tum præsentia, tum futura incõmoda, quæcunq; eis à Tyranno accidere possent,ingenti proposita spe cõfirmantes,ac mox præsidiũ ciuitati relinquentes suis impensis alendum. Multa interim scelera Pragæ per libidinem & sæuitiam eius cohortis, quam nuper ex Carinthia princeps sibi asciuit,fiebant,licentiam militum,nõ tribuno,non principe reprimente,donec concursu plebis Pragensis in illos facto, benè multi eorum ceciderunt, & reliquos à maleficijs occasu suo absterruerunt. Tum deinde princeps,præsentibus deteriora metuens, non procrastinat ad Marchionem Misnensem necessarium suum mittere, vt conductis stipe equitibus, Pragam cum illis maturè veniat. Armat continuò ille quingentos equites, additoq; illis Henrico à Hanfensteyno præfecto, eum præire in arcem Pragensem iubet, ipse protinus subsecuturus.Quem vbi arci appropinquare Ianus Vartembergius ab exploratoribus cognouit, obuiam ei occultus prodire festinauit, vt hospitem ante arcem ita exciperet, ne in illam peruenire posset. Affuitq; votis fortuna, quæ præfectum ei in loco arci coniuncto, quem Hradczianam vocant, obtulit. In illoq; ita cominus est pugnatum, vt alius alij auxilio esse nequiret, sed pro se quisque, id quod quisque potuit, ædebat, spectare Henrico principe, nec tamen auso laborantibus suis succurrere, metu insidiarum, & amittendæ arcis. Captus in prælio præfectus, & Nymburgam abductus est, ac præterea pauci viui intercepti. Hac victoria procerum, miro Henricus dolore incensus fuit, auctaq; doloris flamma,postquam cognouit, Marchionem cæde suorum perterritũ,retro in Misniam cum reliquis copijs reuertisse,nimirum vehementissimè indignaba

*Omnia perfidiæ plena.*

*Carinthios prætorianæ cohorti adlegit.*

*Henricus sororem coniugis impari connubio iungere conatur. sed tergiuersatur Elizabeth, ea propter carceri traditur.*

*Effugit carcerem.*

*Nymburgenses fidißimi Elizabethæ.*

*Confirmantur à proceribus Nymburgẽses.*

*Insolentia prætorianorum Henrici.*

*A Marchione Misnense auxiliares copias petit Henricus.*

*Misnenses copiæ deletæ capto præfecto.*

tur, non modò se oleum, quod dicitur, & operam perdidisse, sed quòd pe-
*Cuthnenses deficiunt à Rege.* nè ab omnibus ordinibus desertus esse videretur. Nam paulatim Cuthnen-
ses quoq; ab illo deficiebant, & vnà cum alijs, permutationem præsentis sta-
tus nimium turbulenti, qui iam tertium duraret annum, concordi gemitu po
scebant: deinde in conuentu Nymburgensi, palàm etiam apertis vocibus, a-
lium magis idoneum Regem flagitabant. Ioanne deniq; præsule Pragensi non
*Cõuentu Nymburgensi eligitur Rex Ioannes Hẽrici Cæsaris filiis.* dissentiente, quando intellexit vota omniũ & suffragia huc inclinari, vt Ioan-
nes Lucemburgensis, Henrici Cæsaris filius, ad regnum Boiemiæ Rex postula-
retur, hac conditione, si Elizabetham regni hæredem in matrimonium acci-
peret. Oratores ad hanc rem cum Cæsare agendam delecti, Henricus Sedli-
censis, Conradus Braslauiensis, Ioannes Plassensis Abbates, tum ex proceri-
*Decernitur splendida legatio ad Cæsarẽ Francofordiã.* bus Ianus Vartembergus, Vilhelmus à leporibus, Bohuslaus à mirica, qui-
*Summa petitionis Boiemorũ.* bus adiuncti erant Pragenses & Cuthnenses legati. Ii Francfordiam venien-
tes, cum ad Cæsarem essent deducti, & Conradus Abbas totum primo re-
gni statum, dein postulata Boiemorum accuratè exposuisset, postremò sup-
plex orasset, vt Cæsar Boiemos, qui se, fortunasq; suas omnes potestati illius
permisissent, defensione sua & cura dignos, vnà cum virgine regni hærede
duceret, ita vt liberari à dominatu Henrici importuno possent. Post hæc di-
cta legati ex conclaui secedere iussi, expectabant ad postulata responsum. In-
terfuerant tunc consilio Cæsaris Moguntinus & Colonienſis Archiepisco-
pi, cum nonnullis alijs Episcopis, & præterea Rudolphus Rheni Palatinus, &
Bertoldus Bauariæ princeps: multi enim proceres nobilitatis, vnà omnes ea-
*Decretum electorum aliorumq; principum cõtra Henricum interregem.* demq; sententia Henricum Carinthium damnantes, tanquam iuris Cæsa-
rei transgressorem, quòd absque authoritate Cæsaris regnum Boiemiæ im-
perio obnoxium occupauerit, iamq; non vnum annum, sed plus triennium
labi passus fuerit, ex quo possessionem regni à Cæsare, more aliorum Ger-
maniæ principum non poposcerit. Ob quam noxam Cæsari vacare regnum
Boiemiæ eiq; futuro successori, qui puellam regni hæredem duxerit vxorem.
*Cæsar fratrem Vualramũ Boiemis loco filij offert.* Erat Cæsari frater, Valramum nominabant, hunc Cæsar puellæ sponsum de-
stinabat, quæ destinatio legatis Boiemorum non adeo grata erat, quoniam
gratior fratre, ante oculos eorum filius Cæsaris obuersabatur. Cæterùm ni-
hil minus Cæsar volebat, quàm unicum filium, eumq; adhuc adolescen-
tem, ignotis nuptijs innectere, multisq; insuper periculis, quæ tum ab æmu-
lo Henrico, tum ab ipso regno seditionibus discordi imminerent, temerè
obijcere. Accedebat ad has difficultates, quòd sponsa duobus annis gran-
*Aetas tam Ioannis quàm Elizabethæ.* dior ætate fuit quàm sponsus, qui annum nondum sedecim implebat. Aduer-
sus hanc Cæsaris voluntatem, cæteris pugnare non ausis, Petrus Mogunti-
*Oratio Moguntini pro Boiemis filium fratri Cæsaris præferentibus.* nus Archiepiscpus os suum aperiens: Quum liceat, inquit, Cæsar pro suo
quemque sensu, ac ratione in consilijs loqui, nullam ego adhuc causam au-
dio, quamobrem conditionem à Boiemis oblatam respuere debeas, regnum
filio tuo offerunt, si rectè æstimare vis dignitate, fama, re tantum, quantum
nullum est in Germania, adeò vt nuper Albertus Cæsar, totis imperij viribus
pro illo, cum hoc ipso Henrico æmulo contenderit, vt illud filio suo Rudol-
pho assereret, summaq; dignum gloria duceret, quòd eundem filium in Boie-
mia regnantem videret: quo mortuo, alteram rursus expeditionem pro Fride
rico altero filio instaurauit, eamq; quid interruperit, nouimus omnes qui cæ-
dem impiam Alberti luximus. Sed ne hoc quidem ignoramus, quantum in
hodiernum diem, idem Fridericus Alberti Cæsaris filius satagat, dummodo
regnum illud inclytum consequatur. Sed ne id fiat obsistunt Boiemi, qui
hanc regnandi gloriam filio tuo reseruant, tanto magis abs te extollendo,
quanto tibi vnicus ille supersit, in quem iure ipso naturæ debeas omnes ho-
nores, dignitatesq; congerere. Quid autem æmulus in Boiemia possit, stra-

ges

ges eorum qui ex Misnia venerunt ab Iano Vartembergo, qui hic adest, in conspectu Henrici facta, satis declarat. Neutiquam verò licet has nuptias ignotas appellare, vbi tanta claritudine natalium sponsa resplendeat, vt patrem Regem, ipsam matrem Cæsaris Rodolphi filiam, inter parentes suos numeret. Nam anni nunquam nisi in nuptijs repudiosis numerantur. Si virtute præter regnum, & forma pudoreq; sponsa dotata est, semper iuuenis durabit, semperq; iuueni benè morato placebit. Quare magis hoc referre video, vt puella coram sistatur, quæ quod dicitur, vsque ab vnguiculis, à te Cæsar, filioq; tuo perspici queat. Mutat Cæsar mentem voluntatemque suam, ac transit in sententiam Moguntini, Spiramq; Boiemis locum constituit, ad quem puellam adducant. Nullum puella mundum muliebrem, nullumque viaticum habebat, quo instructa, ornataq; in tam longam viam se dare, atque ex dignitate sua ante conspectum Cæsaris apparere posset. Itum super hac re in consultationem à tota factione, quæsitaq; ab omnibus ratio, qua præsens inopia subleuaretur, ventumq; ad conferenda symbola est: Præsul Pragensis equum candidum, tolutim gradientem, & duos argenteos Cyathos benè inauratos dono puellæ misit: Henricus à Lyppa rarum monile: Vartembergus torquem aureum: alij deinceps vestes purpureas, alij holosericas, & omnes pro viatico pecunias de suo conferunt, aut mutuò à mercatoribus accipiunt. Mox Legati quàm possunt tacitè & occultè iter cum Reginula arripiunt, Spiramq; nullo per viam obstante perueniunt. Cæsar conspecta puella, hylarem vultum præferens, illam mediam humanissimè complectitur, ac continuò ad Augustam deducit, Augustæ vxoris calculo nurum retenturus, aut remissurus. Ambo dein parentes pariter Ioannem filium accersunt, eumque rogant, an ei sponsa placeret, quo annuente, illam ei statim, auspice Ioanne Colonienſi Archiepiscopo despondent. Nuptiæ ibidem Spiræ, simulq; solemnia principatus, quæ fieri per vexillorum traditionem solent, à Cæsare celebrata: inde Germaniæ Præsulibus, hinc principibus ac proceribus thronum illius circumstantibus. Ex quibus comites itineris in Boiemiam filio additi, Petrus Moguntinus, Philippus Eychstensis Antistites, tum Rheni Palatinus, & Rudolphus Bauariæ Princeps, dein Ludouicus ab Oetingo, & Bertoldus à Hennebergo Comites. Abbas præterea Fuldensis, & Præfectus Norembergæ. At Henricus regni incubator, præter Fridericum Misniæ Marchionem, & quos ex Carinthia contraxit milites, nullum aliud externum præsidium habuit, sed adhibita diligentia ad perquirendum, Pragæ & Cuthnis, qui essent suarum partium, itemque aduersariorum, istis expulsis, illos denuo iurare in sua verba iussit, fidem erga se seruaturos, atque vtramque ciuitatem, quo melius potuit modo communiuit. Ioannis copiæ omnes Egram conuenere, in eoq; oppido ab vtrisque deliberatum, vtrum conducibilius videretur, Pragam ne gentis caput, an Cuthnas Henrici Gazam, primum oppugnare. cum visum esset præstare, vt ante omnia Henricus argenteo thesauro spoliaretur, pergunt infesto agmine Cuthnas versus ire. Cuthnenses viribus fidentes propter operarum frequentiam, ante munitiones progressi, aciem ostentant, sed malè pugnant. ad primum namque concursum, multitudo ad operandum, quàm ad præliandum aptior, ab exercito milite fracta est, & in fugam versa. Inde appellati, vt salute & fortunis integris deditionem facerent, facturos se responderunt, cum primum à Ioanne Praga recepta fuerit. Conuersa igitur agmina ad Pragam obsidendam, quam Henricus cum Friderico, diuisis inter se præsidijs tuendam suscepperat, & modò ille, modò iste eruptionem in castra Ioannis per occasionem faciebat, interdiu, quoties aduersarij in opere essent, noctu verò, quoties in stationibus malè vigilassent. Cæterùm in aciem, quanquam non

*Persuadet Cæsari Moguntinus.*

*Emendicato mundo muliebri & sumptu itineri faciendo Elizabeth Spiram deducitur.*

*Ioannes ducit Elizabetham hæredem Regni Boiemici.*

*Magno comitatu Boiemiam Ioannes petit.*

*Henricus in suam fidē adigit multos inuitos*

*Cuthna oppugnatur.*

*Cuthnēses Pragensium fortunam sequuturos se pollicentur.*

*Praga obsidetur.* semel inuitati, descendere noluerunt. Obsidione diutius perseuerante, partim fames ex inopia pabuli, partim frigus ex autumno præcipiti, Germanos præsertim qui tenuiter vestiti erant, vexare cœperunt, ita vt molestissimè ferre obsidionis moram, peterentq; celerem vrbis oppugnationem, aut inde discessum. Sed Ioannes à ducibus agminum edoctus, quanta militum strage victoriam necesse esset constare, ab oppugnando abhorrebat, cum inter hanc molestiã casus apud obsessos talis se obtulit. Lixa quidam Friderici Marchionis, grandem fortè argenti massam in latrina reperit, qua re in vulgus ædita, certatim à Misnensibus ad scrutanda sordida eiusmodi loca per domos locupletum concurritur. Nihil fores clausæ, nihil familia ad arcendum impetum opposita adiuuabant: cuncta vis latronum perrumpebat, & per omnes ædificiorum latebras vagata, veterẽ, vt ille dixit, cum tota ærugine follem inde auferebat. Hæc adeò tam acerba, tamq; indigna direptio, causam spoliatis ciuibus præbuit, vt ciuitatem Ioanni proderent. Signum irrumpendi per portam, quæ in longam vrbis ducit plateam, hoc datum, vt ad tertium pulsum tyntinnabuli maioris, quando ad ædem diuæ Virginis, in Læta curia illud pulsaretur, Ioannes cum armatis præsto esset, inuenturus portam illam diluculò statim patefactam: id quod ita factũ fuit, primusq; per illam Henricus à Lyppa ingressus, agmina antecedebat, pacatum Ioannis introitum fide interposita sua ciuibus pollicens, qui positis armis pacem amplexi fuerint. Multi ad hanc vocem extemplo arma proiecêre: nonnulli illa pro Ioanne contra Henricum continuerunt, si is de arce sancti Viti, in quam cum Marchione confugerat, noluisset cedere. Interimq; ad expellendum præsidium Henrici, quod ad pontem Pragensem, in domo quam Hospitalem vocant dispositum erat, auxiliũ Henrico Lyppensi præstiterunt. Sed cum perditi illi qui in præsidio erant desperata salute domum hospitalem & ipsum templum se incensuros, nisi dimitterentur incolumes, minitarentur, dimitti illos, quia nec bene, nec malè cuiquam facere posse videbantur, placuit. Amissa Praga Henricus de commeatu liberè abeundi, vnà cum Marchione ad Ioannem mittit, polliceturq;, si datus ille sibi fuerit, se arce decedere, omniaq; inde præsidia secum abducere, ac in suam Carinthiam pacatè redire velle. Quo dato, Henricoq; abeunte, Ioanne sine vllo amplius æmulo toto Boiemiæ regno potitus est.

*Ioannes Praga potitur.*

*Deiecti præsidiarij ex Hospitali.*

*Data Henrico discedendi potestas.*

*Eam defendit Marchio Misniæ cum Henrico.*

*Fortuitò tumultus excitatus Ioanni vrbem occupandam tradit.*

*Rudolphus Imperator*

*Albertus Imperator* — *Rudolphus dux Sueuiæ* — *Agnes Ottocari V. Regis Bohemiæ filia.*

*Rodolphus Interrex Bohemiæ.* — *Fridericus pulcher* — *Ioannes parricida Alberti, eo quod ceu prodigo paterni ducatus Sueuiæ possessionem ademerat.*

[a] *Peragrabat totum Regnum vt se Regem conspicuum ostentaret. A Ladislao transyluaniæ Vayuoda captus, in regno abdicare coactus est, etiam corona restituta.*

[b] *Germani non abfuisse veneni indicia arffirmant vel fraude in cubili esse obtruncatum asserunt.*

[c] *Cæsar interfectus à nepote Ioanne ex fratre Rudolpho inter Risam Arulamq;, amnes non procul à Kunisfeldia Monasterio. Quem Henricus Septimus Cæsar Pisas relegauit in Eremitanorum cœnobium tanquam ad perpetuos carceres habitu monastico assumpto.*

[d] *Clemens V. Burdegalensis Gallus, Vasco, sedem Auinionem in Galliam transtulit.*

[e] *Adamitas Pontifex delet concilio Viennæ Allobrogum coacto Anno 1311.*

HISTO-

# HISTORIÆ BOIE-MICAE. LIBER VIGESIMVS.

NE quid eius,quod ad consumandum regium in Boiemia decus Ioanni deesset, Petrus Moguntinus, qui iuueni per viam ceu tutor & rector à Cæsare attributus fuerat, ante discessum ex Boiemia suum, diem omnibus ordinibus edicit, ad quem Pragam ad coronandum, tum Regem, tum Reginã conueniant. Dies purificationi diuæ Virginis consecratus fuit, quo die ipse Archiepiscopus suffragantibus sibi Ioanne Pragensi,& Petro Lomnicio Olomucensi Prælatis,manibus suis caput vtriusq; regio diademate redimiuit, habuitq; orationẽ aut potiùs deprecationem,loco & tempori accõmodatissimam, qua tam singulos, quàm vniuersos magnopere orabat,ne simultatibus inter se & factionibus distrahe rentur,néue diuersa à Rege suo ipsi seorsum sibi cõsilia haberent,sed cũ oportet aliquam inter Regem & illi subiectos, regni administrandi esse societatẽ, vt ad cõmunem regni utilitatem prouehendam, cõmuni studio voluntateq; & consilio cum Rege conspirarent, nõ ignorantes quàm tutissima sit mutua defensio,quæ tamen nisi mutuo de regno & inter ipsos consensu, non consta ret.Quare,si quid adhuc dissensionũ,offensionumq;,vel priuatim vel publicè contractarum supereſſet,omnẽ illarum dolorem ex memoria vt deponerent, & in pristinam concordiam redirent,vehementer deprecari. Hoc verò nomine regis,aduersæ quoq; factionis ordinibus significare,quòd ipse Rex illis omnium iniuriarũ per tumultum sibi præsentem illatarum,plenã gratiam faciat. Ter magna voce exclamant, viuat Rex Ioannes.Idem dein Petrus Regem etiã seorsum hortatus est,vt quemadmodum & paternæ magnitudini & dignitati suæ in regali iam fastigio collocatæ, conueniret,ita regnum, curarum licet & molestiarũ plenũ,forti ac magno animo capesseret,idq; in primis caueret,ne vllum subditis signum ostenderet,tanquam impar esse propter ætatem, suscepto oneri videretur, sed si qua tempestas grauior ingruerit, ad parentẽ velut ad sacram ancoram confugeret.Post hæc discessit,relicta parte equitum quos Rex sibi delegit,vt secum manerent quoad à latrocinijs quoq; regnum purgatum sibi,pacatumq; redderet:nã tanta vis latronum ea tempestate Henrici cõtemptu inoleuerat, vt numero equitũ peditumq;, non itinera solùm ad excipiendos quoscunq; viatores cõpleret,sed loca præterea tenebant validis præsidijs firmata, ex quibus aperta vi agros, etiam & vicos incursabant.Cõtrà illos haud puduit, inuenẽ Regem suo auspicio expeditionem sumere vnam domi, qua vestigijs prædonum insistens,omnia illorum latibula perlustrauit,indeq; per milites extractos,igne,cæde,laqueo puniuit,dirutis simul vsq; ad solum latebris. Alterã in Morauiam crebrioribus adhuc maleficijs, magisq; arduis impeditam,quia ne hi quidem in illa ab iniurijs & deprædationibus abstinebãt, qui altas occupabant arces.Ex quibus arx Iani à Boskouice,quam Vngersperg cognominabant,expugnata, ac statim demolita,dein ad similem modum arx Drahotusa: Tum arx Deblina,ad quã nullus machinis, sed tantùm cuniculis patebat aditus, cum Friderico possessore intercepta, æqualem ruinam sustinuit. Ipsi verò possessori quia serius deditionem fecerat, caput gladio ademptũ.Tali pœna,tamq; præsenti,cæteri in Boiemia & Morauia perterriti,malefacere passim desinebant. Qua sanè re nõ hominum tantũ saluti & securitati, sed agrorũ insuper,vinearumq; culturę prospectũ.Vtraq; enim inculta vastaq;

*Ioannes Lucemburgensis VIII. Rex Boiemiæ.*

*Coronantur Rex & Regina à Moguntinõ.*

*Exhortatio ad colendam concordiam.*

*Monet Regem officij Moguntinus.*

*Prima Regis expeditio aduersus grassatores publicos.*

*Arces in Morauia prædatoriæ solo æquatæ.*

*Interregni incommoda.*

iacebant,dedignantibus colonis alijs arare,ſerere, vineas colere,vnde caritas annonæ in regno frequens,& in populo fames,viniq; penuria oriebātur, quæ mala omnia Rex ſuſtulit,latrocinijs interceptis. Per hęc diſciplinæ quoq; militari probè conſulens, dum eiuſmodi armorum exercitio, legitimum olim cum hoſtibus præludit bellum. Atque hæc adeò parenti Cæſari grata acciderunt, vt profecturus in Italiam coronæ imperialis ſumendæ gratia, vicarium imperij in Germanos filiū ſubſtituerit. Hac namq; lege Henrici electio à Clemente Pontifice fuit confirmata,vt intra biennium Romam peteret de more coronandus. Cum igitur tempus illud iam in foribus adeſſet,tranſgreſſus Taurinos montes,multa apud Inſubres,& mox in tota Lombardia,rei bellicę præclara facinora,aduerſus Guelpham factionem,quę nimio plus inualuerat, ædidit. Veniensq; Romā, à tribus Cardinalibus ex Gallia à Clemente miſſis, coronatus eſt, Ioanne interim pacatè imperium in Germania adminiſtrante, & Boiemia. At in Morauia Comes Trencinenſis Matthæus,quietas res eſſe nō ſinebat, priuatis opibus Morauos diuexans. Magna ſiquidē auctoritate apud Hungaros, propter ſummum poſt Regem magiſtratum Matthæus erat,ſed tanta idem audacia & ſtulta arrogantia præditus, vt rege etiam ſuo Carolo ſpreto,auderet clientes ſuos ad populandum Morauiam dimittere,vicinitate maximè fretus,quæ hanc ei ad maleficia commoditatem prebebat,vt ſubitus quādo vellet Morauis ſuperueniret,atq; illata iniuria ſubitus item Trencinium rediret. Huius ferociam vt compeſceret Ioannes Rex,tumultuaria raptim manu collecta, Brodam in Morauiam iter feſtinauit,eoq; in oppido copijs auctis, Trencinio appropinquabat, cum ei in via Matthæus turmis Hungarorum plurimis ſtipatus occurrit,clamoreq; ingenti ſublato,cornua Regis circumfundit premitq; adeò acriter, vt cornua titubare cœperint. Sed affuit mox Henricus à Lyppa cum præſidio ſuo, cōfirmata rurſus acie,timorem acceptum hoſti reddit,illumq; ad fugam cōuertit, fugientem inſecutus vſq; ad Vagum fluuium, quem tranſire Rex vetuit, ne omnium Hungarorū animos ad bellum cōcitaret. Interfecti in hoc prelio ex Hungaris centum quinquaginta,pauloq; minus capti, nimirum centum & triginta,cum ex Boiemis vltra viginti numero nō fuerint deſiderati. Poſt malè rem geſtam Mutthęus tandem reſipiſcere cœpit,ſeq; ad compoſitionem controuerſiarum obtulit,quę cum tam ſubitò componi nequirent, induciæ in annū factę. Regem adhuc in Morauia ſubſiſtentem,Boleſlaus Vratiſlauiæ Dux,qui Oppauiam præterea in Sleſia obtinebat,adijt,inuitans illum de eadem Oppauia ad pactionē,dena millia aureū nummum Boleſlao adnumerata,vt de iure ſuo cederet. Inter lęta quoque acceptū,quòd Regina filium Regi, quem nominari Venceſlaum voluit, (poſtea Carolus eſt vocatus) enixa fuerit. Senſim inde Rex in Boiemia ſuo arbitrio regnare,non omnia ad conſilium procerū referre,cū Germanis conſultare,illosq; pariter atq; Boiemos magiſtratibus præfecturisq; arcium, & alijs in regno honoribus ornare, inuitis Boiemis ac multum repugnantibus. Sed pręualebat Rex,cū diceret, à patre ſibi ex Germania eſſe ſubmiſſos viros illos, quos in aula viderent omnes nobilitate inſignes,quorum dignitatis niſi habere rationē,vereri ſe ne parentem offenderet, pręſertim cū agat vicariū Imperij,in quo munere obeundo, ſua referre,ne quam à ſe temere nationē alienet. Ac tunc oſtendit illis literas à Cęſare ad ſe miſſas, quibus mandatū inerat,vt principū Germaniæ conuentum Norembergam indiceret, in quo de auxilio Cęſari in Italiam aduerſus [b] Robertum Neapolitanū Regem ferendo deliberaretur. Robertus enim Cæſaris potentiā formidans, miſſis duobus equitum millibus ſubſidio Florentinis,totam contra illum Aetruriam cōmouerat,ſeq; ducē ibi Guelphę factionis conſtituerat. Qui Norembergam in vnū conuenerant,vna omniū ſententia fuit,vt delectus militū per Germaniam haberetur, qualem

*Iohannes vicarius patris in Imperio.*

*Cæſaris Henrici in Italiā profectio.*

*Turrianis pulſis Vicecomites Mediolano præfecit.*

*Henricus Romæ coronatus anno 1311. alijs 1312. Calend. Auguſti vel 3. Cal. Iulij.*

*Matthæus Comes Thrincinienſis Morauiam populatur.*

*Iohannes ſeſe illi opponit.*

*Boleslaus Lignitz & Bregæ Princeps*

*Henricus V. obeſi filius.*

*Oppauiā Rex mercatur.*

*Carolus Regi natus filius.*

*Rex Germanos Boiemis præfert.*

*Diuit ſuſpiciones.*

qualem Rex domi quoq; habuit, & vnà cum patruo ſuo Treuerenſi Archiepiſcopo, Cæſari ſuppetias laturus, per Taurinos ſaltus tranſibat. Quibus nondum ſuperatis, triſtiſſimus vtriq; nuncius obuius fit. Regi patrẽ, Archiepiſcopo fratrem veneno per Monachum ad altare in calice propinato, extinctum eſſe annuncians. huiusq; parricidij authores Florentinos accuſabat. Aderant proximè Bauariæ princeps, & Marchio Brandenburgus cum ſuis copijs, auditoq; caſu luctuoſo, domum vterq; reuertebatur. At Rex cum patruo iter Mediolanum vſq; proſequuti, à Matthęo Vicecomite, quẽ Henricus Cæſar Mediolano præfecerat, vti hoſpites exoptatiſſimi, opportuniſſimiq; liberaliſſimè excepti ſunt: nam præbitus omnibus etiam militibus commeatus gratuitus, quorum mox opera Mediolani opes bellè cõfirmatæ ſunt. Vacillabant namq; Crema, Brixia, Cremona, & quædã alia vicina oppida metu Guelphorum, altè criſtas poſt occaſum Cæſaris erigentium, ſed conſpecto Cęſaris filio, tanquam pater denuò reuixiſſet, ab omni timore ſe recreabant, & cum Mediolanenſibus pari mente conſentiebant. Confert dein Rex & patruus cum Matthęo, de vlciſcenda Cæſaris morte aduerſus Florentinos conſilia, eamq; cauſam, cur in Italiam venerint, ſolam eſſe oſtendunt. A quo difficultate, & quaſi deſperatione, vt Florentini ab alio quàm à futuro Cęſare in poteſtatem redigerentur, cognita, per aliã viam reuerſi ſunt in patriam ſuam. In qua Cæſarem iam dictum à tribus ſuffragatoribus, Colonienſi, Palatino, Saxone, ipſum Fridericum Auſtriæ principem inuenerunt. Ergo ipſi etiam ambo cum Moguntino & Brandenburgo Marchione, ad Ludouicũ Bauariæ principem Cæſaris nomen deferũt. Qua ex re, cruenta inter duos Cæſares prælia, & alterius tandem pernicioſius conſecutus eſt exitus. Porrò Boiemi Regem domi nacti, interceptam nuper de ſummouenda à regno nobilitate externa actionẽ, Henrico à Lyppa actore reſumunt, cum Rege agentes, vt ne peregrinam ex Germania nationem in Boiemiam inducere perſeueret: mores enim hominum vt plantas ad regionis habitum reſpondere, & vbi eiuſdem generis plantatæ fuerint, ibi multò melius inter illas quàm inter generibus diuerſas conuenire, adeò vi quadam naturæ ſimile gaudere ſimili, contrà moribus diſſimiles ſic inter ſe diſſidere, vt ne via quidẽ eadem ambulare velint. Non ea verò cauſa dici iſta à Boiemis, quaſi tam agreſti odio in Germanos laborarent, vt nullum illis in Boiemia reliquum manendi locum eſſe cupiant: imò quoties illis libet, liberè veniant, ſed vt hoſpites, atque item vt hoſpites abeant, non autem ſe cum vernaculis & domeſticis in magiſtratibus & præfecturis arcium, alijsque publicis in regno honoribus commiſceant, cum nullum in regno domicilium habeant, ſed ſicut æſtiuæ aues ſtatim autumno poſt collectam meſſem, ſic iſti poſt corraſas vndique ex Boiemia opes receſſum circumſpiciunt, quia commodo tantùm ſuo ſeruiunt. At quibus patria eſt Boiemia, illos neceſſario ex ingenita in patriam caritate ſic affectos eſſe oportere, vt non ſolùm illam non deſerant aut deſpolient, ſed vitam quoque pro illa ſuã, quando opus fuerit, libenter profundant. Ad quos igitur periculum propriè pertinet, nónne æquiſſimè etiam ad illos magiſtratus pertinebunt, qui aliquam vel dignitatem, vel vtilitatem afferunt? Quamobrem vna omnes voce rogare, vt ne vetuſtiſſimum morem in magiſtratibus & præfecturis mandandis, nouis legibus mutare in animum induceret. Moleſta Regis auribus hæc oratio fuit, vt quam ex inuidia & odio in Germanos profectam intelligebat, recordáns tamen, quam ægrè ſtatum per ſeditiones & coniurationes turbulentum compoſuerit, ne quid noui rurſus per nouum tumultum nouaretur, nobiliſſimos quos ex Germanis in aula habuit, Vdalricum videlicet, Bertoldumq; & Dyttenonem Comites, inuitus inuitos à ſe dimiſit. Duæ ſummæ præfecturæ, altera in Boiemia ad Henricũ Lyppam, altera in Morauia ad lanũ

*Iohannes Rex bello Italico ſe accingit.*

*Huius Treuerenſis ope dicitur Hẽricus ad faſtigium Cæſareũ euectus.*

*Bonconuenti oppido Hetruriæ obijt 2. Auguſti 1313. Piſis ſepultus.*

*Mediolanenſes cum vicinis Iohanni à Cæſaris morte ſe tradunt.*

*Duo Cæſares Fridericus Auſtrius & Ludouicus Bauarus. Anno 1314.*

*Bohemi poſtulant extorres abigi omnes Germanos.*

*Auaricia præfectorum Germanorum.*

*Indigenis non aduenis magiſtratus conferendos.*

*Summæ dignitates duæ, tam in Boiemia quàm Moravia Boiemis traditur.*

Vartembergum tranſlatæ. Initia vtriuſq; perpulchra, ac Regi ſatis probata, cũ functione vtrumq; ſua in officio ſibi delegato, ſine vlla auaritionis ſuſpicione videret defungi. Cæterùm dictum exploratiſſimè, magiſtratum indicare virũ, ſuo vtique tempore, cum videlicet robur iam acceperit, vt quod libeat, idem liceat, quemadmodum in vtriuſq; magiſtratu apparuit. Nam tanta breui in Boiemia vectigalium regiorum, præſertim in montibus Guthnenſibus ex venis metallicis facta eſt diminutio, vt vbi ante Germanus præfectus in ſingulas ebdomades argenti minimum quingentas libras Regi appendiſſet, ibi Henricus Boiemus nec tertiam illarũ partem fiſco inferebat. Suo item modo Vartembergus Morauos quæſtui habuit, pupillo paruo ære, magnis paternis hæreditatibus euertens, cauſas diuendens, raroq; aliter niſi munere corruptus iudicans. Quarum rerum indignatione commotus Rex, ſecedendum ſibi ad Lucemburgam, natale ſolum ſuum per ſpeciem inuiſendi, curandiq; patrimonij exiſtimauit. Illo abſente multò auidius audaciusque Henricus in bona regia inuolabat, prædamq; illorum in domum ſuam conuertebat, in caſſum Præſule Ioanne obmurmurante, quem Rex in conſilium Reginæ, pariter auaritiam Henrici execranti, addiderat. Quin imò ipſe Henricus, quo maiore fulciretur authoritate, adeò viduam Reginam ſeniorem Venceſlai quondam vxorem ſibi cõciliauit, vt omnia illius oppida dotalia ſuo arbitrio adminiſtraret. Mox etiam Pręſuli rabulam quempiam oppoſuit, qui illum ad curiam Pontificiam in ius præſentem vocaret, vt ita Regina conſultore quoq; careret. Sed Præſul Auinionem petens, vbi Pontifex ſedem ſibi collocauerat, ex itinere ad Regem deflexit, venturaq; ei pericula expoſuit, ſi paulò diutius reditũ ſuum in Boiemiam differret. Vix tandem ille à patria auulſus, non Pragam, ſed Cubitum, in quod oppidum Regina, metu Henrici diuerterat, ſe confert. Ibiq; à bene multis proceribus aditur, hortantibus vt Pragam ſtatim conuentum edicat, ad quem Henricus tanquam ſummus magiſtratus, cum veniſſet, induſtria Vilhelmi à Leporibus captus eſt, & in vincula, duodecim cuſtodibus appoſitis, coniectus. Fit continuò inde affinium Henrici fuga, qui poſtquam Brodam, quarto à Praga lapide ſemotam, conuenerunt, literas minarum plenas ad Regem dederunt, niſi extemplo Henricus carcere emiſſus foret, nominatimque ſua quiſq; manu ſe ſubſcripſit, ex affinibus Berco, & Henricus vterq; à Quercu, & complures alij ex eodem ſtemmate, titulo duntaxat diuerſi: dein ex cognatis, Sediſlaus à Stellis, Vilhelmus Lantſteinus, Benedictus Vartembergus. At Rex minarum inſolens, delectum haberi iubet, ac interim Petrum Roſenſem, nuptijs Violæ viduæ iunioris, quam Venceſlao Regi Olomucij occiſo nupſiſſe diximus, addita honeſta dote ſibi obligat, rupto priore vinculo, quo Henrico captiuo innexus erat per ſponſalia cũ filia ipſius contracta. Roſenſi itaq; militi Rex inſuper auctus, improuiſam in agros alterius Reginæ, quæ Henrico fauebat, excurſionem facit, eosq; latè depopulatur, ac tria oppida dotalia, Iaromirium, Policiam, Mutham ad deditionem ſibi faciendam perpulit. Hradecium, quo in oppido ipſa morabatur, oppugnare ſuperſedit, ſed in loco vicino quem Caſtellum appellant, præſidium imponit, cuius metu Regina in officio contineretur. Huic auxilio Ianus Vartembergus ex Morauia protinus ſupernenit, audaciq; nimis impetu præſidium adortus, ab vno ex illorum numero telo emiſſo ictus, cecidit mortuus, non alio Henrici dolore, quàm ſi alteram manum amiſiſſet. Ibat porrò Rex cum ſuo agmine aduerſus Sediſlaum Sterembergenſem, benè animatum antequam dominum ſuum armatum videret, quo conſpecto, mutatum ſubitò in metum, ne omnia quæ in præſens poſſideret, paulò poſt vna cum ipſa fortè vita perderet, ſi contrà torrentem diutius niteretur, adeoq; inde fractum, vt conſilia audacia cum ipſis armis abiecerit, togatusq; cum omnibus affinibus & cognatis ſuis, quos penes ſe habebat,

*Peius Germanis rem administrant Bohemi.*

*Iohannes Lucemburgã migrat.*

*Hẽricus à Lippa gubernat arces reginæ ſenioris uiduæ.*

*Epiſcopus Auinionẽ citatus.*

*Redit Rex in Boiemiam.*

*Henricus Lippanus captus.*

*Complices è fuga Regi minãtur.*

*Violam Regis Venceslai iunioris viduam Petro Roſenſi tradit Rex.*

*Reginæ ſenioris viduæ oppida capta.*

*Vartembergus factionis Lippanæ occumbit.*

*Sedislaus à Stellis Regi fit ſupplex.*

bat,ante Regem apparuerit,illumq; genu nixus,de sua suorumq; salute & fortunis supplex obsecrauit, & salua omnia impetrauit. Hinc statim Rex in Moraũiam iter conuertit ad sedandos ibi motus,Iani morte suscitatos,quibus facilè compositis, Pragam remeauit, distributo per hiberna milite. Vere nouo datur negocium vni ex præfectis militię,Venceslao Horressouio cognomine, vt militem ex hybernis in castra reducat,illaq; aduersus Vilhelmum Lantsteynum dissimulato itinere moueat. Ille circumducto, quà visum erat agmine, repentè in bona Vilhelmi incursat,agros effusè vastat,colonos & pecora abigit,prædamq; omnem inter milites distribuit. Vilhelmus subito impetu,suorumq; incommodo consternatus, à Petro Rosensi cognato suo consilium & opem implorat: vadit ille Pragam, & de reconciliando Regi Vilhelmo inflatiore illo more agit, quo agere solent, qui magnifici appellari gaudent,vt extorquere potiùs veniam, quàm impetrare videantur.Cui Rex ita respondisse fertur,Rosa,Rosa, inquit,multas tu etiam spinas retines,sed caue tibi,ne dum alios pungere paras, ipse ab illis pungare, nihil enim indignũ vt tu autumas, Vilhelmus tuus sustinet, qui Regi suo factus est rebellis. Eum tamen pœnis etiam maioribus dignum, hac lege tibi condonamus, si tu arces, quas regias occupas, nobis restituis. Deliberare vt intra triduum liceat.mora impetrata, per internuncium respondet: Se quæ possideat, illa obtinere ac tueri, interimque nec Vilhelmnm subsidio destitutum velle deserere. Misitque sine cunctatione auxiliares ei copias, ac se in Austriam, aliorum quoque nomine, ad Fridericum Austriæ principem contulit,quos omnes vnà secum ei in clientelam Rege spreto tradidit. Ita Rex compulsus & ipse patrocinia quibus tutior esset, apud suos in Germania quærebat. Veneruntque Pragam, Petrus Moguntinus, & Balduinus Treuerensis Archiepiscopi cum sexcentis equis cataphractis,& aliquot numero præterea cohortes Germanorum lancearias post se trahentes. Cunctis expectatione suspensis, quorsum Rex cum Pontificibus copias verterent: Ibi Pontifices munere Pontificio facinus dignissimum faciunt, dum verba Domini sui repetunt: Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis, atque ex illis verbis tam ipsi Regi, quàm omnibus ordinibus significant, se Pragam, non vt bellatores, sed vt pacis arbitros introisse.ac mox partibus fide publica data denunciant, vt liberè ad dicendam quisque causam suam Pragam conueniant. Quod vbi factum est, pars Regi aduersa palàm arbitris indicat, se nihil planè agere velle, antequam Henricus vinculis exoluatur, quibus vinctus est causa indicta, & nec dum apertè conuictus. Contrà Rex pertinacissimè tendebat, ne maiestatis reus, manifesto per factionem facinoris consciam, de manibus sibi eriperetur. Tali tandem arbitrio post multorum dierum contentionem, hic tam difficilis nodus expeditus est, vt Henricus à carcere liber fieret, cum arces sex, & totidem viros nobiles arcium præfectos Regi daret obsides, cætera mutua facilitate composita. Reuertentibus vnde venerant Pontificibus, nullo pacto Rex potuit à Regina retineri, quin ipse quoque vnà profectus ad Lucemburgam, quæ eum velut Cæcias nubes ad se trahebat, secederet. Euenitque vt Regina diuinabat fore, vt recens constituta, breui dilaberentur fultore absente. Nec enim inter ipsos ordines, nec cum Rege eis benè conueniebat, quòd animi tantum & voluptatis causa abesset. Ergo talia rursus in regno fiebant, qualia fieri solent vbi dominus non adest domi. Inter hæc Ludouico Cæsari cum æmulo suo Friderico,complura ac varia prælia intercedebant, dum victus nouam semper instaurat pugnam, quarum maxima fuit, quæ in Sueuia ad flumẽ Neccarum est commissa, in qua duodecim nobilitate insignes Comites,& cẽtum ac quadraginta equestris ordinis milites sunt capti. Interfecti autẽ equi mille & quingenti,victoria ad Ludouicũ inclinante,cęte-

*Vẽceslaus Horessouius exercitum ducit cõtra Lantsteinium.*

*Petrus Rosensis proteruus in petenda gratia.*

*Tota Lyppana factio Friderico Duci Austriæ se dedit.*

*Archiepiscopi Germani arbitros agunt inter Regem & proceres Boiemos.*

*Transactum.*

*Redit Rex Lucemburgam.*

*Discordes Boiemi inter se.*

*Bellum intestinum de Imperio inter Austrium & Bauarum. Anno 1316.*

*Cõflictus æmulorum Cæsarũ ad Eslingam.*

rùm æquis manibus prælium diremptum. Ergo denuò vires vtrinq; quantas nunquam antea redintegrant, hac mente, vt finem tandem bellis faciant alterius occasu. Magnam Ludouicus futuræ etiam victoriæ spem in Ioanne reponebat, si eum in commilitium pertraxisset, qua de re cogitanti tempestiuè se offert mors [c] Valdemari Brandenburgensis Marchionis, qui sine liberis decesserat, vacuamque per hæc Cęsari successionem bonorum reliquerat. Horum bonam partem Ludouicus se attributurum Ioanni promittit, si opera eius adiutus, Cæsaream dignitatem retinuerit. Ioannes ad belligerandum promptus, conditionem accipit, rediensq; ex Lucemburga in Boiemiam, delectum aduersus Germanos decernit, habetque tanto omnium consensu, vt magnus Procerum numerus, tum ex Boiemia, tum ex Morauia suo sumptu castra Regis sequutus fuerit, vsq; ad locum pugnę iuxta oppidum Mildorfium destinatum. Eò videlicet fortuna duos Cęsares de Imperio aliquoties inter se contendentes, ad extremum contraxerat, vt ludum in illis suum à meridie vsq; ad vesperum ostenderet: tamdiu namque incerto Marte pugnantes, sursum deorsumq; vtrumq; iactauit, donec [d] Fridericum capiendum, occidendumq; Ludouico traderet. Cœpit in eodem prælio Ioannes quoq; Rex, Friderici fratrem germanum Henricum nomine, secumque eum in Boiemiam abduxit custodia attinendum, quem postea deprecatore Carolo Rege Hungarorm, æstimatum triginta millibus aureûm, ac Znoyma sibi reddita, quam dotis pignore principes Austriæ possidebant, in eandem Austriam incolumem remisit. Porrò Ludouicus eius diei victoria tam insigni lętus, postero die amplius sexaginta nobiliũ proceres, Boiemos Morauosq; ad se nominatim euocat, Baltheisq; & alijs militaribus donis virtutis ergô singulos exornat. Erga Regem verò pericruli iam securus, magnifici promissi immemor, Budissinam duntaxat, quam Marchio dudũ oppignoratam tenebat, sine precio ei restituit. Cæterùm totã Brandenburgensem ditionem ad filiũ suum Ludouicum trãstulit. Atqui Rex sola Budissina non contentus, Gorlitium præterea & alia oppida in Lusatia, quę superior appellatur, nuper à regno abalienata, suo milite recuperauit, molestè quidem Cæsare ferente, sed molestiam illam tamen deuorante, tãquam fraudis in Regem commissæ sibi conscio. In Boiemia rursus simultates non viriles modò, uerùm etiam muliebres ex æmulatione ac mutuo liuore pullulare cœperunt, malignè Reginis inter se æmulantibus, dum vidua Regina loco cedere dedignatur: & vxor Regis non sustinet, vt partes sibi æquas æmula vindicet. Hæc mariti fiducia, & regni hæreditate nitebatur: illam Henricus à Lyppa vt pupillam oculi custodiendam tuendamq; receperat. Occupat Henricus apud aures Regis patulas & credulas, insidias in Reginam Elizabeth intendere, eam insimulans nouarum rerum esse cupidam, ac iam pridem hoc agere, vt filium Carolum, quãtumuis in tenera adhuc sit ætate, nutriendum det suę factionis proceribus, vt domi Regem semper habeant, postquã ipse Ioannes Lucembergam regno præferat. In secessu Cubitensi Regina cum filijs Vencesl ao, aliâs Carolo, & præterea nuper nato Premislao, qui paulò post infans obijt, fuerat, cum Rex non ita vti solebat, placido vultu, sermoneq; coram ibi se repręsentaret, seorsum à Regina, & cœnaret, & seccubaret, multum illa mirante, & quod acerbissimum omnium erat, causam eiusmodi immutationis explorare à nemine queunte, qui tunc cum Rege aderant. Discedens Rex, maiorem natu filium Venceslaum Pragam secum auexit, & constituto ibi Petro Rosensi, regni Camerario, ac Henrico à Lyppa subcamerario, (insuescendum enim iam vocabulis est, præsertim magistratus denotantibus, qui in regno sunt ambitiosi) inde porrò Lucemburgam, & deinde in Galliam ad Regem [e] Carolum ex sorore nepotem, perrexit, cui filium Venceslaum annum septimum auspicantem, alendum in aula regia commendauit, vt à pueris statim Gallicis

*Iohannes Rex Ludouico fauet,*

*Anno 1323. die Michaelis inter Mildorff & Othingen.*

*Bohemos ob rẽ strenuè gestam Ludouicus Cæsar muneribus ornat.*

*Pactam Brandeburgensem Marchiam Cæsar Iohanni de negat.*

*Ludouicum filium Marchio natu Brandeburgẽsi donat Cæsar.*

*Lusatiæ oppida eripit Iohãnes.*

*Muliebres de primatu Reginarum contentiones.*

*Henricus Reginã accusat Regi.*

*Rex offenso in reginam animo.*

*Iohannes magistratibus regni constitutis in Galliam cũ filio cõtendit.*

*Venceslaus Caroli nomẽ adeptus in Gallia.*

Gallicis moribus innutriretur. Carolus approbata indole, cognati pueri confirmare illum à præsule ritu solemni, ac nomen suum ferre iussit, ergaq; illum eodē modo affectus fuit, quo pater erga filium affici solet, nec alio deinceps nomine, quàm Caroli nominatus est. Regina è Cubito, Melnicum dotale oppidum prægnans concessit, ibidemq; tertium filiolum, nomine Ioannem enixa est. Ac, nisi in summa necessitate, curam aliquam regni non attigit, quanquam cottidie ferè accederēt, qui de negligentia, auaritia, violentia magistratus, quos Rex instituit, accusarent, cum magna Regis inuidia, quòd dum ipsi domi, opibus per lites & calumnias atteruntur, interea ille apud Lucemburgos intempestiuis conuiuijs & choræis operā daret. Sed longè omnium maximum odium sibi ab omnibus ordinibus conflauit, inchoata cum Ludouico permutatione, qua regnum, pro Bauariæ principatu, quem f Palatini Rheni possidere solent, commutare voluit, vt eò vicinior Lucemburgæ habitaret. At Boiemi in deteriorem partem interpretati sunt, quasi illos Rex vendere Germanis ac prodere cuperet. Ergo omnes in vnum conspirant, vt pereant potius, quàm non perdant illos qui ad exitium patriæ eorū immineant. Atq; hæc turba maior visa, quàm vt pacari, vel ipso Rege præsente potuerit: & nisi pacata esset, spes de retinendo ei regno decollabat. Præ hac cura Rex omissis suis omnibus delicijs, vestigandum sibi Cæsarem desumpsit. Euenitq; ex sententia, vt ille in Bauaria propè fines Boiemiæ inueniretur, tamq; facilem se ad preces Regis præberet, vt montes transcendere, & in oppidum proximum quod Luticium Boiemi vocant, se conferre non grauaretur. Illic in maxima Boiemorum frequentia, Regem illorum de tam graui suspicione, qualem de illo haberent, testimonio suo expurgat, pactionemq; illis, quam cū Rege inire cœperat, scriptam ostendit, in qua disertè aperteque appositum erat, ita illam ratam & firmam fore, si communi Boiemorum assensu confirmata fuerit. Id postquam non est factum, nec vt fiat, Boiemi contendere videantur, se quoq; quod pactum erat irritum habere dicebat. Et ante omnium oculos paginam ostensam discerpit, atque hoc modo Boiemos cum Rege in pristinam beneuolentiam reducit. Qui vt Pragam venit, de Reginis quoq; hanc suscepit cogitationem, quemadmodum lites inter illas dirimeret, nullusq; modus aptior occurrebat, quàm vt illas longinquioribus locorum interuallis disiungeret. Igitur Reginæ viduæ, cui Elizabeth item nomen erat, obtrudit, tam pecuniam præsentem, quàm bonorum præterea in Morauia, circum Brunnam nonnullorum possessionem, si illa vicissim Hradecio & alijs in Boiemia oppidis ad dotem pertinentibus decederet. Non respuit conditionem vidua, iamdudum anxia & fessa curis atq; calumnijs, quas inuidia illorum oppidorum magna ex parte sustinuit, inspicere tamē antea voluit, quosnam Rex ei agros & colonos in Morauia assignare destinaret. Qui postquam haud displicebāt, impetrauit præterea locum in suburbano Brunnensi ad ædificandum templum & domicilium, intra quod virgines sectæ Cistercienses, vnà secum concluderentur. Hodieq; claustrum Reginæ, ac bene dotatum appellatur. Nō eodem pacto Rex de se sollicitus, quemadmodum in suspecta adhuc vrbe fauorem sibi ciuium, nobiliumq; retinere, vita nimirum moribusq; & grauitate, sed ad leuitates amatorias, & ad mores externos traductus, intemperantius interdum cum periculo salutis viuebat. Quippe parum semel abfuit, quin nocte quadam amorem cum vno clientulo sectatus, à custode vigilum occideretur. Saluti fuit vox, qua agnitus incolumis mansit. Celebre autem ei fuerat, maiorem noctis partem in commessationibus exigere, alternoque iuuenum, puellarumque accubitu discumbere, alterna etiam poculorum inuitatione, ad alterius sitim perpotare, & ante potum, alternatim quoque nouas verborum facetias adhibere. Inerat & peregrinus habitus in nutriendis comis, in

*Tertium filiū Ioannem peperit Regina.*

*Querelæ in Boiemia cōtra præfectorū tyrannidem.*

*Turbæ in Boiemia è siniſtro rumore.*

*Hai prouinciam Boiemiæ permutare Ioannes voluit ob patrij ſoli viciniam.*

*Cæſare intercessore pacatæ turbæ.*

*Diſſenſiones inter Reginas tolluntur longiori interuallo à ſe inuicem ſeiunctis.*

*Venceslai ſenioris vidua Regina arces dotales bonis in Morauia permutat.*

*Claustrum Regina in ſuburbanis Brunnæ condit.*

*Gulæ & luxui deditus Ioannes.*

*Perſicus Luxus.*

calciandis pedibus roſtratis calceis, in veſtiendo corpore palliolis, vix dimidias nates tegentibus. Crebra dein ludorum quos mutuo concurſu equites haſtati ludere ſolent, ſpectacula, in quæ magni ſumptus rapinis aliquoties cõparati inſumebantur: quoniam crebrò magnos hoſpites Rex ad illa ſpectanda inuitabat, ipſe quoque ſpectari cupiens, donec cum equo & haſta in terram prolapſus, luxatum longo tempore humerum geſtaret. Sed hoc interim laude dignũ, quod nocturnis peruigilationibus, ritu Dulcianorũ fraterculorũ, de quibus ſupra cõmemorauimus, Pragæ occultè fieri incipientibus, in ipſo ſtatim introitu obſtiterit, exuſtisq; quatuordecim viris mulieribusq;, hac dulcedine corruptelaque deprauatis, reliquis eum metum iniecerit, vt Bachanalia facere deſinerent, contenti poſthac religione incorrupta à patribus accepta. Cuiuſmodi religionis propugnandę cauſa, expeditionẽ in Pruſſiam promptiſſimè ſuſcepit, rogatus à Vernero Pruſſiæ Magiſtro, ne Prutenos, iam olim ab Othogaro clientelæ nomine Regibus Boiemiæ addictos, auxilio deſtitutos relinqueret contra Lithuanos gentem impiam, & Prutenis magis quàm alijs vicinis infeſtam, poſteaquam cum principe Polonię affinitatẽ inierit. Rex igitur Pruſſiam ingreſſus, oppidum & arcem Dobrinam præſidijs Polonorũ munitam, vi & machinis expugnat, ac totam circum regionem cum Vladiſlauien ſi ditione in poteſtatem redigit, atque vtraque donat Magiſtrum Pruſſiæ. A quo deinde in Mazouiam deductus, & illam facilè ſubigit, Vanecone Mazouiæ Duce ſe dedente, quem ſtatim etiam cum Magiſtro Pruſſiæ fœdere coniungit, ducitq; ſecum in Lithuaniam, terram vaſtam, paluſtrem, nemoroſam, in qua populus terræ ſuæ ſimilis, nimirum ſilueſtris & crudus, ac ferus potiùs quàm ferox, quando cum feris latere in ſyluis meliùs quàm pugnare cominus acie nouit: ex inſidijs tantùm feroculus, vita & victu miſer: atrum namq; panem miſerè vorat, bibitque aquam in ſumma vini triticique penuria & pecuniæ inopia: nullum enim in Lithuania metallum, & iccirco cum nullum quoque præcium operæ eſſet, quamobrem diutius ibi moraretur Rex, gente tam ignaua & infœlici (vt tum erat) deſpecta, exercitum in Pruſſiam ad lætiora paſcua reducebat, iuſsis per viam incendi pagis & vicis (quos etiam rariſsimos Lithuani habẽt) dolore videlicet accenſus, quòd alterum illum oculum ex graui & nebuloſo aere ibi amiſerit. In hoc præterea Vernero gratificatus, quod Pomeraniam Polonis ademptam, perinde ac ſi empta à ſe eſſet, diplomate ſuo Regio ei confirmauit, querenteque Vladiſlao Lokteco, principe Poloniæ de iniuria ſibi illata, ſic reſpondit: Se Poloniæ Regem eſſe, Illum autem duntaxat principem, plus verò dignitatem Regiam quàm principalem in iure ſuo vindicando pollere. Perſtrictus hac voce Vladiſlaus ſapere cœpit, vt de reuocanda in Poloniam Regia corona protinus ageret, non apud Cęſarem, ſed in curia Romani Pontificis. Adeò enim Ludouico Bauaro imperante, res præpoſtero ordine ibant, vt Cæſar pſeudopontifices, Pontifex autem quos vellet, Reges crearet. Hoc tamen pacto intercedente, Pontifex Regium decus Polono reſtituit, vt viciſsim ille vectigal intermiſſum quotannis Pontifici penderet: Denarium ſancti Petri, in hunc diem Poloni appellant. Domum reuerſus, ad nuptias glutinandas, affinitatesque propagandas animum adiecit, orſus à Carolo Rege Gallię, cui ſororem ſuam nomine Mariam, quam Pragæ Regina educabat, connubio iunxit, cum idem Carolus paulò ante ſororem Philippi Comitis Valeſiæ, qui in regno Galliæ ipſi poſtea Regi Carolo ſucceſsit, filio Ioannis item Carolo deſpondiſſet. nomen puellæ Blanca erat. Dein Henrico Bauariæ principi, Margaretham filiam in matrimonium elocauit. Et cum Friderico Miſniæ Marchione alterius filiæ nuptias, Iudith vocabulo, quia nondum erat nubilis, paciſcitur. Filio autem Ioanni, ætate Carolo teneriori, filiam Carinthiæ principis, cum ſpe ſucceſsionis in Carinthiam procatus

*Equeſtres Ludi.*

*Dulcianos fratres exurit.*

*Bellũ Ioannis cõtra Lithuanos in Pruſsia, Anno 1329.*

*Vernerus Orſela 15. Magiſter.*

*Dobrina & Vladislauia expugnata.*

*Venceslaus Dux Maſouiæ ſe Ioanni tanquam legitimo Poloniæ Regi ſubijcit.*

*Lithuaniæ deſcriptio.*

*Oculum in Lithuania Ioannes amiſit.*

*Pomeraniam Crucigeris Ioannes tradit.*

*Vladislaus Loktecus nomen & dignitatem Regiam à Pontifice impetrat pacto tributo Petrino.*

*Carolus ſimplex.*

*Philippus VI.*

*Matrimonia contracta inter filios & filias Ioannis.*

*Ioanni copulatur Carinthiæ hæres.*

catus est. Nam pater senex & valetudinarius erat, nec nisi vnica filia patri hæres supererat. Istis negocijs peractis, Rex indicto per regnũ acerbissimo tributo, rursus ad secessum suum Lucemburgensem se transfert. Cęterùm non eadem illum qua aliâs quiete & amœnitate transigit, interpellantibus ocium eius Metense & Leodiense præsulibus, iniuriam à Lucemburgis per incursiones hostiles acceptam vltum euntibus. Audax in rebus trepidis Rex fuit, audacemque fortuna adiuuabat: qua fisus, domesticas tantùm vires aduersarijs suis opponit, & in omnibus tumultuarijs prælijs superior euadit. Nam neutra pars ad confligendum iusta acie descendere in campum properabat. Inducijs demum conciliatis, pausa dimicandi facta, intra quas Præsules quatuor contra Ioannem conspirant, insidijsque per viam Bauariq; positis, illum improuidum adoriuntur, atque ita malè accipiunt, vt sedecim tantummodo equitibus comitatus in Boiemiam redierit, non admodum gratus Boiemis hospes, quoniam rursus illos graui tributo prægrauabat, vt iacturam rerum factam sarciret. Cæterùm Regina, quæ eodem tempore ex Bauaria ab Henrico Genero, & filia sua Pragam reuertebatur, nõ à ciuium modò, sed à nobilitatis quoque splendidioris frequẽtia, officiosissimè est ante vrbis mœnia excepta, atq; eodem officio in palatium deducta, Rege indignante, quòd vxori maiorem quàm sibi honorem Boiemi haberent. Denuò itaque nouandarum rerum suspicio, quæ cõsenuisse videbatur, recrudescere cœptabat. Inter quæ ad Regem & Reginam à Friderico Misniæ principe, honorificentissima legatio allegata fuit, quæ filiam illorum Iudith principis sponsam in Misniam adduceret, nihil obstante, quòd nondum propter ætatem viro sit habilis, at satis eandem habilem esse ad educandum more Misnio, quod vt fieret, magnopere principem expetere. Impetrauit Regina, vt filiam ad oppidũ Misniæ quod Dresdnam vocãt, finibus Boiemię proximum, deduceret, mansitq; ibidem aliquamdiu, Friderico Reginam matrem apud se retinente. Qua absente, delatores suspiciosas Regis aures tunc sibi vacuas adepti, per Reginam & Ioannem Vicegradi præpositum, Reginæ fratrem nothum, ac regni Cancellarium stare calumniantur, quo minus tributum Regi ad tempus tribuatur, atque iam planè dari à multis detrectetur. Rex ad credendum facillimus, nonnulla Reginæ bona dotalia, pro quanta potest pecuniæ summa creditoribus pignori opponit, illamque summam loco tributi ad fiscum suum applicat: Ioannem verò in custodia habitum, magistratu regni, & Præpositura Vicegradensi spoliat, ac ne ex vinculis quidem causam eum dicere permittit, ad Carinthiam pergere festinans, vt possessionem eius Ioanni filio suo acquireret. Decesserat enim Henricus, cuius filia Ioanni cum ipsa Carinthia desponsa erat. Ibi adhuc subsistentem legati Brixiani ex Gallia Cisalpina adeunt, commemorantes deditionẽ quam Henrico Cæsari, Ioannis Regis patri nuper fecerint, in qua non solùm in fidem Cæsaris, sed in clientelam quoque domus Lucemburgensis se tradiderint. Cuius hæres cum sit Rex, ad illum tanquam ad patronum se bona fidu cia confugere, optimeque sperare, se patrocinio illius destitutum non iri. Præsertim aduersus Bauarum, omnibus diris à Ioanne Pontifice deuotum: obtu leruntque literas ab eodem Pontifice ad Regem datas, in quibus scriptum erat, Ludouicum in dissensione principum à quibusdam electum, nunquam fuisse legitimum Cæsarem, cum nunquam fuerit electio eius per sedem Apostolicam confirmata, multò minus hodie pro tali habendum, quem illa ipsa sedes, ambitus & inobedientiæ ita damnauerit, vt ab eius iurisdictione Ioannem Regem, & cæteros item Reges atque principes, populosque Christianos liberos fecerit. Ad extremum denique hoc adiecerunt, quod omnium libentissimè Rex bellicosus audiuit, de stipendio militi in singulos menses expendendo, Brixiæ & alijs municipijs societate belli fœderatis curæ fore. Ergo

*Episcopi Ioanni negociũ facessunt.*

*Male accipitur Rex in itinere Bohemiã repetens.*

*Regina à filia Bauarica reuersa splendidius ipso Rege excipitur.*

*Regina Iudith filiam nondum viro aptã Marchioni in Misniam adducit.*

*Calumniæ regnant in aulis.*

*Defertur Regina & frater spurius.*

*Pignori deponuntur arces Reginæ.*

*Cancellarius capitur.*

*Brixiani Guelphæ factionis patrocinium Regis Ioannis expetunt.*

*Ioannes 22. Papa implacabili flagrat aduersus Ludouicũ Cæsarem odio.*

*Ludouicus à Pontifice nunquam approbatus.*

*Suscipit pacto stipendio protectionem Brixianorum.*

promptissimè etiam legatis respondit: Nihil planè esse dubitandum, quin Brixiam armatus in tempore veniat, omniaque faciat, quæ bonũ patronum facere fidis clientibus oportet. Indeque continuò in Boiemiam ad delectum habendum remeat, in quem alacriter milites Boiemi nomina dabant, simulatque intellexerunt, non ex fisco Regis vacuo, sed ab Italis benè nummatis mercedem militiæ expectandam esse. Paucis ante diebus quàm Rex Pragam venisset, Præpositus Vicegradensis manus custodum euasit, & in Misniam ad Fridericum Marchionem supplex concessit, nõ aliud supplicans, quàm vt ope eius à Rege impetraret causæ cognitionem, de qua falsò insimularetur. Fortè eodem tempore quo Fridericus commendaticias mitteret literas, Ioannes Præsul Pragensis post longas in curia Senatus Romani Pontificis comperendinationes, Pragam ingenti totius ordinis sacerdotalis plausu redibat, quia victor euaserat. Sed & ipse Rex successui eius atq; reditui gratulabatur, hancq; gratæ erga eum mentis significationem dedit, quòd cum idem quod Fridericus peteret, vt Præpositus audiretur, & præterea innocentiam illius ex moribus virtuteque & prudentia approbaret, noluit amplius causam cognoscere, sed quemadmodum prius illum inauditum damnauerat, ita rursus inauditũ absoluit, illique suum magistratum, suamq; Præposituram restituit, & maiora se olim daturum pollicitus est, quod quidem & præstitit. Posteaquam Conradus Olomucensis Episcopus primùm, deinde Hynco à Quercu, vterq; fama integra & celebri præsidens, naturæ tandem concessissent, id sedulò post mortem illorum apud Romanum Pontificem, & in collegio sacerdotum Olomucensium, agens, ne quis, præter Ioannem alius Hynconi succederet.

*Cancellarius regni carcere profugus intercessione Marchionis Misniæ causæ postulat cognitionem.*

*Episcopi Pragensis testimonio de innocentia absoluitur Cancellarius.*

*Donatur Olomuzensi Episcopatu.*

[a] *Hic Matthæus Petri filius etiam contra Regem suum Carolum multa molitus arcibus regijs occupatis. Tam acriter dimicatum vt à Tatharica vastatione nihil Hungaris calamitosius accidisse dicant, licet victoria cruenta Carolus sit potitus.*

[b] *Robertus Caroli II. Regis Neapoli filius, Martelli frater, Dux Calabriæ postea Rex à morte fratris Gibellino nomini infestissimus, caput factionis Guelphæ totam Italiam armis & cruore repleuerat. Hos compescere voluit Henricus.*

[c] *Voldemarus vltimus ex Alberti Vrsi & comitum Ascaniæ familia, licet quibusdam suæ gentis successoribus prouinciam legarat, tamen quia non intercesserat auctoritas Cæsarea tanquam feudum, Ludouicus filio cognomini concessit.*

[d] *Captus triennium in carcere detentus Fridericus, post liber obyt anno 1330. 13. Ianuarij. Henricus quoque dictus Comis Alberti F. captus & liberatus.*

[e] *Carolus habuit coniugem Mariam filiam Henrici VII. Cæsaris sororem Ioannis.*

[f] *Electorem Rudolphum Rheni Palatinum fratrem, quòd calculo suo se præterito Fridericum Ducem Austriæ Imperatorem nominarat, tota ditione expulit, & in Anglia exulem mori compulit.*

[g] *Poloni coronatum asserunt Vladislaum longe antè: nimirum anno 1320.*

# HISTORIÆ BOIE-
## MICAE. LIBER VIGE-
### SIMVS PRIMVS.

RExigitur decem millibus armatorum in Boiemia,& tribus millibus in Carinthia contractis, alpibusq; sine vllo suorũ discrimine superatis, Brixianos metu suspensos, ita aduentu suo in Bergomates illorum hostes animauit, vt bellum illis vltrò inferre, vrbemque illorum ductu regio obsidere auderent, cũ antea ne mœnibus quidem egredi, ad arcendas Bergomatiũ populationes satis animi haberent: Tantum inualuerat factio Gibellina, quam Vicecomites Mediolanenses cũ Bergomatibus in gratiam Cæsaris, contra Brixianos Guelphorum fautores excitauerant. Male Bergomum rebus ad tolerandam obsidionem necessarijs instructum erat, quia nihil minus quàm obsidium expectabat, præcipuè ab his, qui ante Regis Boiemiæ aduentum, longè inferiores factione apparebant. Affuit tamen auxiliatrix factio, sed vno tantùm prælio extra portas cum Rege infœliciter commisso adeò succubuit, vt iterum ad ferendum obsessis auxilium non rediret. Bergomates à socijs deserti, consilium se dedendi capiunt, hac conditione, si Rex deditos suæ ditionis faciat, nõ autem vt illos Brixianis subijciat. Quibus ille respondit: Non in hoc se ad Italiam venisse, vt seruitutẽ ciuitatibus Italiæ à se in fidẽ suam receptis imponat, sed vt illas à factionibus & seditionibus liberet, sublatis inde Gibellinorum & Guelphorum barbaris atq; exitialib. vocabulis. Tum illi à Rege impetrato, vt præsidium Gibellinorũ incolume à mœnibus dimittere liceat, portas Regi aperiunt, seq; illi cum bonis omnibus dedunt, atq; ille extemplo nouam ibi arcem condit, quam hactenus Bergomates Rocham appellant. Inde exercitus à Brixianis Cremam deductus (nam & illa infestam se Brixiæ exhibebat) iccirco agri oppidi illius infestissimè à Boiemis populati, multæq; ciuium villæ magnificè extructæ, solo adequatæ. Qua deformitate & calamitate permoti Cremenses, similiter atq; Bergomates deditionem Regi faciunt. Quod vbi Beltrandus, Romani Pontificis copiarum Dux, qui eo tempore Bononiæ erat, cognouit, Regem tanto successu factionẽ Gibellinam à Cæsare totis viribus stantem prosternere, illamq; subius ac potestatem suam subiungere, non differt, Regi nomine Pontificis ingentia præmia, & interim vrbium quas expugnaret possessionem polliceri. Easq; vrbes nominat, Mutinam, Rhegium, Parmam, simulq; suam operam cũ Pontificis copijs ad illas expugnandas offert, dũmodo Rex per tempus oppugnatum illas veniat. Venit & ad Mutinam cum suis castris Beltrandi castra cõiunxit, superatisq; munitionibus, quas Mutinenses obiecerant, vtraq; castra muros iuxta posuit, scalasq; apparatas habuit. Hostis tam propinquus, diuersè animos obsessorum trahebat, pro diuersitate videlicet factionum, quarum Gibellina hortabatur ne animo deficerent, cõtrà Guelpha suadebat, ne dubiã belli aleam subirent, cum certum haberẽt Regiæ clementiæ atq; liberalitatis documentum. Atq; hęc sententia obtinuit, vt se cum vrbe sua Regis fidei permitterent. Promotus hinc ad Rhegienses exercitus, qui simulatq; signa Regis Boiemiæ conspexerunt, ciectis Gibellinis, Regem intra mœnia receperunt. Pertenti Parmam, turma equitum ad nouissimum agmen se ostendit, carpere aliquid de illo satagens: sed nec primum impetum Regiorum equitum sustinere ausa fuit, in fugam statim conuersa. Pertinacius ad mœnia eruptio Parmensium ingruebat, prælium cum Boiemis iniens, cæterùm maiore audacia,

*Regis Ioannis apparatus in Italiam.*

*Anno 1332.*

*Brixiani Bergomates obsidione cingunt.*

*Bergomates cum Mediolanensibus Cæsaris partes sequuti.*

*Bergomum se dedit.*

*Quo consilio Italiam Ioannes adierit.*

*Arx Bergomi à Ioãne extructa.*

*Cremẽses Bergomatum sequuti vestigia.*

*Beltramus Baucius.*

*Ioannes Pontificijs copijs se coniungit.*

*Mutina se dedit & Rhegiũ.*

*Parma quoq;*

quàm vi, ac tanta ſuorum clade, vt neceſſariam deditionem facere coacti fuerint. Gibellini omnes Parma expulſi. Inter hæc Regi nunciatur, Lucam Aetruriæ vrbem, cupere imperio Regis parere, ſed quo minus voto ſatisfaciant, obſtare illis Florentinos, qui præſidio firmo vrbem in poteſtate ſua teneant. Rex cognita Lucenſium voluntate, copias vrbi admouet, machinasq; & tormenta, ac ſaxa muralia, ad incutiendum Florentinis terrorem oſtentat. Ita autē diuiſas inter ſe ſtationes obſeſſi habebant, vt Lucenſes partem vrbis quæ munitiſſima videbatur obtinerent, Florentini verò eam, quæ infirmior apparebat. quam dum acriter defendunt, cuncti in hoſtes ibi magno tumulru oppugnantes intenti, Lucēſes ex altera parte ſcalis poſitis, murum aſcendendi Boiemis poteſtatem faciunt, & à tergo vnà cum illis Florentinos aggrediuntur, cædemq; illorum inſignem ædunt, antequam Rex mœnia ingreſſus, arma projicientibus parcere iuberet. Acceſſit hinc ſua ſponte Papia ad imperium Regis. Dum iſta in Italia à Rege, magno illius præconio geruntur, (Nam alij authorem libertatis, alij depulſorem ciuilium ſeditionum, omnes non Tyrannum, ſed verum patronum prædicabant, Cæſar Bauarus, vltra ſolitum ſibi morem excandeſcens, Regem vt perduellem appetebat, queſtus apud Germanię principes, quòd ille ſibi imperium in Italia vſurparet, voluitq; vt hoſtis palàm declararetur. Cuius querelam Balduinus Treuerenſis Archiepiſcopus Regis patruus magna tunc inter principes authoritate, quòd Spirenſem præterea Epiſcopum ageret, & vicem Moguntini Archiepiſcopi implebat, ſic interpellauit: Nihil in hoc peccaſſe patruelem ſuum, quòd Brixianis rogatus per memoriam Henrici Cæſaris patris ſui, qui illam ciuitatem compluribus beneficijs deuinctam habuit, tuendam ſuſceperit cōtra Bergomates & Cremenſes, quæ municipia, neq; Papam neq; Cæſarem dominum agnoſcerent, ſed obid quoq; gratia potius quàm inuidia dignū videri, quòd nonnullas in Lombardia ciuitates, quæ legitimis dominis deſtitutis Tyrannos ſibi aſciuerant, à Tyrannide in libertatem vindicauerit. Ergo Cæſar cum id obtinere quod cupiebat, non poſſet, alia via Regem adoritur, inimicos illi principes, regno illius vicinos comparans, [a] Fridericū Miſniæ, & [b] Othonem Auſtriæ. Apud illum tantum promouit, vt filiam ille Regi in Boiemiam remitteret, quam ſibi adhuc immaturam deſponderat, in locū eius filia Cæſaris ducta vxore. Sed & Othonem paulò poſt huc perduxit, vt Regi negocium de Carinthia faceret, quaſi Henricus illam non potuerit in Ioannem filiū Regis ſine aſſenſu Cæſaris per ſponſalia transferre. Quæ vbi Regi in Italiam ſunt nunciata, ex lætitia in triſtitiam mutatus, mittit continuò in Galliam pro filio Carolo, vt ei exercitū tradat, vrbibusq; quas receperat, præficiat. Nec Carolus diu in itinere moratus, Papiam ad patrem venit, multa nobilitate Gallica comitatus. Iam enim Philippus, cuius †filia Carolo deſpōſa fuit, in Gallia regnabat. hinc plerique Galli nobiliores, tum ſtudio demerendi Regem ſuum, tum etiam officio in Carolum tanquam Regis generum, illum in Italiam proſequebātur. Cura iuuenis ante diſceſſum patris, Allobrogum Principi ceu cognato, & in militia exercito demādata. Sedecimum tum annū Carolus agebat. Reuerſus in Boiemiam Rex, diſſimulata indignatione, tranquillas ad Cæſarem dat literas, quibus exiſtimationem dignitatemq; ſuam Cæſari cōmendat, ſimulq; ei demonſtrat, quem in ſtatum Lombardiam reſtituerit, non ambitione ductus, vt maieſtatem Cæſaris apud Italos conturbaret, quemadmodum nonnulli peruersè loquuntur, ſed vt rationes eius ibidem confirmaret: cuius rei teſtem eſſe Vicecomitem Mediolanenſem, cui ipſe Cæſar præter alios in Italia fidem habere ſoleat. Reſponſoq; non expectato, quantum militum in ſumma fiſci inanitate cogere poteſt, aduerſus Fridericum Miſnenſem cauſa vlciſcendæ ignominiæ cogit, improuiſusq; ad oppidum Gorlitium in Luſatia ſitum, quo tunc Fridericus

*Lucæ Florentinorū odio Boiemis ſe ſubijcit.*

*Papia Regem Bohemū agnoſcit.*

*Præconia Regis Ioannis.*

*Rebellem Ludouicus Cæſar Ioannem Regem declarat.*

*Treuirēſis defenſionē Ioannis ſuſcipit.*

*Cæſar Miſnenſem et Auſtriū vicinos inſtigat aduerſus Ioannem.*

*Ioannes rebus Italicis filio Carolo creditis domum reuertitur.*

*† Supra ſoror dicta, folio 194. Philippus Valerius Rex Galliæ.*

*Excuſat ſe apud Cæſarem Rex.*

*Rex Ioannes vlciſcitur contumeliā à Miſnio ſibi illatā capto Gorlizio.*

dericus poriebatur, adeſt, primoq; illud aduentu capit, non auſa multitudine in condita & inermi diu repugnare: capit mox & arcem firmiter munitã corrupto præfecto arcis: deniq; vno tumultuario prælio cum Friderico fœliciter facto, quicquid per oppignorationem alienatũ in Luſatia ſuperiore fuit, id totum recuperauit, filiamq; Iudith ſibi redditam, alteri genero multis paraſangis dignitate & opibus Fridericum illum ſuperantem depactus eſt, nempe Ioanni Regis Philippi filio, qui poſtea in regno Gallię patri ſucceſſit. Porrò Otho nem nihil tunc moratur, quo minus hoſtẽ Regis ex profeſſo ageret, niſi quòd auxilia ex Hungaria & Polonia, quę ſibi Cæſar comparauerat, nondum præſto erant. vbi dein Auſtriæ appropinquare illa audiuit, ad populandos fines tam Boiemiæ quàm Morauiæ ſuos immiſit. Duplicatus belli terror, tum Boiemos tum Morauos, non ſolùm milites ſcribere, ſed dare etiam tributum, quod nuper vt intolerandum ferre detrectabant, cogit, vt tanto iuſtior exercitus conflari poſſet. Quo vtrinq; conflato, & in vna caſtra contracto, occupat Rex locũ in Auſtria ad oppidum Laua poſitũ citra Danubiũ. At Otho vltra Danubiũ copias ſuas, per omnes cœnobij Neumburgenſis agros propter illarum multitudinem extenderat. Quippe ſoli Hungari cum Polonis quinquaginta millia hominum impleſſe dicebantur. Eoq; maiori cunctis fuit miraculo, Othonem tam incredibili turba circumdatum, tranſire Danubium tantiſper diſtuliſſe, dum primùm Poloni, deinde Hungari retrò vnde venerant metu, an tædio abirent, Othone interim deſtituto. Rex neminem habens cum quo acie congrederetur, facit impetum in bona Othonis cis Danubium ſita, & amplius quadraginta loca vi capit. Quæ illorum munitiora erant, illis Benedictum à Vartemberg, & duos Henrici à Lippa pridem mortui filios, Henricum & Ioannem præfecit, cætera militi in prædam dedit. Hæc vt non minus Cæſari quàm Othoni grauia acciderunt, grauius tamen Cæſar accepit, quòd hoc ipſo tempore Bonifacius Piſanus Comes, rem gratam Ioanni Pontifici facturus, c Pſeudopapam, quem Cæſar ſuo arbitrio conſtituerat, ac locum habitandi ei Piſis aſſignauerat, captum Auinionem perduxerit, in carcere tædio vitæ necandum. Nam eam quoq; rem Ioanni Regi Cæſar acceptam ferebat, inquiens: Nunquam facinus tantum Piſanum Comitem auſurum fuiſſe, ſi non Ioannis exercitu, quem in Italia reliquerat, auxilio fretus foret. Bene autem ac fœliciter Carolus patris in Italia vicarius res gerebat, pace & bello: in vtroque tempore prouidus & ſtrenuus aduerſus inſidiatores & bellatores. Inſidiæ ei dum adhuc Papiæ ſe contineret concinnatæ erant, vt clandeſtino veneno de vita tolleretur. Veneficus mutum ſe eſſe ſingebat, & per hoc quaſi naturæ vitium, facilè ſe in aulam, dein per operas ſuas, quas quottidie promptiſſimas cocis præſtabat, in coquinam ſe inſinuauit. Paſchæ dies, & feſto & epulis celebris erat, cum ille cibis maturius venenum infunderet, quàm Carolus à ſolemni ſacro rediens ad prandium diſcumberet. Aulici famis impatientes ad ſumendum ientaculum à ſacris ſe abducunt, & omnes qui ſeorſum ientarunt, mortui à Carolo reperti ſunt, inter quos præcipui Ioannes à Quercu, quem pater aulæ Caroli magiſtrum attribuerat, & Ioannes ab alta Eccleſia, cibi, ſicut Symon etiam à Ceycla poculi adminiſter. Non potuit hac re Carolus non commoueri, eo magis, quòd nullum talem in hoſpitio ſuo obuerſari oculis viderat, in quem tam nefarij & abominabilis criminis ſuſpitio caderet. Migrat inde protinus in aliam domum, aliudq; prandium ſibi adornari iubet. Inter prandendum illò quoque veneficus illi ſeſe ingeſſerat. Carolus viſo adoleſcente in peregrinum modum detonſo, quis nam ſit interrogat. Mutum eſſe aulici reſpondent, & ſatis diu in aula officioſiſſimè diuerſatum. Capiatur, inquit, confeſtim, quiſquis ille

*Ioanni II. Regi Galliarum filiam deſponſet.*

*Otho dux Auſtriæ ingentem exercitum ex Hungaris & Polonis cõflat.*

*Dilabitur miles Otthonis.*

*Prædæ expoſita Auſtria.*

*Nicolaus Antipapa.*

*Carolus ritè ſuo in Italia munere perfungitur.*

*Venenum Carolo à Viceco-mite inſtructũ irrito euentu.*

est,ac quæstioni & tormentis subijciatur, donec exploratum habeamus verè an fictè sit elinguis. Tortus fari cœpit, authoremq; tanti sceleris Vicecomitem Mediolanensem esse prodidit. [d] Vicecomes ab insidijs falsus,ad vim apertam animum vertit,Insubriam & quicquid in Lombardia reliquum Cæsar habebat, vnà cum Marchione Ferrariæ, dein Tuscos non minus quàm Florentinos ob amissam Lucam furentes,in arma concitans, eisq; locum ad arcem S. Fœlicis, non longè à Mutina distantem ostendens, ad quem armati omnes conuenirent. Parmæ tunc Carolus cum suis copijs à patre sibi relictis erat, ibiq; maiora indies paterna subsidia expectabat, sed partim locorum distantia, magis adhuc in maximis oneribus quibus Boiemi præmebantur, summa æris difficultas impedimento patri fuerunt,quo minus cum subsidio promisso maturare potuerit: instantibus hostibus, aciam per internuncios id agentibus,vt Mutinenses ad deditionem,aut seditionem perducerent. Consulat per tempus cum suis de summa rerum Carolus.Erant qui censebant, omnino expectanda esse paterna auxilia, ne si quid grauius in prælio intempestiuo accidisset, grauem culpam sustinerent omnes. Porrò alij dicebant,præstare per virtutem in prælio belli fortunam qualemcumq; experiri, quàm Mutinam ope desertam hostibus prodere. Atq; horum sententiam Carolus approbauit: Videbat enim cottidie copias suas augeri voluntarijs Italorum agminibus,vltrò,velut ad referendum gratiam adfluentibus,quòd ita liberè Italos haberet,vt in omnibus ciuitatibus quibus præfuit,suo illos iure,suisq; legibus viuere sineret. Ne igitur tam erga se gratos per ignauiam, imbelliamq; destituisse videretur, præsertim auctus Germano equite, quẽ sibi propatruus Treuerensis Archiepiscopus submiserat,tollere signa,& contra hostes illa ferre signiferos iubet.Subsequitur ipse antesignanos iusta acie,sed hostibus longè numero impari.Dato vtrinq; pugnæ signo, concurrũt equites pari vtrinq; impetu & audacia,satisq; diu certamen inter se contractum exæquant, quod quidem ita acre inciderat,vt sub Carolo alter iam equus confossus iaceret.Intertio tandem Germanis equitibus adnitentibus,turmas Italorum dispulit & protriuit,capto Aestense Marchione.Quod vbi Tuscæ phalanges conspexêre laxatis ordinibus effusa inde fuga effugerũt.Cæteri pedites densatis Boiemorum scutis, rhedisq; & carris circumdati, amplius sexies mille capti sunt, & præterea mille equites. [e] Hæc tam celebris Caroli apud Lombardos victoria, die festo diuæ Catharinæ celebrata fuit, cum iam pater eius in itinere esset quod post victoriam quoq; continuauit, vt & filio successum gratularetur,& militibus pro exhibita strenua opera dignam referret gratiam:deniq; vt præsens ex dignitate & conditione cuiusq; pteciũ captiuis statueret, quos dimittendos censuisset. Quæ dum ille Parmam veniens agit, interim Otho in Austria,nullo ferè negocio sua recuperat omnia.Tanta fuit socordia & negligentia præfectorũ,quos vt diximus,Rex bonis in Austria partis præfecerat,vt cuncti simul ab Othonianis interciperentur,nec aliter in libertatem rursus asseri potuerunt,nisi arcibus nobilioribus Othoni restitutis, post mensem septimũ quàm capti erant.Tandiu videlicet,Rex in pacandis cõstituendisq; rebus Italicis,animũ Parmæ occupauerat, datisq; per alias quoq; ciuitates magistratibus,qui omnes in verba sua iurabant,vnà tandem cũ filio Carolo Pragam redierat.Nec enim satis tutum videbatur,salutem adolescentis optimæ indolis, tot & tantis Italorũ factionibus mutuisq; inter ipsos seditionibus diutius ibi committere. Nullus autẽ ordo in Boiemia erat, quẽ non mirifico gaudio Caroli in patriam reditus afficeret,propter eximias eius animi corporisq; dotes, decora in corpore formæ dignitas,commoda proceritas,virilis firmitas membrorũ:Ingeniũ liberale,come, & totũ ad demerendos homines expositũ, sine vllo interprete,siue Latinè,siue Italicè,siue Gallicè,siue Germanicè, siue Boiemicè

*Conspiratio tirannorũ Lombardiæ aduersus Carolum.*

*In summa difficultate Carolus constitutus.*

*Mutinenses solicitantur ad deditionem.*

*Diuersæ de pugna ineunda sententiæ.*

*Carolus acceptus Italis.*

*Auxilia surrogat Treuerensis.*

*Marchio Estensis captus.*

*Victoria celebris.*

*Rex certior factus de victoria pergit.*

*Otto per Regis absentiam amissa recuperat.*

*Redit Rex cũ Carolo filio in Boiemiam.*

*Multarũ linguarum Carolus peritus Boemis verò gratissimus.*

MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

micè sermocinandū esset. Iccirco etiā nullum cuiusq; ei officiū defuit, & reuerentia penè maior, quàm parenti superfuit: quibus ille irritatus, ex Boiemia eum in Morauiam cum vxore Blancha amandauit, & non prius Marchionis ibi personam gerere permisit, quàm fidei sacramentum præstaret, quale præstare consueuit, qui vulgò nunc Vasallus appellatur. Ac mox cura ista liberatus, æreq; ex ludæis & Christianis suis artibus extorto, peregrè rursus ad suos Lucemburgenses, ad quos perpetuò sua illum trahebat voluptas, profectus est. Inde porrò Auinionem in Gallias Ludouici Cæsaris gratia, post tot minas & iniurias illatas rogantis, vt inter se & Romanum Pontificem Rex pacificatorem ageret. Sed adeò indurauerat Pontifex aduersus Cæsarem, quem veteratorem nuncupabat, vt nulla prorsus ratione à rigore sententiæ latæ flecti potuerit. Ergo vtrumq; Cæsar odio & bello vndecunq; commoto persequebatur, quasi Pontifex cum Rege in perniciem suam ex composito collusisset. Dum Rex abest, Elizabeth Regina magno Boiemorū luctu extincta fuit, quippe haud secus illam Boiemi atq; matrem obseruabant: quoniam omnibus ad se confugientibus matris affectionem exhibebat, seq; ad moderandam mariti vehementiā sæpissimè interponebat. Tres filios & quatuor filias enixa est: E' filijs Premyslaus infans mortuus, Carolus & Ioannes superstites superfuerunt. Viduus igitur Rex Pragam reuertitur, post exhaustum omne viaticum peregrinationibus, conuiuijs, ludis, spectaculis, quæ sine modo vbiq; locorum ædebat. Sed postquā domi quoq; ærariū vacuum repperit, ad improbam monetam cudendam animum adiecit. Monetarium apponens, qui ex veteribus bonis nummis, nouos malos recuderet, pusillo illis argento superinducto, cætera planè æreos. Argentum porrò ad nummularij officinam, dum è templis passim auferret mutuari se dicebat, nec vnquā mutuū reddebat, velamentū q; huius sacrilegij hoc illi erat, quòd diceret sacro eiusmodi argento aduersus profanos Lithuanos se abuti. Nam rursus tunc Magister Prussiæ contra illos, atq; item contra Polonos opem Regis imploratum venerat. Sed nullum operæ in Lithuaniæ precium factum, quoniā hyems rigidior inciderat, quàm vt posset ad sustinendū equitem palustria isthic loca gelu astringere, ne cū equo hauriretur eques: castellū tamen idoneo loco ædificari, præsidioq; illud muniri, ad coercēdas Lithuanorū incursiones placuit. f In Pomeraniā deinde exercitus ducebatur, vt ea loca, quæ à Vladislao Lokcteco Polonię Rege ibi intercepta erāt, rursus reciperet, denuoq; illa Magistro Prussiæ restitueret. Quo facto ad populandam Poloniam, Rex se cum Boiemis Prutenisq; conuertit, vlturus incommoda, quæ nuper in Slesia euastatis circum Oppauiam agris à Polonis acceperat. Vicissim igitur agros circū Posnaniam omni clade peruastat, sine vlla suorum noxa, quia nemo illi occurrere ausus fuit, ne tum quidem, cum ipsam Cracouiam Regni caput obsideret, ea pertinacia, vt iuraret nō antea se ab illa recessurum, quàm portam eius manu sua contigeret, durauitq; in obsidione in tanta frumenti inopia, vt panis buccellatim inter milites helluones distribueretur, quoad tandem Rex Polonus inducias hac conditione impetrauit, vt intra certum diem quadragies mille aureūm nummum repræsentaret. Inde in Slesiam itum, dissidio principum inquietam. Pars enim maior illorum Regem Poloniæ respiciebat, quoniam indidem ex Polonia omnes ferè Slesiæ principes originem ducebant, & quemadmodum ipsi Poloni ita Slesia quoque ab ipsis Polonia tunc cognominabatur. Dissentiebant autem inter se, quòd nonnulli eorum ob imbecillitatem potentiæ Regis Poloniæ ab illo, velut à caduco pariete ad Regem Boiemię, tanquam ad murum firmiorem inclinandum censerent: iamq; ex illis Opolienses, Tesnenses, Lignicenses, Brigenses, per voluntariam deditionem eidem Regi mancipio addicti erant. Noluit itaq; Rex de Slesia exercitum deducere, nisi etiam reliquos principes ui,

*Marchio Morauiæ creatus Carolus.*

*Ioannes Cæsari Pontificē conciliare studet sed actum agit.*

*Regina uiuis excedit.*

*Liberi Regij.*

*Monetā adulterinam cudit Rex.*

*Spoliat templorū thesauros.*

*Bellum Lithuanicum secundum.*

*Polonus pacē mercatur à Bohemo.*

*Sileſiæ principes Polonorū principum soboles.*

*Sileſij principes omnes Ioanni & Regibus Boiemiæ ſe dedunt. Anno 1337. feſto Palmarũ Vratislauiæ fidelitatis ſacramentum præſtiterunt.*

aut metu in ſuam redigeret poteſtatem. Hi autem reliqui principes fuerant, qui in verba Regis Boiemiæ in vrbe Vratislauienſi iurarunt, Henricus Glogoniæ Dux, Ioannes Stinauiæ, Vladislaus Coslouiæ, Ioannes Oſuitenſis, Conradus Oleſnicenſis, poſtremò Dux Zaganenſis, & Minſterbergenſis. Ex hac tot principum ſubita abalienatione, tantus metus tantaq; deſperatio Regi Poloniæ iniecta eſt, vt rebus ſuis diffidens, ad Carolum Regem Hungarorum confugerit petitum contra Boiemos auxilium, ſi quid illi ante tempus interturbaſſent. Interea Carolus filius Regis, benè ab omnibus hominum ordinibus in Boiemia audiebat, quòd abſente parente, talem ſe in adminiſtrando regno geſſerit, vt non ſolùm à nemine accuſari, ſed nunquam ſatis ab omnibus laudari potuerit, adeò numeros omnes rectè adminiſtrandi implebat, omnium commodis ſeruiens, ab omnibus acerbiſſimam illam exactionem ſubmouens, nullum ipſe æs alienum contrahens, factiones & diſcordias ordinum vbiq; ſedans, Regnum deniq; totum à latrocinijs purgans, atq; in primis cum Ioanne Epiſcopo Pragenſi prouidens, vt religio in eodem regno incorrupta ſeruaretur. Cuius quidem rei Epiſcopus exactiſſimum ſe præbuit cuſtodem, ſicut Epiſcopatus præterea ſui magnificentiſſimum amplificatorẽ. Nam duas illi arces, quarum alteri Herſteyna, alteri Vulturia vocabulum, de bonis patrimonij ſui redemptas, attribuit. In arce verò Raudnicia, præter alia noua opera, templum diuæ Virginis cum collegio ſacerdotum, & iuxta Ptochotrophium excitauit, atq; ita vtrumq; prædijs & agris inſtruxit, vt tam ſacerdotibus, quàm egenis neceſſaria ad victum abundè ſuppeditarent. Porrò Carolus vſq; ad fines Boiemiæ patri obuiam prodijt, lætoq; tunc illius vultu exceptus eſt, quem tamen mox ille immutauit, ſimul atq; cognouit multò meliore fama eſſe filium quàm patrem apud Boiemos. Rurſus igitur à ſe, vt ſuſpectum de regno affectando remouendum, & quod vix in naturam patris cadit, filium periculis vitæ obijciendum putauit. Hæc cogitanti, ſuperuenerunt ex Pannonia oratores à [g] Carolo Rege miſſi, quorum Pontifex Agrienſis princeps fuerat, orantes, vt cauſa dirimendarum ſimultatum, quæ inter ipſum & Loctecum Poloniæ Regem intercederent, venire in Pannoniam non grauaretur, vtrique videlicet Regi ipſe Carolus affinis erat. Nam Ioannis prius ſororem in matrimonio habuit, qua intra annum expartu mortua, filiam dein Locteci ſuperduxit. Vnde pari vtrumque affinem beneuolentia complecti videbatur, eoque promptiùs Ioannes vnà cum filio Carolo, quò inuitabatur, profectus eſt, reperitq; ibidem Loctecum cum filio ſuo Caſymiro arbitrio Caroli ſe ſubmittentem. Atque ille auro & argento, arbitris ad perſuadendum appoſitiſſimis, ita rem tranſegit, ſtatuens, vt Loctecus ſummam pecuniæ Ioanni debitam in ſolidum ſtatim adnumeraret, atque de tota Sleſia eidem cum omnibus ducibus concederet. Ioannes viciſſim ne amplius titulum Regis Poloniæ vſurparet, néue vllo poſthac tributo Loctecum cum poſteritate ſua oneraret. Huiusq; libertatis redimendæ gratia Carolus de fiſco ſuo, quingentas auri puti libras appendit, quibus gutturnio cum pelue acceſſit pondo ducentarum librarum, & inſuper quinquaginta crateres bellè inaurati, gemmaq; precioſa ex qua bibitur. gemmatum item almeolum, in quo ſimulachrum pugnæ latrunculis ludimus, adiectæ liberaliſſimè fuêre. Sed neque filius Ioannis Carolus indonatus abijt. dona erant quæ ſecum abſtulit, equi nobiliores aurãtis frenis, faleris, ſellis inſtrati, ipſe aureo Balteo, cum aurea item pharetra præcinctus, ornamenta ſtrenui militis in Morauiam referebat: neque enim illum parens in Boiemiam adire paſſus eſt. Sed breui pòſt in expeditionem cum Bauaricam ablegauit, Ludouico Cæſare rurſus de Carinthia apud Bauaros ſuos turbas ciente, dum ex alia in aliam impietatem indecenter ruit. [h] Supra memorauimus, legitimum

*Suſpectus patri de ambitu filius Carolus.*

*Pax inter Reges Boiemiæ et Poloniæ ſancita à Carolo Hungariæ Rege.*

*Precioſiſſimis muneribus donati Reges à Pannone.*

mum matrimonium inter Ioannem filium Regis Boiemiæ, & filiam Henrici Carinthiæ principis contractum fuisse, ipsam Carinthiam dotis nomine matrimonio accessisse. Hanc vt interuerteret Cæsar, induxit maritam mulierem, vt virum de impotentia virium insimularet, ab illoq; diuerteret, offerens ei post diuortium factum filij sui Ludouici nuptias. Nihil impudentius muliere petulante, accusat quoquomodo potest insontem maritū, illumq; mox deserit, & dotem repetit Cæsaris viribus, quibus ille Ludouicum filium præfecit, quemadmodum Rex suis copijs Carolum. Qui nō longè à Ratisbona hostem inueniens, loco munitissimo castra posuit, quæ carris præterea, fossisq; & lorica præmunīt, vt eò faciliùs multitudini resisteret, ne inuitus alieno tempore pugnam iniret, quanquam ad dimicandum ita paratus, vt cum hostes in pabulatores tantùm facere impetum soliti essent, ipse prior aciem pro castris instructam, illis vno, altero, tertio die ostendit quietè semper stantibus, certaminis ne periculo cōmotis, quia cum loco etiam impedito sibi pugnandum videbant, an quia consilium Austriæ Principis illis placebat, consulentis, vt cum integro adhuc exercitu ipsum caput potiùs, nempe Regem Ioannem de improuiso peterent. Nec enim nisi capite contrito malorum finem fore. Traiecto igitur Danubio, ne Carolus abeuntes insequi posset, partim aqua partim terra Lincium se conferunt, vt inde per montes se in Boiemiam insinuent. Sed nunquam non Ioannes ad arma cum suis accinctus erat. Itaq; nondum montes transgressos, in turpem fugam hostes compulit: qui in plano rursus coacti in Carinthiam tendebāt, in qua iam Carolus aderat, Ioanni fratri suo suppetias laturus. Hîc demum ad manus ventum atroci & ambiguo prælio, ex quo tamen pax inter Cæsarem & Regem consecuta est, hac lege, vt filius Cæsaris sibi Carinthiam haberet, quando vxorem quoq; alienam habuit: & Ioannes Regis filius in solatium ademptæ sibi coniugis, vt eam regionem quæ Tyrolis nuncupatur, obtineret. Idem mox Ioannes procreato ex concubina filiolo, calumniam vxoris de impotentia apertissimè confutauit. Cæterùm Carolus in Italiam solitis tunc seditionibus tumultuantem, se contulit, stipendioq; illic potiùs, vt Dux tamen meruit, quàm vt domi sine armis priuatus viuens paterno conspectui ingratus appareret, nouis præsertim nuptijs patre irretito, quas sumptuosissimas cum Beatrice filia principis Borboniæ in Gallia concelebrauit. Rursusq; ad extorquendas pecunias deflexus, nouum in Boiemiam vectigal inuexit, nullo rerum promercalium genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret: vocauitq; Germano vocabulo, nam Boiemum non inueniebat, Vngelt, quod vacuum pecunia faceret matsupium. Sed hoc eius factum Boiemi in hunc diem laudibus prouehunt, quòd Tabularia in regno instituerit, in quibus tabulæ, hoc est, actus publici, instrumentaq; & literæ emptionum, venditionumq; continentur, vt securæ suorum bonorum cuilibet liberaq; & perpetua esset possessio, quippe summi magistratus tabulis custodes adhibentur. Tactus aliquando tandem etiam religione, miratusq; vitam Carthusiensium asperam, per quam corpora castigarent, in potestatemq; redigerent suam, ne in sensum reprobum caderent, Carthusianos nunquam antea in Boiemia visos, Pragam condito illis templo, & benè dotato adduxit. Quo tempore Beatrix vxor filium ei peperit, cui ipse nomen Venceslai indidit, atque ei statim Lucemburgam pro portione hæreditatis attribuit. Qui deinde vxore de Brabantia ducta, factus est Brabantiæ princeps. At Carolo fors vltra vota etiam fortunata se obtulit. Laborabat Cæsar Ludouicus pedum vlceribus, quæ cancer sensim rodebat, carnes surarum pauxillatim deuorans, nec vllis medicamentis cedens, quemadmodum nec ipse de impietate sua cedebat, licet à tertio iam Romano Pontifice ad pietatem recipiendam paternè inuitatus. Ergo

*Auctor diuortij Cæsar inter coniuges.*

*Corolus bello Bauarico contra Cæsarem à patre præfectus.*

*Acies bene instructa à Carolo.*

*In Boiemia Cæsariani cæsi, in Carmithia bellum suscitant.*

*Pax facta.*

*Ioannes cōtentus Comitatu Tirolensi.*

*Carolus militat in Italia.*

*Ioannes Beatricem Borboniā coniugē ducit.*

*Vngelt vectigal nouum.*

*Archiuum Regni instituit.*

*Carthusienses sodales Pragā inuehit.*

*Venceslaus Ioannis F.*

*Ludouicus Cæsar phagedæna laborat.*

*Ludouico Abrogatũ à Pontifice imperiũ.*
*Ioannes xxij. Benedictus x. Clemens vj.*

Clemens huius nominis sextus Pontifex,cum animaduerteret Cæsarẽ longa quiete sibi alijsq; inutili opus habere,nec vlli amplius multum nocere posse, non expectata illius morte,Carolum Ioannis filium,misso de latere in Germaniam legato,Cæsarem ab Electoribus principibus designari impetrat.Conuenerant Francfordiam Electores, excepto Marchione Brandemburgo,nempe filio Cæsaris,& [k] Antistite Moguntino, quem Romanus Pontifex,quia eidem Cæsari adhærebat exaugurauit, cæteri omnes vnà cum Rege Boiemiæ Ioanne, cui tunc oculus, quem solum reliquũ habebat,vehementer doluit,atq; ij

*Carolus IIII. Rex Romanorũ designatus. Anno 1346.*

vnà voce Carolum diu renitentem, Regem Romanorum consalutarunt: & quando non satis tutò adiri locus posset, quem[l] Aquisgranum vocant, Bonnam Coloniam Agrippinæ vicinam Electores deflexerunt,ibiq; Carolum solemni more coronarunt. Is cum patre in Boiemiam reuersus, non aliter illi, quàm olim priuatus omnia officia exhibuit, ad nutumq; illius semper ei præsto fuit.Dabat tunc operam medicis pater,ac maximè Hebræo cuidam,ex Arabia se aduentasse, & ante alios medicinæ scientiam in oculis curandis se tenere iactanti.Atq; ille cura sua ex cæcutiente Regem planè cæcum efficit: nihil autem minus Rex,quàm cæcus esse videri voluit.Ad cæcitatem itaq; dissimulandam,ludicra hastatorũ, quibus inprimis delectabatur,sæpius etiam quàm integris oculis solebat,spectare sibi permisit,& nunc istum,nunc alium,quem in spectaculo superiorem euasisse ex nomenclatore audiuit, nominatim magna voce laudabat. Philippus Galliarum Rex ignarus casus Ioannis, post aduersam pugnam in portu Flandriæ,à classe Edouardi Angliæ Regis acceptam. (plus enim quàm triginta Gallorũ millia occisa esse referuntur)misit in Boiemiam ad eundem Ioannem,& præterea ad Carolum tanquam generũ suum, auxilia contra Britannos petitum. Aderat Ioanni parata excusatio,dein amicorum omnium acceserat adhortatio, ne se in vllam, ne dum in tam longinquam daret peregrinationem,posse vicem eius Carolum implere,& tam pro patre,quàm pro se Philippo socero suo satisfacere. Excanduit vehementer ad hæc Ioannes:Et vos (inquiẽs) me adeò cæcum facitis,vt viam in Gallias à me sæpissimè tritam inuenire nesciam.Mihi,mihi inquam ipsi, vel toto orbe dissuadente, illò eundem & pro amicissimo mihi Reg emea manu dimicandum est.Edicitq; è vestigio ad diem certum militibus profectionẽ. In qua Carolus patrẽ auctis ex Germania viribus comitatus est.Edoardus Anglię Rex,cognito Boiemorum & Germanorum aduentu, ab obsione Luteciæ Parrisiorum discedit, lenteq; ac Paulatim exercitum per Galliam populabundus ducit,prælium cum aduersarijs non commissurus, nsi per occasionem sibi tempestiuè oblatam. Circummissis itaq; exploratoribus, vbi comperit Gallum multitudine equitum,quàm se robustiorem esse, locum in conualle quadam nemoribus circumfusa,eoq; ad pugnam equiti ineptum occupat,aciemq; in illo dirigit,oppositis in fronte sedecim millibus ex delectis sagittarijs.Galli valle illa conspecta,à descensu eius periculoso abhorrebant,locaq; superiora tenebant.

*Iudæus medicus Regem Ioannẽ & altero oculo priuat,ipso cœcitatem ægrè dissimulante.*

*Iudæi medici principibus & populo pernitiosi.*

*Philippus VI. Rex Galliæ auxilia poscit Boemica aduersus Anglos.*

*Ioannes cæcus nequicquã reluctãtibus suis ipse profectionem in Gallią instituit.*

*Carolus comes expeditionis patris in Galliam.*

*Edoardus VI. Rex Angliæ cautus.*

*Ioannes Rex temerarius.*

At Ioannes Rex, qui vt nihil vidit, ita vaniora omnia minusq; esse pernicioſa, quàm dicerentur existimans, suos multis verbis ad descendendum in hostes, ritu inquiens ferarum per metum, velut fouea concluſos confirmauit,seq; in primo ordine constitui exorauit. Non longè à patre Carolus aberat, & cum illo Adolphus Lotharingiæ princeps, ac Ludouicus Comes Flandriæ, vnaq; cum Rege aditum in hostes, deiecto illorum de itineribus obsessis præsidio, patefecerunt.Telis deinde vndiq; circumuolantibus, ac pleriſq; ante manum consertam eminus cadentibus,cæteri regressum,quàm vlteriorem progressum respiciebant. Admonitus & Rex vt retrocederet: respondit:Tergа ne hosti Boiemiæ Rex ostendet?Dij tam ingloriam à me auertite famam, aut ego hodie victor cuadam, aut letho insigni regiè cadam, id quod

*Ludouicus ultimus comes Flandriæ.*

*Pugna ad Cressiacum. flos nobilitatis Galliæ perijt. Anno 1346. 26. Augusti.*

postre-

postremum ei obtigit. Ceciderunt autem cum eo ex Proceribus, Henricus Petri Rosensis filius,& Ianus Lichtembergus, ac præterea ex equestri ordine strenuissimus quisq;,Egrę verò Carolus,Lotharingo & Flandro circum se occisis, & ipse iam saucius euasit. Huic Rex Angliæ, corpus patris ad sepeliendum vbicunq; placeret tradidit. Placuit Lucemburga,illoq; & illatus,& Regia pompa cõditus est,Boiemis diem diui Ruffi, quo die pugna fuit, vt tristi omine infamem execrantibus, qui alterum videlicet iam Regem bellicosissimum illis abstulerit,prius Othogarum,nunc Ioannem. Quanquam non defuerant, qui illa nescio cui fatali legi attribuerent, quæ vt vitæ simili vtrumq; alligauerit, ita per mortem quoq; similem illos coniunxerit. Pariter enim vterq; laudis ex bellica virtute appetens erat, pariq; audacia in periculis confidens, pariter item mortem pro gloria contemnens,nec nisi in vltimo bellorum actu vterq; à fortuna destitutus.

*Ioãnes Lucemburgi sepultus*

*Cõparatio Regum Ottocari & Ioannis eodem nurus genere.*

a *Fridericus designatus Cæsar contra Carolum.*

b *Ottho venustus Alberti Cæsaris filius dux Carinthiæ & Austriæ.*

c *Petrum Coruatium Reatinum Franciscanum Pontificem Romæ crearat Ludouicus Cæsar,nomine Nicolai quarti tradito. Eum Corbanensem alij nominant. Hic Ioanni Papæ 22. Auenionem deductus à Pisanis, triennio pòst culpa deprecata honesto obijt carcere. Hic Ludouicum Romæ coronauit Anno 1328. die Pentecostes.*

d *Vicecomitibus se coniunxerat & Robertus Rex cum Scaligeris, Carrarijs, Passerinis,& Estensi Marchione cum Populo Florentino.*

e *Referunt historici infœliciter tunc prœliatum, Boemos tota penè Italia reiectos solum Parmam Mutinam & Regium tenuisse.*

f *A strage Crucigerorum auertisse quidem Bohemos & Silesios in maiorem Poloniam irrumpentes Regem Vladislaum,ait scriptor Polonus: at quæ noster narrat Cachinno omnia excipit.*

g *Carolum Regem Hungariæ arbitrum fuisse consentiunt omnes, sed Bonfinius & Crommerus Casimirum affuisse dicunt, quia Loktecus obierat, anno 1333. Hæc gesta sunt anno 1335. in arce Vuissegrado Hungariæ.*

h *Extincta stirpe ducum Carinthiæ, Ioannes Henricus filius Regis Ioannis, Margaretham hæredem duxerat Henrici filiam, quæ pertæsa mariti de frigiditate eum accusans, eo repudiato Ludouico Marchioni Cæsaris filio nubit, è quo Menhardum suscepit: at vtroq; mortuo tertiùm nupsit Rudolpho Alberti II. filio, & ita ducatum cum Comitatu Tirolis Austriæ tradidit, Anno 1360. Constituit gymnasium Viennæ à patre Alberto inchoatum, & à fratre Alberto absolutum.*

i *Venceslaus duxit filiam Ioannis tertij ducis Brabantiæ, qui cum Ludouico Comite Flandriæ affine de Ducatu certans, vitam quoq; amisit. Vilhelmus Ludouici Cæsaris filius factus Hollandiæ Comes, circa annum 1343. Huic sine prole ex testamento successit Albertus frater, cuius filiæ duæ Hollandiæ, Phrisiæ, Zelandiæ, Hannoniæ hæredes nupserũt Ioanni duci Burgundiæ,& Venceslao Ioannis filio duci Lucemburgi & Brabantiæ. Nati erant tam Vilhelmus quàm Albertus dux Straubingẽsis ex Margaretha Vilhelmi III. Comitis Hollandiæ filia, licet hanc Ioannam dicant Venceslao Regi Caroli filiæ nupsisse. Erratum in Venceslai nomine.*

k *Henricus à Virnberg Episcopus Moguntinus Carolo non suffragatus licet illi Pontifex Gerlacum Nassouiæ Comitem substitueret.*

l *Exclusus fuit Aquisgrano licet cum Electoribus adueniret Carolus.*

# HISTORIAE BOIE-MICAE LIBER VICESIMVS SECVNDVS.

*Carolus xxxj. ætatis anno regnum Boiemiæ iniit.*

OMnes facilè ante se in Boiemia Reges Carolus præcessit, non solùm dignitate, quam nouam in regnum cum Cæsareis insignibus primus ipse inuexit, sed etiã gratia & fauore apud cunctas viciniores nationes, propter eximias suas ac verè Regias virtutes. Atq; vt à pietate incipiamus, qua à prima statim pueritia ita imbutus est, vt perpetuò illam deinceps vitæ tempore custodierit tanto studio, vt primus Cesarum nonnulla Euangelia, etiam scripto interpretatus sit. Regnum verò ingressus, nõ aliunde regnandi auspicium, quàm ab operibus pietatis cœpit. Ioannem enim fratrem suum à Ludouico Marchione Brandemburgensi, per summam vim & iniuriam ex Tiroli regione pulsum, Morauiæ confestim vt Marchionẽ præfecit: veteri Pragensi templo, cui & decor & amplitudo deesse videbatur, noua fundamenta circumposuit, decimamq; argenti partem ex montibus Cuthnensibus prouenientem, pro ædificio futuro assignauit. Intereaq; viginti quatuor ministros templo assiduos, quos ideo Mansionarios vocabat, constituit, illisq; largos sumptus destinauit, vt die noctuq; Deo hymnos & laudes psallerent, cum paulò ante opibus adhuc priuatis, sacellũ elegantissimum, in eadem arce Pragensi, permissu patris, sub titulo Omnium sanctorum ædificauerit, lecto in id descriptoq; cœtu sacerdotum honestissimo. Et ad cumulandam Ecclesiasticam Pragæ dignitatem, Episcopum Pragensem nomine Arnestum, in contumeliam metropolitis Moguntini, qui Carolo aduersas partes fouerat, Archiepiscopum à Clemente Romano Pontifice creari, ac scholas insuper publicas instar Parrisiensium erigi procurauit. Mox deinde ab Archiepiscopo suo, vnà cum vxore Blanca coronari, corona quam ex auro & vnionibus fieri iussit præciosissimam, in maxima hospitum clarissimorum celebritate voluit, atq; omnes hospites magnifico epularum apparatu, & insigniores præterea muneribus prosequutus est. Sic enim ad liberalitatem propensus erat, vt sæpius etiam vltrò ad accipiendum prouocaret eos, quos munificentia sua dignos putauit, cum interim subditos nullo tributo, nisi iure sibi debito oneraret, illudq; receptum non in sumptus superuacaneos & inutiles, sed ad redimendas arces à parente proceribus obligatas conuerteret, vt tum fecit, cum aurum coronarium in ipsa coronatione accepit, totum id ad creditores, qui arces possidebant, transferens, vt ex suis potiùs, quàm ex alienis fructibus & censibus viueret. Hinc in re familiari constituenda valde prouidus, ne quem arcibus, vectigalibus, aurarijs, argentarijsq;, agris denique suis procurandis præficeret, nisi eum qui diligenter, perspectè, vtiliter fungi sciret officio suo, ne quid per vllam socordiam aut imprudentiam eorum omitteret, quæ ad tuendam rem familiarẽ, eandemq; amplificandam deseruirent. Horum solertissimus habitus est Theodoricus professione Monachus, qui Monasterium Cistercience, in quo œconomus fuit, plurimis debitis multo tempore impeditum atq; exinanitum, sic sua dispensatione expeditum, refertumq; reddiderit, vt nunquã antea vberius fuerit. Hunc Carolus ad se accersitũ, adeò tenui arci præfecit, vt qui prius illi prefuerũt, ex annuis illius prouẽtibus nec se ipsos, nec familiã alere potuerint, sed necesse erat ex vicinis arcibus cõmeatũ suppeditare. At Theodoricus breui ostendit, in sterili quoq; arce,

*Pius erga Deũ.*

*Ioannem fratrem Morauiæ Marchionem creat.*

*Aedes sacras ædificat.*

*Episcopatũ in Archiepiscopatum euehit, & gymnasiũ condit An. 1370.*

*Ernestus I. Archiepiscopus Pragæ.*

*A suo coronatur Archiepiscopo Rex.*

*Liberalis.*

*Redimit arces pignori depositas.*

*Bonus œconomus.*

*Theodorici monachi industria in administratione rei familiaris.*

arce, uihil æquè copiæ, largitatiq; frugum & pabulorum conferre, ac ipsum præfectum, si laborem, sedulitatemq; & curam propriam, nō autem alienam fideliter adhibuerit. Ac vide hominis solertiam: dedita opera Carolus ad arcem illam cum satis frequenti comitatu improuisus venerat, premisso indagatore qui penum Theoderici exploraret, in quo summa inerat penuria. ei Rex aduenienti iniungit, vt pro domestica copia subitū appararet ientaculum, gallinas ille & anaticulas ex chorte obuias, pro mensa Regia obsonat. Cæterùm vt ventres præterea tam multos eadem celeritate impleat, hoc subitò excogitat, vt gregem Suum, proximè arcem se pascentē inuadat, nihil à singulis suibus præter aures & caudas, tanquam membra coco ad celeriter coquendum habilia detruncans, illaq; variè condiri, ac largè hospitibus omnibus apponi iubens. Admirante Rege vnde tantum petitæ offæ, & inexpectatæ? ostendit illi Theodericus truncas sues, absq; vllo totius gregis detrimento offas illas instruxisse. Atq; ille vultu læto subridēs, Serue, inquit, bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Fecitq; eum statim ærarij quæstorem, tanto rerum suarum quæstu, vt ex eo redundaret, non solùm ad liberandas arces æri alieno obnoxias, sed ad nouas etiā comparandas & condendas. eiusq; erga se meriti suo tempore Carolus memor, Theodericum primo Mindensem, deinde Magdeburgensum creat Pontificē. Subit tandem memoria quoq; vlciscendæ iniuriæ, quam Ioanni fratri ex Tyroli contra fœdera pulso, Ludouicus Marchio Brandenburgensis intulit. Sed hæc vltio regionē ipsam potiùs, & incolas, qui congredi audebant, (nam Marchio aberat) persecuta est, ferro, igne, cæde, vt cæsis in illa nuper Boiemis sanguine vicissim Germanorum parentaretur. Cæterùm aduersus ipsum Marchionem, qui rebellis esse, Germaniamq; turbare contra Carolum nō cessabat, alia ratio est inita. Nec enim iam dignum illum esse Carolus iudicauit, cum quo ipse cōtenderet, sed æmulum illi excitauit, qui se[b] Valdemarum Marchionem, cuius nomē apud Brandemburgenses valde gratiosum erat, diceret, rumoremq; de morte sua sparsum, nō solùm peregrinatione sua longinqua, sed ætate, formaq; & statura insuper refelleret. Nam ijs omnibus haud dissimilis in Valdemarū fuit: deniq; à Brandemburgensibus, non alius quàm legitimus Valdemarus creditus, tantoq; vulgi fauore quà ibat exceptus, vt ei complura castella & municipia sua sponte aperirent. Accessit mox frequens nobilitas, postquā Albertus & Ioannes Comites Megapolienses Praga domū reuersi sunt, cum ampliore quàm exierant dignitate: ambos enim Carolus ad principalem honorem extulit, vnam hanc beneficij gratiam tacitè exigens, vt Valdemaro in asserenda, quam vocant Marchia adiutores se præberent, quod quidem Albertus sedulò præstabat, tamq; grauis Ludouico Marchioni ingruebat, vt extremū ille à Rege Daniæ affine suo auxilium cogeretur implorare. Danus, traiecto classe mari, Vandaliam Alberti, iuxta mare sitam, latè peruastare incipit, sed occurrit illi per tempus Albertus, magnaq; cum strage alios Danorū cædendo, alios mergendo, ad classem illum redire, & inde fugere compellit. Nec Valdemarus in Marchia feriatur, vel in recipiendis, vel in præsidijs firmandis, quas recepit arcibus & oppidis occupatus, planè bellissimè Marchionem eum, qui fingebatur, se simulans. Id verò Ludouico grauissimum ad tolerandum erat, quod iporum etiam principum, ille, vt ipse dicebat nebulo, mentes, oculosq; adeò heberaret, vt nec iudicium, nec veritas apud eos valeret. Cuius igitur discrimi ni se offerre, quam tale ludibrium diutius ferre, destinauit: atq; omnes copias, quas ex Bauaria, Carinthia, Styria & alijs mediterraneis locis, tum etiā ex maritimis ciuitatibus cogere potuit, ad oppidum Francfortū contraxit. Quibus ne Valdemarus succumberet, apertè tandem Carolus, nihil sibi ad celeritatē opis ferendæ reliquū fecit. Habuitq; in castris suis Archiepiscopū Magdebur-

*Lepida historia.*

*Theodoricus monachus ærario præficitur, postea ad Episcopalē dignitatem euectus.*

*Bellum contra Ludouicū Marchionem Brandeburgicum.*

*Valdemarus suppositititius Marchio.*

*Anno 1349.*

*Comites Mekelburgenses in principum ordinē asciti.*

*Daniæ Rex Ludouicum Marchionem iuuat contra Mekelburgenses.*

*Ludouicus extrema contra Valdemarum tentat.*

*Fascinū obduxit oculis Valdemarus.*

*Opem fert Carolus Valdemaro.*

genſem,Rudolphum Saxoniæ,& Albertum Megapolenſem principes, ac Comitem Anholtum. Caſtra vtraq; vno minus milliari à ſe diſtabant, prompto ad congrediendum Ludouico, ſi Duces militiæ eius ad diſſuadendā pugnam obuiam non proceſſiſſent, quaſi miſeratione permoti,futuræ tot vtrinq; nobilium,in tanto vtriuſq; exercitus apparatu,cædis,eiusq;,quod omnium indignisſimum eſt,ob vnius Latrunculi impudentem audaciam ſubeundæ,quem alia paulò pòſt ventura pœna illo digna maneret.Sed hæc duces,Carolo gratificantes,à quo erant corrupti,dicebant, qui iure ſuæ ipſius conſcientiæ metuebat, ne ipſe reus apud Deum eius ſanguinis efficeretur, quicumq; in prælio,ſi ad manus ventum eſſet,funderetur. Tanquam huiuſce prælij autor Ludouicus de tanta ſpe, quantam animo concepit, præter opinionem deiectus, ſententiam retinendi per ſe Marchionatus mutat,illumq; ad fratrē ſuum Romulum,ita nominatum,quia Romæ natus erat,transfert,ipſe in Bauariam reuerſus.At Carolus ſuperiorem, inferioremq; Germaniam peragrans, ab omnibus Imperialibus ciuitatibus,magno cum honore & læticia propter ſingularem eius humanitatem, comitatemq;, & ſummam in rebus ſtatuendis, diſcernendiſq; integritatem,atq; æquitatem excipiebatur, debitumq; ſibi ab illis ſacramentū, quemadmodū paulò ante ab ipſis quoq; principibus accipiebat. Deflectens inde ad Palatinū Rheni principem, viduitatis ibi oblitus,cum Anna eius filia matrimonium contrahit, atq; ibidem apud ſocerum nuptias concelebrat, promulgato ad cæteros principes omnes edicto, vt Herbipolim ad diem certum cōuenirent.In conuentu de expeditione in Italiam facienda, coronæ Cæſareæ induendæ gratia, actū & concluſum eſt, vt poſt menſem ſextum primo vere illa iniretur. Hîc rurſus inquietus Ludouicus, vt impediat Carolo tranſitum per ſuas prouincias in Italiam, ſubſeſſores viarum comparat, quaſi illi manu inſidioſa Carolo repugnare poſſent, quem ipſe robuſtiſſimo exercitu laceſſere ſuperſedit.Hanc igitur eius nimis pertinacem aduerſus potentiorem ſe rebellionem,Palatinus tandem authoritate ſua,tanquā ætate maior gentilis(ex eadem enim gente & familia Palatini cum principibus Bariæ ſunt)hoc conſilio ſedauit.Conſueuerant Cæſares inſignia Cæſarum cum ſanctis quibuſdam reliquijs apud ſucceſſores deponere,quæ tunc omnia Ludouicus poſt obitū patris in ſua poteſtate habuit. Gladius magni Caroli erat, Lancea Chriſti, dextra portio S.Crucis, cum vno clauo & mappa,qua vltima menſa Domini ſtrata fuit, non magni videlicet cuncta precij apud talium rerum contemptores:at apud Chriſtianiſſimum Carolum in tanto precio poſita, quanto nulla res profana vel præcioſiſſima. Proin conſilium Palatini fuit, vt Ludouicus nactus reliquiarum tantum æſtimatorem, illas pro redimenda pace,quietaq; Marchionatus Brandeburgenſis poſſeſſione permutaret:quod vbi ille fecit,Carolus ſine vlla cunctatione illum veſtibus Marchionis,& ornamentis ſolemniter inueſtijt, comitemq; in Italiam cum ipſo Palatino ſocero ſuo habuit. Cum Mediolanum veniſſet,ferreamq;ibi ex more coronā induiſſet,præſtò ei fuerant omnes Lombardiæ principes, & ciuitatum magis inſignium ciues,ingenti alacritate in verba eius iurantes, vt quem pleriq; ab ipſa adoleſcentia nouerant, egregiè Lombardiam paterno adhuc auſpicio adminiſtrantem tam virum quàm adoleſcentem, Cæſarem quàm priuatū, ſua iam quàm olim aliena authoritate meliùs adminiſtraturum ſperabant, manſitq; cōplures Mediolani dies à Vicecomitibus lautè cum ſuis habitus.Inde Piſas ſe contulit,adfluentibus vndiq; ex Aetruria legatis,qui ſe imperata facturos obedienter dicerent,extra Florentinos, qui neſcio quā immunitatem & libertatē prætendebant.Horum agros milites prætereuntes,intactos non relinquebāt cum alijs in locis vſq; ad ipſam Vrbē,ab omni maleficio ſibi tēperarent. Vrbē Carolo ingredienti,populus Romanus vniuerſus lætiſſimus occurrit,eo obſequio,

*Detrectat pugnam Carolus ne reus agatur ſanguinis effuſi ob defenſionem perſonati Marchionis.*

*Ludouicus Marchio bellorum pertæſus fratri Ludouico Romano quod Romæ eſſet matre coronata in lucē editus reſignat Marchiam.*

*Germaniā peragrat poſtulato iuramento, Carolus.ducit Annā vel Agnetem Ruolphi iunioris Palatini filiam.*

*Profectio ad coronationē inſtituta.*

*Opera Palatini Ludouicus Marchio Cæſari reconciliatur.*

*Clinodia Imperij Carolo tradita.*

*Marchionatus inueſtitur Brandeburgenſis.*

*Mediolani coronam accipit ferream.*

*Anno 1354. 6. Ianuarij.*

*Carolus Romā venit.*

quio,quod præstari nonnisi legitimis dominis solet.Nam ita iam Romę summus Pontifex propter diuturnam sui absentiam fastiditus iacebat,vt eo contempto,plebs sibi Romana deligeret, qui Regia potestate ciues regerent. Ausus deniq; publicus illorum scriba Tyrannum apud illos agere cum hoc titulo insolentissimo:Nicolaus seuerus & clemens,libertatis,pacis, iusticiæq; Tribunus,ac sacræ Romanæ reipublicæ liberator illustris. Quanquam hunc illustrem liberatorem Carolus deinde captum in Gallias ad Pontificem deduci iusserit.Tum verò à duobus[c] Cardinalibus Romam ad coronandum missis,vnà cum vxore Anna coronatus,& Augustus appellatus est.Instant Romani,vt Augustus vrbem Augustam,tanquam hæreditatem suam iure inuadat, aut Romanos in antiquum statum restituat. Deliberaturum se ille respondet,Vrbeq; per venandi simulationem egressus, in castra tetendit, seueriſſimum inde mandatum dans, vt finem tandem Romani mutandis innouandisq; dominis imponāt, memores sacramenti apud Romanum Pontificem semel depositi:illud si violatum iuerint, aut si Legato etiā Pontificis rebelles fuerint, perfidiam se illorum armis persecuturum minitatur. Similes minæ Præfectis renunciatæ, quos Cæsar Bauarus per Aemiliam & Picenum regionibus Pontificis præfecit, si ciuitates Pontifici suas vltrò non reddidissent. Paruerunt cæteri præter Ordelaphos, qui de Cesena & Foroliuio à milite deturbati sunt. Constitutis ad præsens in Italia rebus Carolus, vel armis vel iure, non sine Bartolo Saxiferrato, iuris illa ætate peritissimo, quem in aula sua liberaliter habuit.Ac iam à se dimissis auxiliaribus copijs omnibus, discessum inde cum Boiemis & Morauis parans, magnis precibus à Francisco,cui Gambacurta cognomen, ex familia Pisanorum validissima, rogatur, vt Pisas ad diuerticulum sibi notum, & nuper haud ingratum diuertat. Nihil mali suspicans, Pisas remeat, & in domo Prætoria publico hospitio accipitur, cum summa eorum qui cum Francisco conspirauerant perfidia, qua mox ad opprimendum hospitem Cæsarem vsi sunt. primò ignem multa nocte Prætorio subdiderunt, cuius magnitudine propè fuit, vt Cæsar cum Anna coniuge ambureretur, oportunè Regiæ custodiæ assueti, ambos penè seminudos subductos, in alium securiorem locum deduxerunt. Nocturna fraude non succedente, postera statim luce palàm cum armatis in forum descendunt, & ad popularem tumultum concitandum exclamant, Cæsarem non vt hospitem, sed vt manifestum incendiarum vrbem subijsse, vt illam combustam Florentinis hostibus tradat, si ipsi tempus tradendi illum non acceperint. Disclusis ponte fluminis hospicijs Boiemi & Moraui, qui cum Cæsare venerant, tenebantur, eaq; res longè maximam dimicationem attulit, dum Pisani transitum pontis Boiemis prohibere, & illi vicissim illum vi superare conantur, vt domino & Regi suo, obsidione in hospitio Ioannis Episcopi Olomucensis (quo Arnestus quoque Archiepiscopus confugerat) laboranti,succurrant.Pro Pisanis multitudo erat, sed incomposita, & inordinata.At Boiemis quantum de numero detrahebatur, tantum animi virtus, nobilitasque & vsus militiæ supplebat (maior enim illorum pars ex proceribus & equestri ordine constabat) equestri denique procella victoria parta est, Pisanorum multo sanguine ex vtraque pontis parte cadentium antequam Franciscus caperetur, & eo capto, cæteri per tecta & templa dissiparentur, uetante Cæsare dissipatos insequi, sed confestim Francisco torqueri iusso,vt conscios æderet,atq; authores tanti sceleris proderet. Authores Florentinos nominauit,ac satis multos conscios. Sed de sex tantùm Gambacurtis suppliciū sumptum,reliquis vita condonata,non gratuitò,sed pro auro præsenti,ex quo militibus donatiuum distribuit,cum antea Czenconem Lyppensem, Henricum Gradecensem,Benedictum Colouratum proceres Boiemos,mox item Mora-

*Prostrata Romæ Pontificis auctoritas Vrsinis & Columnijs factiones alentibus.*

*Nicolaus Augustum se dicit & instauratorem Romani Imperij.*

*Romanos in Pontificia confirmat fidelitate.*

*Bartolus de Saxo ferrato Iurecõsultus eximius.*

*Inuitatur Pisas à Francisco Gambacurta.*

*Insidiæ vitæ Cæsaris structæ.*

*Armis oppetũt Pisani Cæsarē.*

*Pontem Boiemi occupant.*

*Pisani cæsi Franciscus captus.*

*Florentini insidiarum architecti.*

*Præmia proceribus data.*

uos, Zdenconem & Benedictum Lomnicios, Smilonem Dubrauitium, Vilhelmum Gemnicium balteo militari cinxisset, torquibusq; aureis illos adornasset. Sacrarum reliquiarū inter ista non immemor, sed cum audisset, corpus diui Viti à Regibus quondam Lombardiæ sepultū Papiæ iacere, Oratores suos ad Senatum Papiensem mittere haud procrastinauit, qui vehementer illum, etiam atq; etiam orarent, vt honoris sui gratia, corpus illud sibi donaret. Hoc sibi gratius nihil fieri posse, quàm vt integrum corpus eius diui assequatur, quem Boiemi pro numine tutelari colant. Facilè Papienses voto Cæsaris subscripserunt. Cui per Alpes transeunti, maior etiam quàm rumor erat, ædificiorum strages ex terræ motu facta, oculis occurrebat, ruinis, ruderibusq; passim obuiam iacentibus, quæ sacra, profanaq; loca miserè cum ipsis etiam hominibus prostrata suggerebant. Aderant & superstites multi, casum suum magno cum gemitu deplorantes. Horū alios consolando, alios opem illis pollicendo, alios subsidium statim eis ferendo Carolus confirmabat. Veniensq; Pragam, nouum velut genus vitæ instituit, splendidius videlicet quàm antea, tum à sumptu, tum à cultu, & ab omni apparatu, non qui ambitionis, sed maiestatis potiùs terminos prolataret, quę cum à magnitudine nomen deducat, magnū honorem, magnamq; reuerentiam requirit, vt conspicua, & monstrabilis habeatur, quod sanè absq; ornatu, cultuq; tam rerum quàm hominū magnifico contingere haud potest. Ergo eius hoc præcipuum ornamentū fuit, vt in aula sua ornatissimos principes haberet assiduos. Ex domesticis Archiepiscopum cum Olomucensi, & quem nuper creauerat Lytomyslienſi Pontificibus, quibus mox Brandemburgensem & Misnensem Præsulem adiecit, vt Archiepiscopum Pragensem respicerent. Ipse verò Saxoniæ Dux occupata iuxta pontem Pragensem, de consensu Caroli, area, domum sibi à fundamentis excitauit, præter cætera, viuarijs vitreis, vsq; ad supremam contignationem subductis, vt pisces in illis natantes, commodius à prætereuntibus conspici possent, adornatam. Fridericus item Burgundiæ princeps domum sibi insignem Pragæ ædificauit, cui sacellum diui Martini coniunxit, Nonnulli autem Ducum ædificatas domos mercabantur, vt in suo potiùs, quàm in alieno Pragam sæpissimè venientes, habitarent cum eò Cæsare, qui cum illis seria, iocosq;, qui venationes & conuiuia, non minore familiaritate quàm liberalitate & comitate exercebat: omnes enim iucundè & honorificè appellabat, largitor bonorum in illos & honorum. Ad hæc quantum ipse magnificus in excitandis operibus magnis sumptibus, vel sola Praga abundè potest declarare, cuius magnitudine non contentus, alteram tantam Pragam de integro condidit, diuisis areis, positisq; domorum de suo insulis, vt ad illas plateæ, viciq; & forum dirigerentur, vocauitq; nouam ciuitatem, nouis illam templis, nouisq; sacerdotijs, & omnibus rebus vitæ necessarijs instruens. Nam & quos vocant Canonicos regulares, & Carmelitas, & Ambrosianos, & Augustinianos, per singula contubernia distributos in illam inuexit. Legit item seorsim contubernales, qui se Sclauos cognominabant, authorem religionis suæ diuum Hieronymum cientes, quem hoc nomine Carolus peculiariter veneratus est, quòd in Illiria natus fuerit, vnde Boiemi originem trahunt. Mox sub nomine Caroli collegium præterea sacerdotum constituit, & alterum ad diuum Apollinarem, ex doctoribus sacerdotibus, qui alios quoq; sacras literas docere possent. Ab vtroq; non longè abest arx Vicegradensis, quam ille denuò muro, propugnaculis, crebris turribus cinxit. Quanquam vna illa turris quam ponti Pragensi superposuit, facilè alias vincat omnes, decore, elegantia, artificio. In hoc verò maximè etiam salutarē subditis dixeris, quòd in tanto prædonū, latronumq; metu vbiq; scatentium, hanc salutis omniū inierit rationē, vt Regnū in duodecim^d regiones diuiserit, singulisq; idoneos viros præfecerit, inter alias

*Reliquias S. Viti à Ticinensibus impetrat.*

*Terræmotus circa Alpes.*

*Magnificentiæ studet Carolus ex Italia reuersus.*

*Aula splendida tam præsulibus quàm principib. referta. Saxoniæ Dux domū extruit Pragæ.*

*Dux Burgundiæ idem.*

*Carolus nouā Pragam cōdit.*

*Monachorū cōtubernia ad ducit.*

*Hieronymiani.*

*D. Hieronymum veneratus est Carolus.*

*Collegium Carolinum.*

*Vicegradū reparatum.*

*Turris ad pontem Pragensem.*

alias iurisdictiones permissa illis potestate inquirendi, & puniendi quoslibet latrones. Ipse adeò illis infestus, vt sæpius de via ad receptacula illorum deflecteret, nec nisi loco expugnato, ad solumq; diruto, ipsis verò raptoribus, tum nobilibus tum ignobilibus in sublimè per arbores suspensis, inde abierit. Sanxit præterea graues in eos pœnas, qui à regula Catholicæ fidei, viaque deuiarent, commotus reditu Dulcianorum hæreticorum, & flagratorum, qui flagris dorsa cædunt, intus vitijs intercutaneis bulliunt. Ne igitur vtrique sanctum gregem sua contagione polluerent, partem eorum igne combussit, cæteros de sententia Arnesti Archiepiscopi perpetuò exilio relegauit. Eiusdem Archiepiscopi auspicio, ad tertia matrimonij vota transijt, assumpta in vxorem [d] Anna, [e] Ducis Suidnicensis filia, quæ ei Suidnicium in Lusacia, cum toto territorio pro dote attulit. Benè autem & prior Anna venerat dotata, complures in Bauaria arces, oppidaq;, & inter illa Salispachum marito relinquens, cum vna filiola, quam postea Carolus principi Austriæ elocauit. Opportunitas plerisque principibus adesse visa est faciendæ expeditionis in Asiam, ad recuperanda loca Sarracenorum manu Christianis adempta, propterea quòd hostium tunc vim maximam pestis exhausserat. Aliorum igitur instinctu Princeps Saxoniæ, qui Carolum familiarius coluit, in hunc modum eum blandè compellat. Ab hinc inquiens annis amplius centum nullus Cæsar extitit, cui tanta facultas recipiendæ Hierosolimæ oblata fuerit, quanta tibi Cæsar adest. Singulis enim priorum aliquid defuisse, alia quidem alijs, cæterùm omibus pecuniæ, quæ sunt nerui belli. At te non solùm stipendiario ære abundare videmus, sed validissimarum præterea gentium præsidijs instructissimum esse: quippe cognatione Galliæ Regem, affinitate Pannoniæ attingere, cum Polonis amicitia & fœdere coherere, Boiemis autem Germanisq; & Italis cum potestate & imperio præesse: ita vt nemo dubitare debeat, si ad hanc tantam facultatem se voluntas proficiscendi in Asiam adiunxerit tua, quin illam prosperi successus prosequuturi sint. Ad hæc Carolus ait. Quoniam id accidit, quod mihi iam pridem maximè optatum fuit, vt vobiscum de expeditione transmarina conferrem, quæ vtique susceptu, quàm confectu multò facilior est, vt satis ex aliorum Cæsarum euentibus, qui ante me hanc fortunam tentarunt, liquet, quibus videlicet hoc euenit, vt post multa etiam secunda prælia facta, postque multas receptas vrbes, quæ sine magnis viribus & opibus contingere non potuerunt, ad extremum tamen alij eorum à militibus per seditiones tumultuantibus deserti sunt, alij vix cum decima exercitus parte domum reuertebantur: Fridericus verò Cæsar ibidem perierit. Omnes denique bona in oriente parta, citò amiserint, hostibus statim à discessu Cæsarum illa recuperantibus, cum miserando Christianorum exitio, quos in præsidijs relictos, vis & furor hostilis immanissimè interficiebat. Sed nec hodie alium futurum exitum se videre, etiamsi Hierosolima recepta fuerit, quàm vt illa manibus protinus elabatur, si de proximo non aderit, qui illam cum imperio tueatur. Nam qui modò imperat Græculus, ex eadem qua plerique maiores sui perfidia, aduersus Latinos conflatus est, vt eos mendacijs & fallacijs insidiosissimè fallat, idemque hanc iam fraudem commisit ([f] Ioanni Palæologo nomen fuit) vt locum in Europa Turcis, ad inhabitandum primus tradiderit. Quis igitur prudens mihi suadeat, vt me, oues que meas lupo credam? Sed fortasse ex re magis fuerit, vt prius deliberemus, quo modo lupum istum Aquila fuget & abigat, vt sola imperium Græcum & Latinum obtineat. Nihil enim opus esse, vt duo, sed vt Cæsar imperet vnus. Ita præsens ista deliberatio in aliud tempus dilata fuit. Et Carolus cum ijs qui aderant principibus, in Germaniam profectus est ad componendam cõfirmandamq; pacem, quam principum ambitio, publicanorumque auaritia turbauerat. Eo vsq; namque

*Flagellatorũ delet sectam.*

*Catharina Rudolphi IIII. Ducis Austriæ vxor.*

*Rudolphus Dux Saxoniæ ad Bellum vltramarinum Carolũ exhortatur.*

*Olim quod vúl pes ægroto cau ta, respõdit qua me vestigia tenent omnia aduersum spectantia nulla retrorsum.*

*Anno 1364.*

*Græci Cæsares prius domandi vt aquila integra restituatur.*

*Conuentus dicitur celebratus in vrbe Metensi.*

ambitio illorum, etiam principum qui se Electores vocant exarserat, vt primum sibi quisque locum, præcipuamque authoritatem in eligendo, assidendoque vindicaret, nedum vt alius alium in honore deferendo præueniret, vnde simultates inter illos, & aliquoties cædes ex domestico illo dissidio suscitabantur. Approbante igitur senatu principum frequentissimo, decretum Carolus promulgauit, quo gradus, potestasque principum & aliorum ordinum ita discreuit, vt nullus de iure suo, tanquam imminuto queri potuerit, sed contrà potiùs; vt tenuiores cum potentioribus se quodāmodo æquari gauisi fuerint. Sic item vetera Cæsarum de eligendo Rege Romanorum placita renouauit, vt in hodiernum diem Carolina sanctio, de mandandis suffragijs, sola apud principes vireat, vigeatque. Sedata deinde ab eodem contentio fuit, quę inter ciues mercatores, & publicanos, in hostilem modum vsque ad arma creuerat, erepta sanè publicanis nimia in augendis, per Rhenum & Danubium vectigalibus cupiditate, ac mercatoribus restituta pristina illorum nauli soluendi consuetudine. Præter hæc ciues nobilitatem quoque de hac re accusabant, quòd per speciem militaris militiæ, latrocinijs sæpius operaretur, bellum pro egestate vel libidine quisque sua ciuibus indicendo, illosque in captiuitatem abducendo, aut fidem illorum hac lege astringendo, vt se certo loco cum ingenti pecunia sisterent, quasi prædones & fures, iustum cuiquam bellum denunciare & indicere possent. Factum contra omnes tales, qui iuris cognitione neglecta, ad societatem maleficij conspirassent, tanquam contra grassatores capitale edictum, in quo diserte adscriptum: Nemini fidem datam in bello, nisi iusto & legitimo hosti, conseruandam esse. Hæc atque alia omnibus ordinibus non ingrata, cum per Germaniam, quam totam illo anno Carolus obijt, solerter constituisset, atque cunctos ad tranquillitatem & concordiam Germanos redegisset, domum patriam cum laude & gratia repedauit: visoque Venceslao filiolo, quem ei anno priore vxor Anna peperit, cogitare in animo cœpit, vt illum maturè Regni consortem faceret. Huiusq; consilij Arnestum Archiepiscopum, cui summam rerum omnium fidem habebat, participem facit. Probat ille rem, sed de tempore nonnihil addubitat, an in ipsa infantia, antequam se Regem esse sentiat, vti Rex coronari debeat? Annuentibus deinde cæteris primoribus, nihilque referre dicentibus, vtrum infans, an adultus filius sit, quem pater superstes in consortium regni vocet, Arnestus Venceslaum non plus quàm sesquiannum agentem vngit & coronat, Ioanne Olomucensi Præsule assistente, nec diu pòst superstite, quàm in Morauia cœnobium, Pustimirium vocant, virginibus fusco flammeo velatis, suo sumptu absoluisset, in quo mortuus condi, humarique voluit. In huius locum Ioannes è familia Vlassinia, suffragio maximè Caroli suffectus est. Nā idem Carolus sacello illum in arce Pragensi, omnium sanctorum dicto, nuper præposuerat, tanquam sibi in primis probatum. Cæterùm assequutus quod exoptabat, vt Venceslaum filium (nam Sigismundum necdum habebat) Regem videret, cum primū per ætatem licuit, teneram illius pueritiam virtutis præceptis formandam, præstantissimis præceptoribus tradidit. Ipse quoque aliquanto magis acrem quàm prius curam ad ornandum, stabiliendumque Regni statum adhibuit, postquam certus erat, quòd regnum cui velet relicturus esset. Non enim solùm de ædificijs in illo continuandis, sed etiā de finibus prolatandis, legibusq; insuper ac magistratibus, iudicijsq; legitimis instituendis, sollicitus erat. Et inter prima, vt precioſissimus regni thesaurus, nempe ipsa corona, & sanctæ reliquiæ, in loco maximè firmo, munitoque seruarentur, custodiæ illorum causa arcem de nomine suo Karolsteynam appellatam, tertio à Praga lapide intra montes ædificauit: addiditque illi duos custodes, vnum ex proceribus, alterū ex equestri ordine, grauissimo sacramento astrictos,

*Lex Carolina siue Aurea Bulla instituta. Noribergæ promulgata, Anno 1356. 10. Ianuarij.*

*Auaricia exactorum telonij coercita.*

*Nobili casuli centiæ frenum iniectum.*

*Reuersus in Boemiam Venceslaum filum coronat.*

*Sesquiennis Venceslaus coronatur.*

*Pustimiriū monialium cœnobium ab Episcopo Olomuzensi extructum.*

*Ioanne Vlassinius Episcopus Olomuzij.*

*Educationi Venceslai animum adijcit.*

*Auget Regnū Boiemiæ.*

*Carolsteynum asseruandæ coronæ ædificat.*

astrictos, ne receptam custodiam negligenter haberent. In propagandis porrò finibus, hac vsus est sedulitate iuxta ac æquitate, vt in nullius bona & fortunas sui commodi causa, impetum per vim faceret, sed si qua arx aut municipium, siue in Lusatia, siue in Misnia, aut in Bauaria fuerant venalia, quæ cum regno Boiemiæ cohererent, illa statim vt à venditore iusto precio redimeret, operā nauauit. Nam & Brandenburgensem postremò Marchiam ab [g] Othone Marchione grandi pecunia emit, propriamq; Regibus Boiemiæ authoritate Cæsarea dicauit, interdicta eius alienatione, atque omnium finium regni diminutione, iurisiurandi religione & infamiæ metu. Hoc quoque cum pulchrè calleret, iusticia regnante firmari opes regni, continerique, ad ius patriæ describendum, legesque necessarias condendas se transtulit, ne iudices arbitria capitis sui, quemadmodum vsu hactenus venerat, pro iure haberent: quippe arbitria sæpissimè variantur, ius autem scriptum vna semper eademque voce loquitur, iustè distribuens cuique quod suum est. Adhibitis igitur iis, quorum de iusticia magna erat opinio, constitutiones non satis probatas retractauit, & alias substituit, quæ summam æquitatem continerent, redactis ad duo genera publicis iudicijs, equestris ac procerum ordinis, iudicibusque de illo genere delectis, ac præcipuè magistratibus, qui domi foriſque præter splendorem, ius bonumque cum pietate & religione colerent. Affuitq; subinde iuri dicendo, ipseque illud dixit, non minore æquitate quàm seueritate. Pro tribunali sedente, sacerdos quispiam vtroq; oculo à viro quodam nobili patrono suo priuatus, propterea quòd illum erroris in religione arguisset, iniuriam querebatur suam. Non ibat inficias Zahora, id nobili huic cognomen erat, sed per animi impetum, quem tunc in potestate non habuisset, facinus admissum excusabat, offerebatq; pecuniam pro satisfactione, arbitrio iudicū æstimandam. Interpellauit dicentem Carolus, atq; hanc tulit sententiam: Nō posse in hoc casu satisfactionem sibi absq; talione constare, quando cæco in integrum restitui oculi nequeant, sed oportere Zahoram pariter atq; sacerdotem perdere oculos suos, neq; enim aliter ius esset æquabile. Inter hæc principes Germani dolentes vicem patriæ, quam velut viduam factā esse videbant, cum Cæsarem non haberet in conspectu, complexuq; suo Carolum adeunt, vt iam saltem inuisat Germaniam, & illam præsentia consoletur sua, postquā Boiemis Regem dederit filium suum. Consentaneum enim videri, vt Rex in Regno, Cæsar autem in Imperio resideat. Paucis illos Carolus absoluit, inquiens, Vt nunc silentio transeam, natale mihi solum esse Boiemiam: nam Pragæ natus sum, quæ quantum mihi auri & argenti suppeditet, venite & videte. Et eductos in Gazophilacium, massas auri atq; argenti nondum signati illis ostendit, & rogat, potestne mihi fiscus in Germania imperialis tantam, quantam regius in Boiemia, copiam metalli exhibere? Quibus mussantibus: Nōne igitur, inquit, & mihi & vobis magis expedit, me hîc paternis cum commodo etiam vestro bonis perfrui, quàm ibi mutuam exercere deplumationem? Nec enim aliter fieri posse, quàm vt Aquila, quam ad vos aduolantem bellè nostis deplumare, illa vicissim, vt vestras euellat alas, quæ ægrè interdum nonnullis renascuntur. Quin potiùs hoc in præsentia agimus, vt concordia vtrinque, & in Boiemia, & in Germania nostras fulciamus opes, quo faciliùs malum vndecunque veniens arcere mutua ope valeamus. Facitque mox illos certiores de tumultu Italico, quem Vicecomites Mediolanenses contra se, & contra Vrbanum Romanum Pontificem concitassent, quorum elatos spiritus compescere in animo habere aiebat: ideoque præsentes statim poscere incipit, vt ad tempus sibi præsto sint. Illi enimuero se ostendunt, quod Cæsar iusserit esse facturos: sed eam profectionem aliquanto serius prosequutus est, propter nouas denuò cum quarta iam [h] vxore con-

*Scripto comprehendit iura Boiemica.*

*Pœnæ talionis sententia lata & confirmata à Carolo.*

*Præsentiā Caroli requirunt Germani.*

*Opulētior Rex Boiemiæ ipso Imperatore.*

*Consultius iudicat in Boiemia viuere.*

*Vicecomites Pontifici se opponunt.*

*Vrbanus V. P.*

*M. Lemoux Monachus.*

*Sigiſmundus natus, Anno 1362.*

tractus nuptias. Vxori nomen Elizabeth, quæ Ludouici Regis Hungariæ conſobrina, & Caſymiri Poloniæ Regis neptis fuit: aderatque Rex vterq; nuptijs, ex quibus Sigiſmundus filius ei prognatus eſt, poſtquã ex Italia redijt: in qua

*Secundus Caroli in Italiam ingreſſus pro Pontifice Vrbano.*

Legatus Romani Põtificis, maiore ex parte Vicecomites iam domuerat. Ipſe præterea tamen ad officium ſuum redactos, ingenti pecunia eoſdem mulctauit, Piſanis Lucam, Florentinis Miniate oppidum ademit, ſibi illa vendicans, & ex hoc itinere. * Aganum diuertens, vbi præter reliquias diui Mauritij, cor-

** Nũc ſanctus Mauritius in Valeſijs non procul Seduno Sacras reliquias in Bohemiã vehit.*

pus inſuper Sigiſmundi Burgundiæ Regis multis inclytum miraculis iacere cognouit. ibi inſtat oppidanos pro illo poſcere, tanquam populari ſuo, propter linguæ Vandalicæ commertium, nec deſtitit incepto, quàm illud impetrat, ſecumque Pragam cum maxima omnium veneratione apportat. Deceſſit tunc apud Morauos Ioannes Caroli frater Marchio Morauiæ, cum mirifica laude benè adminiſtrati officij, adeò vt poſt mortem quoque eius Morauí omnes gratiſſima illud memoria celebrarent, ſibique optarent talem futurum adminiſtratorem. At Carolus accerſitis Iodoco & Procopio, ambobus fratris ſui filijs, pleniſſimam illis pietatem, qualem videlicet pater, non

*Mors Ioannis fratris Marchionis Moraui æ. eius Epitaphium ad Diui Thomæ Brunnæ.*

tantum patruus ſolet, exhibuit, ex æqua parte Morauiam æquabiliter inter illos diuidens. Paulò poſt item obijt Arneſtus Archiepiſcopus, ſimiliter officio

*Eius filijs à Carolo diuiditur Morauia.*

ſuo optimè functus, dum ſedulò docet, aut ſacerdotibus præſcribit, quemadmodum illos oporteat in domo Dei verſari cum timore & diſciplina: quibus

*Mors Erneſti Archiepiſcopi.*

neglectis, doctores ſimul atque diſcipulos cum ipſa religione penitus ruere. Leges quas ſuper hac reſcripſit, in hunc diem Inſtituta Arneſti nominantur, Multaque inſuper alia eius pia opera memorantur. Nam Valetudinarium lan-

*Leges ſacerdotibus cõſtituit.*

guentibus in oppidis ſuis, vnum Brodæ, alterum Pribrami, tertium Libaui conſtituit, ampliterque dotauit: & adhuc amplius quatuor cœnobia, indu-

*Beneficus in pauperes et religioſos.*

ctis in illa contubernalibus, qui ſe Canonicos regulares nuncupant, alios eorum Sackam, alios Rokizanam, alios Iaromirium, alios Glatium, apud quos ſepulturam ſibi delegit. Ad eiuſdem ſedem Carolus Ioannem Epiſcopum

*Ioannes prius Olomuzenſis II. Archiepiſcopus Pragæ, poſt Cardinalis.*

Olomucenſem tranſtulit, quem deinde Vrbanus Pontifex in Senatum Purpuratorum allegit: deditque viciſſim Olomucenſibus Epiſcopum Ioannem item nomine, quem ciebat Cancellarium ſuum, ac tum idem præſulem age-

*Regimini conſuefacit filium Carolus.*

bat Lythomyſlienſem. Adoleſcebat ſenſim Venceſlaus ad ætatem paulò fortiorem læto parente, ſummamq; dante operam, vt filium non ſolùm ad vitæ ſuæ rationes, ſed etiam ad Imperij ſucceſſionem traduceret. Itaq; tempeſtiuè illum grauioribus rebus, conſilijsq; & alijs regni curis admouebat, vt benè

*Cruciata pro ordine Theutonico aduerſum Lithuanos.*

conſulta audire, laboresque ferre conſueſceret. At illo ex ſerijs negocijs, non aliud quàm tædium referente, ac mox ad leuia & nugatoria cum æqualibus delabente, maritali illum capiſtro illigandum ex re duxit. Eortè id temporis conglobata promiſcua armatorum multorum multitudo, vt [k] Vinciro Pruſ-

*Germaniã populatur.*

ſiæ Magiſtro, contra perfidos Lithuanos iam diu mutuis cladibus certanti, opem ferret, crucem induerat, ingentique agmine per Alſatiam tranſibat, vbi ſeditione orta, ac mox in exitium Alſatiorum verſa, quam datura erat hoſti-

*Anno 1365. Incolæ Anglos vocabant ad 40000. fuiſſe memorant.*

bus, eam hoſpitibus calamitatem attulit, vberrimos illorum agros latè deuaſtando. Sed nihil horum adeò Carolum terruit, quàm quòd Argentinam egregiè munitam vrbem obſidere auſi fuerint. Quanta itaque celeritate poteſt, ad liberandam illam pergere, vnà cum filio Venceſlao feſtinat. Quo-

*Carolus illis ſe opponit.*

rum aduentu colluuies illa cognito, relinquit obſidionem, atque rurſus ad populandos agros ſe conuertit. Carolo propè mœnia in caſtris commoran-

*Ioannes à Lichtẽberg Epiſcopus Argẽtorati*

te, ad quæ ciues frequentes ventitabant. quorum vnus ferocior, militem quendam Cæſaris de via ſibi decedere dedignantem, in lutum prouoluit, tantus ſubitò ad hoc facinus in caſtris tumultus extitit, vt niſi Pontifex Argentinus opportunè tunc deprecator affuiſſet, pereundum ciuibus omnibus

qui

cui in castris aderant, fuerat, reus tamen audaciæ supplicium pro omnibus sustinere coactus est. Inde castra Colmariam versus mota, quo in loco adesse hostem exploratores missi renunciarunt. Sed rursus turba maleficij sibi conscia, vindicem Carolum non expectauit dum propius accederet, sed instante metu, sic dissipata & disiecta est, vt nunquam recolligi potuerit. Quo successu Carolus delectatus immorandum sibi paulò diutius, sed dimisso exercitu, apud Germanos existimauit, Rhenanas vrbes, & inferioris Germaniæ regiones ociosè peragrans, quoad in Holandiam peruenit, hospitio à Comite eiusdem prouinciæ per multam gratulationem & læticiam susceptus. Ibi tandem negocium Venceslao gratum peragendum reperit, peregitque vt filia Comitis, Ioannam nominabant, quæ Venceslao cordi erat, matrimonio eidem coniungeretur. Hoc negocio confecto, differre vltra tempus prensandi, suffragiaque pro Venceslao colligendi non potuit, sumpto initio ab his suffragatoribus, apud quos gratia & authoritate plurimum valebat: dein & ad alios, labori nō parcens excurrebat, vt omnium voluntates exploratas haberet: quibus satis perspectis, nulla videlicet ratione alia se illas, nisi grandi pecunia adnumerata, expugnare posse, in singulos Electores Principes centum millia aureum nummum se daturum spopondit. atque ita impetrauit, vt Venceslaus à Friderico Archiepiscopo Colonienſi, Aquisgrani loco solito in Regem Romanorum coronaretur. Cæterùm cum tantam summam dissoluere ad diem non valeret, cum maximo Imperij detrimento, publica vectigalia Imperatoribus ad subsidia relicta, ipsis principibus non tam oppignorauit, quàm perpetuò abalienauit, propter nihili filium, vt res postea declarauit, nisi quòd suus cuiq; charus est. Quintum annum Sigismundus alter Caroli filius tūc agebat, cum illi parens Marchiam Brandenburgensem attribueret, ne fraternas olim opes respicere, sed suis potiùs absq; molestia gaudere posset. Vxore quidem Elizabeth, quæ mater Sigismundi erat, factum haud improbante, interim tamen mediante, vt filius quoq; suus in fastigio sublimiore collocaretur. quod sanè vno hoc modo fieri posse videbatur, si filia Ludouici Regis Hungariæ, cui Maria vocabulum, filio suo Sigismundo desponderetur: nullo enim hærede virilis sexus extante, successionem Regni Hungarię ad spōsam deuolutum iri. Magnis igitur precibus matrem Ludouici cognatam suam, & ipsam Elizabeth vocatam, in oppidum Ternauiam propè Morauiam situm, ad colloquium familiare inuitat, valdeq; familiariter à cognata accipitur. deniq; familiarissimo tractatu, per vtramq; spōsalia cupita transiguntur, ratam transactionem, tum Carolo, tum Ludouico habentibus. Missus non multò post in Hungariam Sigismundus, vt à teneris statim sermonem Hungaricum, vsumq; militiæ perdi sceret. Ac ne Ioannes natu minimus filius prēteritus à parente videretur, Gor litium illi atq; alias in superiore Lusatia vrbes ad possidēdum, fruendumq; assignauit. Sanxit postremò legem, de viduis Reginis, offensus nuptijs, quas decoris quondam & maiestatis oblitæ, impares subibant, vt si posthac vidua Regina alij cuiuis, aut Regi, aut Principi nupta fuerit, præter dotem, vt exilio insuper mulctaretur. Cæterùm in ordinanda excolendaq; Praga, nullum sibi finem facere potuit, adeò vt in illa quędam opera magnificentię magis cōmendandæ, quàm usus gratia excitauerit. Nam quam vtilitatem affert murus ille sterilis, qui in hunc diem iugum Petrini montis longissimo spacio premit? Quanquam dicant aliqui, venationibus, ferisq; animalibus includendis locū illum à Carolo destinatum fuisse. At hoc omnium vtilissimū opus toti regno futurū erat, si absolutum fuisset, quòd in finibus Bauariæ, qua parte Vultauia fluuius qui Pragā interfluit, ortum habet, inchoauit, missis libratoribus, qui locum idoneum per libellam inuenerunt, in quo Danubius cū Vultauia cōmissus, omnes ex Italia & Germania aductas merces Pragā transmittere posset.

*Dilabitur exercitus.*

*Venceslaus ducit Ioannam filiā Alberti Bauariæ Ducis comitis Holandiæ.*

*Successorē Vēceslaum declarari petit.*

*Pecunia impetrat.*

*Venceslaus coronatur Rex Romanoum.*

*Anno 1376. 12. Iunij, ætatis 15.*

*Carolus vectigalibus publicis diuenditis Electoribus satisfacit.*

*Sigismundo Marchia Brandeburgensis assignata.*

*Sigismūdo mater Elizabetha procatur Mariam Ludouici Regis Hungariæ filiā hæredem.*

*Sigismundus in Hungaria educatur.*

*Ioannes filius Marchiæ Lusatia donatur.*

*Lex de viduis Regimis.*

*Insana ædificia Pragæ extructa.*

*Memorandum cœptū de Danubij cum Vultauia vulgò Moldauia coniungenda.*

Apparent etiamnum tanti conatus veſtigia, ſed irrito effectu, vicinis nouum opus prohibentibus, ne in iacturam illorum Danubius auerteretur. Aetate dein ſimul cum valetudine aggrauante, vocat ad ſe Venceſlaum, paulò ſocordius madidiusq; viuentem, eumq; Ioanne Archiepiſcopo corã pluribus compellat, quorum verborum hęc ſumma erat, Vt ſuſceptam perſonam ſanè magnam & difficilem magnanimiter gereret, in hoc verò magnum atq; imperio dignum elucere animum, ſi nullis facilè difficultatibus ſuccumbat, ſed vltro etiam occurrat negocijs. Ex quibus tamen quæ difficillima videri poterant, illa Dei benignitate, operaq; ſua eſſe ſublata, pacem in Italia, pacem in Germania, pacem circum vndiq; apud vicinos Reges & Principes vigere, affinitatibus aut fœdere conciliatos: domi verò tanta rerum omnium copia regnum inſtructum eſſe, quanta ab origine non fuerit inſtructius, vt iam vel leui cura atq; induſtria adhibita, omnia iſta in ſtatu ſuo æquabili contineri queant: cõtrà peſſum itura per negligentiam & ignauiam, vtpote vitia ad perdenda imperia inuenta, quod vel notiſſimo Sardanapali exemplo ſatis liquet, cuius, & talium ſimilium via domino abominatio eſt, velut impiorũ. Tu verò, inquit, fili mi, tanquam veræ pietatis alumnus, diligenter cauebis, ne incidas in ocioſas & improbas voluptates, néue te dederis ad aſſiduas cõmeſſationes & potationes. Luxurioſa enim res, vt Salomon ait, vinũ eſt, & tumultuoſa ebrietas, ac nemini magis quàm principibus turpis & dedecoroſa, vt quæ facias impotes ſui Principes, & propinet omnibus deridendos, vſq; ad contemptum: cuius ea vis eſt, vt dominis in ſubditos authoritatem adimat: qua adempta, perit ſimul obediendi parendiq; obſequium, præſentem ſi crudelitas acceſſerit, quæ ferè vinolentiam conſequitur. Omni igitur ratione immoderatus vini vſus, non ſecus atq; altera imperij labes tibi erit vitandus. Nã de cætero quod vitam tuam, quam hactenus egeſti, meritò accuſem non habeo, cum audiam laudari ab omnibus humanitatem, comitatem, adeundiq; & audiendi facilitatem tuam, atq; alia faſtigio minimè contraria, pro quibus videlicet ego me ſponſorem pro te Electoribus dedi, te in rebus gerendis talem futurum Cæſarem, qualem maximè optarent. Næ tu igitur magna me ſolicitudine liberaueris, ſi ab hac ſponſione fidem meã exolueris, mutata in paucis ſic vita tua, vt ne minimam quidem rem quiſquam poſsit vllam reprehendere. Promittentem dicto paterno audientem futurum à ſe dimiſit, atque intra breues dies vltimum vitæ cum ſumma gloria actæ, finem clauſit, Pragæ in templo diui Viti conditus.

*Admonet filium Vẽceslaum præſente Archiepiſcopo.*

*In principibus omnia vitia magis conſpicua teſte Poeta.*

*Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe crimen habet, quãdo maior is qui peccat habetur.*

*Carolus mortuus, Anno 1378. 27. Martij.*

[a] *Carolus IX. Rex Boiemiæ, idem & Romanorũ Imperator omnibus anteferendus.*

[b] *Valdemarus ſuppoſititius Marchio finxerat ſe religionis cauſa profectum rediiſſe. Ita plurimos fefellit indigenas mentitus nomen Valdemari. Magno non modo plebis verumetiam procerum applauſu exceptus. Adiutus à Carolo Ducibus Saxoniæ & Anhaltinis. Eum tamen Voldemarus Rex Daniæ omni priuatum ditione nouennio pòſt exilio multauit.*

[c] *Petrus Bertrandus Gallus & Aegidius de Albernotijs Legati Innocentij VI. Anno 1355. die Paſchæ.*

[d] *Duodecim regionum ſingulis annuatim præſunt Capitanei, Baro vnus, alter ex ordine equeſtri, qui lites minores cognoſcunt inter ſubditos diuerſorum dominiorum 2. Si qui emergant latrones licet ijs conuocare vicinam ſibiq; ſubiectam nobilitatem ad graſſatores comprehendendos 3. Bello fortuito incumbente quilibet ad ſuum ſe recipit præfectum. Sola Hradecenſis Regio quia dos Reginæ Burgrauiæ habet ob eam amplitudinem.*

[e] *Boleslai Suidnicenſis filiam Annam ducit vxorem, alij dicunt fuiſſe filiam Henrici Iurcenſis fratris Buleonis.*

f *Ioannes hic Andronici filius in contumeliam Cantacuzeni ſoceri fœdus cum Amurathe Turca primus iniit, ſe & regnum promiſſo tributo, filio Theodoro dato obſide in Turcarum fidem tradidit. Hoc initium eſt ſeruitutis, qua ſubiecti fuêre poſtea Byzantini Imperatores Regibus Turcis.*

g *Otho ſucceſſerat Ludouico Bauaro fratri frater. In coniugem filiam Annam Carolus dederat, cum Sobole caruiſſet ademit illi Marchiam, Anno 1373.*

h *Carolus ducit Elizabetham filiã Boguslai Ducis Stettinenſis neptem Caſymiri. Nuptiæ ſplendidiſſimæ Cracouiæ celebratæ præſentibus Rege Hungariæ Ludouico, Daniæ Sigiſmundo, Cypri Petro cum multis principibus, Anno 1363 in Bachanalibus.*

i *Iohannes quondam Marchio princeps Illuſtriſſimus*
*Qui Caroli quarti Cæſaris maximi frater fuit Germanus,*
*Quorum genitor Ioannes cæcus princeps Sereniſſimus,*
*Bohemiæ & Poloniæ regnorum Rex fortiſſimus,*
*Auus autem eorum Henricus ſeptimus*
*Qui Imperator erat Chriſtianiſſimus*
*Huius ſancti templi fundator primus.*
*Iam pace fruens cum ſuperis: hîc comperiatur ſepultus.*
*Iodocus quondam Romanorum Rex inuictus*
*Semper Morauiæ, Brandeburgiq; Marchio princeps Catholicus*
*Primogenitus fundatoris primi huius templi,*
*Et conſobrinus Sigiſmundi quondam Imperatoris Maximi*
*Huim ſancti templi liberalis reſtaurator*
*Et multorum in eo beneficiorum largiſſimus inſtitutor.*
*Cuius anima cum Chriſto perpetua fungitur pace,*
*Quamuis ipſe hic ſepultus quieſcit corpore.*

k *Vinrichus à Knippenrod XVIIII. Magiſter Pruſſiæ, ſub quo Keiſtuttus Dux Lithuaniæ captus.*

l *Bonfinius dicit, coniugem Caroli coniugem Ludouici petiiſſe. Hungara Elizabeth, Loktici filia. At Caroli Elizabetha quoq; ex altera filia Loktici prognata,*

# HISTORIÆ BOIEMICAE. LIBER VIGESIMVS TERTIVS.

*Venceslaus X. Rex Boiemiæ & idē Romanorum Imperator. Anno 1361. 17. Martij vel 28. Septembris.*

*Ignauia Venceslai latronibus feneſtram prædandi aperit.*

VEnceſlaus Norberge natus, & aqua luſtrali tinctus eſt. acciditq; vt eandem aquam, adhuc infans locio ſuo reſpergeret, ſicut alui ſimo ipſam aram in qua nondum bimulus coronabatur, coinquinauit, vtrumque peritiores inter prodigia retulêre, portendi per hæc dicentes, futurã, quæ ſub hoc Rege euenit, ſacrorum fontium, altariumq; contaminationē & violationem. [a] Hic igitur Venceſlaus Carolo parente ſolemnibus exequijs funerato, poſtquam Regimen in Boiemos ſuſcepit, initiò ſtatim adeò diſſolutè illud auſpicatus eſt, vt nullam neq; legũ, neq; iudiciorum curam habuerit. Ex quo velut iuſtitio, & impunitate facinorum inde conſequente, latrocinia & rapinæ, mala nuper intercepta, rurſus per vias publicas cooriri cœpta, ingentem rerum iacturam, præſertim mercatoribus, Pragam tanquam ad celeberrimum emporium confluentibus, afferebant. Non enim pedites modò, ſed etiam equites itinera obſidebant, maleficijs nobilitate quoq; obnoxia. Aduerſus hãc tandem nobilitatem, velut è ſo-

*Receptus latronum euersi.*

pore à ſuis excitatus, manum militarem colligit, caputque illi duræ ceruicis præponit, quod flecti non poterat, niſi latronibus expugnatis, & locis illorum euerſis. Tres tunc arces è ſaxo ſtructæ ad fundamentũ ſunt dirutæ, quas Boiemi, Zleby, Zbieroh, Rohozecz, vocant. [b] Nec Moraui hoc ipſo ferè tempore ſibi contra Hungaros populatores defuerunt, magna vi, per abſentiam Regis ſui Ludouici Morauiæ fines tranſgreſſos: qua parte Broda & Hradiſſtie oppida iacent, ibiq; totam illam regionem igne & ſpoliſs vaſtantes. Properè Iodocus & Procopius Marchiones, ad vindicandam iniuriam arma arripiunt, & cęteros alibi pari feſtinatione à proceribus armatos admouent, vt itinera omnia occupent, quibus hoſtis intercludi queat. Conueniunt alĳ Cremſirium, vbi copiæ Ioannis Pontificis erant, alĳ ſe ad vicum Malenouicium occulti cõferunt, ipſi Marchiones Korycanam oppidulum inſident, ac mox pariter omnes hoſtium copias circumeunt. Illi deſperata fuga acerrimè Morauos incurrunt, ſed à condenſatis illorum aciebus ſine vlla ordinum perturbatione excipiuntur, orto vtrinq; cruento prælio, Hungarorum amplius quatuor millia occiduntur, ac paulò minus capiuntur. Captiuos omnes Iodocus nobilitati ſtrenuè dimicanti diſtribuit, cæſorum autem ſpolia militi, cæterùm interceptas res quibus erant ablatæ, Morauis reſtituit. Sanè plaga hęc odioſa fuit, ſed quoniam culpa Hungarorum contracta fuerat, Ludouicus illam diſſimulanter præterire ſiuit. Obĳt tunc Ioannes Archiepiſcopus Pragenſis, authoritate apud Venceſlaum plurimum pollens. Vni enim huic tantum bene monenti libenter auſcultabat, modumq; aliquem cupiditatibus ſuis illo interueniente ſtatuebat, cæteris omnibus contemptui habitis: proin nimis immaturè illi de medio ſublatus eſt, cum antea de loco quem obtinebat, fortunis amplian do lautiſſimè meritus fuerit. Huic Sbinco à Leporibus è familia procerum ſucceſſit. Expectabant Germani principes dum Venceſlaus officio ſuo pronocatus, Germaniam inuiſeret, atq; in illa, vt par erat, imperialia munera obiret. Quo nimis diu ceſſante, edendoq; ac bibendo ocium in Boiemia conterente, qui miſſi ab alĳs principibus Pragam venerunt, ſalutem ei & gratulationẽ de incolumitate afferunt, & ſalutem ab illo rebus ſuis expetunt per aduentũ illius in Germaniam. Inconſultis ille omnibus qui coram aderant, de cerebro ſuo inconſideratiſſimè reſpondet. Se quæ peragenda ſibi in Germania fuerãt, pridem omnia negocia confeciſſe, Regno Romanorum legitimè ibi inito, nec in præſens videre ſupereſſe quicquam, quod è re ſua iſtic agat. Si quis princeps eſt, qui opera ſua indigeat, cur ille ad Regem ſuum potiùs non veniat, quàm Rex ad illum? Contempti ad hunc modum principes, quoad poterant contemptum reddebant, atq; ex ĳs vnus cui Clemo cognomen, Princeps Bauariæ, vſq; ad æmulationem imperĳ aſpirare auſus eſt, res Venceslai, cum in Boiemia, tum in Italia turbare cœptans. Sed illum Venceſlaus propter egeſtatẽ adeò deſpexit, vt non alias illi opes ac vires quàm Cameræ, vt vocant, ſuæ, in qua monaſteria item cenſentur, obĳceret, negocio dato Sulconi Chotelſouienſi præpoſito, vt militem armaret, & cum illo ad fines Boiemiæ Bauariam verſus ire feſtinaret, vt inde hoſtem primum expelleret. Septem millia peditum ſub ſignis habuit. Mox Sbinco Archiepiſcopus libera ſua voluntate tria equitum millia ei adiunxit, cum quibus copĳs Sulco fugientem Bauarum vltra montes perſecutus eſt, longeq; maiora acceptis detrimenta in Bauaria retulit, ac cum multis ſpoliſs domum ouans reuertebatur. Conuerſus in Italiam Bauarus, à Florentinis mercede conductus, cum Vicecomitem Mediolanenſem (Ioanni Galeatio nomẽ erat) ab officio in Venceſlaum tanquam Regem Romanorum auertere conaretur, ibi quoq; voto ſuo fruſtratus, incepto deſiſtere coactus eſt, nec multò pòſt mortem obĳt. At Galeatius miſſo ad Venceſlaum oratore, Petro Philargi Mediolanenſi Archiepiſcopo, & cum illo centũ millia

*Iodocus Marchio profligat Hungaros.*

*Rectore deſtitutus Venceſlaus.*

*Sbinco III. Archiepiſcopus Pragæ.*

*Euocatur in Germaniam.*

*Stolidi hominis reſpõſum.*

*Princeps Bauariæ Boiemiam infeſtat.*

*Sulcho Bauariam viceuerſa populatur.*

*Bauarus operam Florentinis locat.*

millia aureûm nummum, pro veteri titulo Vicecomitis nouum impetrauit, vt deinceps Mediolanenſis Dux appellaretur. Hoc quoq; tempore, nouum in Germania machinarum genus inuentum, quas Bombardas cognominant. Cura externa de animo poſita, quo ſecuriorē ſe eſſe viderat, eo deſidia & inertia maior, atq; libido intemperantior ipſum inuaſit, ſic vt ne à fœdis quidem luſtris, nedum à thoris alienis abſtineret, imò ſæpius in lupanari quàm in adulterio deprehenſus, adeò proſtitutis amoribus delectatum ferunt. Ab hac turpitudine Ioanna vxor maritum dehortari conata, offenſionem tantam ſubijt, vt audiret minantem, ſe quoq; in lupanar ab illo transferendam eſſe, ſi hac dehortatione non ſupersederet. Ac paulò poſt ira adhuc flagrante, accerſit Ioannem ſacerdotem, audire Reginam ſolitum, quoties delicta fidelibus auribus committeret. Quæ qnidem delicta Rex ab eo, dū authoritate, minis, carcere, fruſtra explorat, victus iracundia, Ioannem de Ponte Pragenſi deijci, ac ſubmergi iubet. Quàm verò ſanctus & innocens ſacerdos ille fuerit, ipſe fluuius oſtendit, ita de repentè arefactus, vt corpus nudaret ſubmerſi, in ſtatuque illo triduum permanens, donec ſubmerſus ad ſanctum Vitum ſepeliretur, vbi in hunc diem, quicumque ſepulchro temerè inſultauerit, immunis ab infamia non euadit. Mortua deinde Regina quoq; ex mœſticia & dolore fuit, quem ex iniquiſſima Regis ſuſpicione, cum maximo animi cruciatu tolerauit. At Rex alia occultiora naufragia aduerſus ſuos aduerſarios excogitauit, exſtructo ſub arce Vicegradenſi in ripa Vultauiæ balneo (nam ſæpiſſimè balneis vtebatur) machinoſo, in quo tabulæ pauimenti certa ſui parte ita leuiter coagmentatæ fuerunt, vt vel vno pede proculcatæ facilè laxarentur. quos igitur ex ijs qui ad lauacra inuitati erant, perdere volebat, per hanc rimam ruinamque præcipites in flumen dabat. Adeò natura ferus & ſanguinarius, vt aſſiduum penes ſe Carnificem haberet, quem vulgari vocabulo compatrem familiariter appellabat, quia filium eius de fonte ſacro leuauit: & tam proximū ſibi adhibuit, vt aliquoties vno eodemque equo ſecum vehi illum paſſus fuerit, deſilientemq; rapi ad pœnas, quos iuſſerat, ſpectauerit. Nulli interim ordini ſatis fidens, & nunc Boiemos Germanis, nūc rurſus Germanos Boiemis anteferens, Pragæ præſertim, in qua paucos in ſenatu Boiemos reliquit. Ac poſtremò nec arci Vicegradenſi ſalutem ſuam valde credere voluit, perturbatus tumultu à plebe contra Iudæos excitato, quem Rex cum omnibus ſuis nullo modo ſedare potuit. Seorſum igitur à Praga ſpacio vnius miliaris, nouam ſibi arcem vocabulo Cunratice bene firmam ædificauit, ad quam in quouis plebis vrbanæ motu, tanquam ad aſylum excurrere poſſet. ſed non minus ſibi cauent, qui timent, quàm is qui timeri vult, & ſæpe multi præualent aduerſus vnum, quemadmodum in Venceſlao tunc vſu venit, qui quantumuis ſibi cautus eſſe videbatur, tamen à ſuis captus eſt, qui in illum, tam ex plebe quàm nobilitate conſpirauerant, cæde recenti irritati, qua pridie duos ciues Pragenſes, & duos ex Procerum ordine, Giroſſium, & Hroskam, occidi gladio iuſſit. Captum igitur, quod nulli vnquam Regum ante contigit, in carcerem publicū, in quem ſupplicio afficiendi paſſim conijciebantur, detruſerunt, & menſes ibi quatuor in fœtore & ſqualore miſeris modis habuerunt. Exoratus deinde multis Regis ſui precibus ſenatus Pragenſis, vt loco illo tantiſper ei egredi, dum illuuiem & ſordes balnei lauacro eluëret, liceret: deducendū eum in ſeruili habitu quatuor publicis cuſtodibus ad balneum iuxta Vultauiam in veteri Praga poſitum, commiſerunt, ita vt duo ex illis ſimul lauarent, & duo veſtes obſeruarent quas exuerat. Morem hunc Boiemi in Balneis retinent, vt viri, iuxta ac fœminæ in illis omnia miniſteria obeant, aquam ſuppeditent, capita lauent, corpora defricent. Harum vna adlubeſcente, vt ſermone ſaltem eius perfrui poſſet, diutius calore balnei torrebatur, ſecedensque refrigerandi cau

*Vicecomitem Ducem Mediolanenſem cū hæredibus in imperij detrimentū creat acceptamagna vi pecuniæ.*

*Bombardæ iniurius.*

*Publicis ſcortis oblectatus Rex.*

*Reginæ monēti iniurius.*

*Mergit Reginæ confeſſorē ſecreta detegere recuſantem.*

*Balneum fraudulentum.*

*Crudelis Rex Comitem adiū gitſibi carnificem.*

*Nihil Regi vſpiam tutum.*

*Cunratice arcē extruit præſidiariam.*

*Rex capitur inaudito exemplo.*

*Balneum impetrat.*

*Boemorū Balneorum mos.*

*Fruſtratis cuſtodibus ope ambubaiæ lintre amnẽ traiſcit et euadit de cimaſeptima captiuitatis hebdomade. Gratia habita balneatrici.*

ſa extra hypocauſtum, conſpicatur lemnunculum piſcatorium cum remo in ripa vacuum, & mulierem interrogat, an remigare tantum ſciret, quantum remigio ad traiſciendum in alteram ripam opus eſſet? Qua annuente, abdit ſe in lembum, ac repentè ab oculis cuſtodum elabitur, venitque per deuia nudus cum nuda ad nouam illam ſuam arcem, prefecto arcis multum admirante domini ſui fortunã. Iubet ille veſtes promi, cœnamq; parari, ac ſtatim centum aureos nummos ſibi afferri, quos Suſannæ (ſic enim mulier vocabatur) nauli nomine in manus tradit, illamq; nõ ad menſam ſolùm, verùm etiam ad lectum ſibi adiungit. Inde haud multò ſecus poſt carcerem efferatus, atq; efferari ſolent indomitæ feræ caueis incluſæ, non tractari, non demulceri, nõ alloquio, niſi vnius Suſannæ molliri facilis, donec in arcem, quam Boiemi Zie brak dicũt, longiùs à Praga diſtantem, eoq; metu Pragenſium magis liberam, concederet. Ibi epulare conuiuium inſtauratum, & ſcena crudelitatis renouata, dum rurſus per compatrem ſuum carnificinam exercet in eos, quos ſuſpectos vel inuiſos habuit. Nec minore atrocitate Hanuſſius Ratiborienſis dux graſſatus eſt, quẽ ex Sleſia reuocatum, ideò arci Carloſteynæ præpoſuit, quia mirè appoſitus erat ad ſæuitiam Regis inſidioſam. Huius opera Straconicenſis, Opocenſis, Martinicenſis ex procerum ordine, ad arcem per reconciliationem ſimulatã inuitati, crudeliter ibidem necati ſunt. Iam tum Sigiſmundus Venceſlai frater Regno Hungarię potitus erat, Carolo Neapolitano, quem nõ nulli Hungari induxerant, inde expulſo, cum tanta præter operam impenſa, vt cum ſumere pecuniam fœnore à nullo poſſet, Marchionatũ Brandenburgenſem Iodoco & Procopio patruelibus ſuis dare in pignus coactus fuerit. Is quidem Sigiſmundus cũ priore captiuitate in fortunas fratris ſpe & mente oculos defixos haberet, placuit coniuratis, vt ex voluntate eius ſtatuerent de inſcienda iterum manu in Venceſlaum. Quo nõ improbante facinus, & prẽterea Iodoco Marchione Morauiæ eadem clam ſentiente, (nam Procopius abſens Brandenburgę erat) coniurati ſuo ibi tempore, dum Venceſlaus iuxta Berauam, in prędio regio cum paucis deliciatur, in eum inuadunt, captumq; in arcẽ Pragenſem pertrahunt in turri, ſub diligentioribus quàm prius cuſtodibus aſſeruandum. Sed ne huic quidem cuſtodiæ fidei ſatis habitum propter loci celebritatem. Inde igitur Crumlouiam ad Henricũ Roſenſem abductus fuit: atq; ille Viennam extra regnum tacitè tranſportandum curauit, vbi Albertus Auſtriæ princeps habitabat, quem deinceps Sigiſmundus elocata ei filia generum habuit. Ab iſto in latebras turris cuiuſdam [c] Viennenſis, ita abſtruſus eſt, vt inueniri niſi à conſcijs non potuerit. Nam Ioannes frater Venceſlai, & Procopius patruelis, cum ad vindicandũ Regem in libertatem, copias ille in Luſatia, hic in Marchia Brandeburgenſi cõparaſſent, atq; ambo Pragam veniſſent, captiuo ibi non reperto, inſiſtebant veſtigijs Crumlouiam tendentes. Sed eis Henricus Roſenſis cum valida armatorũ manu occurrere nõ longè à Budueio parabat. Quod vbi compertum ſimulq; certum habuerunt, Regem apud Boiemos in cuſtodia nõ attineri, progreſſu omiſſo, retrò ceſſerunt. Ita Venceſlaus ab omnibus deſertus eſſe videbatur, ſuo verò iudicio etiam inter deſperatos numeratus. Erat ſenex quiſpiã piſcator, qui pietate ductus frequenter miſeros carcere incluſos cum ientaculo piſciculorum à ſe captorum reuiſebat. Hunc Venceſlaus propius feneſtram admotum grandibus promiſsis onerat, ſi opera eius carcerem fruſtratus fuerit. Reſpondet ille, ſe niſi excuſſum nõ intromitti, ne vnà cum cibo inſtrumẽta ſecum ferret, quorum præſidio captiui queant elabi. Mihi quidem zona duntaxat ſerica opus eſt hac longitudine, & hac craſſitudine, atq; vtrumq; piſcatori indicat, eam tu facilè vel excuſſus cela re poteris, ſi illa ad nudum corpus præcinctus fueris. Recipit ad ſe negocium piſcator, & paulò poſt Zonam affert: tum Venceſlaus paratã illum nauiculam

*Metu Pragẽſium lõgius abvrbe ſecedit.*

*Dux Ratiborius miniſter crudelitatis Regiæ.*

*Carolus paruus Andreæ Regis Neapolis filius à Forgacio interfectus. An. 1385.*

*Sigiſmundus Rex Hũgariæ patruelibus Marchiam pignori deponit.*

*Secundò capitur Vẽceslaus fratre & patruelium altero conſentientibus Viennam è turri Pragenſi deductus.*

*Ioannes frater Venceslai & Procopius patruelis liberationẽ moliuntur.*

*Euadit è carcere Viennenſi ope piſcatoris inopis.*

habere

habere iubet, qui Danubium traiiciat. Illoq; traiecto, multis, inquit, peccatis meis ego in hanc alteram, mi senex, erumnam incidi, sed iterum per oblatã mihi diuinitùs nauicularĩj operam, salutẽ me recuperasse video. Dignus ergo & tu alter nauita, qui dignum à me operæ precium accipias, sed in loco suo, ad quem vt me deducas opus facto est, ac ne diutius qui sim hęreas, Rex ego Boiemiæ sum, cæterùm per viam tuum me socium esse assimulabo, & tu ne me aliter nomines aut honestes, caueto. In via porrò hęc fuerat expiscatus: Sigismũdum rebus Hungaricis impeditum, nondũ in Boiemiam ad capescendum regnum venisse, Pragæ autem alteram arcem à nobilitate, alteram quæ Vicegradensis dicitur, à Pragensibus teneri, eiq; Lanium quendam præpositum esse. In hanc Venceslaus mendici propemodum habitu, cum piscatore suo se insinuat, occlusaq; manu sua porta, ac persona detecta, exclamat: Qui Regius est, ad auxilium Regi suo ferendum accurrat. Plures quàm viginti pręsto fuerunt, iniectaq; prefecto cathena, vinctũ illum Regi tradiderunt. Iubet ille annulum detrahi de digito, illoq; signari literas, quas ad magistratum Pragensem nomine præfecti composuerat, vt aliqui eorum in arce consiliandi gratia properè apparerent, quorũ ille neminem restituit incolumem. Piscatori verò hanc gratiam retulit, vt illum in ordinem equestrem adscriberet, cum censu equestri, quo se vxoremq; suã & liberos Vienna Pragam translatos, honestè aleret. Ad leuandam autem inuidiam, confirmandasq; in posterũ & tuendas opes suas, affinitatem cum principe Bauariæ, quem Palatinum vocant, iniit, ducta in vxorem filia eius, quam Sophiam nominabant. Nouus porrò socer, vbi generum ludicris spectaculis, & magicis præstigijs delectari cognouit, plenum ludionũ & præstigiatorum plaustrum secum Pragam aduexit. Ibi dum præstantissimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adest inter spectatores Zijto Venceslai magus, ore vsq; ad aures dehiscente, accedensq; propius, artificem illum Palatini cum omni apparatu subitò deuorat, solos duntaxat calceos, quia luto obliti videbantur expuens, secessumq; inde petens, vẽtrem insolita esca grauem, in solium aqua plenum exonerat, præstigiatoremq; adhuc madidum spectatoribus restituit passim deridendũ, adeò vt cæteri quoq; eius socij à ludo desisterent. Ipse verò artem suã ostentans, nunc sua, nunc alie na facie, staturaq;, modò item in purpura & serico, ac confestim in lana & panno sordido Regi se offerebat, ambulantemq; in solido, ipse in eodẽ solido tanquam in aqua adnauigabat, & aliquoties Regem equis rhedarijs vectum, idẽ gallis gallinaceis ad epirhedium suum illigatis subsequebatur. Conuiuas prętera Regis variè ludebat, interdum manus eorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in vngulas equorum transformans, & aliquoties fronti illorum cornua ceruorum latissima adijciens, quoties videlicet è feneſtris ad subitũ spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent, antequam ipse vino dapibusq; illorum se ingurgitasset. Atq; vt ostenderet, se pecuniam quoq; pro vsu suo facilè conflare posse, triginta sues bene saginatas, ex manipulis graminum procreat, illasq; pastũ, proximè sues pistoris parci, sed locupletis extrudit, proponitq; venales, quo pistor vult precio: hoc tantùm emptorem admonens, ne gregem nouum ad flumẽ lotum propellat. Qua ille monitione neglecta, cernit in flumine manipulos fluitare, suibus submersis, ita vt neq; straminibus, neq; suibus potiri potuerit. Nihilominus precium datum recuperare parat, diuq; venditore quæsito, atq; in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedibus in scamno recubabat stomachabundus alterum pedem excitandi causa inuadit, eumq; à corpore protinus cum coxendice auellit, clarè Zijtone quiritante, & obtorto collo pistorem ad Iudicem trahente. Quid faceret pistor, in manifesto deprehensus, vt sibi videbatur, facinore, nisi vt damnum damno adderet, atq; de hac in-

*Piscatori se aperit Venceslaus.*

*Vicegradũ habitu mendici ingreditur.*

*Piscator equestri ornatus dignitate.*

*Sophiam Ioannis Stephani Fibulati filij principis Bauariæ filiã ducit vxorem.*

*Zijto Venceslai Magus.*

*Sues pistori uẽdit.*

*Prouerbium.* ſuper iniuria cum Zĭſtone decideret. Vſurpant ad hoc vſq; tempus Boiemi, vt malam emptionem exprobraturi, vice prouerbĭj dicant. Lucrum facies, quan

*Exitus vitæ Zytonis funeſtus.* tum Michael in ſuibus: piſtori namq; illi Michael nomen erat. Cæterùm Zĭſto impoſtor ad extremum à Cacodęmone ſuperſtes, cũ corpore & anima de medĭo hominum ſublatus fuit: iniecitq; Venceſlao curam de religioſis dein ceps ac magis ſerijs rebus cogitandi. Annus fortè tunc Milleſimus quadrin-

*Ludi ſeculares Romani in Iubilæum à Bonifacio VIII.* genteſimus à natali die Domini numerabatur, ludis quondam ſecularibus deſtinatus, quando vno ſeculo, hoc eſt centum annis ſemel Romani illos pro ſalute ſuorum ædebant. Romanis deinde Pontificibus meliore auſpicio, in Iubileum cõmutatus eſt, vt in eo omnium peccatorum eſſet remiſſio: Hoc de-

*Papa commutati. 1400. Iubilæus à Bonifacio IX. Papa, vt Pragæ celebraretur impetratum.* niq; nomine à Bonifacio Pontifice Romæ iniciatus fuit. Cuius vt Pragæ quoque Venceſlaus eſſet particeps, à Bonifacio impetrauit, vt ad Romanum modum domi illum conſecratum haberet, celebrauitq; magna religione, ac mira hominum multitudine, quæ non Iubilei ſolùm, verùmetiam reliquiarum

*Ioannes Huſſus contra indulgentias.* venerandarum gratia Pragam confluxerat. Hactenusq; recepta ſemel ab ſede Apoſtolica, à Boiemis Chriſtiana religio cum omnibus ceremonijs inuiolata, incuſſaque in Boiemia perdurauit. Senſim inde vacillare & labeſcere ſimul atque Ioannes Hus, quod vocabulum anſerem ſonat, ſtrepere inter olores, eorumque ſuauem cantum ſtrepitu ſuo, propter inualeſcentem factionem ſuperare cœpit. Popularem enim cauſam inter populares ſuos agendam ſuſce-

*Debacchatur in Germanos & ſacerdotes.* pit aduerſus Germanos, & aduerſus ſacerdotes, quibus vtriſque Boiemi non valde propicij erant, & ipſe quanquam ſacerdos, capitalis nuper inimicus vtriſque factus, dum impatientiſſimè fert, in honore cuiuſdam ſacerdotij prælatum ſibi fuiſſe Germanicæ nationis candidatum, ſuffragio Germanorum, & fauore primorum ſacerdotum. Sic videlicet Carolus ab inſtitutione Pragẽ-

*Lis de æqualitate votorum in Academia.* ſis Gymnaſij conſtituerat, vt in ferẽdis ſuffragijs Germani tres voces, Boiemi quartam haberent, quoniam pauciſſimi Boiemorum tunc operam literis nauabant: poſtremò tamen diplomate ſic concluſit, vt mos Parrhiſienſis Gymnaſij Pragæ item ſeruaretur. Exclamat Hus, morem hunc in Gallia retineri, vt externi, ſuffragio ſimplici, domeſtici autem triplici perfungantur. Ad Regem prouocant Germani, atq; vtraque interim pars iudicem muneribus corrumpere non ceſſat, adeò vt Rex ſibi dicere permiſerit, vnde mihi hic tam beatus

*Iudex auro corruptus.* anſer natus? qui tot ſubinde aurea argenteaque oua mihi excludit? Lata denique ſententia ſecundum Anſerem cum tanta Germanorum indignatione, vt plus quàm viginti quatuor millia ſcholaſticorum intra octo dies Praga ex-

*Scholaſtici Germani Pragam deſerunt.* ceſſerint, deteſtantibus artificum collegijs Anſerem, cuius opera fieret, vt labor illorum recideret ad tenuè precium, cum non adeſſent emptores. Hac re tam inſigni deſignata, vertit hinc roſtrum inquietum Hus, ad vellicandas Iu-

*Anno 1408. Colonia Pragæ eſt Lypſia, vt illa Lutetia.* bilei condonationes, quas Indulgentias vocant, taxandosque ſacerdotes deauaritia, luxu, ambitione, ſine vllo diſcrimine ſontes inſontesque, vt omnibus vbique inuidiam conflaret, ac præcipuè in aula regia, ad quam cum Sulco præpoſitus Choteſſouiæ, ſtipatus equitum peditumque caterua incede-

*Sulco propoſitus magno comitatu ſtipatus aulam frequentat.* bat, Rege ad menſam diſcumbente, qui adſtabant, vt Regis animum incenderent, videſne inquiunt, Rex, quanto ſuperbius, quàm etiam tu, Monachus iſte progrediatur? Quin tu pompam illo indignam detrahis, & ad te, quem decet, illam reuocas. Sulconem ingreſſum Rex interrogat, cuiuſnam hoc tam frequens eſſet ſatellitium? vt ſi ſuum reſponderet, mulctaretur. Non de-

*Applaudet Monacho Rex.* fuit ratio illi reſpondendi: Quemadmodum, inquit, tuus ego ſum ò Rex, ſic iſti omnes tui ſunt, id quod nuper in bello Bauarico ſatis declararunt, ſed & hodie mecum in hoc apparent, vt ornamento tibi ſint, & ſi opus fuerit contra quoſcumque auxilio. Stabat in menſa Regis patera aurea vino plena, ad eam Rex manu porrecta, præbibo, inquit, tibi Sulco, hanc pateram, vt

vt tu reliquum exhaurias, insuperq; eandem pateram tibi habeas, pignus erga te beneuolentiæ meæ. Quo viso, auditoq;, inuidia Hussitæ rumpebantur. At magister eorum Hus quottidie insolentior fieri, maximè vbi nactus est libellum Vicleffi hæretici, in Anglia damnati, cuius titulus est Alythia, per antiphrasim videlicet, quia verum minimè dicat, sicut Lucum nos, & Parcas nominamus, quòd neque ille luceat, neque istæ parcant, sed potiùs ad interitum omnium festinent, ita libellus ille ruinam & interitum omnium in Ecclesia rituum, atque cerimoniarum continet, à capite prosternendo orsus, dum summo Pontifici authoritatem suam adimit, illumque in ordinem aliorum sacerdotum redigit. Imò inter ipsos quoque sacerdotes omnem turbat ordinem, omnibusque bonis illos spoliat, eleemosina tantùm contentos esse volens: monachos verò haud secus atque dæmonis figmenta vitandos: nihil enim esse vota, nihil pudicitiæ, continentiæque vincula, nihil disciplinam tolerantiæ & innocentiæ, nisi mera hominum commenta. Confessiones autem auriculares, satisfactionesq;, tum extremas languentium inunctiones, & pro defunctis postulationes, ad solum quæstum sacrificulorum pertinere, quemadmodum ad ambitionem sacrarum vestium ornatum. Et cætera quæ commemorare piget, inter quæ & illud, quòd liberam cuique verbi diuini annunciationem concedit, cum in Ecclesia alios quidem Deus posuit Euangelistas, alios Propheras, alios doctores, ne omnes omnia essent. Hunc igitur, vt diximus, libellum Hus assecutus, multa aliter, quàm catholica docet Ecclesia, in aures vulgi ad res nouas arrectas detonabat, susquedeq; faciens obnunciationes quæ per magistratus sacerdotum fiebant, donec ipse Sbinco Archiepiscopus, vir magni animi Pragam descendit, vulgatoq; regio edicto, omnes citari iussit, qui descriptum Vicleffi librum penes se haberent. Amplius ducenti fuerant allati, atque in tanta æstimatione habiti, vt maior illorum numerus fibulis argenteis, inauratisque infibularentur, cæterùm ad vnum omnes igne consumpti. Ipsi Hus concionibus interdictum. Atque ille Praga discendens, in pago Husinecz vnde oriundus erat, veteri domino suo permittente, sermones quos cœperat, in magno cætu hominum sermocinabatur, glorians se eiusmodi colaphum Romanæ Ecclesiæ impacturum, vt liuorem eius, ne post centum quidem annos aboleat. Interim Pragæ Hieronymus & ipse liberalium artium Magister, atque ipsius Hus collega & consectaneus, communem sectam contra Germanos doctores, qui ibi remanserant, crebris disputationibus propugnare, multis bilem concire, alios argumentis & oratione tenere: nam & acutus, & disertus habebatur, eandemq; in scholis, quàm Hus in templis palmam ab auditoribus obtinebat. Fieri autem non potuit, quin multa in propatulum emanarent, quæ intra parietes differebantur, quibus vulgò cognitis pro captu quisque suo, aut has, aut illas partes fouebant: tanta postremò contentione, vt partium studio plebs vrbana diuisa, mutuis inter se pugnis, plagisq; interdum & saxis concurreret. Senatoribus vrbis à doctoribus Germanis, plebe autem à Hieronymo, vt corporis sui membro (Pragæ enim natus erat) stante. Quæ omnia Venceslaus cum sine cura haberet, Subinco Archiepiscopus, vt malis impendentibus obuiam tempestiuè iret, in Hungariam ad Sigismundum Regem se recipiebat, vt ab eo consilium & auxilium, periclitanti in patria religioni imploraret. Venitq; Posonium ad fines Hungariæ, vbi finem vitæ quoque suæ fecit, veneno vt ferunt, potionatus: corpus eius Pragam referendum, & in conditorio familiæ condendum affines & cognati curarunt. Præclarissimo Antistiti Venceslao fauente, sordidissimus est suffectus, Magistrum Albicum cognominabant, arte Medicum ac

*Alithia liber Viclephi Hussum cõfirmat.*

*Summa doctrinæ Vicleffianæ.*

*De pontifice, de sacerdotibus & monachis.*

*Confessio auricularis.*

*Prædicatio verbi cuiuis concessa.*

*Sbinco volumina Viclefi palam exurit.*

*Hussus pulsus in pago concionatur.*

*Hieronymus collega Iohannis Hus.*

*Hieronymus facundus & doctus.*

*Scinditur studia in contraria vulgus.*

*Sbinco à Sigismundo contra Hussi turbas auxilia petiturus moritur.*

*Ad sordes auaras Archiepiscopus Albicus vnicum extremæ auaritiæ baratrũ Pio Pontifici dicitur.*

prorsus digniorem, qui pharmacopolis, quàm Pontificibus adnumeraretur, vt qui ita ingenio auido,& ad rem attento fuit, vt minutissimarum quoq; rerum diligentiam, curamq; non omitteret, ipse clauem à penu & à cella vinaria sibi retinere, viniq; promam anum abstemiam præficere,& domi quasi cauponam & macellum instituere, dum vina meratiora, eduliaq; ex piscibus, auibus, feris lautiora ære commutat, seq; ad mensam aridam & sordidam cum familia pauca & abiecta reuocat. Quis enim paulò honestior ei libenter famularetur, qui ab alendis equis, tanquam sumptuosis, propterea quòd noctu etiam vorarent, ita auersus erat, vt palàm prædicaret, se multò patientius ferræ stridorem ferre posse quàm audire equos per noctẽ dentibus hordeum confringentes. Ob quæ in tantum venit contemptum, vt non minus suis, quàm aduersarijs esset despectui. Quin neq; illis amissa authoritate & æstimatione prodesse, neq; istis sine vllis viribus nocere posset. Audacter igitur Hus Pragã ad nidum reuolat, vt in illo alas maiores, quàm in nido natali extendat. & ade rat rursus noua occasio crescendi, quam per nouas indulgentias Ioannes Romanus Pontifex ad Boiemiam missas offerebat, pollicens plenam delictorum condonationem ijs, à quibus latum auxilium aduersus [d] Ladislaum Regem Neapolitanum, Romanæ Ecclesiæ rebellem fuisset. Id verò Hus ambabus iam buccis, vt Satyricus dixit, sclopo tumidis intendebat rumpere, totasq; iam planè indulgentias cum potestate Pontificia abrogare, factione plebeia fretus, quam sic addictam sibi habuit, vt tres vno die conditionis extremæ homines, in tribus templis, cum quisque eorum in suo templo recitari, pro concione decretum Pontificis audisset, clamore magno recitanti obstrepere ausus fuerit, palàm vociferans, Romanum Pontificem esse Antichristum, qui crucem aduersus Regem Christianum decreuerit. Omnes hi tres comprehensi, & in carcerem continuò detrusi sunt iubente senatu, qui maiore ex parte è viris Germanis constabat, quibus Venceslaus, tanquam in religione constantioribus, plus quàm Boiemis fidebat. Adest repentè ipse Hus, & cum eo turba, minimũ secum caudam trahens duum millium hominum, aditum in curiam postulantium. Renunciat senatus, non esse locum in curia tantæ multitudinis capacem, sed si quid agere apud senatum Hus velit, actionem ei nõ denegari, modò quo decet numero comitatus veniat. Postquam venit, nõ aliud postulauit, quàm vt ne quid grauius in iuuenes captos consulerent. omnem enim illorum culpam in eleuandis indulgentijs in se transferre, qui illos talia loqui docuerit, nec abnuere pœnam pro illis subire, si pœna dignus est, qui vera dicit. Respondet senatus: Irent cum bona pace in viam quisq; suã sibiq; persuadeant, nihil temerè senatum in captos acturũ. Initaq; deliberatione, & ante oculos edicto proposito, quod pridem sub pœna capitis in audaces & præfractos promulgarunt, qui gloria præcellentes non verentur conuitijs incessere, postridie mane carcere cum præsidio armato eductos gladio percuti iusserunt. Corporibus adhuc iacentibus, accurrit mulier quæpiam, & singulos inuoluit sindone munda, eamq; continuò libitinarij cum choro scholastiorum insecuti, extulerunt illos ad templum Bethlehem, vbi Hus concionatorem agebat, præcinentes: Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt. Ac illo quidem die Hus concione abstinuit, sed postea non cessauit mortem illorum deplorare, inuidia maiore quàm vt illam sedare possent senatores. Nam quę tunc Regis cura fuerit, inde licet æstimare: Venerat Praga ad illum nuncius, nuncians arcẽ Vicegradensem incendio ferè totam esse consumptã: etiamne, inquit, cella vinaria exusta est? vt incolumem audijt: Ardeat, inquit, vel denuo arx, totaq; pereat, dummodò saluã nobis cellam sistat cum vino nostro Rhenano. Tantundem spei sacerdotibus iniuriã passim ab Hussitis sustinentibus, in Albico erat, homine perinde officij sui negligentissimo, ac lucri

*Nihili fit Episcopus.*

*Redit Pragam Hussus.*

*Ioannes 23. Papa.*

*Papa dicitur Antichristus quòd crucem cõtra Christianos prædicet.*

*Comprehensi vociferatores.*

*Plebs captiuos relaxari vult.*

*Capite dederunt pœnas. Martyres habiti.*

*Brutũ animal Rex.*

*Rex & Episcopus dignum patella operculũ.*

lucri tantùm auidissimo, cuius amittendi metu, ab omnibus arduis negocijs valde abstinebat, natura aliâs meticulosissimus, quanquam adhuc metuenda haud instabant, nondum à quoquã facta mentione de cõmunione sub vtraq; specie, quæ deinde cõtrouersia, sursum ac deorsum cuncta apud Boiemos miscuit. Dum in hoc statu res in Boiemia essent, Germani iam pridem [c] Roberto Bauaro amisso, quem Venceslao superstiti surrogauerant, rursus ad alium eidem surrogandũ animos adijciunt. Moguntino comitia Electoribus indicente, ad quę cum Sigismundus Rex Hungariç, tanquam Marchio Brandeburgensis, qui vnus Electorũ habetur, venisset, dignitatisq; Regiæ gratia, primus sententiam esset rogatus de Cæsare nominando, se ipse nominauit, Me inquiens ego noui, alios nõ itidem, an æquè mecum imperio orbis digni sint, præsertim in tanto rerum motu, quo Italia quoq; Schismate ibi durante plurimũ laborat. Mirati hanc tam liberam & apertam Sigismundi vocem cæteri Electores, cõmuniq; assensu illam approbantes, ipsum Sigismundum Venceslai fratrẽ, Cæsarem consalutant. Qui vt ostenderet, non tam se honoris ambitiosum, quàm laboris pro republica Christiana subeundi cupidum esse, vt illam videlicet in pristinum statum, erroribus & schismate sublatis reduceret, laboriosissimam peregrinationẽ obijt, qua magnam partẽ Europæ peragrauit. Dum Italos, Gallos, Hispanos, Britannos, & alias nationes ad concilium Constantiæ in Germania celebrandum contrahit. ad quod accersitus Hus, tametsi Romã antea citatus ire noluerit, fide tamen publica à concilio accepta, ipse primùm, deinde Hieronymus eius consectaneus Constantiã venit. Quibus absentibus, nihilominus discipuli eorum, disciplinam quam receperant, arctè tenebant, accurateq; illam apud Pragenses defendebant, quottidie noui aliquid de suo adijcientes. Tandem Petrus quidam Misnensis, quasi magnum quiddam, & abstrusum, ac non lippis notum & tonsoribus inuenisset, gestiens ad Iacobellum popularem suum, qui Pragę ad sanctum Michaelem Euangelium annunciabat, accessit, eiq; verba Ioannis Euangelistæ ex Cap vj. descripta perlegit, quæ sic se habent: Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis. Videsne, inquiens, quanto in errore versetur nunc Ecclesia, quæ alterã Eucharistiæ partem, sine qua vita non est, plebi adimat, cum nugator ille potiùs tota errauerit via, qui verba illa Domini de Sacramento altaris, quod in vltima demum cœna institutum fuit, interpretatus sit, veritate aliter se habente. De se namq; ipso Dominus apud Ioannem loquitur, deq; verbo suo, quod caro factũ est, datq; vitã omnibus in se credentibus. Sed in tanta errorũ caligine, quæ latè diffundebatur, facilè erat, vt stellæ errati cæ iter suis ostenderent deuium. Nam si rectam institissent viam, nunquã illis Hus à carcere rescripsisset, Illos tandem reperisse poculum, quod sibi mortem acceleraret: iam enim de capite in cõcilio decernebat, & inter alia, quæ ei obijciebantur, quo celerius damnaretur, hic etiã articulus de calice eum prægraua bat, quasi illo authore propinatus. Sed & ille Theologus Germanus vaticinari visus, qui Iacobello huius potius primò exprobrauit: Non tu, inquiens, calicem salutis, sed cyathum furoris, & poculũ ruinæ Boiemis suppeditasti, vt illo hausto furiant, vomant, insaniant, & mutuis ad extremũ prælijs inter se dimicent, quod paulò post ita contigit. Vetante enim concilio Boiemis vsum calicis, deinetiã execrante eos, qui aduersus vetita ire auderent, tantùm abfuit vt incœpto abstinerẽt, vt pro irritamento potiùs concilij decreta habuerint, nõ solùm ad institutũ suum continuandum, sed etiam ad illud undecunq; augendum. Itaq; cum initio tantùm qui matura essent ætate, calicẽ delibarent, post hanc execrationẽ, sine vllo discrimine, pueri puellæq; rationis nondum capaces deducebantur: postremò infantes adhuc lactantes, ad degustandũ à nutricibus portabantur in omnia templa Calixtinorum, sic videlicet se nouæ sectæ

*Sigismundus Rex Vngariæ sibimet calculum in electione dat.*

*Sigismundus Imperator salutatus. Anno 1411.*

*Itinera pro cogendo concilio à Sigismundo suscepta. Concilium Constantiense.*

*Lis à Petro Misnense per Iacobellum de vtraq; Sacramẽti specie mota.*

*Professio calicis Hussõ mortem accelerauit.*

*Omen de poculo sacro.*

*Albicus Episcopatum Conrado Vesphalo subcamerario vendit.*

sacrificuli cognominabant. Albicus præsul cernens sacerdotes suos templis expelli,& Calixtinos substitui, verensq; nisi per tempus Pontificatum venderet,quem de Rege emerat,ne iacturam precij cum amissione ipsius Pontificatus faceret, Conrado illum Bestuallo, quem Rex subcamerarium vt vocant, constituerat, vendidit. Quippe solebat Rex à Boiemis postquam offensus est,

*Cõradus Vuestphalus V. Archiepiscopus Pragæ ex Episcopo Olomucense.*

externos quoq; & humili genere prognatos, ad nonnulla officia sublimare. Sed nec Pontificem ab initio ipsum Conradum improbares,adeò cõtra præuaricatores & defectores incaluerat,mox tamen eo vsq; intepuit, vt bona insuper Pontificatus ferè omnia, eodem quo Albicus metu, ac vitio auaritiæ victus, profanis vili precio oppignorauerit.Contra hunc,qui,vt dixi initio, ve

*Ampliora petunt Calixtini templa.*

hementer Calixtinorum conatibus obsistebat,illijpsi Calixtini, Nicolaum ab Husynecz actorem subornant, vt apud Regem ageret, quo illis liceret plura loca sacra occupare, in quibus commodè pro multitudine populi calix distribui posset.Respondet Rex ei,quantumuis tenuiter filum torqueas, nequa quam mihi tamen adeò hebetes oculi sunt, vt vel tenuissimè deducta fila haud cernam,non vnde tu,quemadmodum fortasse speras, telam texas, sed

*Minax responsum Nicolao datum.*

laqueum collo induas,si nere,vti cœpisti, perseueraueris.Nicolaus,qui nosset Regem non fruſtra minari,repentè se è conspectu illius subducit,& ad suos reuertens, malum, quod non minus sibi, quàm illis immineret, si obuiam illi communi consilio itum non fuerit, expromit. Iussus sententiam suam dicere,sibi secessione opus esse videri,quæ locum multitudini,tum amplum, tum satis tutum ad peragenda ipsorum,& participanda mysteria præbeat, qualem

*Ad montẽ Tabor vrbe excedunt Calixtini.*

se offert mons Tabor, quintum à Praga lapidem distans, in quo nunc municipium eodem vocabulo situm est.Ferunt ex viris,mulieribusq; & pueris turba miscellanea, ad quadraginta millia hominum illò confluxisse, mensasq; trecentas circum appositas fuisse, vino & calicibus instructas, factamq; ibidem mentionem Regis noui creandi, à ceremonijs ipsorum minimè dissen-

*Coranda impedit noui regis electionem.*

tientis, sed illam mox præuaricator, Coranda cognomine, eiusmodi verbis discussit.Regem,inquit,habemus,& non habemus:uocabulo quidem Rex est, qui modò regnat, potestate autem tantidem valet, quanti pictum in pariete simulachrum. Idq; vtrumque rationibus nostris maximè conducit, si modò confirmare sectam nostram, atq; corroborare cupimus. Primum enim ex titulo Regis Romanorum magnum robur nobis accedit aduersus factionẽ Romanam, quæ nihil contra Boiemos attentare audet, quoad videt regem

*Vafrum consilium.*

stare à religione ipsius.Nobis autem quantulum obesse potest Rex,qui viuens mortuus est? At si nobis ex priuatis Rex aliquis existat, & interim aliquid vel domi, vel foris ingruat, talis, neq; rebus suis, neq; nostris, propter virium imbecillitatem consulere poterit. Non erat grata Nicolao ista oratio, sed quid vnus aduersus omnes,qui verba Corandæ comprobabant? Et ante alios Rex, tametsi dicta in se contumeliosa inerant, Corandam tamen laudauit, quem-

*Nobiles se Husitis socios faciunt.*

admodum scilicet Dominus ille in Euangelio dispensatorem iniquitatis, quòd prudenter fecisset. Nicolao verò etiam diligenter quæsito, potiri nequiuit ipsa nobilitate sensim iam consilia sua cum præuaricatoribus & plebe infecta commiscente, ne alij alios auxilio destituerent.Atq; hac item ratione elapsus est alter nobilis latro,à Rege ad supplicium destinatus, propter summã eius perfidiam, credulitatemq; & sacrilegium. Ingressus monasterium quod

*Monachi interempti,direptæ opes monasterij Oppatouiensis.*

Oppatouitiũ appellant,hospitioq; cum tribus comitibus à Petro Abbate benignè exceptus,tres mox alios induxit,ac deinde viginti simul prædones,dato illis negocio, vt obuios quosq; monachos trucidarent: adhibita insuper seni Abbati crudelissima tormenta,vt thesauros Monasterij proderet.at ille nullũ omnino verbũ per cruciatũ emisit, qua re exasperatus immanis hospes,in omnia loca occlusa inuadit,armaria refringit,cistas recludit,& quicquid in illis

aureæ

aureæ,argenteæq; monetæ inerat,id totum diripit.Mox donario per quam opulento impias manus admouet,signaq; inde & calices,& cruces,atq; alia huiusmodi vtensilia ex auro & gemmis preciosa,plaustris imponit,secumq; aucta domũ asportat suam. Trigesies sestercium æstimata fuerunt bona illa ablata. ipsi quoq; Abbati vitam abstulerunt.Aderat omnino Regi illa voluntas, vt tot scelera & facinora protinus vindicaret, sed in seditionibus, & magnis factionibus, ne ipsi quidem Reges quæ uoluunt præstare semper possunt. In tantum autem Hussitarum factio Pragæ contra Senatum inualuerat,vt quod dici solet, vbi res præposterè geritur, plaustrum ibi bouem traheret,adeò videlicet imbecilla erat Senatus authoritas,& valentissima populi audacia: cuius audax Apostata signifer fuit,signum calicis per vicos & plateas præferens, turbamq; antegrediens,& interim obseruans calicis contemptores aut irriso res.Venerat id temporis Pragam Ziscо,malum patriæ fatale,sed hactenus bene reconditum, ne malè facere posset. Natus in Boiemia loco quidem equestri,sed re & censu tenui,quales non facilè emergunt,nisi omnes difficultates audacter superauerint, iuxta illud dictum: Aude aliquid, si vis esse aliquid.Is Ziscо quòd monoculus sonat, cum in noua ciuitate apud hospitem diuertisset,anxium & sollicitum causam præsentis curæ eius interrogat. Illo respondente,iussi,inquit,sumus,arma quæ habemus, omnia in arcem ad Regem deferre:si iussa facimus,præsidio domestico in seditione intestina nos nudamus, sin imperium detrectamus, veremur ne armatos regios in nos concitemus. Ad hæc Ziscо,bonum habe animum hospes,adest mihi consilium ad liberandum vos cura ista, si vnusquisq; vestrum arma induerit sua, seq; Rege coram in armis repræsentauerit, non audebit ille postulare vt arma exuatis, sed gratus præterea erit, vt armati inde quàm primum discedatis. Atq; ita res cecidit, eademque Ziscоnem Pragensibus mirificè commendauit, ad omnem occasionem benè de illis merendi intentum.Incedebat Apostata,de quo statim dictum est,cum pompa sacrorum per forum iuxta domum prętoriam, in cuius vestibulo accensus prætoris sedebat,calici non assurgens, neq; caput denudans:quod vbi animaduertit Ziscо, comprehendi accensum iubet, fugam ille in domum cœptat, sed in vestibulo adhuc corripitur. Adest confestim Nicolaus Prætor,rogatq;, quid sibi velit hic impetus? hæc vis? an se, an præsentem Senatum non habeant?ad quem sine tumultu querimonias deferant? At illi prætorem per contumeliam Germanum appellant, calicisq; osorem, & vnà cum accenso multis ibidem vulneribus confodiunt. Irrumpunt deinde in curiam, & cæteris quoq; Senatoribus manus iniiciunt, deorsum illos de fenestris præcipitantes, gladijsq; & pilis, atq; telis excipientes. Pulso inde Regni etiam Camerario, qui cum trecentis equitibus ad comprimendum motum accurrerat.Prandebat tunc Rex, cum ei tam atrocis rei nuncius de improuiso superuenit,ad quem ille consternatus,à mensa surgebat.Ibi adstans Prægustator, triduo, inquit, antè hoc ego futurum esse sciebam. Arripit per capillos Prægustatorem Rex, illumq; ante pedes suos prosternit, pugione occisurus,tanquam tanti facinoris conscium. Qui circumsteterant, ægrè pugionem extorserunt, admonentes, ne cæde administri Rex maiestatem suam coinquinaret. Qui statim Apoplexia inter manus adhuc illorum tangitur,& non post multos dies moritur.Corpori ne Hussitæ illuderent,Sophia Regina clam illud noctu,sine vllo exequiarum honore in aula Regia,quemadmodum superstes exoptabat,sepeliendum curauit.Nam reliquis Monasterijs cultu & splendore aula Regia anteibat.

*Rex imbellis.*

*Prostrata Regis & Senatus authoritas.*

*Ziscónis genus & origo.*

*Nomen vnde.*

*Quibus artibus exercerit res suas Ziscо.*

*Consilium Ziscónis benè succesit.*

*Iudex urbanus à Ziscone confossus.*

*Cura directa Senatoribus insulatis.*

*Rex Venceslaus excandescens apoplexia obit Anno 1418. Aetatis 57.*

a *Addunt Germani ædem parochialem ad S. Sebaldum cum aqua pro baptismate calefieret conflagrasse: Mater puerperio extincta.*

b *Excursionis huius nulla apud Hungaros mentio nisi viuo adhuc Carolo. Id ex auctoritate Regis* Ludouici *bellum indicentis, quarum inimicitiarum etiam Poloni meminerunt ante ductam Elizabetham Cracouiæ, vbi pax confecta.*

c *Splendida Viennæ domus quam Regiam & iam Pragensem nominant, quod illic fuerit detentus Venceslaus. Nunc Salinæ eò loci, & præfectus Salis inhabitat.*

d *Ladislaus hic erat contra Sigismundum in regnum Hungariæ accitus, sed Iadera Dalmatiæ reuersus suum regnum pacauit. pro incredibili prudentia & magnanimitate formidolosus esse cepit Pontifici Romano. vicesimo regni anno Romanos contra Bonifacium Pont. incitauit. Gregorius Papa, dum abesset Romam occupauit ideo, regni titulo priuatus, bellis Pontifices exercuit.*

e *Rupertus Rheni Palatinus Cæsar designatus Anno 1400. Florentinis mercede suam condixit operam contra Galeacium Mediolanensem. conatu irrito obijt 1410.*

# HISTORIAE BOIEMICAE LIBER VICESIMVS QVARTVS.

*Sacrum Interregnum.*

INterregnum sequitur, quòd impia facta, à religione læsa impiè profecta, & plus quàm ciuilia bella continet, qualia videlicet Gigantea fuisse feruntur, in quibus non cum hominibus modò, verumetiam cum Diis, eorumq; sedibus pugnabatur. Vix enim in huuc diem monasterium paulò nobilius integrum in Boiemia inuenias, cum tot & tanta, tamq; magnificè exstructa & adornata habuerit, vt cũ quouis regno, de splendore & multitudine illorum certare potuerit. Sed ne testimonium nostrum velut domesticum, cuipiam leuius esse videatur, dabimus externum graue, & fide dignum, nempe Aeneæ Siluij, qui postea Romanus Pontifex fuit. Eius verba hæc sunt: Nullum ego regnum ætate nostra, tota Europa, tam frequentibus, tam augustis, tam ornatis templis dotatum fuisse, quàm Boiemicum reor. Templa in cœlum erecta, longitudine atq; amplitudine mirabili, fornicibus tegebantur lapideis, altaria in sublimi posita, auro & argento, quo sanctorũ reliquiæ tegebantur onusta, sacerdotũ vestes margaritis tectæ, ornatus omnis diues, preciosissima supellex, fenestræ altæ, atq; amplissimæ conspicuo vitro & admirabili opere, lucem præbebant. Neq; hæc tantùm in oppidis atq; vrbibus, sed in villis quoq; admirari licebat.

*Pij Pontificis de Augustis Boemiæ tẽplis testimonium.*

*Hussus & Hieronymus cremati. An. 1415. 6. Iulij.*

Nunc igitur ruinam illorum, nihilo mirabilem minus, at magis profectò miserandam, stilo celeri percurremus, nec enim in re calamitosa diutius immorari iuuat. Ab obitu statim Venceslai cum iam Hus & Hieronymus exusti essent, conciliũ Constantiense literas hortatorias ad Boiemos scripserat, vtschismate impio tandem posito ad vnam verã catholicã redirent Ecclesiã. Quibus acceptis non Boiemi soli, sed cum illis Moraui quoq; Pragam conueniũt, ac de cõmuni consilio totius factionis ad quam multi iam Procerum nomina dederant, concilio respondent cõtumelioseè quasi iniusto iudicio viros in-

*Inuitantur Boiemi à concilio ad respiscentiam respondẽt contumelioseè.*

*Direpta monasteria & succensa.*

insontes, dum monachis accusatoribus & testibus gratificatur, cõdemnasset, in magnum Boiemorum contemptum, cuius tam propere obliuisci nequeãt. Facta monachorũ inter Hussitas mentione, ruit turba incondita & temulenta in monasteria Prædicatorum & Cartusiensium, quos vtrosq; velut præcipuos ipsius

ipſius Hus delatores ſuſpectos habuit,bona monaſterij rapit,monachos tundit,ædificia ſternit,poſtremò vtriſq; ignem ſubijcit. Ac mox vertit impetum in templa,ritum Romanum in omnibus ceremonijs retinentia,in quibus nudat altaria,confringit organa,delet imagines,pellit foras paſtores,& in locum illorum fures & latrones ſubſtituit. Tranſtulerat ſe regina Sophia de arce Vicegradenſi in arcem diui Venceſlai à tumultibus plebeijs aliquanto ſedatiorem, quia minoris Pragæ oppidani huic arci ſubiecti, haud dum conſilia ſua cum veteri & noua Praga conſociauerant,ſed antequam mordicùs tenebant religionem. Vt igitur cum ipſa Regina illi quoq; magis in tuto ab hoſtili inſultu eſſent, ſuaſore Vdalrico Roſenſe,præſidia locis idoneis imponuntur, vt ad templum diui Thomæ,ad domum Archiepiſcopi,ad domumq; Saxonum, cùm fortè Pragenſes à Calixtinis inuitati, rurſus ad montem ſecederent, quo maxima hominum multitudo conuenerat,qui deinde omnes Thaboritę cognominati ſunt, ij quaſi Pragenſium vicem dolerent, quòd liberè domi calicem attrectare non auderent, obſeſſi à duabus arcibus regijs capiti illorum impendentibus,ad demoliendas illas,ſimulq; tollendum in Boiemia regium nomen,& pro illo ſtatum popularem conſtituendum, vt tandem verè liberi ſint,operam ſuam pollicentur. Talibus verbis perſuaſi, redeunt cum Thaboritis Pragam,ductoreq; Nicolao Huſentio arcem Vicegradum maiore vi adoriuntur,quàm vt præſidium regium ei poſſet reſiſtere,qua per deditionem recepta, ad minorem Pragam oppugnandam, Ziſcone præterea ſibi adiuncto conuertuntur. Domus Saxonum,quæ pontem tutabatur,aditumq; prohibebat,impetum illorum prima excepit, diuque illum ſuſtinuit ope Bombardarum, quod genus machinarum, vt nouum, ita terribile, ac omnium maximè exitiabile apparuit. Eius metu oppugnatione in noctem dilata,per quam tela certo ictu dirigi non poterant,Thaboritæ propius domum accedentes,pugnam cominus gladijs conſerunt,euaduntq;,ſed non abſque ſuorum ſanguine ſuperiores. Eadem fortuna ad templum,& ad domum Archiepiſcopi fuit, cædibus omnia fœdans, donec vtrumq; præſidium diſſiparetur,& quæ cuiq; patebat ad arcem via confugeret. Regina caſu ſuorum territa,arciq́ue diffiſa, inde ſe cum Vdalrico ad loca ſecuriora ſubducit. Inſtant Thaboritæ contendere,dieq; noctuq; pugnare,vt arce potiantur, ſed feliciore defenſorum contentione,ab illa retro in minorem Pragam repelluntur,quam deinde vtrique maximis incommodis affligunt, dum pro poſſeſſione eius acerbiſſimè certant,Sigiſmundo occultè ſubſidia arci ſubmittente. Interuentu tandem procerum nonnullorum,tantæ cladi domeſticæ grauiter indolentium,factæ ſunt ad quatuor menſes inter præfectos arcis & Pragenſes inducię in hanc legem, vt ne præfecti communionem vtriuſque ſpeciei interturbent,atque è diuerſo Pragenſes ne ſacerdotes,veterem ritum obſeruantes, ſuis ſedibus, neue monachos & ſanctimoniales monaſterijs expellant, & in primis vt Vicegradum reſtituant. Quo facto Pragæ rixandi, mutuiſque cædibus ſæuiendi pauſa aliquantiſper fuit, ſed foris Thaboritæ nullam intercapedinem nocendi faciebant,nec vlla ipſi inuicem quiete perfruebantur. Montanis præcipuè,quorum maximus numerus in montibus Cuthnis metalla mercede fodiebant,illis venatorum more inſultantibus, dum omnibus vijs eos indagant, captant, captoſque in altos puteos conijciunt, breui tempore amplius mille ſexcentos. Antequam igitur inducię præteruolarent,dat Sigiſmundus Cæſar è Conſtantia ad omnes in Boiemia ordines literas, vt in Morauia Brunnæ in conſpectu ſuo appareant: nondum enim maturum videbatur,vt in Boiemiam ad capeſſendum regnum iret. Conueniunt tam multi,vt vix vllo alio tempore Brunna tot hoſpitib. completa fuerit. Aderat & Sophia regina. Pragenſes ſeorſum ab alijs vrbem ingreſſi ſunt, vt parum tempeſtiuam ambitionem,domino ſuo

*Templa Romá na expilantur.*

*Regina ſe ſubducit.*

*Muniuntur minoris Pragæ loca.*

*Coniuratio Thaboritarum cum Pragenſibus.*

*Vicegrado occupato, Pragã minorem inuadunt.*

*Domus Saxonum occupatur, eius fortunam Praga minor ſequitur.*

*Reſiſtit arx Pragæ.*

*Quadrimeſtres inducię quo pacto.*

*Cuthnenſes Thaboritas mulctant.*

*Conuentum Brunnæ Cæſar edicit.*

*Pragenſes ſacra ſua Brunnæ priuatis ædibus peragũt.*

præſente,tubis,fiſtulis,tympanis præcedentibus oſtenderent:ſequebantur ſacerdotes præuaricatione inſignes, ad quorum aduentum ſacris in omnibus templis à legato Romani Pontificis interdicitur, nihilominus illi in diuerſoriſs ſuis orgia concelebrant, calicem aliter quàm conuenit propinant,donec mitterentur qui dicerent,non iccirco euocatos eſſe, vt ex domibus profanis noua templa conſtituant,ſacraque in illis ſua peragant,quæ niſi facere intermiſerint,audituros ſtatim tale aliquid,quale vetus ſonat hoc prouerbium:Foras Canes,non amplius Antiſtheria.Tertio die ad Sigiſmundum Pragenſes admiſſi,fauſta omnia vt domino ſuo precarentur,ſibiq; gratiam eius & fauorem multis verbis conciliare ſtudent,vocantq; ad regni poſſeſſionẽ accipiendam vt Pragam veniat.Dein queribundi mortem ipſius Hus deplorant, querentes indigniſſimo ſupplicio de medio cum ipſo Hieronymo ſublatum eſſe.Poſtremò communionem vtriuſq; ſpeciei ſuper cætera ſacramenta extollunt. Sigiſmundus,qui in ore habere ſolebat, Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare, læta facie renidens: Superſedete iſtis, inquit, chari Boiemi, nihil ad rem in præſens pertinentibus, quæ non hîc Brunnæ, ſed potius Conſtantiæ dicenda erant,vbi Concilium adfuit, quod vobis reſpondere ad querelas iſtas poterat: cæterùm quod ad regni ſucceſſionem attinet, ſatis ad tempus veniam,illamque iure meo capiam. Interim iubeo, vt columnas, vt cathenas, & alia platearum vincula atque impedimenta de vicis omnibus auferatis, vtque ab iniurijs monachis & monaſterijs inferendis abſtineatis. Quæ vbi ſe facturos receperunt,commutatis quibuſdam in Boiemia magiſtratibus, & pro Huſſitis rurſus in locum repoſitis,qui Romanam colebant religionem, flexit hinc iter in Sleſiam,Vratiſlauienſes inuiſurus. Erat ibi ciuis quiſpiam Pragenſis rerum ſuarum ſatagens,quarum cauſa Vratiſlauiam venerat: is apud legatum Romani Pontificis,tanquam Huſſita, & concilij Conſtantienſis calumniator delatus pertrahitur ad cauſæ dictionem.Fatetur ille, diſcipulum ſe eſſe ipſius Hus,diſciplinamq; eius vehementer approbare,nec vllo mortis ſupplicio adduci poſſe,vt Huſſita eſſe deſinat, traditur carnificibus, & cum maiore Sigiſmundi,quàm legati inuidia, equis per ciuitatem tractus ad rogum comburendus deducitur.Inde continuò deliberari cœptum,quomodo Sigiſmundus militiam,quam vulgo vocant Cruciatam,aduerſus tam pertinaces Boiemos excitaret,conflaretq;. Noua interim inſania Thaboritas inuaſit,præuaricatoribus ſtupidos illorum animos falſa doctrina infatuantibus, quaſi iam vltimus immineret dies, impijs ad interitum, pijs autem,quales ipſi ſe eſſe fingebant,ad ſalutem. Saluari aũt non poſſe,ne pios quidem,niſi in quinq; ciuitatibus,nominabantq; ciuitates,Pelſinam,Launam,Slanam,Glatouiam,Zatium. Primam Solem, alteram Lunam, tertiam Stellam,quartã Auroram,quintam Segor cognominabant: cæteras verò omnes cum vicis, pagis, arcibus, hiatu terræ peſſum ituras denunciabant. Ad quam denunciationem mirificus ex Boiemia, Morauiaque, virorum & mulierum cum liberis concurſus in illas ciuitates fuit, alijs vltrò bona ſua donantibus, alijs vili precio diſtrahentibus, certasq; res pro vaniſſima ſpe permutantibus, vt quæ plerosq; eò perduxit,vt ad extremum propter famem & ſitim, rerumq; omnium inopiam viribus ac vita deficerent. Ipſe Ziſco,antecurſore Coranda vaferrimo præuaricatore,Pelſinam ſe per familiarem ſermonem inſinuauit, mox eodem intromiſit Brenconem à Sſwihow,& Ianum Valcunum,Thaboritarum ductores. hi paucis exceptis, qui ſtudium ſectæ eorum præ ſe ferebant, cæteros ciues ſibi hoſtes deſtinant,pecunias illis imperant: renuentes dare hoſtiliter diripiunt. Inſtinctore deinde Coranda,contra initum cum Regina fœdus, monachos extrudunt, monaſteriaque ciuitatis omnibus rebus deſpoliant. Infeſtiſſimus namque Ziſco monachis erat, propterea quòd ſorori ſuæ flammeo velatæ, neſcio

*Reſpondet Cæſar.*

*Sigiſmundus Vratislauiam profectus.*

*Supplicium de Hußita ſumptum.*

*Cruciata in Boiemos.*

*Metu extremi diei dementantur Thaboritæ*

*Ziſco Coranda comite Pelſinam diripit.*

*Ziſco monachomaſtix.*

neſcio quis cucullatus,vitium obtuliſſe dicebatur. Sed prætextum hoc potius ad velandam auaritiam, propter quam ſe ad rapinas & ſpolia dederat, fuit. Nec enim adeò ſtultus erat, vt non intelligeret, ob vnius ſcelerati culpam, nequaquam inſontes quoq; eſſe plectendos. Cogitantibus ciuibus de pellendis vrbe ſacrilegis,Bohuſlaus Suambergenſis cum copijs à regina com paratis ſuperuenit. Ad hunc videlicet modum Sigiſmundo, cum Sophia Brunnæ conuenerat, vt quas ipſa haberet opes, per Venceſlaum maritum coaceruatas,illas pro tutela regni in militem erogaret, atq; interim ex vectigalibus publicis iacturam ſarciret. Obſeſſi Thaboritæ, quanquam adeſſent capita eorum ferociſſima, intra paucos tamen dies tranſigunt, vt liceat illis ſine maleficio abire. Dum abeunt in alias copias, propę Sudomirium incidunt, quas Mikeſſius monetæ in montibus Cuthnis præfectus, & Petrus à ſtellis magiſter tunc Straconicenſis duxêre, prælio parati: ſed nec aduerſarij certamen detrectauêre,occupato ad piſcinam loco, ne ab equite circumfunderentur,ſed aduerſa fronte,vt concurrerent, vtrisq; pugnæ intentis, & obſtinatiſſimè cum ambarum partium clade præliantibus, Brenco cum Mikeſſio congreſſus interficitur,& multi iuxta cadunt,pars fatigati cedunt. Ziſco animaduertens reſiſti non poſſe, admotis equo calcaribus dat ſe in fugam, inſequentes pernicitate equi fruſtratur. Elapſi & Thaboritarum nonnulli,plures tamen quàm ſexaginta capti ſunt, quos Mikeſſius ad montes Cuthnenſes (vbi calamitatis eorum hoſpitium fuerat) pertraxit.Et quoniam nullum adhuc certum ducem Thaboritæ habebant,quiſq; pro audacia ſua dux erat, & inter illos maximè apoſtatæ, & præuaricatores, qui cætus hominum ſermone ſeditioſo facilè congregabant, ijdem etiam ſæpiſſimè turbas quò libuit, ducebant.Huius farinæ erat,Vanceco Thaboritarum ſacrificulus nugaciſſimus,audaciſſimusq;, qui contracta in ſyluam per dies Saturnales multitudine, prima die quadrageſimæ, dum adhuc oppidani crapulam heſternam non edormiuiſſent,oppidum Seſemi muro cinctum, quod Auſtij vocant, aſſultu intercepit,oppidanis ſerò ſe dedentibus, & nonnullis ſe de muro proijcientibus, ne religionem mutarent.Vrgent victores ſucceſſum,accreſcente præſertim cotidie manu armata,& ipſam quoq; arcem Seſemi, Hradiſtie dictam, inuadunt atq; expugnant,captiq; ſitu loci ad muniendũ appoſiti (nam muri adhuc veteris ibi oppidi extabant)nouum eodem loci oppidum condunt,tranſlatis iſthuc ex Auſtij,quod incendi placuit,habitatoribus, non ſine magno fidelium accolarum incommodo,vt paulò pòſt reipſa declaratum fuit. Ipſe autem Seſemus à feris illis & immanibus ruſticis interceptus,humiq; proſtratus,flagellis ruſticanis in modum manipuli flagellabatur, ad ſingulos ictus vociferantibus,Non vltra inſultabis Huſſitis,mox deinde manib. truncatus,ac demùm flammis exuſtus eſt. Venit tandem illis in mentem de Ducibus, cùm turbam vndique affluentem circumſpicerent, vt certos aliquot ſibi deligerent, quorum ductu bella gererent: nam vnum ducem omnes abnuebant,ne in ſuperbiam elatus,impotentiùs,quàm conueniret,fratres ſuos regeret,fratres videlicet ſe cognominabant, quaſi fraternum nomen locum in latrocinio haberet. Quatuor igitur duces, ipſi Capitaneos appellabant, ſibi crearunt, Ziſconem,Nicolaum Hus,Zbinconẽ à Bochouo, & Chualum à Rzepice. Totidem capita Pragenſes ſibi cõſtituerant,duo in veteri,& duo in noua ciuitate,vtrinque præterea quadraginta ciues adiecti,vt eorum conſilio res à capitibus adminiſtrarentur,data vltro citroq; fide per iuſiurandum,illos fideliter ſe in officijs geſturos,& Pragenſes obedienter illis parituros. Cæterùm vnus apoſtata magis,quàm omnes iſti,plebis animos quò voluit inuertebat,non quòd ſapientiæ illi aliquid ſupereſſet, ſed plus ſatis ei eloquentiæ & licentiæ, quibus vulgus delectatur,inerat,atq; inde miram ſibi faciebat audentiam,cùm in no-

*Pactum Cæſaris cum regina pro defenſione regni.*

*Recuperata Pelſina.*

*Fuſi profligatiq; Thaborita.*

*Acephalon agmen Thaboritarum.*

*Vanceco dux Thaboritarũ Auſtum capit.*

*Crudeli modo Seſemus necatus.*

*Quatuor duces creati apud Thaboritas, totidem apud Pragenſes.*

ua ciuitate ad ædem diuæ Virginis sermocinaretur, Apocalypsin tunc interpretans, ex eaq; ad Sigismundum Cæsarem retorquens, quicquid ibi de rufo Dracone narratur, indignatus ob edictū in Boiemiam ex Slesia transmissum, quo Hussitæ & Thaboritæ prægrauabantur. Vt igitur hi potiùs, qui instituta Romana sectabantur, Pragæ opprimerentur, autor fit depellendi inde omnes calicis illorum osores. Pulsi partim ad arcem Vicegradum, partim ad arcem Diui Venceslai, cui Czenco Vartembergus, regni summus præfectus præfuit, cum omnibus suis fortunis confugiunt. Furit monachus apostata, furibundaq; turbam ad oppugnandas arces incitat. Czenco arci suæ metuens, aut metum simulans, cùm vrgeretur ad calicis communionem, & ad societatem cum Pragensibus ineundam, conditionem amplexus, statim expulit de arce omnes, qui ex Romana factione ad se perfugerant, rebus illorū interceptis. At Vicegradenses non solùm terrore Pragensium non terreri, sed omnes quoq; illorum impetus audacter sustinere, factaq; aliquoties in subeuntes, domosq; eorū eruptione, tam in corpore, quàm in bonis, pessimè illos mulctare, donec ab obsidione penitus submouerentur. Hîc tum Czenconem subijt pœnitentia facti sui aduersus officium suum commissi, quòd præfectus existens, regiam arcem occupauerit, qualem dolorem cùm ferre longius non posset, ad Sigismundum quendam intimum suum allegat, qui errori veniam precetur, & vbi exorauerit, polliceatur Czenconem, cui rex, & quando iusserit, ei arcem restituturum. Missi continuò Vilhelmus Lepus, & Arnestus Flasca, qui arcē regio nomine reciperent, qua recepta, Pragenses Czenconem infidelitatis crimine insimulant, vexillumq; eius, quod in domo Prætoria honoris causa suspenderant, inde ad locum inhonestum detrahunt & dilacerant. Hæc dum Pragæ fiunt, maiora ijs foris Thaboritæ designabant, præcipuè in Bechinensi & Pelsinensi regionibus, ferro & igne templa, castella, arces, monasteria deuastantes, inter quę Nepomucense, Cladronense, Milewcense, Hradisstiense combusta sunt, cum plerisq; monachis, ac multi præterea mortales occisi. Arx deinde firmissima Rabi vocabulo expugnata, in quam multas opes vicini congesserāt, sperantes tuto se illas loco credere, quæ omnia à Thaboritis direpta, & fœdè distracta sunt. Septem insuper monachi, qui depositos ibi monasteriorū thesauros custodiebant, igne consumpti fuerunt, subditæ postremò arci quoq; faces. Ad arcem Wozyce, quam præsidium regium obtinebat, præter alia spolia multi etiam equi, multaq; arma intercepta sunt, occisis in oppido equitibus, incautius ibi in die Parasceues agitantibus. Equos statim Zisco suis distribuit, & ab hoc tempore armato equite in acie vsus est, iussitque arcem illam dirui, ne rursus receptaculum esset regiorum. Sigismundus Cæsar malum in Boiemia non minui, sed indies augeri cernens, ipsemet adire Boiemos constituit, vulgatissimum illud dictum vsurpans, Præsentia hominis, præsentia leonis: si quis tamen præsentiam leone dignam adueniens exhibuerit, cuiusmodi personam Sigismundus gestare, vtinam tam feliciter, quàm animosè ante alios nouerat. Coacto igitur exercitu, & auxilijs post se magnis in subsidium relictis, si illo exercitu rem suam conficere non posset, vt Pragæ rex coronaretur, peruenit ad montes Cuthnenses, castrisq; ibi positis, euocat Pragenses, coramque grauiter cum illis expostulat, quòd in vicis & plateis vtriusque ciuitatis, columnas cum ipsis cathenis reposuerint, quas nisi statim amolirētur, machinasq; & arma ex noua ciuitate in arcē Vicegradum, ex veteri aūt in alteram arcem conueherent, pro rebellib. se illos habiturum. Rogant, vt liceat ciuibus alijs ista renunciari. Quo illi audito, cathenas & alia obstantia duplicant, noua munimenta extruunt, arma plura excudunt, fossam ab arce Vicegradensi cū mulierib. & pueris fodiunt, ne tot detrimenta, quot paulò ante per excursiones ab aduersarijs sustineant. Mittuntque præterea ad

*Monachus apostata tribunus plebis.*

*Pelluntur calicis hostes.*

*Arcis præfectus conniuet.*

*Resistit Vicegradum.*

*Arcem Cæsarianis restituit Vartēbergus.*

*Ruinæ cœnōbiorum & arcium.*

*Zisco equitatum instituit.*

*Cæsar in Boiemiam.*

*Rebelles et contumaces Pragenses.*

Thabo-

Thaboritas auxilium petitum,vt ſi illo opus fuerit,per tempus ſuccurrant: ſimulque promittunt operam ſe daturos,vt in iſs quoque dogmatibus,de quibus modò diſſentiunt,inter illos conueniat,nihil dubitantes, quin tanto violentius contra vim Cęſaris ſtare,iamq; recepta dogmata defendere valebunt, quanto concordia vtrinq; & conſpiratio maior interceſſerit. Vniuerſi Thaboritæ,vno vt dicitur ore,auxilium Pragenſibus decreuerunt. Cùm adhuc Sigiſmundus in caſtris ſuis ſe contineret,factus à Cuthnenſibus certior,ingentem promiſcuorum hominum multitudinem ad montem non longè ab arce Lypnicia iacentem,conueniſſe,vt orgia ſua cũ ſacrificulis ſuis celebrarent,eúmque montem ab illis Oreb,& ipſos Orebitas cognominari,quorum bona pars ex eo numero eſſet, qui paulò ante carbones mineris conflandis ad officinas ſuppeditare ſoliti fuerunt: nunc ſub prætextu nouæ religionis rapto viuere, quàm labori operam dare malle,per quæ officinæ deſererẽtur, & perfidorum cætus inualeſceret. Extrudit continuò Sigiſmundus aliquot equeſtres Hungarorum turmas,quæ turbam fanaticam diſturbarent, & quos poſſent,comprehenderent,aut occiderent. Sed eques in montibus & ſyluis parùm nocere pediti potuit.Itaque cum paucis aliis ſacrificulo,qui pro more illorum ſolito, corpus Chriſti in ſtipite affixum turbis præferebat, ex arcu interfecto, cæteri notis ſibi diuerticulis elapſi ſunt.Atq; hinc Sigiſmundus auctis copijs,Pragam propius caſtra admouit. Alio item itinere Thaboritæ, ingenti audacia Pragenſibus opem ferre celerabant, nihil territi, quòd illis ad oppidum Beneſſum,Petrus à Stellis cum cohortibus & turmis multis occurreret, ſed inſtructi ad dimicandum vltrò aciem aduerſarijs oſtentabant, illosq; ad pugnam laceſſebant. quibus decertare non audentibus, monaſterium oppidi cum alijs ædificijs compluribus incendunt, rectáque Pragam, corpore Chriſti prælato,ire pergunt,effuſis obuiam cum lætitia Pragenſibus,ad ſimilem modũ cum corpore Chriſti in ordinem compoſitis. Poſt datam acceptamque ſalutem,Thaboritarum primores per domos vino frumentoq; & alio commeatu refertiſſimas,ex quibus videlicet ante aduentum illorum ſubitò deturbati fuerunt omnes,qui religionem incorruptam profitebantur,in hoſpitia deducti ſunt,præbitæ cæteris quoque copiæ, qui extra portam, quam Poricenſem appellant,per tentoria ſparſi erant. Sed & mulieribus Thaboritarum caſtra perpetuò aſſectantibus,xenia frequenter ad monaſterium diui Ambroſij, ad quod expulſis monachis diuerterant, mittebantur. Vtrique deinde hoſpitalium beneficiorum immemores, moleſti Pragenſibus eſſe incipiebant, viri barbas ciuium violẽter abſcindentes,nexus capillorum cum ipſis capillis virginibus amputantes,matronis pepla de capitibus palàm detrahentes: illorum verò fæminæ impetum in monaſterium diuæ Catharinæ, in quo virgines Deo conſecratæ inerant,facientes, illudq; ſuis manibus demolientes, antequam præfecti eorum tantam licentiam coercerent. Sigiſmundus traiecto Vltauia flumine,ad locum, quem incolæ Bruſcam vocant, arci S. Venceſlai vicinum, caſtra metatus, Saxonum aduentum, qui in itinere erant,expectare ibi deſtinans. Ei exploratores renunciant,poſt diſceſſum ſuum in alteram fluminis partem,Thaboritas extra portam degentes, ſtudium, diligentiamque in vigilijs obeundis adeò remiſiſſe, vt multi illorum cum præfectis ſuis in vrbe pernoctent, dat negocium Michalconi per vadum fluminis ei notum,incompoſitos diſtractosque aſſiliendi. Noctu is incedens,quadrato agmine ante lucem ſemiſomnes inuadit,occurrentes interficit,carros euertit,pluresque illorum ſecum abducit, metu inſidiarum non auſis inſequi Thaboritis. At die illuceſcente, detrimentum acceptum protinus compenſant,duobus monaſterijs inſignibus Strahouienſi & Breunouienſi exuſtis,& inde abductis Pragam vndecim monachis,vt haberent quos riderent, & impiè vexarent. Inter

*Thaboritæ Pragenſib. auxilia promittunt.*

*Hungari Orebitas diſſipant.*

*Pragam Cæſar obſidet.*

*Ingreſſi Prągã Thaboritæ:*

*Effrenis Thaboritarum utriuſque ſexus licentia.*

*Michalco ſtragem Thaboritarum edit.*

*Penſatur ſuccenſione monaſteriorum.*

hæc alij quoque Thaboritæ,qui Zatium, Launam, Slanam diuerterant, metuentes ne extra illas ciuitates hiatu terræ absorberentur,congregant se in vnum locum,quem eis præuaricatores per speciem sacrificij constituerant. Ad quem armati sicut solebant,postquam conueniissent,aduocata concione, concionator docet tempus postulare, vt fratribus pro lege Dei & communi ipsorum religione,Pragæ cum periculo decertantibus,subueniant,duces copiarum deligant,diem profectioni pronuncient. Quæ cum omnia statim faciunt,& quinque ductores sibi eligunt,quorum vnus præuaricator Petrus nomine erat. Huius ductu,tanquam religiosioris scilicet monasterium Porta Apostolorum vocatum,in via expugnant,& cum egregia bibliotheca illud exurunt,cætera spolia inter se partientes. Vbi Pragam ventum est, placuit accessione tantarum virium ipsum Cæsarem adoriri: quo ille cognito, castra inde Boleslauiam mouit,copias vndique maiores contrahens. Postridie Thaboritæ ad Pragenses referunt,satis clarescere,multos adhuc in vrbe restare,qui Sigismundo faueant,eique consilia vrbana prodant, non rectè ad hæc vigilantibus quos haberent præfectis, nec ita vt oportet per singulas domos explorantibus, aduersarij ne an religioni illorum consentientes illas inhabitent? Proin conuenire,vt noui præfecti,non solùm ex Pragensibus,sed ex Thaboritis quoque vrbi præficiantur,qui omnia de consilio communi agant. Res insolens videbatur, vt aduenæ & hospites tantum, quantum incolæ & ciues in vrbe pollerent,factum tamen est, vt causam obtinerent, qui viribus præualebant. Nouis præfectis constitutis, quicquid veteris religionis Catholicæ Pragæ superfuit,id explosum & eiectum est,inductis præuaricatoribus,quos Thaboritæ approbabant. Sed vtrisque arces molestissimæ erant, quæ se regijs opportunissimas præbebāt,& ad Pragenses de superiore loco inuadendos, & ad Thaboritas,si quid mouissent,compescendos. Aduersus tales regiorum impetus interpellandos,Thaboritæ mulieribus iniungunt, vt è regione Vicegradi,fossam à monasterio Slouano vsq; ad ædem S. Catharinæ ducant. Ipsi custodias armatas in Slouano, in Karlowo, & ad S. Apollinarem disponunt. Arcem verò alteram maiorem cum Pragensibus trinis castris obsident, ne obsessis subsidio veniri, neue commeatus supportari posset. Thaboritæ & Pragenses in Pohorcelicio,Zacenses & Launenses in Strahouia collocati,& ex ijs mixti, tumulum Bruscam occupare iussi. Summa rerum, quæ ad defensionem pertinent, facultas inclusis aderat, præter annonam, qua durante, non solùm arcem, sed ne Hradczanam quidem vicum arci adnexum, vlla vi expugnare poterant, fame dein ita premente, vt nudis herbis, aut equina carne, absque panibus illam leuare cogerentur. Propè erat vt arcem hostibus dederent,nisi miseris succurrerent ij, qui in Vicegrado erant, farina clam suppeditata,donec Sigismundus cum suis copijs aduenies, leuique inito prælio,abunde commeatum submministraret, seque Slanam inde conferret, quam Vilhelmus à Leporibus occupato cum aliquot globis colle proximo, dum affingit pacata inter Cæsarem & Pragenses esse omnia, recepit, nihilque præterea nisi metum vicinis Launensibus inijcere cogitans,assecutus est assultu suo,vt Launæ quoque ciuitatis potiretur,plebe ei portas aperiente, inuitis decurionibus. Strenuam eodem tempore operam Bohuslaus Schuambergius in regione Pelsinensi nauauit aduersus Chodones, rustici ita limitanei vocantur, occisis ex eorum numero amplius trecentis. Et presbytero illorum cum equo & armis comprehenso, quem Pelsinam deductum pyra extructa cremari iussit, personantibus ad ignem tympanis. At Vlrico Rosensi, qui nuper ad calicem desciuerat ac postea ad panem viuum redierat, aduersum prælium, contra Thaboritas montem Hradissitie incolentes, cecidit, vt in quo pulsus fugatusque & impedimentis exutus fuit, à Nicolao Hus, qui cum quadringentis

*Confluunt Pragā cæteri Thaboritarum socij.*

*Retrocedit Boleslauiā Cæsar.*

*Noui Pragæ præfecti constituti.*

*Religio Romana explosa.*

*Arcem superiorē obsident.*

*Annona præsidiarijs suppeditata.*

*Cæsari restitutæ urbes.*

*Schuābergius Chodones sternit.*

*Vlricus Rosensis à Thaboritis cæsus.*

gentis equitibus Pragæ elapſus, ſubſidio ad tempus Thaboritis ſuperuenit. Ab hac clade pellit ex bonis ſuis Roſenſis omnes, qui aliam quàm Romanam religionem profiterentur. Captum etiam ab aduerſarijs tunc fuit, ſed multorum oppidanorum, calicem appetentium voluntate, oppidum Reginæ Hradecium, quod Sigiſmundus in ſuam tutelam ſuſceperat. Hinc maior ex amiſsione illius dolor, & recuperandi deſyderium. Nihil igitur cuntatus Sigiſmundus, delectis ex Boiemis & Morauis decem millibus hominum, iubet illos oppidum aggredi. Id, cùm illi ſummo conatu facerent, oppidum tamen recipere non poterant, reuocati ad oppugnandam Pragam, caput Regni. Iam enim vndique ex omnibus Chriſtianis Regnis, in quibus à Romano Pontifice, crux contra perfidos Boiemos propoſita erat, copiæ conuenerant, quarum numerus ad centum & quinquaginta millia armatorum impleſſe dicitur, qui campos omnes Bruſcæ ſubiectos, vſque ad viuarium includendis certis deſtinatum, tentorijs ſuis compleuerunt. Ipſe verò Sigiſmundus arcem tandem Sancti Venceſlai, cum Alberto Auſtriæ Principe genero ſuo, cumq; Bauariæ & Saxoniæ principibus, ac Patriarcha Aquileiẽſi, ingreſſus eſt, choro cum ſacerdotum (nam Archiepiſcopus aberat) cum gaudio excipiente. Poſt deliberationem inde mox cum principibus factam, partitur vltra citraque flumen Vltauiam per loca oppugnationi appoſita, copias, ac leuibus pugnis præludit prælium. Inter quæ ei ſuggeritur, ſi collem, ſub quo veteris Pragæ furca conſtituta eſt, firmo præſidio occupauerit, poſſe, velut ex tertia arce prohiberi, ne vllus Pragam commeatus inferri queat. Id verò conſilium protinus Ziſconi fuit proditum, atq; ille feſtinans cum expedito agmine iugum collis capit, propugnacula erigit, foſſam circumfodit, ſepibus illam ſepit, ac ſe præſidem ibi defenſoremq; conſtituit. Dato à Sigiſmundo ad inuadendã Pragam ſigno, ex tribus locis fit irruptio. Ex arce maiore in minorem Pragam, ad expugnandam domum Saxonum, quam validiſsimo præſidio munierant Pragenſes. Ex arce item Vicegradenſi in nouam ciuitatẽ, & in veterem ex campo hoſpitali. Miſnenſes cum Saxonibus collem Ziſconis adoriri iuſsi, magno illum & forti impetu in conſpectu Sigiſmundi adorti ſunt, per foſſas & ſepes, vſque ad propugnacula tranſilientes, vbi duas quoq; mulieres, pilis armatas obuias habuerunt, quæ mori, quàm loco cedere maluerunt. Ibidem Ziſco ingens periculũ adijt, penè ab equitibus oppreſſus, ſi non ruſtici ipſius cum flagellis præferratis illos ſubmouiſsẽt. Quo diſcrimine cognito ſacrificulus quidam arripit corpus Chriſti, inſigne Thaboritarũ belli, claſſicum cãpanula canit, ac mox turbam poſt ſe multã trahens, ad collem perducit. Illa viſa Germani diutius retineri in oppugnando, quanquã Sigiſmundus ſubſidia laboranti bus ſemper ſubmitteret, nõ potuerunt, quin retrocederent cũ magno malo ſuo, alij ex colle metu præcipitati, plures in fuga interfecti, inſultantibus Thaboritis perinde quaſi Antichriſti militibus. Acſe cõtinuò ad labores referenti bus, vt ſi præliũ redintegraretur, foſſas altiores, latioresq; & plures quàm prius munitiones haberent. At Germani malè accepti, nihil niſi diſceſsũ meditabantur: nullo enim in loco valde proſperè eis ſucceſſit. Nam in quo vel ſuperiores eſſe videbantur, id carius eis conſtitit, vel vnius viri nobilis cæde, quàm victoria aduerſus multos ruſticos valebat. Quibus rebus omnibus Sigiſmundus cõmotus & anxius, cùm velut in ſalebra hæreret, accipit eandem belli execrationem apud pleroſque ex aduerſa parte verſari, qui ſuam, ſuorumq; calamitatem miſerarentur, & cuperent ſagum toga mutare. Tentat, ſi aliter finiri bellum, nequeat, vt induciæ ſaltem ad longius tempus fiant. At illi inducias quoque alia conditione facere abiurant, quàm vt prius quatuor religionis capita rata habeat & confirmet.

*Hradeciũ in poteſtatẽ Thaboritarum venit.*

*Martinus V. P. M.*

*Ingens exercitus cõtra Thaboritas.*

*Deliberatio de bello gerendo.*

*Tribus locis Pragenſes adortus Cæſar.*

*Memorabili ſtrage Ziſco Germanos fudit ad furcas Pragenſes.*

*Deſpondent animos Germani.*

*Induciæ firmãtur approbatis quatuor capitibus.*

Primum erat, vt verbum Dei per regnum Boiemiæ liberè abſque cuiuſquam interpellatione à ſacerdotibus annuncietur.

Secundum, vt item liberè sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie, panis videlicet ac vini, omnibus Christi fidelibus peccato mortali haud obnoxijs, ministretur.

Tertium, vt à Clero, bonorum externorum possessio, & in ijs iurisdictio, auferatur, & ordo illorũ, vt ad vitam Euangelicam & Apostolicam redigatur.

Quartum, vt omnia peccata mortalia, ac præcipuè publica, & alia legi Dei contraria vitia, in quouis statu, ritè & cum ratione, per eos, ac quos pertinet, corrigantur & prohibeantur.

*Refutatio quatuor articulorum Cæsari ad approbandum propositorum.*

Perlectis Sigismundus capitibus. Latet, inquit, anguis in herba, plenus veneno insanabili. An ignoramus, alios præterquàm sacerdotes in regno extare concionatores, vt Sutores, Caupones, Stabularios, quare non libertas hîc, sed summa concionandi licentia quæritur. Deinde vtramque Eucharistiæ speciem requirunt, quasi nos corpus sine sanguine accipiamus, cùm Dominus panem viuum, quem sumimus, se nominet. Viuere autem corpus absque sanguine nequit, sed manet cadauer, quod nec sibi, nec alijs prodest: Ac videte aliam insuper in verbis fraudem, qua infantibus illi lenocinantur, quibus calicem propinant, dicentes, non esse eos peccato mortali obnoxios, ideóque communione Eucharistiæ dignos, cùm Apostolus disertè scribat, probet autem seipsum homo, & infantes hoc facere nequeant. Nam in hoc, vt bona à clero tollantur, sacrilegi suis rebus, non autem religioni consulunt, metuentes, ac meritò, ne rapta & ablata ex camera nostra, atque alijs templis cogantur restituere, itaque malunt etiam illa quæ Deo consecrata sunt, in vsum suum vertere, tam scilicet pij sunt. Nam illud postremo de corrigendis peccatis nugacissimum. Qui enim fieri potest, vt authores delictorum, ijdem fiant errorum censores? cùm omnibus notum sit, quanta inter vitiosos concordia existat. Proinde, ne nos fallant animi perfidorum sub vulpe latentes, si placet, differamus in præsentia responsum ad capita oblata, illisque interim renunciemus, nos cum maturo consilio deliberare, ac suo tempore ad omnia illis respondere velle: Nunc autem rebus omnibus coronationem nostram anteuertere: Placet placet, exclamant Germani domuitionem parantes, festinantesque vt interim tempus cæteris controuersijs prolatandis promoueatur, ac statim dies præstituatur, diademati induendo. Ita vltrò induciæ oblatæ, & Sigismundus Rex in Boiemia Pragæ coronatus, & inunctus est, magnamque vim à coronatione protinus auri argentique de templis omnibus abstulit, vt stipendium conductis militibus exolueret, se obligans ad restituendum ablatum, cùm primùm lætior fortuna arrisisset. Nihilo secius Thaboritæ Regem insectari, ac dicere, vtri tandem maiores hæretici, illi ne qui pictas & ligneas, an qui aureas & argenteas imagines è templis exigerent? & ad conflandam monetam igne adurerent? Rex paululum in arce Pragensi moratus, dum præsidia cum commeatu vtrique arci adauget, inde ad montes Cuthnenses, procerum & equestrium ordine comitantibus tetendit, atque ibidem in conuentu celebri pacis fœdus publicum, ad quod se per sui absentiam componant, cum Boiemis ferit. Cætera suo loco dicenda reseruabuntur, nunc Sigismundum totum à pueritia representabimus, quomodo videlicet ad alia quoque Regna peruenerit.

*Author Cæsarem theologũ facit, sed intempestiuè.*

*Prorogata ratificatio.*

*Corona Sigismundus Pragæ redimitus. Anno 1420.*

*Scomma in Cæsarẽ sacris militi stipendium numerantem.*

*Fœdus publicum.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER VIGESIMVS QVINTVS.

SIgiſmundo adhuc impuberi Carolus pater, Marchiam Brandemburgenſem, quam ab Othone, poſtremo illius Marchione emerat, dono dedit, mira indole animi, ingenijq́ue eius captus. Eandem ſecutus Ludouicus Pannoniæ Rex generum ſibi, regniq́ue ſucceſſorem aſciuit, deſponſa ei filia nondum nubili, cui Mariæ nomen, ſed nec ſponſus etiam tum quartodecimum annum attigit, quem tamen ſocer penes ſe retinuit, vt ſermone & conſuetudine Hungarorum imbueretur, paulò poſt ad regnum Poloniæ, quod non cum magna voluptate rexit, eum tranſtulit, euocatis in Pannoniam ad vetus Solium (arci hoc, cum oppido vocabulum) Pontificibus & proceribus Polonis, ibiq́; compulſis [a] vt in nomen Sigiſmundi tanquã Regis ſui iurarent. Eunte Sigiſmundo in Poloniam, non ſatis pacatam, mandat Ludouicus, vt rebelles in illa coerceat, & contumaces ad officium reducat, quod mandatum ille ſtrenuè exequitur, pleraſq; arces & oppida breui temporis ſpacio expugnans, ac mox copias ex Polonia in Maſouiam traducens, in qua ducem agebat Semouitus, ipſi etiam Ludouico ſemper contumaciſſimus: nunquam enim ad obſequiũ etiam accerſitus venire voluit, & idem tamẽ adeò inaudax, vt Sigiſmundo occurrere nullo in loco auderet, ſed ſpectatorem ſe tantùm exhibuit dum vaſtarentur agri, gregesq́; equarum, boumq́; abigerentur, vici & caſtella diriperentur. Perſeuerabat etiamtum in populanda Maſouia Sigiſmundus, cùm repentè aduolat nuncius de morte Ludouici, qui Ternauiæ obierat, & ab obitu eius regnum Hungariæ in filiam eius Mariam reciderat, quæ Sigiſmundo, vt ſtatim diximus, deſponſa fuit. Non videbatur tanti eſſe regnũ Poloniæ, vt illius gratia perderet Hungariam. Itaq; non expectato, dum in Polonia rebus pacatis Rex coronaretur, feſtinat ad Hungaros, ſed nimis lentè. Iam enim Carolus Andreæ filius, à nonnullis Hungaris, ac præcipuè à Zagrabienſi Epiſcopo è regno Siciliæ euocatus, claſſe Segniam appulerat, & inde Zagrabiam profectus Budam tranſijt, quaſi futurus ſorori, non conſiliarius modò, ſed etiam auxiliarius amicus, ſed reipſa alius apparuit. Nam in arcem Budenſem admiſſus, illam occupauit, & vtramque Reginam, matrem videlicet ac filiam, præ metu ex arce fugientes, à fuga retraxit, Albamq́ue regalem ſecum ire coegit, vt ſolennibus ſacris intereſſent, quibus ibi conſecrandus erat in Regem Hungariæ, quo peracto rurſus Budam cum nouo Rege ſunt reductæ. Senior regina, vt vidit ſe cum filia eſſe fraude deceptam, ad fraudem retaliandam conuertit animum, communicatoq́; conſilio cum Nicolao Palatino, & Blaſio Forgaſſio, per ſpeciem ſecreti colloquij, Carolum inſidijs circumueniunt, ac vita ſpoliant. Miſſo ſtatim qui acciret Sigiſmundum, vt ad capeſſendum regnum quantum poſſet, acceleraret, ſed non ſine validis viribus. Dum igitur ipſe in Marchia ſua militem ſcribit, & in Boiemia apud Venceſlaum fratrem, tum in Morauia quoque apud Iodocum & Procopium patrueles auxilia contrahit, Ianus Croatiæ Banus (præfecturæ id vocabulum honoratiſſimæ) in omnes vindicandæ cædis Caroli occaſiones intentus Reginas animi gratia Buda ad vicinum vicum, Diaco cognominatum, egreſſas, in via cum ſuis turmis aſſilit, & primò Forgaſſium haſta equo deturbat, ac enſe caput eidem adimit, dein Palatinum equo deſilientem lethaliter telo vulnerat, ſimiliterq́; ei caput iuxta Reginarum carpẽtum amputat. Poſtremò ipſum carpentum, cum

*Sigiſmundus XI. Rex Boiemiæ idem & Rom. imperator.*

*Vita Sigiſmundi vide lib. 22.*

*In Hungaria educatur. Ludouici filiam ducit.*

*Sita in montanis metallicis.*

*Obijt 13. Septemb. 1382.*

*Vitus Epiſcopus Zagrabiæ Carolus paruus ab aduerſa factione æmulus Regni Pannonici declaratur.*

*Nicolaus Gaza Palatinus Hungariæ Forgaßio vſus ſicario Carolũ interimit, anno 1385.*

*Regis manibus Palatini et Reginæ necc litatum.*

ipsis Reginis in terram prouoluit, rogantemq; Elisabeth matrem per Ludouici Regis mariti sui beneficia, quæ in Banum contulit, ex humili domo ad summam illum præfecturam subuehens, ne quid in exitium suum, filiæq; suæ moliretur, extractam de carpento in proximo flumine demersit, Mariam autem in Croatiam, arce claudendam, custodiendamq; auexit. Hæc audita, Sigismundum acerrimo dolore affecerunt, cuius aculeo extimulatus, toto animi impetu ad prosequendum in Hungariam iter ferebatur, Iodoco patruele eum comitante. Cùm fines Hungariæ attigissent, occurrit illis globus puerorum ritu gentili sagatus, cum signifero adultiore. Interrogat Hungaricè Sigismundus: Quæ nam hęc militia? & cuius sunt isti milites? respõdit signifer. En tibi præsens adest Orsak, qui tecum ô Rex militet contra hostes tuos. Accipio, inquit, omen, & ita spero fore, vt à me stet Orsak, quod apud Hungaros sonat, concilium vniuersi populi, quemadmodum paulò mox accidit, Budam ingresso, vt ei omnes ibi ordines præstò essent, rogarentque, vt illorum obsequio ad omnes suos conatus vteretur. Huic signifero, vbi ætas illi validior accessit, hanc retulit gratiam, vt illum in loco ignobili, & in egestate natum ad equestrẽ gradum, & mox ad tantas diuitias prouexerit, quibus cũ proceribus Hungariæ certauit, Orsak illi cognomine indito, quo in hanc diẽ familia illa gloriatur. At Banus aduẽtu Sigismundi territus, à Regina iusiurandum exigit, de nõ vlciscenda à se illata iniuria, quo dato, dimittit Budam incolumẽ. Natus sponsam Sigismundus, non vltra distulit, quin è vestigio & nuptias celebraret, & coronam Regiam, quam Hungari sanctam vocant, assumeret: nam vtrunq; prius dilatum fuit socrus ambitione, quæ ipsa filiæ nomine regnare, quasi nondum connubio maturæ, quàm alium pati Regem, vel ipsum etiam generum suum maluit, Coronam Albæ, loco solito, de manu Archiepiscopi Strigoniẽsis accepit, nuptias Budæ apparauit, apparatu pro liberalitate sua lautissimo. Præter epulum enim, donatiuum militi, & congiarium populo addidit, ac militem inde statim, ad repetendam de parricida & proditore debitam pœnam in Croatiam duxit, obsediteq; Banum in arce munitissima, adhibitis tormentis Bombardarum, quas antehac Banus non erat expertus. Sed vbi vidit tantam muriruinã tam repentè ex ferreis globis factã, desperata arcis defensione, per noctem transfugit in stationẽ Transsyluani Palatini, eiusq; ope Sauam flumen traiecit, ac se in vicinum Bosnæ regnum subduxit. Nec tamen obsidium Sigismundus prius omisit, quàm arcem caperet ac diriperet, nec prius perfugam institit persequi, quàm Croatiam ad officium redire compulit. Quibus rebus confectis, ad Bosnam ditioni suæ subiectã, indagatores pręmittit, qui indagent vbinam Banus deliteſcat. Inuentus est in arce, quam Dobor appellant, in qua pariter obsessus, pariterque dum premeretur, fugam meditatus & conatus, sed non pari euentu: quippe in regios incidit, & ab illis ad Regem pertrahebatur, dedignantem socrus suæ Reginæ interfectorem aspicere, sed iubentem illum tradi carnifici ad supplicium mortis sæuissimum, cuiusmodi est in proditores constitutum.

*Regina senior Elizabetha amni mergitur.*

*Orzagh regnum significat ac si totum regnum auxilia hostibus profligãdis esset collaturum*

*Extincta vltimo Barone Christophoro tota ea stirps Anno 1567.*

*Sigismundus Rex Hungariæ salutatus. Anno 1386.*

*Banum Croatiæ reginæ socrus parricidam Sigismundus persequitur.*

*Supplicium Bani Croatiæ.*

Hinc à compluribus exhortabatur, vt Regnum Poloniæ repeteret, vnaq; cum regno Hungariæ illud sibi coniungeret, quando Polonos sacramento sibi obligatos pridem habeat. At Sigismundus non auarus homo, cùm sciret alteram Ludouici Regis filiam iuniorem, cui Heduigis nomen, quam Auia apud Polonos educauerat, pactam esse [b] Vilhelmo, Leopoldi Austriæ principis filio, cui domui bene fauebat Sigismundus, vt ex qua generum sibi posthac delegit, ius omne quod sibi ad regnum Poloniæ fuit, id ad Vilhelmum traduxit, gessitque se is aliquamdiu pro Rege, dum puella adolescebat. Verùm adultam Poloni, Iagello Lithuaniæ principi in matrimonium collocauerunt, addito in dotem regno, si exuta impietate, christianismum per babtis-

*Ius Polonicum Vilhelmo Austrio concedit Sigismundus.*

mum

mum induere, Lithuaniamque ad Poloniam adiungere vellet. Iagellus quantumuis crudo adhuc videretur esse ingenio, ad splendorem tamen Regij fasti Regijq; adeò incaluit, vt conditionem statim reciperet, matrimonium iniret, Lithuaniam daret Poloniæ regibus, baptismo tingeretur. Vnde nomen ei Vladislao inditum. Porrò Sigismundus summo studio annitebatur, ad reuocandos tam domesticos, quàm externos ad obsequium, qui sub muliebri regno iugum excusserant. Nam domi in oppido Budensi, duos & triginta primores nobiles gladio percuti iussit. Mox in Moldauiam (portio Daciæ est) aduersus Stephanum Veyuodam, sic aulæ principalis dominum, Getico vocabulo appellant, arma corripuit. Altissimi montes ab Hungaria Moldauiam circumuallant, iis confisus Stephanus, omnes viarum aditus milite, sagittis, aut saxis instructo precluſit, si quicquam imperatori ad omnia fortiter audenda promptissimo, virtutique militum ei respondentium, clausum esse potest. Superatis igitur montibus paruo admodum nonnullorum detrimento intercedente, cætera in expedito erant, Moldauis ad fugam, non ad prælium animatis: ipso denique Stephano ad clementiam Regis confugiente, pollicenteque se facturum quicquid imperauerit. Imperat ei maius, quàm ante tributum, sacramentumque ab illo fidelitatis accipit. Et victor Budam talis reuertitur, qui se scire diceret, parcere subiectis, & debellare superbos.

*Heduigis spretis nuptijs Austrijs, Iagellono Lithuano nubit.*

*Iagello baptizatus Lithuaniam Poloniæ adijcit.*

*Expeditio Sigismundi in Valachiam.*

*Stephanum Vayuoda in gratiam repositus.*

Dacicum deinde bellum subsequutũ est, mole grauius, quanto Dacia multitudine Valachorum Moldauiam prægrauat. Alexander illic Vayuoda erat, & ipse fidei ac obedientiæ immemor, sustulit contra Regem animos, pro domino illũ agnoscere nolens. Itaq; vastare fines Regni, & exultare in excursionibus, quibus agros Regios persultabat. Tam insolentem iniuriam Sigismundus vindicandam ratus, ducit trans Alpes exercitũ, cum machinis & tormentis, non pugnæ solùm, verumetiam obsidioni comparatis, atq; vtrunq; ei agendum obtigit, parato Veyuoda, & pugnare, & obsideri, nimirum freto Turcarum aliquot turmis, quas in subsidium ex Thracia euocauerat, quam tunc recẽs Turcæ adepti sunt duce Amurate. Prælio inito vicit Sigismundus, Hungariq; tum primum virtutis suæ famam contra Turcas illustrarunt. Obsidio illos ad oppidum[c] Nicod, diutius remorata est, ac nisi bombardæ affuissent, frustrata obsessores fuisset. Receptum oppidum præsidio validissimo teneri, & melius adhuc, quàm prius muniri placuit, ne illo Veyuoda potius rursus in solesceret. Lætitiam huius victoriæ mors Reginæ Mariæ turbauit, nec minus Vladislaus, nouus Poloniæ Rex, qui vxoris suæ nomine, velut superstitis, regni Hungariæ hæreditatem adire magnis viribus conabatur. Sed ab introitu in Hungariam Ioannes Archiepiscopus Strigonienſis, cui tutela regni absente Rege commissa erat, illum arcuit, donec Sigismundus cum copijs suis rediret, & Polonus ab incepto desineret. Paulatim inde Turcæ Mœsiam superiorem inferioremque, quas Bulgariam & Seruiam appellant, atque alia insuper regni membra lacerare cœperunt, duce Bazahite qui Amurathi successit, finium imperij sui promouendorum cupidissimo, ad quem cùm legati à Sigismundo venissent, iniuriam querentes, quòd à nemine Hungarorum lacessitus in aliena inuadit, Bulgaros infestans regno Hungariæ subiectos. Sed quod ius apud Barbaros? Iubet in parietibus suspendi diuersi generis arma, tela, sagittas, acynaces, clypeos, sariſſas, atque ad conspectum illorum legatis admissis: Dum, inquit, ista, quæ cernitis, nobis supersunt, superest ius quoque non ad Bulgariam modo, sed ad Croatiam, Dalmatiam, & ipsam Hungariam. Hæc igitur domum abeuntes, renunciate Regi vestro. At illi horrendum præterea belli apparatum, & tantam multitudinem pugnantium, quantam nunquam aliàs oculis suis vidissent, renunciant. Commotus his Sigismundus, auget copias ex Gallia, Anglia, Lucemburga,

*Transalpinum bellum contra Alexandrum.*

*Turci Valachos iuuant.*

*Nicopolis minoris ad ripã Istri expugnatio.*

*Iohannes Kanisa Polonorũ ingreſsum prohibet.*

*Baiazethes Amurathis filius.*

*Superbum oratoribus dant Turci responsum.*

*Bellum ad Nicopolim infeliciter gestum. Anno 1395. 29. Septemb.*

tum præmijs, tum precibus ad hæc multi voluntarij arma sumpserunt, inter quos fuit[d] Ioannes princeps Burgundiæ, qui tactus amore religionis, vnà cum suis Burgundis, omnia contra impios hostes, pro Christianis experiri paratus venerat. Ad Nicopolim Sigismundo Bazahites occurrit. Ibi dum Galli gloriosum ducunt, prælium ante alios inire, non expectatis cæteris agminibus, aciem Turcarum ingenti impetu adoriuntur, coguntque parum retrocedere. At Turcæ ad arcus conuersi, equos Gallorum telis transfodiunt, desiliunt illi ab equis, vt pedites cum pedestribus copijs certamen experiantur. Equi Gallorum cum sellis vacuis in castra recurrētes, errorem Vngaris obijciunt, Gallorū quasi equites omnes à Turcis essent occisi; Voluit[e] Sigismundus celeri equo aduolans, hunc errorem suis demere, & ad pugnam illos ex fuga retrahere, sed postquam nihil profecit, equo delabens mutat vestem, seque in cymbam, qua commeatus Danubio aduectus erat, seruili habitu condit, & illa nauigatione captiuitatem euadit, in quam princeps Burgundiæ incidit, multo postea auro redemptus, cum paucis Gallis nobilioribus, qui superstites reperti sunt. Rarò autem vnum solum malum ingruit, sed mala pleraque malis succedunt, qualiter tunc Sigismundo vsu venit, in quo cùm nulla malè gestæ rei culpa resideret, sed in ipsis potius Hungaris, non prælium, sed fugam persequentibus, illi tamen nihil fortunæ, sed totum casum infœlicem Regi assignabant, tantaque in eum flagrabant insania, propter cęsos nuper Budæ proceres, vt ardere omnia bello intestino, quàm illum regnare mallent. Indicto igitur sibi conuentu in campo, quem Hatwan nominant, ritu fero & barbaro, ad concilium armati conueniunt, iactantes se de summa regni acturos, quo pacto illud à nouis hostibus tueantur, opusque esse ad hanc actionem præsentia quoque Regis. Cùm ille veniisset, capita conspirationis assidentem propius circumstant, ex ijs alij pugnam ei aduersam exprobrāt, alij cognatos & affines gladio carnificis interemptos ab eodem repetunt, quidam in barbam inuolant, pilosque ei vellunt, & ad extremum captiuum Regem suum capiunt, traduntque carcerandum in arce cui Soclos vocabulum,[f] duobus fratribus, ob necem paternam Regi infestissimis. Atque interim Ladislaum, Caroli, pridem in Hungaria cæsi, filium ad regnum inuitant, diu tergiuersantem, quòd ei sæpius interitus patris acerbissimus ob oculos versaretur.

*Armatis comitijs Sigismundus carceri dicatur.*

*Ladislaus Rex Neapolis inuitatur ad regnū contra Sigismundum.*

Sed nequeo mihi temperare, quo minus Bazahitis quoque casum hîc strictim percurram, qui tanto successu apud Turcas regnabat, vt breui tempore omnem Thraciam, Thessaliam, Macedoniam, Phocidemque & Bœotiam regno suo adijceret, ac iam ad imperium Constantinopolitanum, obsessa vrbe tenderet, cùm ei impotens & volubilis fortuna, hostem alium, quem minimè expectabat, imò quem maximè despiciebat, repentè obijcit. Tamerlanes ei nomen erat, paulò ante gregarius, & ignobilis miles, tunc ducem agens Tartarorum, gentis etiam apud Turcas contemptissimæ, sed numerus profectò non erat contemnendus, quippe duodecies centum millia hominum in exercitu habuisse dicitur, ac multa iam secunda prælia contra multos fecisse, non ætati, non sexui parcens, terror enim gentium, & haberi, & vocari gaudebat, sed nullam tamen pugnam eius, cum prælio Turcarum comparaueris, vt in quo, ad ducenta millia illorum cæsa esse feruntur. Captus Bazahites, in potestatem victoris viuus peruenit, ab eodemque aurea cathena cathenatus, & pro scabello habitus, quoties sellam conscenderet, nec secus atque canis sub mensa de reliquijs cœnæ nutritus, ac ne quid ad contumeliam superbissimo quondam deesset, cauea inclusum, quocunque iter faceret, circumduci iussit. Tandem Ladislaus, vbi cognouit, continuo tenore, nomen suum in Hungaria celebrari, insigniaque sua in vexillis oppidatim circumferri, ex Neapoli remis velisque ad Dalmatiam aduolat, in eaque oppidum Iaderam obsidione

*Baiacethes Turca à Tamerlane Schytarum victus, cū antea fulmen bellidiceretur. Græcis λαιλαψ.*

*Anno 1397. Ladislaus Iadera vēdita repetit Neapolim.*

*Inficias eunt annales Hungari.*

ne eximit,ac mox rumore accepto,Sigiſmundum fruſtratis vinculis elapſum eſſe vendita Iadera Venetis,Neapolim reuolat,nec falſus rumor de Sigiſmundo fuerat. Vt enim ſemel alloquendi viduam, quæ mater illorum fratrum, quorum meminimus erat, poteſtatem adeptus eſt,à ſe illam prius non dimiſit,quàm aureis dictis,ingentibusque promiſſis blandè extorqueret,vt mater cum filijs ad ſe liberandum, furtiuisque itineribus in Morauiam deducendum conſpirarent. Ex Morauia datis continuò Budam ad præfectos literis, illos hortatur, eandem, quam hactenus, vt in poſterum etiam darent operam,ne Buda in alienas manus veniat, ſpondetque cum illis, tum imprimis Ioanni Strigonienſi Archiepiſcopo, ſe breui adfore cum Iodoco & Procopio Morauiæ Marchionibus. Strigonienſis de aduentu Regis certior factus, multos ad officium reuocat, magnasque copias circum Ternauiam contrahit,quibus Rex comitatus, ſecurior Budam ingrederetur. Ingens dein apud coniuratos metus, ne pœnas defectionis luerent: contrà Sigiſmundo tam ſe clementem omnibus exhibente,vt vltrò ad experiendam lenitatem ſuam,defectores inuitaret,qui paruerunt venia donati. Contumacium plurimi,bonis mulctati, in nullius tamen corpus ſæuitum, hamum videlicet iſtum cruentum Rex adhuc ſuſpenſum tenebat, vt illo vaſtum piſcem cuncta in regno vaſtantem facilius caperet. [g] Is erat Tranſyluanus præfectus, non paucioribus agminibus, quàm ipſe Rex ſtipatus,ideoque ſatis à vi aperta tutus. Ad hunc ineſcandum & intra parietes excluſo ſatellitio attrahendum, ars fuit adhibita, qua ſuccedente, caput illi amputatum eſt,& ad tumultum ſedandum, corpus in plateam proiectum, ne fruſtrà ſatellites pro mortuo contenderent. Nullus poſthac Hungarorum tam audax fuit,qui coniurare in Regem auderet. Mulctauit &Venetos loca quædam in Dalmatia contractantes,clade & ære, quo deinde Marchiam Brandenburgenſem redemit,ac mox nuptias cum Barbara Hermanni Ciliæ Comitis filia,cultu,ornatu,ſumptu,munerumque magnificentia ſplendidiſſimas celebrauit: inde porrò ad altiorem gradum conſcendit Cæſar ab Electoribus Francfordiæ declaratus. In qua dignitate multa & præclara geſſit,Cæſare digniſſima,ſed hoc omnium præclariſſimum, quòd eccleſiam Catholicam amplius triginta annos ſchiſmate ſciſſam, diuiſamque, ita vt vno eodemque tempore tres Pſeudopontifices extarent, Ioannes,Gregorius, [h] Benedictus, per concilium ſua opera & induſtria contractum ad vnitatem tandem redegerit, vno legitimè electo, Othone Columnio,cui dein Martino nomen. Tantumque ei ſtudium in vindicanda,augendaque pietate fuit, vt concilio Conſtantienſi aſſiduus,totum ferè triennium adfuerit. Præfuit mox & Baſilienſi, quo maior ei authoritas & libertas,liberè loquendi,agendique accederet. Venerat illò Boiemus quidam, palàm queri auſus quod à damnatione ipſius Hus,ſimul extincta eſſet libertas dicendi de religione,quæ de illa quiſque ſentiret. Huius querelam Sigiſmundus tali reſponſo confutare ſatis habuit: Heus tu,an parum adhuc tibi liber eſſe videris? qui iſta non palàm modò, verumetiam impunè iactes in contumeliam concilij? Et cùm ipſe peritus eſſet multarum linguarum, & inter illas ſermonis quoque Latini, quo tunc in concilio cauſæ omnes agebantur, vt nullos magis, quàm Germaniæ principes, illius rudes eſſe animaduertit(ferè enim ad ſingula verba Latina interprete indigebant)adhortari illos cœpit, vt ſaltem liberos ſuos, bonis literis præceptoribus erudiendos traderent,ne inter idiotas, & illiteratos,non ſatis nobilitati decora vocabula numerarentur. Quantum verò honoris doctis habuerit,vel vno hoc exemplo clarè liquet: Habuit in aula ſua iureconſultum Georgium, cognomine Fiſcellinum,quem paulò ante ad ordinem equeſtrem prouexerat, eundemq; militem,vt vocant,auratum fecerat. Is cæteris,vt in conſilio ſit,in par-

*Sigiſmundus ope viduæ effugit in Morauiam.*

*Redit Sigiſmundus in Vngariam.*

*Parcit rebellibus.*

*Sigiſmundus Venetis mulctatis ſecundò fit coniunx.*

*Sigiſmundus Cæſar Rom. electus,anno 1410.*

*Martinus V.*

*Acutum Sigiſmundi reſponſum.*

*Hortatur Germanos principes ad Latinæ linguæ ſtudiũ.*

*Georgius Fiſcellinus.*

*Historiæ Sigismundi morales.*

tes deliberandi gratia, per ordinem quisq; suum discedentibus, & ipse discessurus, anceps hærebat, ad doctorésne iurisconsultos, an ad equestrem ordinem discederet, ad equites postremò velut honorificentiores se contulit. Quod intuens Sigismundus: Nę tu, inquit, Georgi nimis ridiculus es, qui mili tiam literis anteponis, cùm scias ex idiotis, me, vel sexcentos vno die equites creare posse, at ex eodem genere, ne vnum quidem doctorem. Adnectam liberalitatis quoq; exemplum. Quadraginta millia aureûm nummum ex Pannonia in hanc ipsam Basileam, die quadam allata ei fuerant, ac tum reddita, cùm

*Liberalis in viros doctos.*

iret cubitum. Excitatus non semel à somno, secumq; cogitans, cuínam potissimum vsui aurum illud destinaret, manè ad se viros aliquot ingenio & doctrina præstantes vocat, quorum studio & opera concilij res non feriabantur, iubensq; sinum quemq; suum pandere, vim auri illius maiorem apud illos abscondit. Idem author fuit legationis mittendæ ex hoc concilio in Boiemiam ad pertentandos adhuc Boiemorum animos, si qua ratione adduci possent, vt

*Legatio Basiliensis concilij ad Boiemos decreta.*

ad sanitatem reuerterentur. Legati cùm Egram ciuitatē in finibus Boiemiæ sitam peruenissent, simulq; accepissent, Pragam factionibus & dissensionibus solitis agitari, non solùm ex sua ipsorum securitate, sed etiam ex concilij dignitate, rati fore, vt vocatis ad se Pragensibus, ibidem Egrę, tanquam loco pacato tutoq; & quasi medio, ideoq; vtriusq; partis colloquio maximè apposito, religionis negociū iuxta concilij præscriptum tractarent. Venerunt Pragenses, & vnà cum illis Procopius Thaboritarum insignis apostata & doctor, audiuerunt q; concilij postulata, quæ omnia ad concordiam continendam, & schismata, ac dissensiones cohercendas tendebant. Prouocant statim aduersarij

*Disputatio Egræ instituta nullo fructu.*

ad disputationem de scripturis, quasi de illis inter ipsos conueniret, cùm palàm voce alia, Thaboritę, alia Calixtini loquerentur. Illic impudentissimè, iuxta ac imperitissimè meris scripturarum commentis, expositionumq; earum mendacijs veritati obstrepebat. Calixtini etsi modestius agerent, tamen ea agnoscere, per quę reuincebantur, noluerunt, sacras literas ad defensionem sui instituti violenter trahētes, vtriq; deniq; in cæca & obstinata pertinacia permanentes. Hoc tamen legatorum humanitas & comitas obtinuit, vt dogmata vtriq; sua concilio descripta mitterent, & interim pacis inter se fœdera seruarent. Finita Basilensi Synodo, quàm pontifex Eugenius Martino succedēs,

*Acta colloquij synodo offeruntur.*

*Expeditio Sigismundi in Italiam, anno 1431.*

ægrè ratam habuit, quoniam ipse illi non interfuit, etiamsi accitus fuerit, Sigismundus Romam profectionem cum duodecim equitum, & octo peditum millibus parat, vt coronam Imperij à legitimo tandē pontifice accipiat. Introgressus Italiam, Venetis, qui cum Philippo duce Mediolanensium, cui ipse fauebat, bellum gerebant, subito impetu forum Iulium adimit, & Teruisum expugnat: nec vltrà moratus, iter destinatum pacato inde agmine continuat, Senas properans à Florentinis oppugnatas. At Florentini aduentu

*Philippus Maria Vicecomes dux Mediolani.*

*Veneti, Pontifex, Florentini contra Cæsarem et Mediolanenses.*

Cæsaris perculsi, transitum Arni, ne illum traijcere queat, impedire parant. Eugenio quoque Pontifice qui Venetus erat, persuaso, vt subsidiarias illis copias cum Nicolao Tolentinate, copiarum duce, submitteret. Hic attentior ad rapinas & ad excursiones in agros Senensium faciendas, traijciendi flumen, Senasque perueniendi, facultatem Cæsari dedit. Reuocat subitò pontifex Nicolaum, solutaque militia, pacem diuulgat, & Cæsarem verbis benignissimis Romam inuitat, qui tamen Senis ad sextum ferè mensem subsitit, id potissimum agens, vt bellum componeret: quo non succedente, rem per inducias transegit, venitq; Romam populo Romano expectatissimus. Sed & Pontifex multum officiosus apparuit, vt qui Cæsarem è Vaticano, vbi coronam acceperat, vsque ad pontem Hadriani comitatus fuerit. Roma digressus, Ariminum, Ferrariamque & Mantuam deflexit, præterito Mediolano, quoniam Philippus eunti Romam cum auxilio, quemadmodum spoponderat, nullibi

*Sigismundus Romæ ab Eugenio imperator salutatus die Pētecostes.*

per

per viam occurrit. Mantuæ autem Ioannem Franciſcum Gonzagam, qui Domini tantùm titulo vrbi dominabatur, ad Marchionalem dignitatem euexit. Domumque reuerſus, nouas rurſus copias aduerſus Mahometem Bazahitis filium comparauit, qui Boſnam per ſuos crudeliſſimè infeſtabat. Ipſe ſibi regiã Adrianopoli conſtituit, ad occurrendum opportunam, ſi quid grauius, vel à Conſtantinopolitano Cæſare, vel à rege Hungariæ ingrueret, quippe locum ferè medium inter vtrorumque fines obtinente. Boſnenſibus igitur Sigiſmundo opem laturo, Satrapæ à Mahomete cum agminibus Turcarum miſſi obuiam ſe offerunt, partim fugam ſimulantes, & mox promptius reſiſtentes, partim cominus ſtatim congredientes: atque in vtroque caſu inſtantibus Hungaris impares, id quòd vno & altero prælio patuit. Nam angustiæ loci, totis confligi viribus non patiebantur, & Sigiſmundus non ſolùm pugnæ ineundæ, ſed locis quoque compluribus rurſus in poteſtatem recipiendis, occupatus erat. Quæ mox omnia firmiſſimis præſidijs confirmauit comeatibus vndique aduectis, & ante diſceſſum ſuum Turcis inde exturbatis. Sed deerat præfectus ad quem Rege abſente, cæteri omnes reſpicerent, qui prouinciam ab incurſione Barbarorum tueri debebant, cùm ecce tibi Pippus adeſt, è Florentia aduolans, vetus copiarum Sigiſmundi dux contra Turcas, ac ipſis quoque Hungaris probatus ob induſtriam, qua plus quàm viribus excelluit, illiusque ſtudio plerunque victor abijt. Atque hæc ſanè felix induſtria, in præſenti quoque præfectura eum proſequuta eſt, vt ſæpius in Boſna vinceret, quàm ipſe hoſti cederet. Et cùm hoc ipſo tempore à Germanis præterea deſideratetur præſentia Cæſaris, vt eius authoritate & conſpectu, lites, controuerſiæque & bellorum terrores inter principes & vrbes, quæ ſe liberas appellarent, nec alij, quàm Cæſari eſſe ſubiectas dicerent, tollerentur. Ne has quidem fraudare deſiderio eorum voluit. Adueniens igitur omnes conuentus, quos per Germaniam indixit, celeriter obiuit, publicas principum controuerſias cognouit, illasq; ſumma æquitate dijudicauit, vrbes præſertim maritimas, armis tumultuantes ſedauit, ipſum denique regem Danorum [k] Ericum, diu cum principibus Sleſwicenſibus contendentem, in pace continuit, ſui interim non immemor, vt ſe, cauſamque ſuam illis contra Boiemos rebelles accuratiſſimè commendaret. Nec dum enim Rex Boiemiæ creatus erat, hæreticis ei contumelioſius inſultantibus, omnique virium conatu prohibẽtibus, ne aliter hæreditatem regni adire poſſet, niſi hæreſi prius illorum confirmata. Ad tantam Boiemorum inſolentiam reprimendam, Germani operam ſuam & impenſas perbenignè ſunt polliciti, ac reipſa abundè præſtiterunt, ſed quod dicitur, & oleum & operam perdiderunt, quemadmodum ſuprà commemorauimus. Nihil enim ex illorum præſtanti auxilio, Sigiſmundus aliud conſecutus eſt, quàm vt Pragæ rex coronaretur. Cæterùm bella, prioribus etiam immaniora ſunt ei relicta, quippe non aliunde ad immanitatem procliuior, quàm ab hæreſi prolapſus, vt quæ non ſolùm cum hominibus, ſed cum ipſo quoque Deo, inſtar Gigantum, quibus nihil immanius pugnare ſolet. Minimè itaque mirum, ſi nec homines, nec Deum reueretur, ſed vt ſerpens bellua, quam etiam Hannibal Italiam vaſtaturus vidiſſe fertur, quicquid obuium eſt, ſacrum, profanumque impiè proterat. Quanquam ad Hannibalem ex bellica laude Ziſco aſpirare nequeat, veruntamen ad Viriathum qui Hiſpaniam, ad Athenionem qui Siciliam, ad Spartacum qui Campaniam, inſignibus latrocinijs euaſtabant, proximè accedit. Sed iam tempus eſt, vt ad interruptam, de bellis Thaboritarum contra Sigiſmundum narrationem, dum peculiari libello vitam eiuſdem Sigiſmundi deſcribimus, reuertamur, peculiariter etiam reliqua eius geſta ſubnectentes.

*Gonzagæ fiunt Marchiones Mantuæ. Anno 1415.*

*Philippus Florentinus auſpicijs Sigiſmundi viginti Turcas cladibus affecit. Fuit è familia Strozzorum.*

*Germaniam pacatam reddidit:*

*Anno 1414.*

*Sigiſmundus auxilijs Germanicis Boiemico diademate cingitur. Pernicioſa ob religionẽ bella*

*Ziſco latronibus, non peritis Imperatoribus exæquandus.*

a *Iurarunt Poloni in verba Sigismundi 14 annos nati Zolÿ, anno 1382 sub finem Iulÿ. Profectus in Poloniam Cosminum, Nabyssice, Cosminecium expugnauit. Zemouitum Iohannis fratrem Masouiæ ducem imperium detrectantem est aggressus. Sed mors Ludouici conatibus obstitit.*

b *Vilhelmus Leopoldi filius, qui ad Sempachum ab Heluetijs est interfectus, anno 1387. 9. Iulÿ.*

c *Ambæ Nicopoles interiecto Istro Maior & minor Traiani & Hadriani victorijs celebres contra Dacos.*

d *Philippi Audacis filius nepos Caroli sexti Regis Gallorum, auctor societatis Aurei velleris.*

e *Rex castris exutus Constantinopolim fugit, hinc Rhodum, postea per Dalmatiam delatus domum. Et Froßardus vetus Gallicæ scriptor historiæ, suis popularibus cladis accepta culpam tribuit.*

f *Nicolai & Iohanni filijs Ladislai Gazæ Palatini à Bano Croatiæ interfecti.*

g *Stephanus Vayuoda Transsyluanus Ladislai F. ob crimina læsæ Maiestatis obtruncatus in Sclauonico conuentu.*

h *Pseudopontifices.*

*Petrus de Luna dicebatur Benedictus XIII.*

*Angelus Carratias Venetus Gregorius XII.*

*Balthassar Cossa Iohannes XXIII.*

i *Bellum Bosnense Hernoiæ Spalethÿ Ducis defectione ortum, auxiliante Mahomete Turca, qui postea Ikachum Bosnæ præfecit à Nicolao Macedonio monomachia obtruncatum.*

k *Pomeraniæ dux Ericus rex Daniæ factus contra ciuitates & Henricum Holsatiæ Ducem bellum gessit. Sigismundo arbitro vicit Rex, cùm Slesuicensem Ducatum Daniæ adÿcere ceu feudum suum vellet. Hic postea Hierosolymam religionis ergo profectus est.*

# HISTORIÆ BOIE-MICAE LIBER VIGE-SIMVS SEXTVS.

*E Boiemia repetit Hungariam Sigismundus.*

POst assumptam Pragæ coronam Sigismundus, inde Cuthnas discedens, fœdus ibi cum suis de regno, Christianaque religione tuenda percussit, mandauitque, vt consilia belli communiter tractarent, dum ipse in Hungariam ad reparandas vires concedit. Interibi Pragæ nulla impijs pax, assiduò inter se, etiamsi alia deessent, de ritibus scholasticis aut ecclesiasticis contendentibus. Nam Thaboritæ nihil horum ferre poterant, vt se quisquam, qui populum doceret, artium magistrum, aut ciuilis, canonicique iuris doctorem appellaret, quòd eiusmodi vocabula, doctrinam à lege diuina prorsus alienam præ se ferrent. Dein vt quis sanctorũ patrum scripta, tanquam authentica citaret, aut vllum aliud, quàm veteris & noui testamenti verbũ in ore haberet, nec alias vestes Missam celebraturus, quàm suas, non verticẽ rasum, non manus chrismate vnctas, nõ calices argenteos aureosq;, sed obuios quosq; siue luteos, siue ligneos ad quem videlicet modũ Apostoli vsurparunt, qui eodẽ habitu Missam, quo cœnam cotidianam inibãt, eandemq; sine vllis cerimonijs, quemadmodum & baptismum sine sale & oleo conficiebant, nullas imagines, nulla organa musica

*Contentiones in scholis & ecclesia Pragensi.*

*Thaboritarum dogmata.*

muſica,nullas aquæ aſperſiones, nullas auriculares confeſſiones, nullum eucharistiæ,aut mortuorum hominum cultum nouerant. Ad hanc regulam Pragenſium quoque ſacerdotes eſſe dirigendos clamabant.Contrà illi ritum eccleſiæ veterem ſtrenuè defendebant,ac pro ſolo calice obtinendo ſolliciti erant,paſſimque illum in parietibus,in vexillis,in templis pingebant,vt haud inſcitè quidam adſcripſerit:

*Pragenſium dogmata.*

*Tot pingit calices Boemorum terra per vrbes,*
*Vt credas Bacchi numina ſola coli.*

*Scomma in pictos Boiemorum calices.*

Ergo dum ſe Thaboritæ à Pragenſi ſenatu contemni vident,diſceſſum inde minantur. Adeſt continuò apoſtata ille,qui ad diuam Virginem in arena, concionibus ſuis populum tenebat, & magna caterua ſtipatus, intrat in domum prætoriam,occupánsq; honoratiſſimum ſubſellium,iam hoc inſolentiæ plenum fuit,iſtud verò facinus etiam audaciſſimum, quòd ſigilla ſibi, quòd claues reddi, perinde ac princeps ſenatus eſſet,iuſſerit,nouumq; ſenatū pro arbitrio Thaboritarum,tam in vetere quàm in noua vrbe inſtituerit.Qui quidem ſenatus,vt ſibi ex ſuis,externisq; amicos concilaret, Pragenſibus monaſterium Zderaſienſe, Thaboritis autem monaſterium diui Clementis diripiendum, demoliendumque permittit. Ad diui Clementis viginti ſex demolitores ruina muri oppreſſi ſunt. Qua clade nihil exterriti, Coranda ductore,ſub ſignis & vexillis ad aulam Regiam,omnium in Boiemia ſplendidiſſimum monaſterium, hoſtiliter expugnandum vadunt, facileque expugnant, quia nemo illic erat,qui propugnaret.Nam monachi,qui ſui cędem futuram ſenſerant,ſi aduętum hoſtium expectaſſent, loco illo,rerum omnium copioſiſſimo relicto, fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt, putantes copia illa contentos hoſtes,in ipſum monaſterium elegantiſſimum non ſęquituros. At illi fortunis omnibus, aut interceptis,aut corruptis,poſtremò ignem ædificijs aliquot in locis ſubdiderunt,buſtumq; ex Baſilica fecerunt. Ac tum demum ex vino in cellis hauſto temulenti, veſtibusq; ſacris per ludibrium induti, quaſi ſtrenuè re geſta,cantantes iubilantesq; Pragam reuertebantur. Duranteq; adhuc furore,arcem Vicegradum noctu aggrediuntur. Sobrij illam,& ad omnes impetus vigilantes obtinebant, ij vt veſaniam madidorum incenderent magis, metum ſimulant, nullum in ſtationibus, nullum pro muris excubitorem oſtendunt,ſed patiuntur illos vſq; ad portam arcis ſubire,quam vbi excindere parant,alij ſaxa ex muro prouoluunt,alij porta aperta impreſſionem faciunt, temulentoſq; velut pecora trucidant aut fugant. Cæſorum octoginta nobiliores, ab amicis intra vrbem funerati ſunt.Poſt hæc Thaboritæ vaſa colligunt, & agminatim Praga abeunt, querentes de Pragenſibus ſacerdotibus, quòd impedimento eſſent,quo minus in vnam coirent ſuperſtitionem,egreſſique vrbem, Ziſconem ſummum agminis ducem conſtituunt, vnanimiter malè cum illo cogitantes, fœdusque paciſcentes aduerſus ſacerdotes & populum Dei, qui eccleſiam Catholicam vti matrem agnoſcebant,volentes illam ita diſperdere in regno Boiemiæ, vt ne nomen quidem Catholicorum amplius memoraretur, ſed Thaboritæ,vbique locorum vt caput ſuum cum Synagogis ſuis extollerent. Hoc igitur animo progredientes,caſtellum Riczianum, in quo multi inerant Catholici viri mulieresque, obuium habuerunt,datoque ad expugnandum ſigno,breui illud capiunt,in ipſos captos pro libidine ſua deſæuientes. Inter illos vndecim ſacerdotes erant,cuncta ſe facturos promittentes,quæ Ziſco iuberet,calicem ſe propinaturos,ritum Thaboritarum ſuſcepturos,militiam cum illo obituros:at ille vinctos in vaporarium deduci, & omnes comburi mandat. Nactus deinde in arce Pribenicia Hermannum monachum, qui ſe epiſcopum ſuffraganeum cognominabat, quanquam Thaboritarum nonnullos conſecrauerit, quia tamen metu ad-

*Splendidiſſima monaſteria flammis abſumpta.*

*Thaboritæ à Vicegradum vino ſepulti trucidantur.*

*Thaboritæ duce Ziſca cum exercitu diſcurrunt.*

*Riczianum expugnatur.*

*Suffraganeum Ziſcho aquis ſuffocat.*

actus id feciſſe videbatur, pertractum ad piſcinam ſubmerſit. In oppido autem Vodnana, quotquot ſacerdotes reperit, viuos in fornacem calcariam proiecit. Vertit hinc iter ad peruaſtanda Vlrici Roſenſis bona, quod ille, præter alios Thaboritis aduerſaretur. Huius rei pœnas coloni cædibus, eorumq; pagi & vici incendijs luerunt. Receptum pręterea ibi oppidum Prachatice violenter, in quo cxxxv oppidani in platea occurrentes, flagellis Thaboritarum ferratis contuſi, obtritiq; ſunt, gloriantium, aream Domini ſe purgare. Confugerant ad ſacrariũ cum ſacerdotibus lxxxv viri inermes, manus in cœlum tendentes, vocęq; flebili ſupplicãtes, vt eis tempus viuendi, pœnitendiq; prorogaretur, ſimulq; pollicentes, eadem ſe dogmata cum Ziſcone profeſſuros. Reſpondit ille, tempus vltionis, non autem miſericordiæ inſtare, admotisq; malleolis & ſarmentis, incendium ſuſcitat, quo deflagrarunt ad vnum omnes. Paulò ante verò concionatores Thaboritę, conciones prorſus ſanguinarias de vltione habebant, authore quodam Venceſlao caupone, qui plura cæteris, de lege noua, veteriq; memoriter narrare, & ad id, quod Thaboritis placebat, detorquere ſolebat. Is iam in hoc ipſorum præſenti ſeculo cõſummationem inſtare aſſeuerabat, in qua Chriſtus occultè ſicut fur venturus eſſet, ad Regnum ſuum, hîc in terris reparãdum inſtaurandumq;, pro quo oramus cottidie, Adueniat regnum tuum, & in hoc aduentu, inquit, non erit tempus gratiæ. ſed vltionis & retributionis, & igne & gladio, aduerſus legis Chriſti aduerſarios, quos neceſſe eſt perire, ſeptem illis plagis nouiſſimis in Apocalypſi cõmemoratis. Thaboritas autem eſſe angelos ad illas exequẽdas à Deo miſſos. Maledictus itaq; ille, qui manus ſuas in ſanguine peccatoris non lauerit, illáſq; cæde impiorum non ſanctificauerit, ſiue ille ſacerdos, ſiue vnus è plebe fuerit. Sic rurſus ad deſolãdas euertendasq; villas, pagos, vicos, ciuitates, ſuos animabat, Scriptum eſſe inquiens, quod hoc ipſo vindictę tempore, qui in ludęa ſunt, fugere debent ad montes, ad quos tandem? niſi ad eos, in quibus fideles Thaboritæ habitant, ſecuri à plagis quæ manent illos, qui vicos, caſtellaq; & vrbes, extra quinq; duntaxat, non deſeruerint, deſtruxerint, combuſſerint, quando in illas amplius nec Dominus, nec Deus, aut quiſquam alius ingrędietur, idq; breui futurum eſſe dicebat, rurſus ſcriptura atteſtante, & adhuc puſillum, & non erit peccator, quæres locum eius & non inuenies, manſueti autem, quales ſe dici volebant, cùm omnibus feris eſſent ferociores, hæreditabunt terrã, & delectabuntur in multitudine pacis. Quid itaque mirum, ſi ſub tam impijs ac planè belluinis rectoribus, templorum, oppidorumque incendia, agrorum deuaſtationes, hominum cædes, cariſſimarum rerum direptiones, & alias miſerrimas calamitates, miſera Boiemia ſuſtinuerit? His malis velut quidam ærumnarum cumulus acceſſit, quòd à Rege quoque ſuo vaſtabatur, poſtquam malè ſani, diæta curari nolebant, ad Chirurgiam illo deſcendente. Oberrabat autem Rex tunc è Pannonia cum Hungaris rediens, cir cum Czaſlauiam, Coloniam, Nymburgam, Litomeritium, & alias ciuitates, fidem ei ſeruantes, ac interim vires maiores vndecunq; potuit colligebat aduerſus Pragenſes, qui Zatcenſibus, Launenſibus, Slanenſibus ſibi adiunctis, arcem Vicegradum ab omni parte obſederant, vt obſeſſos à commeatu excluderent, ſed deerat illis, cuius authoritate imperioque rem gererent. Itaque celeriter ad Hinconem Cruſſinam, & Victorinum à Kunſtat, nuncios mittunt ſimulque Thaboritas rogant, vt ſubſidio veniant, quibus venire aſpernantibus, Cruſſina & Kunſtat cum Orebitis affuêre, omniumque conſenſu præfectura belli ad vtrumque delata eſt. Qua illi ſuſcepta, locum caſtris propius arcem in valle vinearum, vnde ad diuum Pancratium aſcenditur, delegerunt foſſaque illum & vallo circum munierunt. Nam & arx magnam munitionem continebat, non opere ſolùm, verumetiam virtute defenſorum, quibus

*Ditiones Vlrici Roſenſis vaſtat.*

*Prachatice direptum.*

*Sacerdotes cremati.*

*Venceslaus caupo concionator, auditores ad vindictã extimulat.*

*Sensus ſcripturæ depraua tus*

*Sigiſmundus vltioni intẽtus*

*Vicegradum Pragenſes obſident ducibus Cruſsina & Kunſtadio.*

Ianus

Ianus Bozkouitius ex Morauia præfuit. Itaque ex arce, in opere distentos eruptiones, crebraque, sed minuta, intercedebant prælia, ex quibus modo hi, nonnunquam illi superiores discedebant. Adhibitæ dein ad murum arcis concutiendum, vna & altera balistæ, quibus maiora saxa iaciuntur, sed totidem ex arce bombardæ appositæ, vnà cum balistis disturbatis, tortorem quoq; occiderunt. Eodem tempore, ab altera arce telum ex maiore bombarda in veterem Pragam iactum, vno ictu quinq; homines interfecit, inter quos mulier prægnans erat, cuius fœtus ventre euolutus, tantisper fuit superstes, dum tingeretur. Obsidione diu perseuerante, scribunt obsessi ad Regem, qui tunc Beronæ erat, tertiò à Praga lapide, inopia commeatus se laborare, qui nisi intra mensem suppeditatus fuerit, actum de se iri. Rescribit per eundem tabellarium rex, non commeatum modò, sed obsidionis insuper solutionem illis adfore, si ad tertiam hebdomadem fortunam præsentem fortiter tolerauerint. Ac mox in Morauiam suos extrudit, qui præsidi Morauiæ dicant, vt imperio regis nobilitatem & plebem armet, atque sine vlla dilatione obsessis succurrat. Ipse Lythomiritium festinat, vt naues inde Beronam curribus aueharit, quibus vti posset ad commeatum in arcem transportandum. Sed adeò omnia loca per terram & aquam stationibus obsessa, aut cathenis impedita erant, vt omnis conatus frustra caderet. Præterierat iam sesquimensis, ipsique obsessi consumpto omni frumento, equina tantùm carne, non cuiuis salutari, vitam sustentabant. Illa quoque deficiente, inducias cum Pragensibus ineunt, hac lege, vt si ad festum diem omnium sanctorum ad horam quindecimam rex ipsis auxilium non attulerit, se illis arcem bona fide tradituros. Quo rex cognito, ad arcem nouam, vno milliari à Vicegrado distantem, pridie eius diei, quæ præstituta deditioni erat, cum suis copijs venit, sed placuit in crastinum differri profectionem, vt illis quoq; significare per literas posset, qui in altera arce præsidia habebant, quid facto opus esset. Scriptum inerat, vt distinendæ manus hostium causa, bene manè impetum in domum Saxonum facerent, illamque expugnarent, aut incenderent. Nam se quoque tempestiuè venturum, Pragensesque aggressurum esse. Has literas in itinere cum Pragenses fortè intercepissent, consiliumque regis cognouissent, nouam, veteremque & minorem Pragam cum manu delecta occupant, totamque nocte in armis excubant, aduentum regis expectantes. Qui tametsi serius, quàm oportuit, vix duabus horis apparuerit, obsessi tamen ab eruptione contra Pragenses sibi temperabant, ne fidem illis datam violarent. Appropinquante rege, munitionibus extra portam magnis operibus excitatis, densisq; flagellantium stationibus instructis, Henricus à Crauar Morauiæ præfectus regem adit, à pugna illius diei, eum dehortaturus, quando nulla ex arce Vicegradensi subsidia adesse videret, inquiens: Noui ego Rex, flagelliferos istos rusticos, ac nimis metuo, ne multum vapulemus, si intempestiuam cum illis pugnam iniuerimus. Commotus hoc dicto rex: Et ego, inquit, noui, vos Morauos esse meticulosos, non ideò tamen deterrebor, quo minus rusticos illos cum fortibus viris hodie aggrediar. Tum Henricus, & præterea duodecim insignes Morauiæ proceres, equis desilientes. Hic dies, inquiunt, testis erit cuiusque fortitudinis & metus, prout quisque strenuè pugnauerit, aut turpiter fugerit: vaduntque in primam aciem ad congrediendum cum hostibus, in qua vitam prius omnes amittunt fortissimè dimicantes quàm loco demigrant, cæteris vndique fugientibus extra quadringentos, qui vnà desiderati sunt, & insepulti relicti, prohibentibus hæreticis sepeliri orthodoxos. Mox arcem ingressi, prophanarunt in illa templa, vastauerunt altaria, polluerunt palatia, denique desertam reliquerunt in pomorum custodiã. Rege cum Hungaris ad nouam arcem confugiente, & inde ad mon-

*Ianus Bozkouitius Vicegradi præfectus.*

*Laborant ciues penuria Vicegradenses.*

*Auxilia cogit Sigismundus.*

*Paciscuntur Vicegradenses cum Pragensibus.*

*Literæ Sigismundi interceptæ. Consilia prodita.*

*Morauiæ præfectus timiditatis insimulatus.*

*Casus Sigismundi exercitus.*

*Arx uastata.*

tes Cuthnenſes ſe conferente,vbi ad diſſimulandum ex clade accepta dolorem,capiti ſertum viride impoſuit,lætaq́; facie,conuiuium cum honoratioribus inīt,dein equites miſit,qui ad prædas agendas, ex bonis Victorini Kunſtat,& fratris eius, qui ſocietatem belli cum Pragenſibus & Thaboritis confirmarunt,excurrerent. Ac ne ſimili inopia annonæ, quali prius ſui, in altera Pragenſi arce conflictarentur,copioſiſſimo illos commeatu inſtruxit. At Pragenſes cum Thaboritis,in mutandis,nouandisque rebus inquieti,de rege nouo deliberant,quem Sigiſmundo æmulum opponant, maior factio in Polonum inclinabat,equeſtribus copīs potentem, & Sigiſmundo non valde amicum: contrà Nicolaus Hus cum quibuſdam Thaboritis pugnabat, ne extra Boiemiam rex quæreretur, ignarus conſuetudinum regni, ac præcipuè ipſorum religionis,cuius conſeruandæ gratia alio rege opus ſit. Vicit frequentior numerus,miſſiq́ue legati ſunt ad regem Poloniæ, qui regnum præterea Boemiæ ad illum deferrent. Quibus ille breuibus reſpondet: Se regno,quod in præſens habebat,contentum eſſe,vtinamq́ue vni illi ſatisfacere queat. Cæterùm regno Boiemiæ,quod ſciat ab eccleſia propter hæreſin condemnatum eſſe,nihil ſe egere. Vadunt illi ad Vitoldum Lithuanię ducem,non ita religioſo ſtomacho præditum, vt regnum propter crudam nonnullorum religionem concoquere non poſſet, oblatum illud ſibi promptè ſuſcepit, ac protinus cum ipſis legatis Sigiſmundum Korybuthum affinem ſuum ire in Boiemiam ad accipiendam regni poſſeſſionem iubet, additis ei delectis equitum turmis. Eum Pragenſes & Thaboritarum complures læti excipiunt, gaudentes de equeſtrium copiarum acceſſione. Cæterùm [a] Korybuthus, cùm nullos præterea ordines inſigniores adeſſe videret, qui comitīs indictis Vitoldum Regem Boiemiæ declararent, non diu Pragæ moratus eſt, ſed retrò,vnde venit,abīt. Rurſus altercantibus de ceremonijs Thaboritis, cùm viderent Pragenſium ſacrificulos ritu veteri ſacris veſtibus ornatos ſacra facere, corpus Chriſti manibus attollere, illudq́ue cernuos venerari,qua in re impedienda, multò adhuc magis Thabotitæ mulieres quàm viri moleſtæ erant, tum procacius illudentes, tum impudentius incurſantes, vt ſacrificuli depoſito alieno, ad ſuum redirent veſtitum, & ita demum calicem propinarent. Id cùm impatientius ferrent Pragenſes, diſcedunt vrbe Thaboritæ, ad populandos aduerſariorum pagos & vicos, cum mulieribus, ſicut prædarum, ita latrocinīj participibus. Nam quod ad ſpoliandum ſuum ſexum attinuerat, has ſibi plerunque partes ſine viris aſſumebant,ſcrutantes in nudo etiam corpore,locos muliebres,ne quid in illis auri aut argenti abſtruderetur. Sed abeuntibus etiam Thaboritis,Pragenſes non omiſerunt arcem Vicegrado vicinam, propter crebras excurſiones in eos, qui Pragam comeabant,aut inde migrabant, cum exercitu & machinis oppugnare. Fulſteinus arci, cum bene firmo præſidio præfuit,atque illam egregiè longo tempore tutatus eſt,expectans regium ſubſidium aduerſus tantam Pragenſium vim, cui ſe longè imparem cognoſcebat. Quo nimis diu tardante, oblatam ſibi à Pragenſibus conditionem recepit,vt ſi arcem illis per deditionem traderet,incolumis cum omnibus militibus,rebusq́; inſuper ſuis ſaluis,ad ſua rediret. Præmittere ille currus reculis oneratos incipit, cum repente turba Pragenſium incondita, in illas velut in prædam ſuam inuolat,clauditur continuò arx,nulla prorſus dein excuſatione admiſſa,cùm Fulſteinus diceret,perfidis nihil eſſe credendum. Hoc dicto irritati,ſubeunt muros,ſcalas admouent, conſcenſum magno conatu parant, ſed tanta vi & clade repelluntur, vt amplius ducenti ex illis caderent,occiderenturque. Mox ad cuniculum fodiendum verſi, tanquam aditum illis in arcem ſubterraneo itinere ſecuriorem præbiturum: ſed ibi quoque Fulſteino ad omnia vigilante,clades eos excepit, octodecim foſſoribus oppreſſis, ac cuniculo

*Diſſimulat cladem Sigiſmundus.*

*Vladislaus rex Poloniæ Sigiſmundo in Bohemico regno opponitur. Anno 1421.*

*Oblatum regnũ repudiat.*

*Vitoldus dux Lithuaniæ miſſo Koributho ſuſcipit.*

*Lis de ritibus ſacris inter Pragenſes & Thaboritas.*

*Fulſteinus nouam arcem tradit Pragenſib.*

niculo penitus obruto. Denuò igitur de arce dedenda agunt iurantes, fidem, quam dederunt, se inuiolatam seruaturos, ita videlicet, vt omnibus cum ipso præfecto equitibus liceat, cum equis & armis, ac similiter pedites armatos liberè quò quisque voluerit, discedere. Pragenses arcem ingressi, solito tunc sibi more in sacra prophanaque impetum faciunt, & postremò ignem arci subijciunt. Interea temporis Ziſco, monasteriorum vastator & euersor, in Pelsinensi regione versabatur, ibique Chotiessouiam, & Cladronam, Plassoniam, tria bene peculiata monasteria, pulsis inde regijs præsidijs expugnauit, & quantum in oppido Rokyczana euertit, omissaq; oppugnatione oppidi, quod Misam vocant, arcem Bohusij Swambergi, cui Crastikow vocabulum, inuadit, acvi recipit, cùm sex continuas horas circa oppugnationem vnius turris consumpsisset. Hinc Tachouiã profectus, suburbio oppidi potitur, illoq; mox ab oppidanis incenso, magnam equorum plaustrorumq; iacturam facit. Et quoniam imploratus Rex, qui tum in Boiemia erat, in auxilium ciuibus aduentabat, non est ausus aduentum eius expectare, sed relicta obsidione, Pragam auxilia petitum misit, quibus Regem de campo cedere, & ad mœnia velut illius latebras fugere cogeret. Rex tum Cladronam oppugnabat, auidus recuperandi illius monasterij de manibus Thaboritarum, cùm certior fit, Ziſconem equestribus & pedestribus copijs instructũ appropinquare, vt acie cum Rege congrediatur, satis intempestiuo Regi tempore, quare etiam nocte insequenti Rex castra sua incendit, & ad Morauiam versus iter facere cœpit. Tum Ziſco ad capiendam Pelsinam se cum omnibus viribus contulit, potiri se magnitudine copiarum ciuitate, circum vndique obsessa, posse sperans, auxitque spem captum suburbium cum molis frumentarijs. Sed præter ciues, magnus nobilitatis numerus aderat, qui Pelsinam, tanquam in tutissimum salutis receptum confugerant, ibiq; vitam suam tutari destinauerant. Quod quidem strenuè exequuti sunt, eò redactis hostib. post cæsum Pragensium præfectum, vt priores facerent inducarum mentionem, intra quas Pelsinenses, aut quatuor illis capitibus à Pragensibus & Thaboritis descriptis subscriberent, de calicęq; biberent, aut nouum, & multò grauius bellum futurum expectarent. Planè se ad vtrumq;, & per tempus responsuros Pelsinenses receperunt. Nec morati ad Regem de corpore suo Brunnam legant, qui rem gestam illi explicent, & sententiam ciuium de retinenda veteri religione exponant, imploretq; ab illo transactis inducijs, si Ziſco redierit, subsidium. Qui quidem Ziſco tunc grauiter videlicet ferens, arcem Rabij, quam nuper occupauerat, sibi ab aduersarijs esse interceptam, ad eam recuperandam cum suis Thaboritis deflexit, castrisque è regione arcis collocatis, & militibus ad illam oppugnandam ordinatis, ipse ad arborem pyrum substitit, vt militum operam specularetur, qui ex arce telorum multitudine repugnabant. Fortè euenit, vt vnus illorum ex bombarda tela torquens, pyrum illam adeò concuteret, vt frustillatim disiliret, ac fortuna ita volente, alterum Ziſconi oculum quem reliquum sanum obtinebat, paruo frustulo eriperet. Videlicet cùm ipsa cæca esset, alumnum quoque cæcum habere voluit, nimirum cæcorum ducem. Per id ferè tempus aduersam illi quoque Thaboritæ fortunam senserunt, qui Chotiborium & Prelauczium oppida, firmis præsidijs & munitionibus tenebant, ac magnis incommodis Cuthnenses ac Chrudimenses vexabant, à magistro monetæ, cui Flasca cognomen, expugnati, partimque in loco cæsi, partim captiui abducti. In Chotiborio amplius mille cecidерunt, præfectusq; eorum Hromada, cum tribus presbyteris sacrarum vestium illusoribus, Chrudimam pertracti, in medio foro combusti sunt. Cuthnenses verò, quos Prelaurzij viuos comprehenderunt, numerus illorum fuit ducenti viginti quinque viri, hos omnes in puteis suffocauerunt. Ad eam

*Ziſco monaſteriijs inuertendis incumbit.*

*Rex fugit ab exercitu Ziſconis.*

*Pelſinam Ziſco oppugnat.*

*Pelſinenſes auxilia regia implorant.*

*Alter oculus Ziſconi excuſſus.*

*Malè actum cũ Thaboritis.*

*Thaboritarum dogma in Morauiã peruasit.*

vsque diem Morauia intacta ab hæresi & factionibus Thaboritarum fuit, in secessu tandem insulæ, quam sibi Mora fluuius non longè ab arce Strasnicia fecit, noui emersêre Thaboritæ, errores veteres ab externis Piccardis mutuatos innouantes, ne quis ante sacramentum altaris venerabundus procidat, cùm ibi corpus Christi minimè adsit, vtpote in cœlum cum carne & anima translatum, sed panis duntaxat & vinum remanet, quale sumere quisque de plebe suis manibus potest: nec enim presbyteri manus, quàm idiotæ dignior, & alias præterea voces blasphemas illoto ore contra verum corpus Christi expuentes, vomentesque. Hi magno breui numero aucti, ne steriliorem alijs Thaboritis teligionem colere viderentur, certatim ad diripiendum atque euastandum nobile & opulentum in proximo monasterium, quod Velegradum appellant, prosiliunt, cuius spolijs non contenti, Abbatem præterea, opinione hominum virum sanctum, cum septem alijs sodalibus flammis exurunt, ablatisque rebus, quas inuenerant, ad insulam reuertuntur. Iohannes tunc Pontificem in Morauia agebat, Ferreus cognominatus: postquam enim præsidio religionis tutum se esse non videbat, ferro & armis ad retundendam impiorum vim, vti solitus erat. Is secum multis in Morauia & in Austria consentientibus, insulam illam aggreditur, quam non modò Thaboritæ, sed vicina quoque nobilitas, sectæ nouæ fauens, ita propugnabat, vt expugnari non potuerit: quo rex accepto, sex millia equitum ex Hungaria in Morauiam submittit, præcipitque, vt Petri Strasnicij, Hasconis Ostrouiensis, Boczeconis iunioris à Kunstat, qui præcipui fautores habebantur, bona quàm latissimè popularentur. Hoc demum terrore perculsus impiorum cætus, deserta insula dissipatur, maiore ex parte in Boiemiam dilapsus, vbi Piccardorum vocabulum retinuit, eorum, qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt, si tamẽ vnquam eiusmodi bacchanalia extiterunt, vt in illis viri mulieresq; nudi perpetuò incederent, ipsi Adamitas se cognominabant, ab Adamo, qui in statu innocentiæ cum Eua ita ambulauerit, in eodem statu se stare dicentes, quoniam legem Dei non transgrediantur, sicut ille transgressus, vt opus sit vestibus, sed illam defendant, vt iure optimo naturæ opus implere debeant, de liberis procreandis, de quacunque placeret muliere, sine vllo delectu. Qui ex ijs continentiores, matrimonijque tenaciores videri volebant, nihilominus hanc licentiam vsurparunt, vt vxor quouis in loco sacro aut profano, item clauso aut aperto, marito postulanti debitum redderet, diuortiumque ferre cogeretur, si vir fœcundus, ipsa autem sterilis aut senex esse comprobaretur. Quis non miretur, Zisconem in maximis sceleribus versantem, omniaque alia enormia admissa tolerantem, hanc tamen plus quàm Cynicam obscœnitatem sustinere non potuisse, adeò vt cæcus iam factus cùm audisset, quinquaginta viros fœminasque, & inter has duos presbyteros de cœtu illo comprehensos esse, ad pagum Klokot dictum, in medium prodierit, comburique omnes iusserit: deinde inito cum Pragensibus belli consilio, placuit, ne quam bene gerendæ rei occasionem, rege absente omitterent, præsertim in ciuitatibus oppugnandis, & ad calicem redigendis, quæ præsidio regio tenerentur. Primo igitur vadunt ad expugnandam Chomutouiam, auxilijs Misnensium refertam, magnaque suorum cæde illius potiuntur, vnde in sæuitiam efferati, ad tria millia ciuium, aduenarum, presbyterorum, ludæorum in illa interfecerunt. Sæuitum præterea à mulieribus Thaboritis in matresfamiliâs & puellas, quas promissa salute extra ciuitatem eductas, spolijs & igne in tugurijs vinearum succenso, ita vt ne prægnantibus quidem parcerent, combusserunt. Inde Zatzium & Slanam itum, vt reliquias aduersariorum calicis ex vtraque ciuitate expellerent. Quo confecto, Beronam adoriuntur, in quam complures Pragensium exules cum xxxvij sacerdotibus & monachis, ac tribus insuper ar-

*Velegradum Moraui Thaboritæ spoliant & incendunt.*

*Iohannes in ordine episcopus trigesimus secundus Olmuzensis.*

*Delentur Thaboritæ in Morauia.*

*Adamitæ.*

*Promiscui concubitus Adamitarum.*

*Adamitas & Zisco detestatur, multos eorum exurit.*

*Chomutouia expugnata.*

*Mulierũ Thaboritarum crudelitas.*

per artium liberaliũ magistris se incluserant, dum præsidio & mœnib. fidunt, sed breui expugnati, omnes ab igne consumpti sunt, præfectus autem vrbis, de turri, in quam perfugerat, proiectus. Firmo item Germanorum præsidio à rege imposito, Broda occupata erat, fossisque & mœnibus cincta, sed aderant Pragensibus machinæ & tormenta, Ziscónis verò militibus ea audacia, vt spretis vulneribus & cædibus, peruia sibi facerent etiam, quæ erant inuia. Transcensis itaque mœnibus, portisque reseratis, obuios quosque in plateis aut in foro flagellatores flagellis concidunt, templum quò Germani confugerant inflammant, quorum plures quàm ducentos flamma illa exhausit. Hoc terrore consternati Melnicenses, Caurimenses, Nymburgenses, Colonienses, Cziaslauienses, missis ad Pragenses oratoribus, pacem orabant, seque ad quatuor illa capita Pragensium seruanda, & ad calicem propinandum atq; bibendum obligarunt. Cæterùm nihil lætius à Pragensibus acceptum, quàm quòd Vuestphalus ille Conradus, qui se pro archiepiscopo gerebat, manus quoque suas illis dederit, seq; fidei illorum commendauerit. Certiores mox facti, Iaromirium oppidum, Morauiam versus situm, diligentissimè tum à Boiemis, tum à Morauis, sub præfecto Morauo ex familia procerum Boskouitia, muniri: eò exercitus ducunt, & mœnia ingenti ac pertinaci impetu inuadunt, quippe ab ortu solis vsque ad meridiem illum continuarunt, tanta suorum occidione, vt Pragensium plus minus septingenti, Thaboritarum autem noningenti desiderati fuerint. Minus posthac feroculi ad circumualiandum oppidum se dederunt, mox ad colloquium obsessos inuitarunt, Pragensium loquente præfecto, futuram statim obsidũ solutionem, si quatuor capita agnoscere voluerint. Nihil nobis, respondent, cum vestris capitibus errore plenis, nos vnum ecclesiæ caput, sicut vnum regem nostrum agnoscimus. Cæterùm si liceat viris mulieribusq; cum ipsis pueris incolumibus exire, & tantum cuilibet reculârum secum auferre, quantum dorso gestare queat, de ciuitate se Pragensibus, non autem Thaboritis concessuros. Obstringunt fidem ita se facturos, sed perfidi non faciunt. Nam ipsum præfectum Pragam captiuum deduci iubent, viros mulieresq; etiam ipsis vestibus despoliant, ac plures virgines nudatas in flumine submergunt. Dein alias in transitu ciuitates Moraui vicinas metu aut vi accipiunt, nempe Mutham, Policzkam, Curiam, Trutnouiam, in quibus omnibus monasteria demoliuntur, monachos deprehensos exurunt, iterque porrò dirigunt ad recipiendos montes Cuthnenses, eorumque oppidum opprimendum, sed tempestiuè montani ab omni parte se destitutos videntes, illis occurrunt, rogantque Pragenses, ne argentarias, regni totius Gazam, pessundatum eant, vnde sibi regnoque plus quàm inimicis noceant. Instant Thaboritæ ad exitium illorum, crimini dantes, nullibi locorum plures eorum fratres turpissima morte interijsse, quàm in montium puteis. At illi orare Pragenses perseuerant, vt totius regni vtilitati, quàm priuato aliquorum odio magis cõsulant, spaciumq; sibi deliberandi dent ad manendum, aut securè emigrandum, prout vetus aut noua religio cuiq; ipsorum cordi fuerit. Iterũ fidei promissa interceserunt, iterumq; perfidè violata sunt, retractis violenter qui inde abibant, & plerisque auribus aut nare mutilatis. Tot rerum successibus Pragenses erecti, molestissimè ferebant, vnam solam Pragæ adhuc superesse arcem, quæ supra caput illis immineret, velut iugum minitans. Ad illud igitur excutiendum, arcis oppugnationem decernũt, mox illam obituri, si nõ anteuertissent, de inducijs transigere. Qui præpositi à Rege arci erant, ex vtroque ordine, procerum, equestriumq;, ñ perspicientes, arcem se contra tantam multitudinis vim tueri non posse, & periculum instare, si impetu capta esset, ne ad eum modum, ad quem Vicegradum fœdissimè cum ipsis templis demoliretur, ciusmodi transactionem inierunt, vt à festo Vrbani

*Brunna exusta.*

*Broda cremata.*

*Reliquæ urbes sese dedunt.*

*Archiepiscopus Vuestphalus in partes transit Pragensium.*

*Iaromirium se defendit.*

*Post sese dedit.*

*Fines Moraui populantur.*

*Cuthnensibus parcunt Pragenses.*

*Arx Pragensis superior obsidetur.*

*Inducię pactæ*

die,vsque ad tertiam hebdomadem vtrinque durarent inducię, intra quas nemo arcem ex vrbe,nisi admissus ingrederetur,nec item ex arce in vrbem,& si interea temporis rex adueniat, vt nec ille recipiatur, nisi tribus millibus equitum fuerit stipatus. Die induciarum instante, nec in Boiemia rege apparente,dum externa quærit auxilia,quæ plerunque tardè inueniuntur,Pragenses incredibili lætitia arce potiuntur, illiąue centum ex veteri, & rursus centum ex noua Praga custodes præponunt, inuiolatamque relinquunt, quod quidem vehementer displicuit Iohanni Apostatæ, qui vnus plus multiloquio apud plebem quàm tota Praga imperio potuit. Signo itaque solito per tintinnabulum dato,multitudinem quantam vult breui contrahit,illamque in arcem rapit, vt eam spoliet omnibus ornamentis, quibus exornata, præsertim ad ædem Diui Viti erat. Intromissa turba, portis perfractis, cum aris, cum simulachris,cum imaginibus precio & arte nobilibus atrox prælium init.Nihil enim intactum,nihil incorruptum reliquit. admoliri dein templo manus iubet,à Carolo Cæsare,vti diximus, elegantissimè ædificato.Sed hîc rixa inter ipsos,qui iussa capessere debebant, orta, saluti templo fuit, vt in memoriam Caroli de regno optimè meriti,incolume permaneret.Apostata vbi videt cupiditati suæ non fieri satis, furorem in simulachrum aselli,cui Christus manu in cœlum sublata insidebat, effudit, frustatim illud comminuens, dum prius illi Misnam versus conuerso, scurriliter insultasset, inquiens: Tu, si es Christus,benedic Misnensibus,& adsis illis subsidio. Sed non longè aberant Misnenses,qui pro eiusmodi benedictis Pragensibus malefacta referrent. In eam spem Pragenses venerant,se eadem facilitate fortunaque ciuitates à plaga occidentali,qua nuper ab orientali recepturos. Magnis igitur copijs coactis, & præterea Zatzensibus,Slanensibus, Launensibus sibi adiunctis, Belinam ciuitatem benè munitam, oppugnatum vadunt, quam sine labore sineque vulnere per proditionem accipiunt:cognitoque,Pontem ciuitatem vnà cum arce valentissimo Misnensium præsidio esse prouisam (nam rex Sigismundus Pontem & Austiam ciuitates Marchioni Misnensi tuendas, interimque fruendas dederat)augent vires, præsertim equestres,vt si ad pugnam veniretur,repugnare commodius possent. Ponti appropinquantes, maiorem arci terrorem quàm ciuitati iniecerunt, defensoribus in arce adeò nutantibus,vt deditionem facere parati essent, si illam Pragenses æqua conditione recipere voluissent.Mox visis Marchionis antecursoribus,& non paruo puluere,quem vicini Pontensibus,Chualus,Decinius,Nicolaus Chudobius cum suis cohortibus excitabant ad ferendum obsessis auxilium properantes, alacritatem non defendendi solùm,sed pugnandi quoque induerunt. Initaq; est vtrinque pugna,sine vlla partium dilatione, nisi quòd Boiemi valde Misnenses contemnebant.Simul atque congressi sunt,tantus subitò ad primum impetum pauor aciem Pragensium incessit, vt post cædem paucorum non sensim cederent,sed effuso cursu fugerent omnes: in qua fuga haud secus atque pecora trucidabantur sine vllo vindictæ solatio, poteratque deleri persequendo totus Pragensium exercitus,si Marchio insidias non timuisset. In hoc deinde omnes ordines vna mente consensêre, vt data fide publica,vtriusque factionis fautoribus,Morauis quoque accersitis, Cziaslauiam conuenirent, de summa rerum consultaturi, fuitque consultatio ista in Regem contumeliosissima, quasi tam magnanimus rex,quàm erat Sigismundus,vlla contumelia de statu suo deterreri potuerit.Maior tamen Boiemorum pars cum Pragensibus contra eum censuit,vt regnum ei abrogaretur, ac legati rursus ad Vitoldum mitterentur,qui eum Regem salutarent, & vt in regnum maturè veniat, inuitarent,tametsi Morauí extra paucos indignum sibi videri dicerent,vt fidem Sigismundo, tanquam hæredi datam, mutare, ac se nouo sacramento Vitoldo, quem

*Arx Pragensibus tradita non intacta à furore populi manſit.*

*Caroli templũ incolume seruatum.*

*Misnenses illusi.*

*Occidentalem Boiemiam inuadunt Pragenses.*

*Magna strage affecti Pragenses ad pontem.*

*Cziaslauiam conuentus tam Boiemorum quàm Morauorum de nouo rege.*

quem nunquam viderint, obligare deberent. Nam Ziſco nullum potius, quàm aliquem regem volebat, quòd diceret, nihil opus eſſe rege libero populo. Nihilo ſecius clam ſubmiſſi, qui in Lithuaniam ad Vitoldum irent, atque ij in via qua Oppauiam ambulatur, à Iohanne Oppauienſium duce intercepti, ad Sigiſmundum abducuntur, qui celeberrimum principum conuentum Norbergæ celebrabat, legato Romani Pontificis præſente, ac denuò vexillum crucis contra hæreticos Boiemos erigente. Quo facto irritati magis quàm perterriti Pragenſes, arcem in Boiemia nobiliſſimam, in qua regia corona aſſeruatur, Caroloſteynam vocant, à Carolo videlicet conditam, cum xxiiij millibus armatorum circumſident, quadrifariã copijs, ex eo numero per ſex millia hominũ diſtributis, & ad ſingulas ſtationes ſagittarijs atque machinis diſpoſitis. Sagittarij vt tela & miſſilia in propugnatores cõtinenter iacerent ex machinis, vt muri & munitiones quaterentur, atq; ignei globi ex eiſdem emiſſi, vt pauimenta & tecta incenderent. Sed intolerantiſſima omnium graueolentia fuit, quam proiectis in arcem vaſis, cadaueribus & humanis excrementis plenis, tantam obſeſſis nauſeam concitarunt, vt præ grauitate odoris, alijs dentes nutarent, alijs planè deciderent. Et quia obſidio ad ſex menſes durauerat, inſtabat ad extremum fames, quam frumento conſumpto, pecore reliquo & equis interfectis ſuſtentabant, eum tamen animum in omnibus iſtis difficultatibus retinuerunt, vt mori potius, quàm vllam ignominiam accipere, (multi enim nobiles viri inerant) parati eſſent. Quacunq; igitur ratione prouideri malis potuit, fortiſſimè occurrebant, obſidionemq; patientiſſimè patiebantur. Deniq; oſtentatione prçterea inani Pragenſes ludebant, quaſi enim cibo etiam lautiore abundarent, præfectus arcis hircum, qui vnicus ſuperfuerat, exutum pelle medium diuidit, cruoreq; pulchrè macerat, inſperſis deſuper pilis damæ, ex tomento ſellæ detractis, ac protinus partem illã ad ciuem Pragenſem, qui præfecturam militarem gerebat, mittit, qui ſuo nomine diceret, ſe recens captam damulam libenter cum illo partiri. Is, cum alijs perſuaſus, habere obſeſſos tranſitum aliquem ſubterraneum, qui illis venandi quoque facultatem præbeat, hortantibus in primis ſellularijs opificibus, qui propter molliciem animi, neq; frigus diutius, neq; laborem ferre poterant, obſidionem in die Martini ſoluit. Primo vere Sleſitæ, quorum numerus circiciter viginti millia hominum erat, à Sigiſmundo rege ad arma contra Boiemos excitati, Glacenſi itinere in Boiemiam ingreſſi, agros & pagos circum Nachodam, Chrudimam, Hradecium latiſſimè populantur: nam oppida munitiora aggredi non audebant. Cæterùm hoc iam ſæuitiæ illorum, non autem militiæ ſpecimen, quòd obuios inermes, alios auribus truncarent, alios nare mutilarent, quoſdam altero oculo eluſcarent, nonnullos item manu altera mancos facerent. Vocant Cruſſinam magna mercede Pragenſes, vt exercitum illorum contra tam importunos hoſtes ducat, illosque pro merito caſtiget. Nec Thaboritæ cunctabantur, ſed neutri ſunt aſſequuti Sleſitas, metu reditum in Sleſiam feſtinantes. In illam quoque perſequi illos vtrique contendebant, prohibentemque Cruſſinam nihil propius fuit, quàm vt lapidarent, quaſi per proditionem illius ſtaret, quò minus totam Sleſiam in poteſtatem ſuam ſubijcerent, cùm ille pacatis aliquantiſper illorum animis literas profert, Praga ad ſe miſſas, quibus iubebatur, vt pulſis ex Boiemia Sleſitis, Pragam reuerti cum exercitu maturaret: non enim longè abeſſe Germanos, & alios externos principes ad exitium Boiemorum imminentes, nec aliud illos morari, niſi Cæſarem Sigiſmundum in habendo ſuarum gentium delectu adhuc occupatum. Sed eius quoque moræ vbi Principes pertæduiſſet, fiducia multitudinis, quam armatam trahebant, Egram perueniunt, Iohannes Moguntinus, Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopi, Palatinus Rheni, Frideri-

*Vitoldus Lithuanus ſollicitatur.*

*Legati capti.*

*Crucis teßera cõtra Boiemos*

*Caroloſteinũ obſidetur à Pragenſibus Duce Koributho.*

*Obſidionis incommoda.*

*Strategemá obſeſſorum.*

*Re infecta Pragenſes ſoluunt.*

*Sileſij Regis iußu Boiemiã inuadunt. Tyrannicè agunt.*

*Cruſsina dux in periculo.*

*Totá Germania ad excindendos Boiemos ſe armat.*

cus Saxo, omnes isti Electores imperij: dein Ludouicus Bauariæ princeps, Pontifex Herbipolensis cum Franconibus, Comes Flandriæ à Nassau, & præterea alij plurimi dignitate nobilitateq; & opibus insignes viri, Boiemiam ingressi, tantum sui agrestibus hominibus terrorem fecerunt, vt relictis agris, aut in montes & syluas, aut in ciuitates validiores confugerent: verùm illi nemini qui se Catholicum esse dixerat nocebant, cæterùm Calixtinos malè accipiebant. Versi deinde omnes ad oppugnandum Zateczium, quo se cum ciuibus sex delecta armatorum millia & quadringenti equites concluserant, trinis mœnia castris obsident. Apud Slanenses in loco propinquo copiæ Pragensium erant, sed in conspectum hostium sine Ziscone venire noluerunt, ne se temerè in ancipitem cum Germanis plurimum tunc robore præstantibus dimicationem darent, eo celerius Zisco celerabat, vt se cum Pragensibus coniungeret. Interim Germanis non valde succedebant impetus, quos ferocius, tum per pedites tum per equites mœnibus propius adequitantes faciebant, adeò vt obsessi vna eruptione sexaginta Germanos neci darent, & totidem captos in ciuitatem abducerent, cùm illi ne vnum quidem ex Boiemis cepissent, & paucos sauciassent. Præcurrebant alij super alios nuncij, Ziscone cum terribilibus suis agminib. aduentare nunciantes, ad quos tum nuncios Germani noluerunt videri, quasi metu illorum commouerentur: sed postquam simul ferè omnia in castris eorum tentoria ardere cœpissent, quod quidem Zatczenses diuinitùs, Germani aût fraude Boiemorũ proditioneq; accidisse interpretabantur, omissa obsidione, nimis intempestiuè, ne dicam timidè, retrocesserunt. Ex qua re Sigismundus ingentem accepit dolorem, ad nihilum videlicet recidisse tantum belli apparatum. Sed quæ fuit altitudo animi eius, vt nullis vnquam periculis succumberet, gerere incœptum bellum, illudq; continuare, vel cum suis tantùm copijs (sexaginta millia erant) constituit. Adiutores sibi asciuit, Albertum Principem Austriæ, cui paulò ante filiam suam in matrimonium collocauerat, & [b] Fridericum Brandeburgensem Marchionem, cui totam illam Marchiam dono dederat, atque ex comite ducem eundem creauit, propterea quòd in re militari præstantissimus habebatur. Cùm ijs igitur, vniuersum agmen suum montibus Cuthnensibus admouit, à quo loco vno tantummodo milliari Zisco cum Pragensibus abfuerat. Cuthnenses, Rege viso, illi se permittunt relictis Pragensibus, qui mox tamen cum Ziscone montibus appropinquabant, castraque è regione castris regijs posuerunt, equestri prælio eo die leui facto. Similiter & alijs diebus peditibus quoque interiectis pugnabant, quali in pugna ducenti Pragensium à Cuthnensibus è puteis emergentibus interfecti sunt. Præstare igitur videbatur in aciem descendere, quàm sic carpi per partes, diminuique. Magnæ vtrinque copiæ aderant, quæ non paruam vtrisque solicitudinem iniecerunt, acies aptè ordinandi. Sigismundo in equitum vi ac numero spes victoriæ posita erat, illorumque frequentiam vt adaugeret, bobus, quorum greges secum ex Hungaria adduxerat, post aciem collocatis, in speciem equorum vsus est. Auxit & Zisco carrorum plaustrorúmque numerum, quibus suos circundedit, ne ab equite circumfunderentur, protererenturque. Versæ inde adhortationes ad milites, post quas dato signo concurritur, vtrinque tam infestis animis, vt ad tres perpetuas horas anceps staret prælium, cum insigni vtriusque partis clade. Cùm interim cæco Ziscoui indicatur, non esse omnes equites, quos Sigismundus in acie ostentaret, sed boues quoque plurimos ibi adesse. Iubet ille omnes suos ab vltimis etiam subsidijs cum sagittis & flagellis euocari, plaustrisque à lateribus prouolutis, in ipsos equites emitti. Is nouus terror additus, vertit retrò equites Hungaros, quibus turbatis, peditum mox acies vsq; ad castra impulsa fuit.

*Zateczium oppugnatum à Germanis.*

*Panico terrore perculsi Germani tergauertunt.*

*Cuthna à Rege oppugnata.*

*Strategema militare.*

Rex

Rex abiecta ſpe fortunæ melioris, ſi vel aciem poſtero die inſtauraret, extinctis nocte ignibus inde diſcedit. Pergit Ziſco cum Thaboritis abeuntem ſequi Brodam vſque, quam Teutonicam cognominant, vbi complures Hungari ſunt ſubmerſi, dum omiſſo præ trepidatione pontis tranſitu, flumen aquis tunc redundans traiſcere feſtinant. Fœdè item in Cuthnenſes, ira defectionis ſtimulante, à Pragenſibus eſt ſæuitum. Porrò Ziſconi, cùm ſciret Brodæ vicinam eſſe Morauiam, iter proſequi in illam placuit, vt apud Morauos quoque nomen ſibi & opes faceret. Propinquanti Iglauiæ, plenis repentè portis effuſi oppidani in Thaboritas impetum faciunt, ſed leui inito certamine, ſtatim intra mœnia compelluntur, à quibus oppugnandis Ziſco ad interiorem Morauiam properans abſtinuit, & inde abiens, in via multos ſectæ iampridem Huſſitarum aſſectatores obuios habuit, qui eum cum lætitia excipiebant, eiſque ſe in tutelam tradebant. Cæterùm vrbes & oppida validiora ſibi aduerſa reperiebat. Itaque declinatis vrbibus, Euantium oppidum, dein Miglitium, vrrumque muris & foſſis cinctum vi recipit, non incruenta victoria, niſi quòd apud Thaboritas paulò maior hominum, quàm pecorum iactura. Rurſus poſt hæc à pagis & vicis benignè ac ſibi obnoxiè acceptus eſt, donec Cremſirium perueniret, quod pontifex Olomucenſis præſidio nobilitatis vicinæ, cuius ſibi fidem iure, vt vocant, feudi addictam habet, benè firmauerat, ita vt aculeus ferociæ Ziſconis, dum nullo aſſultu oppidum capere poteſt, hactenus retunderetur, vt diceret: Non tam lenem ſibi in Morauia, quàm in Boiemia ſpirare auram, inſcenſoque curru, temonem Boiemiam verſus conuerti iuſſit. In qua denuò cum Pragenſibus coniunctus, ſpoliis ferroque, & flammis ac cædibus cuncta miſcebat, inter eos, qui diuerſa ab vtriſque ſentirent. [c] Quę ſecum maximo cum animi dolore Sigiſmundus reputans, ſeque imparem hoſtibus, non vno experimento cognoſcens, ſubire tandem iuxta ſuum prouerbium, perticam, quam tranſilire non poterat, ſtatuit, vt leui damno honeſtatis detractæ, ingentem vtilitatem patriæ rependeret. Allegat igitur occultè ad Ziſconem, qui ei mentem ſuam declararent, ſibi in animo videlicet eſſe, poſteaquam mille cotidie imperij & regni Hungariæ curis diſtineatur, vt Ziſconem pro ſe vicarium atque adminiſtrum in regno Boiemiæ præficiat, ſi is ad obſequium regium, cæteros ordines cum ciuitatibus hactenus contumacibus adigat. Applauſit Cyclops tam lauto bolo, ſed hîc demum ſupplauit fortunam tantum illi indulſiſſe, vt nimia indulgentia ad participatum regiæ poteſtatis aſpirare ſibi permiſerit, idque antequàm conficeretur, tactum prius Ziſconem vlcere peſtilenti, extinxit, ſed haud inteſtatum. Teſtamentum fuit rebus geſtis dignum, vt fratres, ſic enim Thaboritas compellabat, poſt mortem ſuam ſibi pellem detraherent, in vſum tympani, quo in acie vterentur, ad propellendos ſtrepitu illius hoſtes, præcipuè Germanos: quaſi eadem vis illius foret, quæ fuit oris Meduſæ, cuius aſpectu homines in lapides vertebantur: corpus verò ſuum, vt inſepultum relinquerent, volucribus & feris deuorandum. Sed quando nec poſt interitum Ziſconis bellorum motus in Boiemia ceſſarunt, quàm calamitoſi illi deinceps non Boiemiæ ſolùm, ſed etiam vicinis prouincijs fuerint, non eſt prætermittendum, vt vel inde liqueat, nullum periculoſius crudeliusque & pertinacius bellum geri, quàm quòd hæretici ſuſcitarint.

*Ziſco in Moraviam.*

*Vrbes in Morauia Ziſconi non fauent.*

*Cremſirium reſiſtit Ziſconi.*

*Teſtamentum Ziſconis, Pribislauiæ ad fines Boiemiæ & Morauiæ mortui.*

*Cadauer Czias lauiam deductum, vbi adhuc monumentum oſtenditur*

[a] *Koributhus redit. Imo ſat magno operæprecio facto ſecunda vice ingreſſum ferunt, & vix non regem creatum ſcriptores Poloni.*

[b] *Friderico comiti à Zollern Burggrauio Norinbergenſi vendidit Marchiam Brandeburgenſem Sigiſmundus cum dignitate electorali quadringentis millibus aureorum. Hinc propago Marchionum Brandeburgenſium, qui modò rerum potiuntur.*

*Eos Otho Columnius Papa Martinus V. gentilis in ſuam cooptatos familiam eſſe voluit.*

*c Huc res Imperatoris redacta fuerat, vt Cæſar Auguſtus, quem non modò Italia, Gallia, & Germania, ſed tota Europa veneratur, homini ignobili, ſenicæco, prophano, ſacrilego, hæreſiarchæ, & omnium ſcelerum auctori, ſi Boiemiæ titulo potiri velit, ſupplicare cogeretur. Monſtrum feritatis, quod humana manus conficere nequiuit, Dei digitus è medio ſuſtulit. Bonfinius ex Syluio.*

*Gediminus dux Lithuaniæ.*

*Olgerdus, hic duodecim filios genuit, è quibus*

*Keiſtutus habuit ſex filios, quorum vnus*

*Iagellus poſtea Vladislaus rex Polonia.*

*Korybuthus à Vitoldo in Boiemiam miſſus.*

*Vitoldus Dux, rex Boiemiæ nominatus.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER VIGESIMVS SEPTIMVS.

*Poſteri Ziſconis Orphanos ſe nominarunt*

QVantum Ziſconem Thaboritæ dilexerint, teſtimonio ſit, quòd illo mortuo ſe Orphanos, velut amiſſo parente cognominarunt, nec vnum poſthac ducem ſibi præeſſe, tanquam neminem illi parem, voluerunt, ſed honorem illum inter plures diſtribuerunt, quorum inſigniores duo Procopij erant, alter maior & Tonſus dictus, quia quondam presbyter, in morem ſacerdotum attondebatur: alter minor, ex modica ſtatura nuncupatus, & ipſe præuaricator, amboque omnium bipedum nequiſſimi truculentiſſimique, prorſus quaſi nefas eſſet, truci Ziſconi, alios quàm immaniſſimos latrones ſuccedere. Nulla autem mœnia temerè Orphani iſti ſubibant, ſed perpetuò in agris aut montibus vitam ſub tentoriis feram agreſtemque degebant, vnà cum vxoribus & liberis, quos ſecum in plauſtris circumuehebant, rapto viuentes, ſi vltro commeatus aduectus à colonis non fuiſſet, tametſi rarò quieti erant, præda & rapinis illos ſemper ſolicitantibus, quas ſub ſpecie tuendæ ſuæ religionis vndecunq; collibuit raptabant. Nec Pragenſibus, belli aliàs ſocijs, parcentes, quia in expeditionibus priores ſibi partes vendicabant, & nondum omnes ceremonias ab illis damnatas depoſuerant. Aggreſſi igitur Lythomyſlium, quod Pragenſes Epiſcopo Lythomyſlenſi ademerant, illud in ditionem ſuam recipiunt. Mox Slanam Pragenſibus fœderatam expugnant, plurimis oppidanis cæſis. Decurionibus verò atque ſacerdotibus etiam Calixtinis, & quicunque ex nobilitate inerant, ſimul vinctis, & in forum pertractis, vbi menſæ lanioniæ & officinæ ſtabant, igne illis ſubdito, ibi vinctos comburunt omnes. Pragæ inde inſidiati, nocte quadam tempeſtuoſa illam inuadunt, ſed ne tum quidem in tempore, à Pragenſibus videlicet bene vigilantibus turpiter à mœnibus repulſi. Hîc dum alij in alios culpam ingerunt, in duas partes ſcinduntur, alteri nouum Orphanorum vocabulum retinent, alteri vetus Tha-

*Procopius maior, qui & Raſus, Procopius minor, Duces in locum Ziſconis creati.*

*Campis oblectantur Thaboritæ.*

*Rapto viuere aſſueti.*

*Lythomiſlium occupant & Slanam.*

*Calixtinos comburunt.*

Thaboritarum vsurpant, diuersíque vadunt ad laniandam, lacerandamq; miseram Boiemiam. Sed rursus paulò post inter se & cum Pragensibus, qui in oppugnatione oppidi Austiæ erant, de quo, vt diximus, Sigismundus Marchioni Misnensi ad tempus concesserat, in vnum coeunt, tanta multitudine, vt præfectus oppido admirabundus exclamauerit: Quo mihi tot canes, ad circumrodendum tam exiguum os? quippe pusillum oppidum erat. Et quanquam egregiè munitum, multo tamen maiore hominum præsidio indigebat, quale statim Marchio submisit, insigni Saxonum numero & robore: quos Thaboritæ propius oppidum accedere non sunt passi, sed obuiam ad pagum Preslice procedentes, manus cum illis conserunt. Fit magna contentione prælium cruentum, duratque aliquandiu pari contentione, donec simul coorti vniuersi Orphani, Thaboritæ, Pragenses tantam Germanorum cædem faciunt, quantam hactenus nullo in prælio, plus quàm duodecim millia cæsa feruntur. Captum mox oppidum, atque in illo omnes ad internecionem occisi, ipsumque concrematum habitatore totum triennium caruit. Si tunc itum in Misniam fuisset, actum de illa erat, adeò terror, fuga, desperatio, Misnenses inuaserat. Sed interpellarunt iter Pragenses, dicendo, prius domesticos, quàm externos hostes esse subdomandos, superesse Pelsinenses, qui pertinacia sua indignissimè calicem detrectent, eorumque vrbis authoritate, Mysam, Clatouiam, Domaslitium in eadem pertinacia contineri, cum summo omnium ipsorum dedecore, quibus vna ciuitas tam diu repugnaret. Pelsinenses, qui assiduè suspectam à Thaboritis obsidionem habebant, pecus, frumentumque vnde panis, vnde etiam potus fieret, atque alia tuendis mœnibus necessaria, large prouiderant, quodque horum maximum, pro religione mori parati erant. Itaque alacri & constanti animo, quæ difficillima obsidionis habentur tolerabant, nimirum tres hostium indomitorum exercitus, vim ingentem tormentorum, crebras oppugnationes, aduersus quas difficultates solatio fuit, quòd crebris inuicem eruptionibus, malum hostibus pro malo reddebant, hoc præsertim læti prælio, quo victores Camelum illis, quem secum velut nouum in Boiemia spectaculum circumducebãt, vi ereptum in ciuitatem pertraxerant, occisis non minus trecentis in ea violentia Thaboritis. At illi exasperati, negant se prius, quàm capta ciuitate, receptoq; Camelo inde abituros, & cum assequi quod proposuerant tempore idoneo nequissent, consilium capiunt, hyemando continuare obsidionem, atq; statim hybernacula ædificari cœpta: decretumq; vt pars exercitus Clatouiam, quæ pronæ voluntatis esse dicebatur, ad accipiendas Pragensium ceremonias mitteretur. Qui missi erant, fœdere ciuitatem in amicitiam receperunt: mox & Domaslicium. Nam Mysa ijsdem legibus Pribiconi Clenouiensi se dediderat: tanto validius vrgebant Pragenses, ne soli Pelsinenses plus sapere quàm cæteræ in regno ciuitates vellent, sed darent tandem manus calici, & bona pace rebus suis saluis fruerentur. Respondent illi, haud nos, inquiunt, à vobis, sed vos à nobis recessistis, proin multò æquius fuerit, vt vos eò redeatis, vnde descire non oportuit. Vtriq; deinde in magnis annonæ versabantur angustijs. Nam obsessi, dum de pleno sine modo promunt, nihil de hyberna obsidione cogitantes, seram in fundo instituere parsimoniam. Ipsos item obsidentes, horrea in pagis vicisq; frumento exinanita, non multum adiuuabant. Quam illi inopiam non tolerantes, decimo exacto mense cum ea ignominia à mœnibus recesserunt, vt in hunc diem Pelsinenses glorientur, se à Cæsare Sigismundo habere diploma laudis, & gratiæ plenum, in quo sit ad contemptum hostium hoc epiphonema adiectum, vt hoc nomen, Pelsina, in faucibus hæreticorum perpetuò amarescat. Hinc ad externa bella intenti, ex quibus vberiorem fructum sperabant, Rhetium in Austria totum triduum, contempto omni periculo ac la-

*Diuisi Thaboritæ ab Orphanis.*

*Austium utrique inuadunt.*

*Germanorum 12 millia cæsa ad Austium.*

*Domesticos hostes prius subigendos cẽsent.*

*Pelsinenses ad obsidionem se muniunt.*

*Camelum Thaboritis eripiunt.*

*Discedunt à Pelsinæ obsidione.*

*Encomium Pelsinensibus à Sigismundo traditum.*

*Rhetium in Austria expugnant, comite Hardecio capto.*

bore oppugnant,& tam arcem quàm oppidum expugnant, capto in arce Comite ab Hardeco Hussitis infestissimo: illum Pragensibus viuum dant, vt de eo statuant quod videretur. Qui Pragam missum in carcere habuerunt,quoad animam exspiraret,cęteros quos ceperant,passim occidebant,incensisq; ędificijs, agros Australium latè vastabant, ingentiq; præda potiebantur. Inter

*Austriam Hussitæ inuadunt.*

hæc,castra rumor peruadit, Bauaros Hercyniam syluam transgressos,tendere ad inuadendam Tachoniam, præsidio Thaboritarum custoditam. Non potuit miles ista audiens in Austria diutius retineri, sed ad ferendum suis subsidium,magnis itineribus properabat. Bauari,appropinquantibus Thaboritis cùm nihil citra syluas tutum sibi iudicarent, obsidione omissa, in illas rursus se penetrant, sed impeditiore quàm prius via, carris præcipuè deducendis, quorum longum ordinem trahebant: & quò festinantius in arcto,eò tardius

*Bauari pessimè mulctati.*

proficiscebantur,alij alios modo alio impedientes.A tergo hærebant Thaboritæ,assecutiq; in medio syluæ carros, illos extra paucos cum omnibus rebus retrahunt,& præterea septingentos Bauaros capiunt, quos nudatos flagellis

*Misniam petũt Thaboritæ.*

& clauis verberandos subijciunt. Et inde pergunt in Misniam à plaga nuper accepta nondum percuratam. Itaque tantus subitò tremor Misnenses apprehendit,vt castella & plerasq; arces post se vacuas relinquerent, fugaq; sibi salutem quærerent.Ad oppidum dein Plaunum,muros armatis completos esse Thaboritæ vident: ponuntq; iuxta castra,ac statim se ad oppugnationem expediunt,parsq; arcem, pars oppidum vno impetu assiliunt,nec oppugnare vtraq; desistunt,quàm vtrumq; recipiunt, suo more post spolia & cædes,ædificia quoque inflammantes.Ab hac expugnatione proposito quò venerant vltra porrò ibant,totius illius terræ populatores:ac decimo demum die explorant,Marchionem Misniæ non longè à Lipsia in oppido Grimme, aduentum Boiemorum expectare,continuantque ad illum iter quadrato agmine,vt obuiam forsan venienti acie occurrant. At ille ante præmisso equitatu hoc potius expectabat, vt præfectus equitum turmis ostensis, à terrore subditos li-

*Marchio Misniæ à Thaboritis cæsus.*

beraret,& hostes infestos retrocedere cogeret. Secus res accidit,ipse namque coactus est, amissis in prælio tumultuario plurimis equitibus, retrò fugere, manentibus in campo Thaboritis vnum & alterum diem, si fortè auctis ille viribus ad dimicandum redire vellet. Vbi nullus in conspectum venit, rursus ad populandos euastandosque cum oppidis agros, non in Misnia solùm, ve-

*Lusatiam & Slesiam populantur.*

rum etiam in Marchia, Lusatiaque & Slesia reuertebantur. In quibus omnibus prouincijs septuaginta ferè castella & oppida, in portis suis ac mœnibus, signa armaque Thaboritarum viderunt. Tanto metu insignium quoque vrbium, vt Erffordia, Magdeburgum, Brunsuicum, Luneburgum,nouis aduersus illos munitionibus & propugnaculis se communirent. Norber-

*Vrbes imperij pecunia pacẽ redimunt.*

ga verò & Bamberga, dato stipendio, pacem ab illis redemerint. Quibus rebus inflati Thaboritæ,quotidie insolentius agere, nobilitatem contemnere, Pragenses paruipendere, simultates inter nouam & veterem Pragam dissereminare,vbique religionem deprimere, denique regimen totius regni vsurpa-

*Successu rerũ prospero insolescunt Thaboritæ.*

re:qui digniores erant, vt porcos pascerent quàm homines regerent, vtpote omnes ferè apostatæ omnibus sceleribus contaminati, aut præuaricatores malè conciliati:nam alios magis præcipuos rectores non habebant. Eaque indignitas non minus quàm solitudo terræ & vastitas saniores aliquando tandem ordines commouit, vt de somno surgerent,& ad abolendas eiusmodi pestes vigilarẽt.Aut,quod verius est,tempus vltionis iam aduenerat,vtred-

*Coniuratio aduersus Thaboritas procerũ.*

deret illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorũ disperderet illos Dominus Deus noster:Redderet,inquam,vicem eis iuxta opera manuũ suarũm,cædem pro cæde,ignem pro igne,malum deniq; pro malo.Vltores aũt primarij è proceribus nobilitatis erant Menardus à noua domo,Ptaczko, & duo Alexiones,

Stern-

Sternbergius,& Wressiouius,dein Pragenses & Pelsinenses. Ij Thaboritas,inter Brodam & Caurimam planicie latissima assecuti,locum pro se ad pugnam aptũ esse censebant,quoniam equitatu abundarent,ideoq; & à fronte,& à lateribus, & à tergo persultabãt,vt hostes multitudine carrorũ circumdatos,ad certamen apertum eliciant,ad quod non celerabant. Qui vltimos circuibant currus,animaduertunt illos non satis inter se cathenis cohærere, nec multo præsidio firmos esse: impetum illuc magna vi faciunt, interruptaque carrorum serie,cædem peditum nil minus in eum locum,quàm equitum assultum expectantium, insignem ædunt. Quod vbi Procopius minor conspexit, in medium certaminis discrimen, cum aliquot globis se transfert, sed eum statim nouum equitum robur excipit, ac tam vehementer premit,vt & ipse pugnans caderet,& qui superfuerant,fugam capesserent. Qui tamen rursus mox collecti, pugnam cum Procopio maiore, totius exercitus duce instaurarunt, pugnantq; vnà cum alijs acerrimè,donec Czapco,equitum illorũ,sed malæ fidei præfectus,pugnantes desereret,aciesq; pedestris labescere inciperet. Cæterùm Procopius vt decebat strenuum ac desperatum monachum,in desperatione salutis mortem vitę prætulit, occidiq; se passus est,ne viuus in manus inimicorum cruciandus veniret. Mox reliqui deditionẽ obtulerunt,quorum non paruus numerus restabat, partim indomitorum illorum Orphanorum,partim eorum qui ex pagis coacti, ad pugnam pertracti sunt. Iubent itaq; victores pronunciari,nondum bellum esse profligatum equitibus superstitibus,qui cùm Czapcone Coloniam profugissent: ad hanc expugnandam, qui dare nomina vellent, ij in proxima horrea secederent, hac arte discretos cum ipsis horreis milites cõcremant omnes, qui militiam appetebant,paganos autem rusticos in seruitutem redigunt. Atq; ita exercitus ille Dijs hominibusq; inuisus,atq; infestus,eisdem Dijs hominibusq; plaudentibus deletus est: apparuitq; Boiemos, nisi à Boiemis, vel ipso Sigismundo teste,non facilè subdomari posse. Ab hoc post victoriam confestim datæ ad Boiemos literæ, vt sublatis de medio impijs hominibus, ad pietatem & pacem regni conciliandã se conuerterent. Satis belligeratum esse cum irrecuperabili totius patrię damno,cùm tamen nulla digna causa,tam exitiali bello in eum diem prętendi queat,si quid est,quod ipse peccauerit,se correcturũ esse,idem ipsi quoque faciant,Regemq; tandem suum cum bona fide agnoscant,recipiantque. Quibus perlectis, conuentum sibi Morauisq; Pragam indicunt, ad quem in magna frequentia omnes ordines cõueniunt,satis inter se quoq; conuenientes,vt finis aliquando bellorum constitueretur, sed de conditionibus dissentientes,quibúsnam recipi in regnũ Rex,& ad sedem suam reponi deberet. Metuebat sibi videlicet aduersa factio, ne à Rege opprimeretur, nisi per tempus rebus suis prouideret. Decretum postremò,vt Rege propius regnum accedente,de hoc coràm ab vniuersis ordinibus ageretur. Interim Budam missi honoratissimi,qui fundamenta pacis iacta esse docerent, sed opus esse præsente architecto,qui pacem consummaret. Rex sexaginta millia aureũm nummum legatis, & præterea equos & boues plurimos largitus est, iussitq; renunciari,se breui Iglauiæ, ad limites Boiemiæ præsto futurum esse, illic, quorum intererit,vt appareant. Venitque ille ad diem,secum præsulem Constantiensem,& quosdam alios oratores, authoritate concilij Basilienſis comprobatos,adducens. Ibi cum Boiemi nullã inire pacem,nec aliter Regem agnoscere vellent, nisi illis communionem vtriusq; speciei confirmaret, Oratores de sententia patrum promulgant, hac lege illis quod exigunt concedi,vt ijs demũ illa vti liceat,qui pacẽ & vnitatem ecclesiæ amplectentes,vsu illam longo vsurparũt, qui rationis compotes fuerint,qui reliquos Catholicę ecclesię ritus custodierint, eamq; secum fidem attulerint,vt credãt,tam sub specie panis,quàm sub

*Ad internecionem cum ducibus deleti Thaboritæ.*

*Boiemos soli Boiemi domare possunt.*

*Edictum pacis promulgatum.*

*Conuentus Pragæ.*

*In Bõiemiam Sigismundus euocatus.*

*Iglauiensis conuentus.*

*Calicis vsus qua lege Boiemis concessus.*

ſpecie vini, totum & integrum Chriſtum contineri. Petebant inſuper Pragenſes, ne exules Pragam reſtituerentur, ne ad monaſteria inſtauranda compellerentur, ne alius illis, quàm magiſter Rokiczanus, qui primas inter concionatores illorum obtinebat, Archiepiſcopus præficeretur. Nihil tum Sigiſmundo facilius ad ſubſcribendum omnium votis, vt omnes lucrifaceret, fuit. Secuta rerum mira in Sigiſmundo mutatio: quem enim paulò ante peius angue oderant, quem conuitijs atque calumnijs lacerauerant, pulſumq; in vltimas terras videre concupiſcebant, hunc Pragam venientem, effuſa obuiam tota vrbe, cum frequentiſſima nobilitate, vt legitimum regni hęredem, vt Dominum ac Regem ſuum fauſtis omnibus ſalutabant, magnoque certatim ſtudio in verba eius denuò iurabant, ac læti interfuerant, cùm Barbaram vxorem eius, Præſul Conſtantienſis corona Regia coronaret, cùm idem omnes execrationes tolleret, quibus Pragenſes deuoti fuerant, cumq; Rokiczanus obedientiam eccleſiæ Romanæ præſtaret, quaſi Archiepiſcopus futurus, qui parum abfuit, quin mox interturbaſſet omnia. Solenne ſacrum faciebat legatis coram, illoque peracto, temperare ſibi haud valuit, quin vetere ſuo inſtituto, idiotæ cuidam ſacramentum ex calice offerret, fruſtrà Polomaro legato reclamante. Sedata res fuit per alios inquientes, propter vnum pactorum conuentorumque violatorem, communem concordiam non eſſe rumpendam. Ex eo tamen tempore Rokiczanus de perfidia ſuſpectus haberi, negociumque eius de Archiepiſcopatu confirmando de die in diem prolatari, vt ad extremum fumi inſtar euaneſceret. Senſit hoc callidus ille, punicaque inuicem religione, datam Eccleſiæ Romanæ fidem ſeruabat, in pauciſſimis illi obſequens, cætera ſibi arrogans audacius & impudentius, quàm diſciplina habet eccleſiaſtica, petulans in primis aduerſus monachos, quos ſenſim Pragam Sigiſmundus reducebat, vt ſana doctrina ægros curarent, remq; diuinam ſolito more facerent: hos ille, organa dæmonis, ad obtundendam veritatem, ab eodem dæmone immiſſa nominabat, pellendosque protinus cenſebat. At eoſdem Sigiſmundus non modò ſibi tuendos, verùm etiam augendos, ſicut alios quoque Romanæ profeſſionis ſacerdotes, qui pauci numero ſuperfuerant, profanatis paſſim templis profugi, ſuſceperat, nec vllo pacto templa eiuſmodi ingredi voluit, niſi denuò fuiſſent à Philiberto, hoc nomine erat Præſul Conſtantienſis, inaugurata, altaria cum ornatu ſuo reſtituta, fontes baptiſmi conſtituti, imagines repoſitæ. Quæ Rokyczanus grauiſſimè ferens pro concione ſua vulgari, Videtisne, inquit, viri Boiemi, quánam fide Rex nobiſcum tranſegerit, quóue fauore nos proſequatur? tanto nimirum, vt ne templo quidem communi nobiſcum quaſi cum profanis vti ſuſtineat, conuenta & pactiones in concilio Baſilienſi pactas nobis exhibuit, & prętereà fidem ſuam obſtrinxit, ne nos extra præſcripta à calice detorqueat, Verùm ille non ſolùm conuenta turbat, ſed etiam calicem extorquere nobis parat, dum ſtudet pellendis noſtratibus ſacerdotibus, & inducendis monachis religioni noſtræ hoſtibus capitaliſſimis. Cæterùm hoc illius ſtudium, cum magno ipſius malo fuerit, ſi viri eſtis, quemadmodum hactenus fuiſtis. Hæc ſtatim ad Regem perlata ſunt, nihil aliud reſpondentem, quàm vt Rokiczanus potiùs caueat, ne malum ſibi ante tempus accerſat. Ita clam ſe ille Praga ſubduxit, & Hradecium contulit, quo in oppido moratus eſt aliquot annis. Pulſi inſuper Praga alij quoque ſeditioſi ſacerdotes, qui Rokiczanum, vt Archiepiſcopum aſſectabantur, & Criſtannus interea preſbyter Pragæ delectus eſt, qui res ſacras, dum legitimus creatur Atchiepiſcopus, adminiſtraret. Adhibitum mox conſilium de amouenda ſentina hominum ex tumultibus domeſticis ſe alentium, promiſſo largo illis ſtipendio, qui in Hungariam ſtipendium contra Turcas facerent, quam tunc expeditionem Albertus, Sigiſmundi

*Annuit Pragenſium petitionibus Sigiſmundus.*

*Pragæ excipitur Sigiſmundus. Regina coronatur. Anno 1436. 24 Auguſti.*

*Rokiczano ſpes facta de Archiepiſcopatu.*

*Rokiczanus Laico præbet calicem.*

*Epiſcopatus promiſſum euanuit.*

*Monachos inſectatur Rokiczanus.*

*Repurgata templa Sigiſmundus ingreditur.*

*Inſectatur Sigiſmundũ Rokiczanus.*

*Fugit Praga Rokiczanus.*

*Criſtannus ſubſtitutus Archiepiſcopo.*

gismundi gener sibi sumpserat,primoq; prelij impetu in fugam versus,ac statim resumpto animo rursus collectus,magno vtriusq; exercitus sanguine victor euasit,ibi plures Boiemi occisi sunt,quàm domum reuersi,non sine quadam Sigismundi inuidia,quam tum auxit,cùm aduersę factioni ad querelam, quasi vni parti plus,quàm alteri faueret,cùm vtrisq; parem conditionem pari sacramento promiserit, ita respondere sibi permisit. Si quis habens sponsam,cum altera contrahat sponsalia,per eandem,quam prius obligationem, vtri illarū plus debebit? priori an posteriori? nónne,vt omnia iura habēt,priori? Prius igitur ego Romanæ sponsæ,quàm Boiemæ,fidem obligaui meam,& tamen in vtraq; ita mihi à promissis consto,vt neutra de me queri iure possit. Erat inter proceres Rohacius quidam cognomine,acerrimus sectę nouæ propugnator:hic dicto isto offensus,arq; maximè fretus propugnaculo arcis,quā sibi recēs in loco(vt existimabat)munitissimo excitauerat,appellauitq; montem Syon,quasi à nullo commoueri posset,Sigismundum Cęsarem,ac dominum suum, modis omnibus lacessere cœpit,conuitijs,rapinis,dum in greges boum,& dolia vini, quæ ex Hungaria in Boiemiam Cæsari aduehebantur,insilit,dum terrore & minis exilium minatur. Huius quidem dementiam,satis diu Cæsar contempsit ac risit, & quali erat aduersus insolentes & contumaces patientia,curare illius insaniam per affines & cognatos studuit:postquam ne hac quidem cura potuit curari,medicos ei apposuit,milites armatos,dato illis mandato,ne ab arce oppugnanda,nisi illa expugnata,Rohacioque capto redirent. Arduo loco arx sita erat,altisq; fossis,& muris sublimibus munita,ac planè expugnatu difficilis, etiamsi pauci defensores affuissent. Sed aderant cum Rohacio frequentes, & indies ei accrescebant per portulam quandam, quæ secretum aditum ad flumē subter arcem fluens dabat. Qua re breui animaduersa,missa est ad flumen statio militū,quæ iter illud intercluderet. Nec interim omissa arcis oppugnatio ab vlla parte, qua modò potuit oppugnari, vbiq; locorum forti manu resistentibus, qui arcem defendebant, ac maiora damna,quàm accipiebant,oppugnatoribus dantibus. Quæ vbi Cæsar intellexit,complura suis ænea tormenta submisit, quibus munitiones arcis,muriq; deijcerentur. Illis bona ex parte prostratis,aderant obsessi,qui ruinas & rimas quibus potuerunt rebus obstruebant,trabibus,arborum truncis, cadis exsiccatis. Contrà obsessores tela feruefacta comparabant,quæ in opus ligneum immissa,ignem celeriter dederunt,illumq; in totam ferè arcem vento afflante distulerunt. Fit concursus vndiq; ad restinguendam flammam,ipseq; Rohacius,omisso,quod sumebat,prandio,inter suos pręsens occurrabat,nec cum igne modò,sed magis etiam cum armato milite,pro vallo pugnabat. In eaque pugna cùm cupidius instar,capitur,cæteri in fugā coniecti, sed mox cum ipsa arce recepti,Pragam ad Cæsarem deducuntur. Qui vt contemptū maiestatis suę,contemptu nobilitatis,quam Rohacius iactabat,vlcisceretur,furcā trium tabulatorum erigi iubet,ac summo loco Rohacium suspendi,vt coruos pasceret:medio sacerdotem eius, qui de secta Thaboritarum fuit: infimo,reliquos latrones circiter septuaginta,eoq; supplicio tantū cæteris metum incussit,vt tam insolenter deinceps latrocinari nemo auderet. Venerant tunc ad illum Pragam,nonnulli ex Germania principes, qua gratulatū illi de rebus feliciter tandem in Boiemia gestis,qua etiam rogatum,vt copiam sui principibus Germaniæ faceret:multas enim controuersas res extare dicebant,quæ componi nisi præsente Cæsare nequeant. Grandior natu Cæsar erat,sed neq; ætatē,neq; valetudines quæ senectam comitantur, excusationi sibi esse voluit, quò minus suo munere in obeundis, tum regnorum, tum imperij negocijs studiosissimè fungeretur. Itaque ad illorum votum, Ratisbonæ, propinqua finibus Boiemiæ vrbe, conuentum omnibus ordinibus indicit. Auditque istic

*Boiemi milites Turcico exercitui obiecti.*

*Romanis plus quàm Boiemis fauet Sigismundus.*

*Arx montis Syonis à Rohacio extructa expugnatur à Sigismūdi milite.*

*Supplicium de Rohacio sumptum.*

*Conuentus imperij Ratisbonæ edicit.*

benignè ſingulos ordines, quæ quiſque ad ſe refert, tranſigitque controuerſias iure æquiſſimo, & in poſterum prouidet, vt pax diuturna perduret, ſublatis inter principes odijs priuatis, in malum publicum erumpentibus, & ambitionibus pernicioſis, ex quibus, dum alter cedere alteri, ſeque intra pellem ſuam continere non ſuſtinet, ſed vnuſquiſque primus haberi vult, ſimultates & ſeditiones, atque ex ijs magni ſæpius motus in Germania oriebantur. Itinerum quoque ibidem cura habita, vt à graſſatoribus eſſent ſecura, diſpoſitis per ditionem cuiuſque principis deductoribus, qui viatores ad locum deſtinatum tutò deducerent. Laudauit poſtremò in eodem concilio, Romanorum veteres cenſores, quibus cura morum, ac diſciplinæ Romanæ tradita fuit, tantaque poteſtas addita, vt in Senatum legere, Senatu rurſus amouere, equitibus parum dignis equos adimere, plebeios ærarios facere, aut infamia notare, principem deniq; à vita ipſius deſcribere liceret, tanquam ſine moribus & legibus ne principibus quidem conſtare ſua officia poſſent, quibus titubantibus facilè Reſpublicas ruere. Se quidem promptum eſſe ad reddendam vitæ imperijque ſui rationem, cenſuramque ſubeundam, ſi quid in illo ſecus ac oportuit, geſſerit, modò illi viciſſim redderent iuriſdictionis nimis latæ, licenterque vſurpatæ, & bonorum ab imperio abalienatorum, quæ ſe neſcire dicebat, quali titulo illa poſſiderent. Sed valde ſe ſcire, nihil imperio eſſe ſpoliatius, nihil egētius, adeò, vt qui ſibi ex Germanis principibus ſucceſſurus eſſet, qui præter patrimoniū nihil aliud habuerit, apud eum non imperium, ſed potius ſeruitium ſit futurum. Non tam grata omnibus, quàm vera eſſe, quæ dicebantur, inde apparuit, quod omnes quidem ſermonem approbabant, ſed potentiores, qui aderant vehementer intercedebant, ne quid in iacturam abſentium, intempeſtiua deliberatione præiudicaretur, obtinuerúntque, vt in aliud tempus concilium, ad quod Cæſarem venturum non expectabant, præſens conſultatio transferretur. E Ratiſbona igitur Cæſar, Pragam rectà cum Philiberto Præſule, quo religionis in Boiemia reſtaurandæ conſultore vtebatur, remeat, augetque magno cum ſtudio rem diuinam, & ab exilio ſacerdotes reuocat, eos præcipuè, qui templo diui Venceſlai, in quo cathedra Archiepiſcopi continetur, erant conſecrati. In hos annua, ſex millia aureûm nummûm, de fiſco ſuo (nam bona eorum omnia tunc direpta fuerant) diſtribui iuſſit. Sed & aliorum in alijs templis degentium inopiam, pro conditione cuiuſque de ære ſuo ſubleuauit, frementibus præ inuidia præuaricatoribus, & id clam palamque agentibus, vt nouum Cæſari odium concitarent, ſi non valetudo illum præoccupaſſet, per quam factum fuit, vt nulli amplius negocio maiori animum accommodaret, ſed medicis tantùm & amicis operam dabat, de ſucceſſore Alberto, cum illis diſſerens. At Barbara Cæſaris coniunx ſuperſtite adhuc viro, Boiemiæ & Hungariæ regnis, quæ in dote ſua numerabat, non ſucceſſorem modò, ſed ſibi etiam maritum, cumq; iuuenem, petulanter ambiebat, nempe Vladiſlaum Poloniæ Regem, quem tanta regnorum dote perſuaſum iri ſperabat, vt cum anu matrimonium iniret. Accendebant ſpem Vlricus Ciliæ Comes, Barbaræ frater, ſorori aſſentiens, & complures Boiemiæ diuerſæ factionis Proceres, qui Polonum Germano præferebant. Quod vbi Sigiſmundus intellexit, ſenſitque tum Hungaros, tum Boiemos ſaniores, magno cum dolore accipere, id à matre agi, idque parari, vt filiæ ſuæ Alberto deſponſæ, ſpem regnorum, in quæ adoleuerat, eriperet, vocatis ad ſe Hungaris, conſilium eis ſuum de diſceſſu ex Boiemia aperit, metuere ſe inquiens, ne poſt obitum ſuum, quem imminere præſentiat, Boiemi eos in Boiemia nactos, tanquam ſibi ob religionem infeſtiſſimos, vita & rebus omnibus deſpolient. Tanti autem ſe facere Hungaros, quorum fidem erga ſe exploratam habeat, vt ſalutem illorum ſua ſalute poſteriorem non

*Acta conuentus.*

*Viæ ſecuriores redditæ.*

*Cenſoria apud Romanos poteſtas laudata à Sigiſmundo.*

*Fiſcus imperij egens.*

*Reſtituit cultum ſacrum in Boiemia.*

*Barbara Cilienſis Regina ambit Vladiſlai Poloni nuptias.*

*Artes Barbaræ eluduntur.*

non duceret, eiusq; rei causa,& se,& illos,ab impendenti periculo,quàm maturissimè velle subducere,iubetq; post tertium diem in procinctu esse. Sparso interim rumore,medicos loci mutationem ęgroto suadere,si pristinam sanitatem recuperare cuperet: ad diem suis dictum, cùm iam arcem Pragensem bono præsidio bene firmasset,à Philibertoq; Præsule obtinuisset,vt in eadem ad certum tempus remaneret, capillum canum, barbamq; promissam de industria comit, sertoq; viridi caput, quod crebro hilaris facere solebat,adornat,& ita lecticam vndiq; apertam,vt ab omnibus aspici,ipseq; omnes spectare posset, conscendit, & per mediam sicut iusserat vrbem deportatur,præter Hungaros & nonnullos ex Boiemia proceres, coniuge insuper ipsa,& Comite Cilię illum comitantibus vsq; Znoymam Morauiæ ciuitatem:in qua labore itineris,& morbo fessus tandem substitit.Ibi Barbaræ coniugi custodes additi:Vlricus autem Comes, ante ingressum elapsus,carcerem vitauit. Adfuit mox Albertus gener,cum quo multa secreto locutus socer,vocauit pòst Morauos,Boiemos, Hungaros in conclaue suum, palàm indicans,mortem in foribus adesse, tempusq; vrgere,vt in medium tempestiuè consulant,quemadmodum regna inter se pacata retineant, ipsiq; bona pace in illis perfruantur, quod quidem nulla ratione alia fieri commodius queat,quàm si in vnum Regem conspirent, qui & regnare esset idoneus, & pacem tueri,consilio atque opibus posset,qualem Dei munere Albertum haberent,vtroq; regno,etiamsi gener non esset,dignissimum.Nunc verò hac necessitudine accedente,planè nefas esse præterire eum, qui vtriusque regni hæredem in matrimonio obtineat. Sic se ante quinquaginta annos regnum Hungariæ,ducta Maria hæredeassecutum fuisse. Sic item Ioannem auum suum,in regno Boiemiæ successisse iure vxoris suæ,cui,vt nunc filiæ,Elisabeth nomen fuerit. Sic etiam in præsens sperare,quòd non ad alium,quàm oportet,honorem hæreditatis sint translaturi. Annuentibus vltimæ voluntati, qui circumsteterant,illamq; referre ad suos pollicentibus, æquissimo inde animo vita excessit. Princeps liberalissimus, humanissimus,prouidentissimus,qui tamen meliore in omnia ingenio atq; animo,quàm fortuna & felicitate vsus sit. Corpus eius Varadinum quemadmodum superstes iniunxerat,elatum,prosequente inter alios, funus, Barbara vxore captiua,ne quid eo temporis spacio per eam nouaretur.

*Laugaro.*

*Pragam deserit Sigismundus.*

*Imperatrix custodiæ tradita.*

*Albertum Ducem Austriæ suum generum hæredem constituit.*

*Moritur Sigismundus Znoymæ Varadini sepultus 9 Decembris, anno 1437 ætatis 70. Regnorum Hungaræ 51. Romanorum 27. Boiemiæ 17.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER VICESIMVS OCTAVVS.

IVstis omnibus defuncto Cęsari persolutis,placuit Hungaris luctum maturè poni,& ab inferijs ad festum coronationis diem Albertum conuerti, priusquam latius tumultus serperet, quem inter se Germani atq; Hungari Budam incolentes ex æmulatione conciuerant, dum alteri priores partes alteris sibi in ciuitate vindicant.Sed vt plures numero Hungari erant, ita vi maiore instabant, primũ rapinis,mox cædibus in Germanos, qui ibi domicilia,aut domos conductas negociandi gtatia habebant,quorum stragem ingentem mense Decembri ediderunt. Ergo kalendis statim Ianuarijs, solennia Regis, Reginæque ad locum solitum,quem Albam Regalem vocant,promulgata,& magna omnium ordinum frequentia celebrata. Compositis deinde Budæ rebus,& præfectis ac magistratibus per regnũ constitutis Albertus in Boiemiam accelerabat,vt

*Lis inter Germanos et Hungaros Budæ.*

*Anno 1438. Albertus Rex Hũgariæ proclamatus,eodẽ anno Boiemiæ Rex & Imperator dictus.*

*Boiemi ad Casimirum Vladislai filium, & Vladislai fratrē inclināt.*

electionem ibi de se factam, pręsens comprobaret, confirmaretq́ue, contra omnes, qui ab illa non solùm dissentiebant, sed alium iam sibi Regem, planè puerum, delegerant, Casimirum videlicet regis Poloniæ fratrē, nondum tredecimum annum implentem, vt non tam Regem sibi, quàm ęmulum Alberto quæsisse viderentur. Sed in Alberto tantus animi vigor erat, vt nulli inimicorum terrori succumberet: itaq; in arcem Pragensem, quam suam esse sciebat, cum paucis turmis & cohortibus se contulit, magnoq́; fauore factionis suæ procerum exceptus est. Nec Pragenses alieni apparebant, quanquam diu peterent, vt quędam noua, & parum licita, priusquā Rex coronaretur, illis diplomate roboraret, tamen non alia, quàm ea, in quę antehac socer Sigismundus consenserat, rata habuit. Horum igitur, & qui ex nobilitate aderant procerum assensu, Regiū diadema vnà cum coniuge, nulla amplius interposita mora induit, incassum reclamantibus Henrico Ptascone, Alexio Sternbergio, Georgio Podiebradio, & alijs sectam Thaboritarum tunc sectantibus, qui à Casimiro stabant, eiusq́; nomine duo millia equitum Polonorum subsidio sibi missa habebant. At interim fortuna propitia, imperialem præterea coronam ipsi Alberto in conuentu Francfordiensi per suffragatores principes adornabat, suffragijs in eum inclinatis, vt sicut in regnis, ita in Imperio Cæsari Sigismundo succederet. Huic fortunæ Hungari præpedimentum obijciebant, dicendo, quòd Albertus illis spoponderit, se ad imperium Romanorum non aspiraturum, cùm intelligat satis superq́; negociorum sibi superfuturum, vt regna per vxorem hęreditaria salua integraq́; retineat, quod fieri, nisi per assiduam sui in illis præsentiam nequeat. Sed illud obstaculum Fridericus Alberti patruelis, Styriæ tunc princeps, Hungarisq́; vicinus facilè amouit, vt affini ad imperium aditus pateret. Atq; ille non cunctatus Principes adire, vt de veteri consuetudine in Germania locis suis Imperium iniret, Aquisgrani miro omnium Electorū gaudio & gratulatione, Imperij corona redimitus est. Promissa eidem auxilia, contra hostes domesticos, simulq́; missi ad Regem Poloniæ, qui regno ipsius denunciarent periculum, si ab alieno inuadendo non abstinuerit. Contractis in Germania, quantum celeritas passa est, copijs, Pragam reuersus, Ptasconem Pragensibus fiducia Polonorum, quorum numerus auctus erat, insultantem, ab illa repulit, fugereq́; vsq; ad oppidum Coloniam coegit, ita mœnibus inclusum, vt inde egredi, apertoq́; marte decernere non auderet. Proximè eum locum Georgius à Cunstat arcem Podiebradam habebat, valido equitum præsidio munitam. Is vbi obseruauit, Alberti alam equestrem licentius vagari longiusq́;, impetum in illam cum suis facit, circumuentamq́; ferè totam concîdit, atq; illic primùm notus magis, magisq́; inter suos clarus haberi cœptus. Cæterùm adfuit mox Alberto copia, vnde acceptum detrimentum resarciret, Friderico Saxonum Duce cum frequentibus equitum turmis superueniente. Nam Austriacos suos, adiunctis eis Hungaris, ad euastandam Morauiam, rebellesq́; in illa, & perfidos subdomandos præmiserat. Amplius quingenti in Morauia direpti & incensi sunt, multiq́ue perfidorum neci dati, & ad extremum omnes in Morauia contumaces ferre iugum, Albertumq́; Regem suum salutare coacti fuerūt. Ipso interea cœptam in Boiemia rem aduersus Ptasconem persequente, qui cum sua factione & quatuordecim Polonorum millibus, ad oppidum Thabor, loco & reliquijs Thaboritarum fisus, se contulerat. Ab eo oppido non longius, quàm vt tela vitari potuerint, Albertus castra munit, in illa subitò equitatus Polonorum assilit, sed eadem velocitate grauis armaturæ equite contra se, cum sagittarijs ruente, resilit, idq́; quum sæpius facit maiore cum ostentatione, quàm periculo, insolentiæ Albertus insolens, hostibus instructā aciem ostendit, vt se quàm primum omnium illorum molestia expediat, manetq́; instructus vltra meridiem:

*Albertus Austrius XII. rex Boiemiæ, idem Imperator Romanorū salutatus 4 Maij, anno 1438. alij 30 Iunij.*

*Hungari dcus imperij Alberto non concedunt.*

*Poloni cum sua factione in Boiemia profligati.*

*Georgius Podiebradius fudit Albertum.*

*Moraui domiti.*

*Poloni Thabor oppidum occupant.*

diem, pòst rursus in castra se recepit, mirabundus, non quòd Poloni, vagæ & fugaci militię dediti, sed quòd Ptasco cum Thaboritis acie pugnare soliti, pugnam detrectauerint. Vbi comperit, noua illum, valentioraq, ex Polonia auxilia expectare, quæ ventura cum Vladislao Rege Poloniæ Casimiri fratre dicebantur, æneā tormenta, propius stationes Polonorum cum oppido coniunctas, admouet, magnaq; clade Polonos, qui intra mœnia recipi nequibant, afficit. Vrgebat præterea fames vtrunq; exercitum, magis autem Albertum, in cuius exercitu ad triginta millia hominum erant, ita vt relictis ieiunis castris, Pragam se referre cogeretur. Dilapsi statim eadē ratione obsessi in suas quisq; sedes, inter quos maximè miserabile Polonorum agmen visebatur, fame, siti, machinis enectum lacerumq;, & amissis plurimis equis, pedestre magis quàm equestre incedens, domumq; cum mœstitia, & rerum omnium inopia repetens. Quod vbi Poloniæ Rex, qui iam in Slesiam, vsque ad oppidum Oppauiam, cum nouo exercitu peruenerat, cognouit, imparem videlicet se, post suorum casum, potentiæ Alberti futurum, abiecta spe regni, in Boiemia pro Casimiro fratre assequendi, Slesiam qua redibat, hostili modo peruastat. Porrò Albertus cùm partem copiarum, inter quas Fridericum quoq; Ducem Saxonum dimitteret, partem sibi retineret, Gorlitzium in Lusatia, dein Vratislauiam in Slesia tetendit, vbi ei Albertus Marchio Brandeburgensis, vir bellicosissimus præsto fuit, quem mox vindicem iniuriæ per Polonum illatæ, totiq; Slesiæ tuendæ præfectum constituit, lætusq; ei narrauit victoriam Friderici ducis contra insidiatores Boiemos, reuertenti insidiantes, cum non contemnendo agmine, cuius ductores è Proceribus erāt, Holitius iunior, Petrus Zwireticius, Absalon Swogissius. Ciues deinde Launenses & Zatecenses, cum quibus Fridericum fortiter, inter Pontem oppidum, & Biliniam pugnasse, adiutore Iacobo Bilinensi, cuius curæ Albertus Rex mandauerat, vt Ducem vltra montes Misnenses, bene comitatus deduceret, in eaque pugna sexcentos insidiatores occidisse, & quingentos viuos cepisse, secumq; in Saxoniam abduxisse. Atque hæc ideo narrauisse Albertus videbatur, vt Marchionem aduersus Polonos exacueret, sine cote satis per se asperum, ita vt Poloni aciem eius nunquam retundere valuerint, malisque tandem fatigati, pacem vltrò petierint, cuius arbiter Alphonsus Burgensis, ex Hispania Episcopus à Romano Pontifice missus fuerat, sed infecta pace inducias tantùm parum longiores conciliauit: Alberto ex dignitate esse imperij non existimante, vt tam insolenter, quàm est factum à Polonis, imperij maiestas, minaque ab illa denunciatæ contemnerentur. Habuit itaq; in animo, bellum Polonicum alio tempore gerere, nam tunc ei ab Amurathe Turca grauius impendebat, Seruiam, Rasciamque, Georgij Despoti regiones, qui sub tutela Regum Hungariæ viuebat, latè populante, oppidaq; in illis diripiente, ac iam Synderouiam arcem quarto lapide à Taururo, quam Albam Græcam vocant, dissitam, arcem prorsus firmissimam obsidente. Reliquerat in illa Georgius parens Stephanum filium, interea dum ipse ad Hungaros proficiscitur opem imploraturus, qua filium à metu, arcem à periculo liberare posset. Non deerant Hungari, nec ipse Albertus Rex: nam vt in bellis audax, ita etiam promptus erat, sed quantumuis ad ferendum auxilium properarent, prius tamen Turca arcem cepit, Stephanumq; candente ignitoque ferro visu priuauit. Sic re infecta Budam reditum, ibique Barbara Regina Sigismundi vxore è custodia emissa, intercedente de oppidis regni dotalibus transactione, vt nomine illorum, duodecim millia aureûm nummûm quotannis acciperet, inde in Boiemiam ad oppidum suum Hradecium se contulit, Alberto etiamtum Budæ commorante, donec ex immodico peponum esu læuorem intestinorum, quem dysenteriam vocant, sibi contraheret. Suadebant Medici, vt in eodem loco conquie-

*Detrectant Poloni pugnā*

*Vladislaus fratri Casimiro auxilia adducit.*

*Dilapsus inedia vterque exercitus.*

*Silesia vastata à Vladislao.*

*Albertus Marchio Brandenburgi Sleſiæ præficitur.*

*Insidias Boiemorū effugit Misniæ Marchio.*

*Marchio Brandenburgensis Polonis grauis.*

*Amurathes Turca Rasciā inuadit.*

*Despota auxilia Hungarica implorat.*

*Immanis sæuitia Amurathis*

*Transfigit Cæsar cum Regina seniore.*

sceret, quoniam omnis agitatio intestina exulceraret, at ille mutationem loci, genitalisque soli auram, plus quàm curam omnium medicorum profore sibi aiebat. Iter igitur ingressus, vt Viennam peteret, haud procul à Strigonio, in pago quem Longum cognominant, vltimum reddidit spiritum, cùm nondum toto biennio imperasset. Magnus planè futurus Imperator, si vita longior contigisset, qui tam breui temporis spacio, tam multa & præclara gesserit. Exequiæ illi ab vxore Elizabeth prægnante, Regio apparatu, in Basilica Albæ Regalis celebratæ, ibique corpus conditum. Boiemi morte Alberti cognita, alij læto illam animo, alij cum mœrore accipiunt, solliciti de successore in tanta religionis discordia, ne ad illum videlicet, ad quem minimè oporteret, regnum transiret, cùm inter has curas nuncius ex Hungaria aduolat, nuncians Reginam Elizabeth marem enixam esse, & perinde regni Boiemiæ hæredem, vt iam non sit opus alium Regem quærere, cùm domi illum natum habeant, puero nomen mater Ladislao indidit, ac statim intra quartum mensem, inungi, & coronari eum, ab Archiepiscopo Strigoniensi, in loco solito procurauit. Sublata clàm corona Regia, ne in potestatem Hungarorum, nouis rebus studentium, rediret, eamque vnà cum infante, ad Fridericum infantis patruum, quem hoc ipso tempore Germaniæ Principes Regem Romanorum declarauerant, asseruandam, custodiendamque misit. At Hungari pariter atque Boiemi per factiones distracti, illi Vladislaum Poloniæ Regem, isti Albertum Bauariæ principem, qui à pueris apud Venceslaum Regem in aula educatus fuit, ad regnum suscipiendum inuitabant, quòd dicerent, temporibus non conuenire, nec regnis vtile esse expectare, dum infans Rex adolesceret, quando supra caput cottidie pericula imminerent, quæ Regem ætate virum requirant. Ac Vladislaus quidem rapto agmine, citus in Hungariam venit, studioque partium Budam statim receptus, id ante alia egit, vt celerrimè Rex Hungariæ coronaretur. Data igitur fide publica Ladislao Bano, sub cuius tutela, arx Vicegradensis cum ipsa corona Regia fuerat, vt securè Budam veniat, à se prius non dimittit, quàm de arce concederet illis, quos reportandæ in Albam Regalem coronæ submiserant. Afferunt illi arcam signis Pontificum atque procerum obsignatam, cæterum corona vacuam. Qua re vehementissimè perculsi, turbatique omnes ordines, ambigunt quidnam facere debeant, persuasum habentes, Regem Hungariæ, nisi corona illa sancta coronari non posse. Exclamat mox non nemo præsulum, visa inter reliquias corona aurea, capiti diui Stephani Regis imposita: En adest quam quæritis, Regis sancti, corona sancta, ad hoc quod gerimus nobis tempestiuè oblata. Cunctis læta voce succlamantibus, rectè, rectè, tollitur illa, & ad caput Vladislai transfertur, Rexque statim idem consalutatur. Albertus verò Bauariæ princeps, præter omnium opinionem, regnum sibi Boiemiæ delatum deprecatus est, moriqué se malle respondit, quàm eo modo, quo Boiemi vellent, regnare. Volebant autem, vt communionem vtriusq; speciei non solùm approbaret, sed omnibus etiam opibus & potentia sua, aduersus quoscunq; aduersarios protegeret. Item, vt Magistrum Rokiczanum, veritatis præuaricatorem, patrocinio suo tutum præstaret. Dein vt bona templis & sacerdotibus erepta, ne repeteret. Abillo per bona verba ablegati, nouam denuò Pragæ deliberationem ineunt, legatosq; rursus decernunt, qui eant ad Fridericum Romanorum regem, petitum, vt tutorio Ladislai nomine, regnum Boiemię tuendum, regendumq; susciperet. Inter legatos Ptasco erat, Ladislao ob memoriã Alberti parentis non amicus. Is nactus facultatẽ seorsum alloquendi Friderici, ei suadet, vt ipse regẽ Boiemię semet constituat, tanquã princeps Austriæ senior, id quod ei antiquo fœdere inter Boiemos & domũ Austriacam, de successione regni icto, liceret. Ad

*Albertus Cæsar fluxu alui extinctus, anno 1439. 27. Octobris.*

*Posthumus Alberto filius Ladislaus nascitur, à Dionysio Strigoniensi Cardinale coronatur, 22. Februarij, anno 1440.*

*Fridericus Roman. Imperator, anno 1440 30. Martij.*

*Hungari Vladislaum Polonum, Boiemi Albertum Bauarum Regem poscunt.*

*Vladislaus rex Poloniæ in Hungariam contendit.*

*Furto Regia corona ab Elizabetha sublata. Vladislaus S. Stephani cingitur corona.*

*Repudiat Bauarus regnum Boiemiæ oblatum.*

*Boiemi regnũ Friderico Cæsari deferunt.*

Ad quæ Fridericus: Alij, inquit, viderint, quid illis aduersus sanguinem suum liceat: se nihil in filium patruelis facere posse, quò ius necessitudinis, officiumque suum expleat, nisi vt illi paterna regna pro virili conseruet ac restituat, ne dum vt aliquid adimat. Cæteris dein legatis respondet, Nec tutelam regni se recipere, sed curam illam Boiemis delegare, qui vt regni commoda, incommodaq; notiora habeant, ita vtrisq; se melius consulere posse, relaturi olim à domino suo bene aut secus administratę tutelæ, gratiam aut odium. Hinc duo Proceres designati, Meynardus & Ptasco, caput vterq; suę factionis, qui Consulari potestate regni negocia administrarent, gubernarentq;. Inter hæc mater Ladislai Elisabeth, dum regnũ Hungariæ filio retinere studet, multa hostilia à Vladislao occupatore perfert, & vicissim illi infert non dispari euentu, ac tam animo constanti, vt cùm in prelio quodam acerrimo, factio aduersa opera Ioannis Hunniadis, pulso fugatoq; Ladislao Bano superior euasserit, non minus tamen intentam, quàm prius continuauerit militiam: haud sine Vlrico Ciliæ comite, auunculo suo, cuius consilio arces deinde, & oppida nobiliora præsidijs Boiemorum firmauit. Inter præsides Boiemos, manu & bello præstantissimus, Ioannes à Brandesio, Giscra cognomine, erat. Hic cùm toti territorio Bistricienſi, in quo Aurariæ, Argentariæq; in hunc diem, largè aurum argentumq; suppeditant, præpositus fuisset, non solùm ea salua, quæ accepit, præstitit, sed plura etiam numero municipia, quàm quot tenebat aduersarijs vi eripuit, Polonos crebris prelijs fudit, ipsum Hunniadem castris bis exuit, tanto deniq; terrori Hungaris fuerat, vt authore ipso quoq; Vladislao, pacis conditiones cum Regina Elizabeth inire non abnuerit. Missus legatus de latere Iulianus Cardinalis, qui rem inter partes controuersam componeret, dabatq; ille sedulam operam, aliquoties è Buda, Iaurinum vbi Regina inerat, & inde rursus Budam ad Vladislaum cõmeans, cùm repentè grauissimus intestinorum morbus Reginam corripit, ac tertio die eandem extinguit. Placuit in eodem, cum marito Alberto conditorio, illam condi. Solus per idem tempus, Ptascone collega per mortem sublato, Meynardus in Boiemia summæ rerum præfuit, magna cum inuidia diuersæ partis, quæ Meynardum causa religionis Romanæ, semper malè oderat, eoq; minus æquo animo ferebat, vnum illum omnes honore & authoritate anteire, Pragamq; in potestate habere, quæ ipsorum sectæ caput esset, quo diminuto, capitis omniũ diminutionem consequutum iri, si non primo quoq; tempore periculo occursum fuerit. Instruunt mox Rokiczanum, & alios seditiosos Pragæ sacerdotes, idoneis ad concitandam plebem aduersus Meynardum consilijs, quasi ad hoc magistratum gerentem, non vt communi regni tranquillitati consulat, sed vt extollat suam factionem, & ipsorũ deprimat. Congregantur deinde pleriq; eorum cum Thaboritis ad Cuthnas, ibiq; Georgium Podiebradium, totius Gradicensis regionis præfectum pronunciant, ac tacitè inter se conspirant ad recipiendam Pragam, tacitos in illa se proditores habere dicentes, nec falsò, inerant enim, & vti cum Georgio conuenerant, appropinquanti paulò ante lucem mœnibus, casulam longiùs ab alijs ædificijs semotam accendunt, portamq; inde statim reserant, per quam Georgius intra vrbem veterẽ receptus est cum sexcentis ferè equitibus, Symbolum succinentibus; Cunstat eia Cunstat, vt sui adesse suos scirent, nihil mali metuentes: apud cæteros rei ignaros trepidatio fuit, cum paucorũ cæde, qui armis sumptis resistere cœptabant, aliàs nemini nocitũ. In hoc tumultu Meynardus nullius culpæ reus capitur, & cum indigna captiuitate Podiebradium abducitur, vt Georgius Praga solus liberè potiretur, tanta potentia, vt Senatũ Pragæ sua authoritate constitueret, quod munus antea regium fuerat. Dedit mox Meynardo quoq; successorem Zdenconem Sternbergiũ, vt summum in arce Pragensi ageret præfectũ, ipse

*Saluum id Ladislao patruelis esse vult Cæsar.*

*Meynardus & Ptasco consules.*

*Bella inter Reginam et Vladislaũ Regem.*

*Iohannes à Brandesio Giscra Reginæ partes impigrè defendit.*

*Iulianus Cardinalis pro arbitro se gerit.*

*Reginæ Elizabeth mors.*

*Meynardus collega mortuo rerum in Boiemia potitur.*

*Odium in Meynardum excitatum.*

*Georgius Podiebradius Meynardo opponitur.*

*Georgius Praga potitur.*

*Meynardus captiuus abducitur, post mortuus.*

*Georgius Pragæ magistratus instituit.*

tamen Pragam in potestate sua habere voluit. Mors denique Meynardi, quæ paulò pòst subsequuta fuit, nō caruit veneni, vndecunq; dati, suspicione. Hinc multum crescere Georgius, multaq; sibi vendicare, imò cuncta simul in se trahere, nemine iam extante, qui voluntati eius palàm obsistere auderet, maximè posteaquam legati ad Fridericum missi, vt Ladislaū in Boiemiam adducerent, tanquam nullibi locorum melius quàm in regno suo nutriendum, non impetrarunt quod petebant, Friderico se excusante, ob nimis teneram pupilli ætatem, quam etiā accersito in conspectum puero, nondū septimum annum agente, coram indicauit. Aderat tunc Giscra, Viennam ex Hungaria ad Fridericum euocatus, visoq; Ladislao, eum vti Regem suum reuerenter salutat, ac more dein militari, vulnera & cicatrices ostentat, quę ipsius gratia apud Hungaros rebelles se accepisse iactabat, tandē subridens: Ecquę spes, inquit, pręmij laborum meorum apud te, mi Rex, vnquā erit? Ecquid stipendij nomine miliți tuo fideli aliquando retribues? Tacitus ille, dispensatorē Friderici propè astantem adiens sacculum, vnde stipem mendicis depromebat, de collo ei detrahit, inuentosq; in illo sex tantummodo nummos, eos Giscrę dono dat, inquiens, non se plures in pręsentia habere. Hac voce atq; dono, quamuis exiguo, pariter Giscra exultans, quia parem sibi laudem vendicabat, & dedisse quod habes, & dare plura voluisse si haberes, acceptos ęreos nummos auro inclusit, aureaq; zona è collo suspendit, vt conspicua esset omnibus intuentibus, tam prona adhuc pueri Regis, erga bene meritos, referendæ gratiæ voluntas, redijtq; lætus in Hungariam, ad exequenda officia sibi demandata. Hungaris interim bello Turcico occupatis, ac sæpius in illo, ductore Hunniade victoribus, qnàm victis. Dacus hic, nunc Valachos appellant, natione fuit haud claro genere ortus, sed factis per arma clarissimus, vt qui primum Hungaros docuerit, quomodo Turcæ acie frangi superariq; debeant. Eiusdem opera factum, vt bonam partem Mysię, quam Rasciam vocant, ab Amurathe interceptam recuperauerint. Sed cùm rursus ille excursionibus in Thraciam, circum Constantinopolim peractis, Mysiæ instaret, aderat iam & Vladislaus, cū Polonis, & Hungaris hosti occursurus, peruenitq; in Rasciam, vsq; ad oppidum Sophiam, præsidio Turcarum obsessum, quod quidem breui expugnauit, & incendit. Vltraque sensim progrediens, Hunniade agmen cogente, videt à tergo subitum Turcarum aduentum, recta impetum in nouissimum agmen facientem, accurrit statim Hunniadi subsidio cum omni equitatu, iubens pedestres copias cum curribus mox subsequi. Certatur vtrinq; atrocissimè, Amurathe quanuis absente, sed pręsens erat Orientis pręfectus affinitate ei innexus, cui Turcæ non minus quàm imperatori suo parebant. Illo grauiter in agmine icto, atq; inde excedente, & statim moriente, non certamen, sed cædes & fuga hostium consequebatur. Sex millia illorum in acie cæsa, & nouem signa ablata esse narrantur, tantumq; metum Amurathi incussisse, vt pacem vltrò peteret, vltroq; se offerret ad restituendas Georgio Despoto omnes quas in Rascia receperat arces, & præterea duos eius filios quos luminibus priuauit. Eaq; conditione accepta, in decem annos induciæ, iureiurando vtrinq; interueniente, confirmatæ sunt. Ac magno paulò post Hungarorum malo interturbatæ, Romano Pontifice fœdus cum hoste Christiani nominis sede inconsulta ictum, non approbante. Spem videlicet ille ex hac victoria multò futuram maiorem conceperat, si hosti adhuc ex recenti casu trepidanti, instaret. Igitur continuò Iulianum Cardinalem in Hungariam mittit, qui Vladislaum à iuramento absoluat, Hungarosq; ad instaurandū bellum animet, pręsenti, quod secū adducebat, auxilio, ex militibus cruce signatis collecto. Prefecerat idem præterea Pontifex alterum Cardinalem Franciscum, affinem suum, classi, quam in mari haberet, ne Turca ex Asia

*Ladislaus Boiemiæ postulatus à Friderico negatur.*

*Lepida præclaræ indolis in Ladislao historia.*

*Giscra fidus Ladislai satelles.*

*Iohannes Hunniades.*

*Sophia Turcis erepta.*

*Vrbs à templo Iustiniani Cæsaris nomen accepit.*

*Sciabadenus Bassa ductor copiarum Turcicarum, alijs Carambus Asiæ præfectus.*

*Segedini pax solenni ritu inter Vladislaum et Amurathē confecta*

in

in Europam copias traijcere posset, Vladislao ad arma resumenda inclinante. Despotus intercedere parat, inquiens: Non conuenire Christiano Regi conuenta turbare, fidem fallere, iurisiurandi religionem violare, quorũ omnium vindex afforet Deus. Sed nihil magis profecit, quàm Dracula Valachiæ dominus, dissuadens, ne cum tantulo Polonorum Hungarorumq; exercitu, aduersus ingẽtes Amurathis copias progrederetur: compertum enim se habere aiebat, plus quàm centum millia Turcarum ex Asia, per Bosphorum Thracium, frustrato Cardinale Francisco esse transuecta, præter eum numerum, quem in Europa, nulla parte minorem obtineret. At cùm Hunniades, numerum Turcarum, prę viribus Hungarorũ valde contemneret, atq; diceret, apud Turcas extra paucos, cæteram ineſſe turbam muliebrem, ab Hungaris autem stare virorum robur, iubet Rex agmina progredi, antecursore Hunniade cum densis equitum turmis, ingressusq; Bulgariam, ibat Nicopolim oppugnatum ac mox ad famam hostium aduentantium, apud castellum lacumq; Varna dictum, substitit, castraq; ibi carris circumdatis metatus est. Hunniades acie tripliciter instructa, dextrum cornu Varadiensi, Agriensiq; Episcopis, & Francoui Bano cum cæteris Hungaris dedit: sinistrum Iuliano legato, cum omnibus externis auxilijs attribuit: in medio Regem cum Polonis collocauit. Ipse in vtroq; cornu, cum equite quem habebat concursabat, impetum hostium sustinens retundensq;, eo primũ successu, vt in fugã obuios hostes verteret. Qua re cõsternatus Amurathes, ac mox indignatus, quòd tam pauci aduersarij, tantæ suorum multitudinis non solùm conspectum ferre, verumetiam cum illa pugnare auderent, acerrimè ignauiam suorum increpat, minisq; & conuitijs ad pugnam reuocat. Quo dedecore accensi, intolerandam vniuersi, in totam Regis aciem impressionem faciunt, occisisq; viuos, saucijs integros, fessis recentes viribus subministrant, quod ab altera parte fieri propter paucitatem non potuit. Ita nimium ac diu vrgentibus hostibus, initium fugæ in dextro Hungarorum cornu cœptum, in sinistro dein cõsecutum, quando ipse quoq; Hunniades victoria desperata cum decem millibus equitum ex acie se subduxerat, vetus illud vsurpans, vir fugiens iterum pugnabit, præsertim viribus totis haud destitutus. At in media acie, Regis magnanimi, ac nullo pacto cedere, suosq; deserere volentis, totæ à Turcis profligatæ sunt copiæ cum ipso Rege. Iulianus verò legatus in fuga non solùm ingloria, sed etiam misera morte periit, à latrunculis despoliatus, interfectusq;, ac nudus esca feris, volucribusq; cœli relictus. Adeò autem cruenta vtrinq; hæc Varnensis victoria fuit, vt ipse etiam victor maiorẽ ex illa mœstitiam, quàm lætitiam præ se tulerit, dicens: Nolle hoc euentu sepius vincere. Hungari Rege, quem in regnum intruserant amisso, ad legitimum tandem post varia in comitijs studia & certamina redeunt. Mittuntq; ex corpore suo primora capita ad Fridericum Cęsarem, qui ab illo Ladislaum, vnà cum ipsa regni Hungarię corona reposcãt. Fridericus collaudatis Hungaris, quòd aliquando resipuissent, quodq; Regem, quem prętemiri non oportuit, ad regnum reuocarent, de corona planè dissimulat, sed hoc tantum, quod ad Ladislaum attinet, respondet: Puerum adhuc esse, nec alia in pręsens re egere, quàm fideli tutela, tutorẽ autem quemnam magis idoneum inueniri posse, quàm agnatum atq; gentilem pupilli, & præterea Cæsarem? Ex pectarent itaq; parumper, dum ille adolesceret, atq; interim bona fide regni negocia curarent. Deligunt confestim illi Ianum Hunniadem regni gubernatorem, nec ideo tamen desinunt Regis præsentiam requirere, non iam precibus, sed armorum terrore, quem Hunniades contractis duodecim millibus equitum, satis terribilem Friderico infesta populatione incussit, vt saltem corona potiri posset, sed non aliud assecutus est, nisi Cæsaris indignationem, quam breui pòst, re feliciter in Seruia aduersus Turcarũ præsidia gesta, in gra-

*Franciscus Cardinalis Florentinus Latinæ classis præfectus Amurathem contra Carmanos profectum asserebat.*

*Violatum fœdus cum Amurathe ictum frustra reclamantibus multis, Romano pontifice impellente.*

*Exercitus Regius ad Varnã peruenit.*

*Ingentes Amurathis copiæ.*

*Hunniades fugit.*

*Clades Varnensis, anno 1444 pridie D. Martini, Regni anno quarto. Rex in acie occumbit & Iulianus Cardinalis ob commissum ingens violatæ fidei piaculum victimam sibi deum ueri Deus voluit regiam.*

*Posciunt Hungari Ladislaũ Regẽ nondum quinquennẽ.*

*Hunniades Regni gubernator institutus, anno 1445 festo Pentecostes.*

tiam vertit,ſibiq; beneuolentiam Cæſaris reconciliauit. Vrgentibus deinde Fridericum,tum Hungaris tum Boiemis,tum etiam Auſtriacis,atq; omnibus vim minitantibus, niſi illis dominum ſuum reſtitueret,qui ſuis liberè dominaretur.Hoc ad extremum conſilio fruſtratus eſt omnes,quo decreuit ſecum puerum adducere in Italiam,quam coronæ Cæſareę ſumendæ cauſa petebat. Nec ſecus deſtinauit,ac fecit,atq; ita ſe à moleſtia omniũ liberauit,qui ſibi extorquere Ladiſlaum laborabant. Erat inter comites Fiderici Albertus frater eius.Huic cura Ladiſlai cõmendata fuit toto illo itinere,quod Fridericus Italiam ingreſſurus,nouo more inermis & pacato agmine,non autem cum exercitu,vt alij Cæſares & terrore inibat,imò togatũ quoq; agmen ita per viam diſtribuerat,vt alij antecederẽt,alij ſubſequerentur,ne cui multitudo grauis aut formidabilis exiſteret. Quare etiã aduentus eius lętus omnibus & gratus fuit. Veneti eum primũ magna cum reuerentia ac lauticia exceperunt,prorſus hoſpitaliſſimè, officioſiſſimeq;: inde diſceſſuro Abacum ex vitro elegantiſſimè concinnatum,exornatumq; donaturi erant,illumq; inter alias ex auro,argento q; & gemmis diuitias,quas illuſtrioribus hoſpitibus ſolent oſtentare,ſeposuerant, quò Fridericus ab ijs deductus, gemmas & alia precioſiora in manus ſumit,& quæ magis ex ijs placent,magis laudat. Cumq; illi Abacum ſuum vitreum,verbis magnificis extollere non deſinunt,annuit morioni ſuo,vt menſam reponendis vitris appoſitam commoueat,qua commota,prouoluuntur vitra,& confringuntur, arridente Cæſare, ac dicente:nunquam aurea vel argẽtea vaſa ad tam leuem caſum ita fuiſſent cõminuta. Quo dicto,pro vitreis, aurea à Venetis munera extorſit. Dehinc Senas profectus eſt, quò Leonora ſponſa, Regis Portugalliæ filia,ex ſorore Alphonſi Regis Neapolitanorũ prognata,ei aduecta ex Hiſpania fuit, nihil prætermittentibus Senenſibus, quæ ad inſtauranda,denuoq; celebranda ſponſalia,cum omni rerum copia,ſplendoreq; & magnificentia pertinere putabant.Romam inde cum ſponſa ingreſſus,ad ſcalas ſancti Petri, Nicolaum Romanum Pontificem obuium habuit,à quo in templum introductus, ſolenni more copula matrimonij cum noua nupta copulatus fuit.Ac mox vterq; eorum Imperatoria corona donatus,nuptijs Neapolim dilatis, quas Alphonſus Rex tanto apparatu, tantaq; pompa apparauit,quantam illa ætas apud nullum alium Regem viderat. Inter cætera lautiſſima,venationem exhibuit,fixis paſſim in campis tentorijs,in quibus amplius triginta millia hominum diſcubuêre, fontibus è vario vini genere affatim ad menſam affluentibus.Reuertentem cum bona pace ab externis regionibus Cæſarem, domi bellum Auſtriacum excepit, Ladiſlai gratia,quem Cæſar à ſe dimittere,fideiq; aliorum committere noluit. Ad duodecim millia militum Auſtria armauerat, Vlrico Eyncingero belli incentore, ſicut idem primus etiam author fuit, vt abſente Friderico præſides Auſtriæ mutarentur,in quorum locum non alij, atq; illi, qui in verba Ladiſlai iurarent,ſubſtituerentur. Ipſius deniq; opera Vlricus Ciliæ Comes,qui Viennæ,vrbi in Auſtria primariæ præfuit,in partes Ladiſlai pertractus eſt,ſubſcripſitq;,vt confeſtim ad Fridericum irent, qui denunciarent, vi ſe Ladiſlaum recepturos,niſi vltrò illis redderetur. Cæſare ſua conſuetudine ſuſpenſum,incertumque reſponſum dante, Nouam ciuitatem, quæ ſecundas poſt Viennam ſibi partes vendicat, oppugnare adoriuntur, vocatis in ſocietatem oppugnationis Boiemis. Ex quibus Henricus Roſenſis iunior cum ducentis tantùm equitibus, & octingentis peditibus ſocium ſe illis exhibuit,cæteris domi,ad ea quæ à Georgio Podiebradio fiebant intentis. Maximè poſteaquam ille,quod diu concupierat, per factionem ſuam, & Pragenſes,Thaboritaſque aſſecutus eſt, vt regni gubernator pronunciaretur. Acceſſerunt ad eundem pleraque alia oppida, & in primis ipſius Barbaræ Reginæ dotalia, quæ tunc recens Hradecij

*Fridericus in Italiam profectus, Ladislaũ ſecum abducit*

*Veneti magnificè excipiunt Fridericum.*

*Abacus vitreus ex induſtria præcipitatus.*

*Leonora Eduardi Luſitaniæ Regis filia coniux Fridericj.*

*Nicolaus Papa V. Fridericum coronat et coniugem cingit, anno 1451. 17. Martij.*

*Nuptiæ Neapoli regio apparatu.*

*Repetitur Ladislaus ab Auſtrijs.*

*Nouam ciuitatem Auſtrij oppugnant.*

*Georgius Podiebradius Boiemiæ gubernator.*

decij decesserat,mulier prorsus Sadducea Epicureaque. Cum Epicuro enim summum bonum in voluptate ponebat. Similiterque atque Sadducei de immortalitate animę nihil planè credebat, sed tam superos quàm inferos ridebat. Huic ad lasciuiam comprimendam cùm à viris matronisq; honestio ribus turtur auis proponeretur,quæ marito mortuo iterum nubere nesciret, absterso omni pudore,solita est respondere: Et quid mihi cū aue monticola & solitaria? Cur non potius columbas & passeres domi ob oculos quotidie obversantes mihi proponitis? quarum auium oscula & amores nunquam cessant. Hæc tamen vt Pragæ in conditorio regum sepeliretur, Georgius sacerdotes Pragenses coegit. Ac protinus vi maiore militū addita,Buduicenses,Slanenses, Launenses parere sibi vti gubernatori dedignantes facere imperata compulit.Sensim inde & nobilitas aduersa potentiæ Georgij succumbere cœpit, in eum finem tamen, vt in hoc magistratu daret operam,ne diutius regnum Ladislao rege careat. Durabat interim Nouæ ciuitatis in Austria oppugnatio,fossa,propugnaculis,ac robustissimo præsidio se tuentis. Sed de fame solicitus erat Fridericus,ne illa tandem expugnaret ciuitatem. Quo faciliorem eriam se exorabilioremque præbuit Carolo Badensi Marchioni, & Sigismundo Salspurgensi Archiepiscopo,qui in istam partis vtriusque pacificationem se interposuerant. Pax ita transacta, vt Cæsar Ladislaum de sua potestate dimissum tutelæ Vlrici Comitis tanquam auunculi tantisper crederet, dum in concilio Viennæ breui futuro,melius de tutela illius cum Boiemis & Hungaris deliberaretur,interimq; Ladislaum extra Viennam commorari, vt priuatum adhuc,oportere. Nondum pacificatores Austriæ fines egressi sunt, cùm Vlricus Comes præter pacta Ladislaum Viennam inducit, positaq; sede principali,in illa eum,assentientibus omnibus Austriacis, collocat,vt tanquam princeps Austriæ fidei iuramentum à sibi subiectis exigat, quorum primus ipse Comes,deposito tutoris nomine, iurauit rectorem omnium videlicet,quàm vnius Ladislai tutorem agere maluit. Qua re Georgius cognita, non procrastinauit illam ad omnes ordines referre, quos Pragam edicto seuero frequentes coegit, aperiensque os suum : Adesse opportunitatem, diu frustra de adducendo in regnum Ladislao quæsitam, dicebat. Si igitur Ladislaus etiamnum puer placeat, aut si expediat, vnum in regnis duobus regnare,quorum vtrumq; regis sui præsentiam ob calamitates acceptas desideret,prudenter consultandum esse,atq; per tempus statuendum, quid maximè regno conducat. Quo dicto rogat sententias à sua factione auspicans, quæ domi regem esse legendum censebat. Ex aduersa parte dicebatur: nihil minus conuenire omnibus ordinibus, quàm non constare sibi in petitionis honestæ perpetuitate:crebrò à Friderico petitum fuisse,vt nobis regem nostrum restitueret. Nisi in præsens item faciamus, leuitatis crimen & inconstantiæ non euademus. In hanc sententiam discessum. Rursus inde Georgius: Solent,inquit,ij, qui ad pauca respiciunt,in multis sæpius oberrare: id ne nobis contingat, maturè prouidendum esse, ne hoc solùm videlicet agamus, vt quamprimùm habeamus regem,sed vt rebus quoque nostris sobriè consulamus,ne de religione statuque nostro, & libertatibus, ac maximè de calice periclitemur. Proin sibi ex re videri, vt per capita describantur, atque Ladislao offerantur ea, quæ nobis ab eo seruari, & confirmari iustum esse duxerimus. Ne qua noua mox de capitibus illis contentio suscitaretur per quam aduentus regis impediri posset,concessum est, vt scriberent, quod iustum existimarent,ne tamē Ladislao prius scripta redderent,quàm in Boiemiam veniret. Cuncta apud Ladislaum ex arbitrio Comitis gerebantur,inter quæ hoc quoq;,vt Ladislaus ad Hungaros, apud quos & natus, & iam rex coronatus erat,primū diuerteret,auspicia regni auspicaturus,quem tamen lon-

*Barbaræ Sigismundi uidua atheismus*

*Cogit obsequi urbes Boiemas Georgius.*

*Soluta Nouæ ciuitatis obsidio.*

*Austrijs redditur Ladislaus.*

*Georgius de reducendo Ladislao in Boiemiā deliberat, uel nouo eligendo*

*Decretum fit de aduocando Ladislao.*

*Conditiones Ladislao proponendæ.*

*Hungaros prius inuisit Ladislaus.*

gius progredi, quàm Posonium non est passus: sed ibi regijs negocijs in magistratibus mutandis, & cæteris propriè ad Regem pertinentibus confectis, curaq; regni Iano Hunniadi commendata, rursus Viennam illum retraxit, significans inde Georgio Podiebradio, ad quẽ diem Ladislaus finibus Boiemię appropinquare vellet, vt regnum quoque Boiemiæ ineat. Quo intellecto Iani Smiritij literæ ad regem scriptæ per comitem Podiebradio traduntur. Iani Smiritius, procerum haud postremus, consiliorumque vtriusque factionis conscius, dat literas ad Ladislaum sua manu in hanc sententiam scriptas: [a] Placet vt in regnum quàm primùm venias, sed non sine copijs & armis, si modò regnare in Boiemia cupis, & viuere. Has literas Ladislaus puerili videlicet animo Comiti tradidit: illeque perlectas, ad Georgium in Boiemiam remittit. Nec is moratus, illas in concilium procerum, in quo Smiritius quoque aderat, secum affert, suppressoque authoris nomine, sensum illarum cum magna indignatione recitat. Omnibus supplicium eum meritum, quisquis literas scripserit, censentibus, rogat seorsum Georgius Smiritij sententiam, illo respondente simpliciter, tanquam facti huius ignaro: Quid aliud hac in re censeam, quàm quòd cæteri omnes. Obtrudit illi literas, iubetque signum & manum agnoscere, ac statim eodem die supplicio capitali afficit: de alieno cautiùs quàm de suo capite curiosum. Vidit ista Ramnusia illa Nemesis, quæ insolentiam fortunæ arrogantiamque punire solet, ipsumque Comitem, qui literas prodidit, repentè de statu illo suo florẽtissimo ita deiecit, vt ei adnitenti Eyncigero, aulæ omnibusque aulicis honoribus, & ipsa Vienna vrbe interdiceretur: & nisi ab Alberto Marchione Brandeburgensi ad portam vsque vrbis deductus fuisset, lapidatus erat. In exilium ad paternum solùm proficiscentem, quatuor tantùm equites comitati sunt, cùm aliàs frequentiore satellitio quàm ipse rex cingeretur. Tantò intentius Austriaci curabant, vt illo absente maximo hominum equorumque apparatu Ladislaum in Boiemiam deducerent.

*Capitis supplicio Smiritius affectus.*

*Vlricus Cilienfis Comes aula & Vienna urbe pellitur.*

[a] *Smiristhæi epistolæ exemplum ex Syluio Bonfinius:*

*Venturum te quamprimùm in regnum tuum probo, si modò veneris imperaturus, non pariturus: inermem impotentemq; te intrare non laudo nisi bicipitem te fortè mater pepererit, vt ex duobus vnum Viennæ apud amicos dimittas, alterum dubiæ Boiemorum fidei caput temerè credas: vale.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER VIGESIMVS NONVS.

*Ladislaus Alberti Cæsaris filius xiij. rex Boiemiæ.*

Ladislao nobilitas Boiemorum cum Pragensibus ad fines Boiemiæ obuiam progressa, iuramentum ei de more offert, quo præstito, capita dein libertatum ab omnibus ordinibus missa exhibet, submisse orando, vt illa de regia clemẽtia & liberalitate rata habere & approbare dignaretur. Benignè respondet adolescens, se, quæ pater auusque suus Boiemis indulserint, cuncta illis integra præstare & confirmare velle, ita vt de se nemo iustè queri possit. Agunt gratias Boiemi, gratulabundique Regem comitantur ad sedem regiam, omni commeatu instructissimam, vt tantò lautius hospites, qui ad solennem coronationis diem inuitati

*Ingressus Ladislaus in Boiemiam.*

uitati erant,acciperentur. In ipso introitu vrbis Magister Rokyczanus cum suis officij gratia in conspectum prodijt,Regemq; salutauit, sed eum Rex valde frigidè resalutauit. At occurrente ex arce Pragensi sacerdotum cœtu cum sanctis reliquijs, ipsos sacerdotes hilari ore affatus est, reliquias verò veneratus & osculatus, haud æquo animo ferente aduersa factione. Quæ factio nihilominus tamen post acceptum statim diadema, quod Ladislai capiti Dionysius Strigoniensis Cardinalis imposuit,Regem adijt, per Georgium, illum promissorum admonens, quorum non vltimum esset,de corroborando Rokyczani Archiepiscopatu. Dat ille negocium Georgio vt protinus curet,vt legatio Romam ad conficiendam rem mittatur. Qui missi erant, retulerunt, Pontificem Romanum decreuisse legatum suum in Boiemiam legare, qui præsens inspiciat, an pacta concilij Basilienſis à sacerdotibus seruentur: illo comperto, facturum officium suum, vt Boiemis Archiepiscopum constituat, non qui hunc honorem ambiat,sed qui dignus officio illo existimabitur. Optimam ea tempestate famam in concionibus ad populum faciendis Iohannes Capistranus,natione Italus, professione Franciscanus Minoris ordinis obtinuit,summa homini dicendi facultas, incredibilis memoria, vitæ sanctitas rara,mirumque studium in vitijs insectandis,& corrigendis erroribus. Hunc allegare Boiemis,qui cuncta apud illos exploraret, quique concionibus suis deuios in viam reduceret, Pontifici Romano summè placuit. Antè ille tamen in Morauiam diuertit,mansitq; Olomucij apud sodales suos haud parvo tempore,docens populum tanta celebritate frequentem, vt illum vel capacissimum templum non caperet, sed necesse habuerit in foro sermocinari, duobus semper assistentibus interpretibus, altero Boiemo, altero Germano, qui ea,quæ Latinè diceret, vernacula lingua pronunciarent. Dicebat autem contra Rokyczanum, communionem vtriusque speciei, quod ad idiotas attinet, non esse ex veritate præcepti Euangelici: nec licere cuiquam ritum ab ecclesia cum bona ratione introductum ausu temerario mutare. Quæ audiens Venceslaus à Boscouicze,inter proceres Moraviæ magnæ authoritatis, vale Hussitis dicto,rursus veritatem Romanæ sedis cum duobus subditorum millibus amplexus est. Huius postea filius nomine Prothasius omnibus ad vnum suffragijs Pontifex Olomucensis declaratus fuit. Rokyczanus irritatus, tam multa apud Morauos Capistranum posse,vt ipsos quoque proceres quò velit sermonibus suis ducat & impellat, ad disputationem eum prouocat,definitis certis quibusdam locis,sibi valde idoneis. Contrà Capistranus Olomucium illum aut Brunnam inuitabat,tanquam ad ciuitates vtrique accommodatissimas. Illo tergiuersante, iter in Boiemiam tetendit,venitque Crumloviam,Procerum Rosensium oppidum, & inde mox abit,vbi percepit literas à Georgio gubernatore ad Vlricum Rosensem esse scriptas, ne oppido reciperetur. Cæterùm à regijs ciuitatibus, Pelsina, Ponte,Cadana,cupidissimè honorificentissimeque fuit exceptus, & pro sancto ab omnibus viris probis habitus,quoniam sancta inculpataque & diceret & faceret. Ergo cùm aliter illi Rokyczanus nocere haud posset, ad calumnias conuersus,professionem monachi ei quasi probrum obiectabat,hypocritam seductoremque populi,& pacis interturbatorem appellabat. Ipse interim Pragæ fretus potentia gubernatoris,authoritatem sibi Archiepiscopi inter suos omni modo vsurpabat. Pro quo beneficio,vt gratiam illi referret, honoremque inuicem illius apud Pragenses amplificaret,diem eum,quo ille Praga per proditionem potitus est, alio tamen palàm festiuitatis titulo inducto, festum & celebrem indicit,mandatque omnibus sacerdotibus, vt postridie manè ad incundam solennem processionem præstò sint omnes. Gestat ipse(dum per plateas veteris,nouæq; ciuitatis proceditur)diuinam eucharistiam, veniensq; ad portam, quà Geor-

*Hußitis nullus à rege honor habitus.*

*Coronam accipit Ladislaus anno 1452. die Simonis & Iudæ.*

*Vrgent Rokiczanæ præsulatum.*

*Iohannes Capistranus à Nicolao V. P. M. Boiemis conuertendis delinatus.*

*Summa doctrina Capistrani quã professus est Olomucij.*

*Venceslaus à Boscouiz in uiam reductus à Capistrano.*

*Prothasius Episcopus Olomucij 37.*

*Rokyczanis disputationẽ Capistrano offert.*

*Probris Capistranum insectatur Rokyczanus.*

*Dies occupatæ Pragæ fit solennis.*

gius in vrbem clam intromissus est, hymnum victoriæ, Te Deum laudamus, canere incipit, deflectitque inde ad domum regiam, prospectante Rege è fenestra, sed neque caput nudante, aut inclinante, aut vllum alium honorem solitum habente, adeò vt sui quoque illum tanti contemptus arguerent. Quibus ille: An ego, inquit, vobis tam venerandum omnibus Christianis sacramentum contemnere videor, quem cotidie illud per rem diuinam cernuum, prostratumque adorare cernitis? Sed non erat hîc venerationi eiusmodi locus, ne dum Christi corpus honoro, simul approbare sacrilegum sacerdotem putarer. Cæterùm altius hæc res parti alteri adhæsit, quàm vt euelli vel probabili excusatione potuerit. Nec minorem paulò post inuidiam sibi mouit, dato præsidi aulicorum mandato, vt sacrificulum factionis Rokyczanæ, qui locum sacrificandi in eo sacello, in quo Rex sacris adesse solebat, occupauerat, nec idem cedere legitimo sacellano volebat, abstractum ab aris de proxima rupe præcipitaret, quanquam ille saluti suæ fuga consuluerit: durauit tamen inuidia apud Pragenses, vt non multum dolerent de discessu illius, quem in Sleſiam ad exigenda à Ducibus Sleſiæ debita regibus officia parabat. Constituto igitur Pragæ in vtraque ciuitate per semet, vt moris erat, senatu præsidibusque regno duobus præpositis, Sbincone Lepore, & Henrico Strazio, cum Georgio gubernatore Vratislauiam profectus est, vbi præterea sponsalia consumauit, desponsa Elizabeth sorore sua Casymiro Regi Poloniæ quam vt ad diem, qualiter oportuit adornatam, in Poloniam mitteret. De Sleſia in Austriam se transtulit, Comite Ciliæ ad omnem occasionem vigilante, per quam reconciliari Ladislao posset. Cui fortuna semper mutabilis adeò non est aduersata, vt nescias, contumelioſius ne eum paulò ante Vienna eiecerit, an glorioſius reduxerit. Quatuor clientuli eiectum comitabantur, reducem mille equites, phaleris, armis, auro, argento conspicui deducebant. Ipse Rex cum proceribus venienti obuiam extra vrbem factus, honorem vt auunculo habuit, restitutumque in pristinum dignitatis gradum, gubernatorem Austriæ constituit. Vnde rursus inter triumuiros, Hunniadem, Podiebradium, Comitem, inita societas plus valuit, quàm iuuenis Regis imperium. In hoc fortunæ ludibrio Eyncingerus tempestiuiter cũ amicis elapsus, quod vix sperandum erat, id industria sua assecutus est, vt apud Cæsarem, quem grauissimè offenderat, rursus se in gratiam reponeret, ne sibi, etiamsi vellet, aduersarius nocere posset. Funestissimum hoc tempus atq; infaustissimum Christianis, expugnata à Mahometo Amurathis filio, Constatinopoli incidit, adeò vt in præsens quoque animus horreat, recordatione tam luctuosi funeris, quo tot Christianorum in tanta[a] vrbe millia cædibus Turcarum funerata aut in sepulta fuerunt. Dum enim omni sæuitię genere in omnes, spurcus ille & immanis hostis desæuit, nullum pietati, nullum misericordiæ, nullum precibus inermium, seque vltro dedentium locum relinquens, sed passim vt quemque sors obtulerat, sine vllo militum populique discrimine sternens, pueros puellasque rapiens, & inter raptus ætate illarum abutens, sacras virgines incestans, honestas matronas ludibrio habens, seque & suos, quibus ciuitatem in prædam dedit, ad omne libidinis sanguinisque facinus impellens. Hoc interim dolo in delenda quoque nobilitate vsus, vt palàm pronunciaret, Nobilibus fieri potestatem pecunia redimendi salutem, libertatemque suam. Quo illi lenocinio illecti, ex latibulis in apertum prodibant, captique, & ad Mahometum adducti, in conspectu eius crudelissimè trucidabantur. [b] Allatum postremò & caput Constantini Imperatoris, intra portas oppressi ei fuit, quo ille viso, hasta illud affigi, & ad terrorem Christianorum per omnia castra circumferri iussit. Vertit deinde ab hominibus ad numina violanda rabiem, aliorum enim aras diruit, aliorum ossa & reliquias canibus suibusque obiecit, aliorum

*Rex nullum honorem defert sacrificulis Hußitarum.*

*Hußitam sacerdotẽ rex ab ara deturbari iubet.*

*Magistratibus Boiemorũ constitutis, in Silesiam pergit Ladislaus.*

*Anno 1454. sexta Decemb.*

*Casimiro regi Poloniæ pacta soror Ladislai.*

*Vlricus Ciliæ comes fortuna in melius mutata redux dignitati pristinæ restituitur.*

rum imagines luto & stercore fœdauit. Templa verò illorum adeò profanauit, vt lupanaria meretricum in illis & stabula equorum constitueret. Id porrò omnium acerbissimum atque impijssimum, quòd cùm ipsi Christo, à quo Christiani censentur, aliter illudere Turcæ nescirent, sublato è templo Sophiæ illius simulachro in formam crucis transformato, omnibus illud modis, quibus quondam impia gens Iudæorum, illudendum susceperunt, denuò Christum, quantum in illis fuit, patibulo affigentes, addito furcæ elogio: Hic est Christianorum Deus. Agnoscimus libenter, ô impij, Christum esse Deum & Dominum nostrum, simulque confitemur, tam miserandam tantæ vrbis ruinam secundum peccata maiorum nostrorum contigisse, dum viam disciplinamq; Domini non tenerent, nec vnitatem ecclesiæ Christi seruarent, sed vana animi elatione & ambitione inflati, illam temerè scinderent, sibimet mercenarium pro legitimo pastorem constituentes, cum quo extra pascua tota via errarent. Ab hoc successu Mahometes in Hungariam expeditionem plus quàm biennium apparare cœpit, quo magis instructus ab omnibus rebus ad bellum pertinentibus esset, Hungaris crebrò ad Ladislaum Viennam concursantibus, petitum vt Budam reuisat, rebusque suis & regni consulat, præsertim magnis impendentibus & periculosis motibus, vt omnes intelligant, salutem fortunasq; & liberos ipsorum Regi suo esse charissimas. Liberaliter legatis per Comitem responsum: Affuturum breui regem, ipsumque communiter cum illis regni negocia veteri regum consuetudine curaturum. Nam si quis alius plurimum, plus adhuc Ciliæ Comes cupiebat, vt Hunniade de gubernatione deiecto, regimen ad Regem perueniret, quem ipse Comes regebat. Facilè autem Comiti erat, dare verba iuueni Regi, sed difficile annosa vulpis, qualis Hunniades erat, laqueo capi solet. In hanc autem suspicionem apud Regem Comes Hunniadē adduxerat, vt suspectus haberetur tanquam regni æmulus. Quippe sine Regis imperio in arces & oppida regia inuaserat, vectigalia regni vsurpauerat, homines, arma, equos in potestate sua habuit, ac solo nomine excepto, Regem potentia gerebat. Ne igitur Ladislaus velut pictus adumbratusque rex Hungariam introiret, suadebat ei Comes, vt prius Hunniadem sub colore aliquo Viennam euocaret, euocatumq; caperet, atq; in carcerem conijceret. Rara in aulis taciturnitas inter tot linguaces, qui linguam suam feliciorib. libenter venditant. Ab ijs Hunniades de insidijs certior factus, cùm accepisset literas euocatorias, rescripsit, se intra regnū obedienter Regi apparitum, vltra fines progredi non esse obnoxium. Ergo rursus vt ad fines appareat vocatur. Venit duobus millibus equitum delectorum stipatus, obtulitque in campo colloquium. At Comes eum in castellum, quod præsidio munierat, pertrahere conabatur, nobilitatem & cum Rege cognationem obtendens: contrà Hunniades magistratum suum ei opponens, cui Comes quoque in Hungaria cedere loco cogeretur. Ita per rixam & mutuum metum re infecta vtrinque discessum. Mox Hunniades de consilio amicorum arces nonnullas Regi sua sponte restituit, atq; cum illo de securitate pepigit, antequam Budam introijt. Budæ de nulla re prius crebriusq; quàm de bello Turcico consultatum fuit, accurrentibus alijs post alios nuncijs, terribilia de copijs Mahometis eiusq; minis nunciantib. quo modo videlicet regno Hungariæ par exitium atq; imperio Costantinopolitano interminaretur, paratamque se iam victoriam habere iactaret. Factum senatusconsultum, vt oratores ad Romanum Pontificem (Calixtus Pontifex erat) mitterentur, oratum, vt curā adhortandi Christianos Principes ad ferenda contra Turcas auxilia sua authoritate susciperet, quando Hungarorū precibus clausas illi aures haberent, spe tantùm & vanis promissis Hungaros lactantes. Nihil in Calixto defuit: nam ipse continuò sedecim triremes, quibus maritima hostium

*Immanis rabies Turcarū tam in res sacras quàm profanas.*

*Apparatus Mahometis in Hungariam.*

*Regem suum uocāt Hungari*

*Simultates inter Comitem & Huniadem.*

*Patulæ susurronibus regiæ aures.*

*Gubernator à rege euocatus regni limites excedere non uult.*

*Eluduntur insidiæ Cilienſis.*

*Rex Ladislaus Budam uenit Anno 1456. 13. Februarij.*

*Calixtus III. pontifex in bellum Turcicum Christianos principes accendit.*

vexarentur,aduersus Turcas transmisit,& Caruaiam S.Angeli Cardinalem in Hungariam ire iussit, qui vnà cum Capistrano ad commouendam miserationem ad vnguem facto, quantum numerum possent militum cruce signatorum conflarent.Eorum pars vix tertia armis militaribus instructa fuit,cætera turba, vt mos in Hungaria habet, falces, & sudes portabat. Vis autem tota in exercitu regis erat,quem sibi raptim ex regnis suis contraxerat, cui Huniadem præfecit,sed nihil cum Turcis simile, qui omnes circum Bellegradum,à veteribus Taururum appellatum, campos & agros innumerabilibus copijs compleuerant. Non eo tamen territi, quia pauci erant,ferre obsidionem fortissimo animo Huniades & Capistranus, qui suis cruciferis signum crucis præferebat,decreuerunt. Nam Rex consilio eiusdem Huniadis Budæ substiterat. Idem paulò pòst suasu Comitis per speciem venationis Buda elapsus, Viennam ad locum tutiorem se contulit.Mahomethes, quia primo impetu quemadmodum sperauerat Bellegradum non cepit,sed prẽter castra nauium quoque stationem, quam in Danubio habuit, vt ab obsessis peti turbariq; vidit,dentibus infrendens gemitu,tantulum oppidulum sibi ad cętera quæ conceperat peragenda impedimento fore, admoueri mœnibus ænea tormenta, quorum neque plura neq; maiora vnquam aliàs habuisse dicitur,iussit, murosq; & turres sterni, diruiq;. Deinde per strata ruinis,tota suorum mole aggredi obsessos impellit. Ingens mali vis Christianos vrgebat,multitudine Turcarum nimis premente: sed mirum dictu, quòd pauci nulli malo cedebant, præsertim cum oppugnatio per diem noctemq; continuata fuerit, sed illam Christiani tam strenuo atque constanti animo cum Huniade & Capistrano ducibus suis,egregiè munera ducum pro functione vterq; sua fungentibus, sustinuerunt, vt ad extremum hostes maxima strage prostratos à mœnibus repellerent. Inter autem duces reddendus est militi quoq; Boiemo debitus gloriæ titulus,qui cùm vidisset Turcam cum signo vexilloque Turcico murum iam conscendisse,eoq; metu plerosque militum perculsos,fugam in arcem parasse,complexus lucta Turcam, rogat Capistrannm inferius stantem. Si,inquit,sponte mea cum cane isto me de muro præcipitauero, illi commoriturus, quid de anima mea censes futurum? Illo respondente, Saluam sine dubio fore: eiecit se protinus & Turcam, morteq; hostis & sua vitam socijs incolumem reliquit, ita vt persequi quoque Turcas fugientes, rebusque illos suis spoliare auderent,quæ ab igne manserunt integrę.Tanta namq; post rem malè gestam Mahometis animum desperatio inuasit,vt castris,quæ facilè tueri poterat,ignem subijcere indeq; fugere maluerit:illum inter alios insequente signifero cum signo crucis,quod signum ille nuper contumelioßissimè tractauerat, vt maiore vicissim contumelia ipse confunderetur. Memor enim Dominus erat opprobriorum eorum, quæ ab insipiente fiunt tota die. Sed nec amplius idem cladis ignominiæque suæ obliuiisci potuit, quin ad mentionem illius barbam manu demulcens, & caput quassans, pugnam diemque fuerit detestatus, qua cum Christianis cerramen ad Bellegradum inierat, & plus quàm centum ænea tormenta raræ magnitudinis illis reliquerat. Certè, quæ ex ijs Budam aduecta in arce vsque ad Ludouici Regis obitum iacebant, facilè certare de magnitudine cum alijs huius ætatis,ac vincere illa poterant. Modico post hanc victoriam interiecto tempore, glorioßi victores, quemadmodum in vita se dilexerunt,ita in morte non sunt separati. Prior Huniades, procurante funus eius Capistrano obijt: mox ipse Capistranus in choro suorum sodalium,inter hymnos Deo decantatos,senilem emisit spiritum. Porrò Huniades duos superstites filios reliquit, Ladislaum atque Matthiam, Ladislaumque Bellegrado cum firmissimo militum præsidio præfecit. Is Regem Ladislaum cognoscendi loci pugnæque cum Turcis initæ auidum illò venien-

*Alba Græca uel Nandor alba à Mahomete oppugnata defensoribus Huniade et Capistrano 13. Iunij anno 1456.*

*Boiemi militis uirtus.*

*Mahometes repulsus à Belgradi obsidione.*

*Iohannes Huniades obijt 10 Septembris. Capistranus 26. Octobris: ille in Alba Transsyluanica, hic Vylaci sepultus.*

nientem cum purpuratis & alijs insignioribus aulicis intromisit, cæteram turbam (ad quatuor millia hominum erant) tentoria extra mœnia tendere iussit, Comite indignante, quòd suum militem intra oppidum contineret, regium autem foras extruderet, vnde vetus inter eos simultas paternaq; offensio recruduit, ita vt vterque ad primam occasionem ad omne facinus vi deretur esse paratissimus. Fortè Comes dum cubiculum egreditur, obuiam fit Ladislao Huniadi iræ impatienti, sed nec ipse illius continens: subitò igitur post rixam ad gladios, Comes duos Ladislao digitos amputat, Ladislaus Comitem loricatum frustra ferit, donec illum accurrentes Hungari crudeliter interficiunt. Nullus magis acerbus casus Regi contingere potuit, tam alta in iuuene tamen animi moderatio fuit, vt summum illum dolorem intra se penitus cõtineret, mœstitiamq; nec invultu ostenderet, nec proderet gemitu, deniq; non dubitauit (quoniã ita Hungaris videretur) Comitem, qui loricatus inter togatos incedere ausus fuerit, iure cæsum profiteri. Cæterùm omnem exequiarum honorem auunculo habuit, iussitque funus Ciliam efferri, vt in maiorum suorum conditorio conderetur. Nec vltrà Bellegradi moratus, Budam reuertebatur, comitantibus eum Ladislao & Matthia fratribus vsque ad arcem Hunniadam, in qua mater eorum vidua mœrore anxia delitescebat. Mira rursus animi indoles in tam tenera Regis ætate emicuit, postquam arcem ingressus, omnia ibi luctu plena, ipsamque viduam lacrymabundam, ac veste lugubri indutam vidit, quanquam ipse satis mœstus, reuocare tamen illam à mœrore ad lætitiam incipit. Eam, inquiens, mortem esse dolendam & deflendam, quæ vitam penitùs auferat, non verò illam, quæ nos ad meliorem vitam transferat. Maritus, inquit, tuus vtique etiamnum viuit, & cum Christo procul dubio regnat, qui pro Christo tot se periculis obiecit, maxima interim solatia tibi relinquẽs, Ladislaum istum & Matthiam filios, quibus quoties volueris refici poteris: anteuertãt igitur luctib. gaudia quibus maritus fruitur, vt simul cum illo gaudere videamur, ac protinus funebris iste habitus deponatur: mandatque aurum, purpuram, sericum afferri, & per totum Gynecæum distribui. Mutata veste læti omnes ad epulas & conuiuia dilabuntur. Quibus rebus vehementer exhilarati, suique velut iam valde securi Hunniades, Budam ambo regem prosequuntur. Ibi Regem, qui à consilio ex ipsis Hungaris quoque præcipui erant, circumsistunt, audaciamque Ladislai commemorant, indignamque Comitis atque crudelem mortem deplorant, & si inulta diutius manserit, quónam euasura sit ostendunt, ante oculos fastum Ladislai ambitumq;, incessum, & clientium apparatum proponentes, quo potentiam Regis iam complecteretur, nomen tantùm remitteret, quod auidissimè concupisceret. Ad quæ Rex: Viderent, ne quid ipse regnumque detrimenti caperet, sibi eam facultatem non adesse, vt æmulum maiore factione subnixum in potestatem suam redigat, quando nullos ad manum armatos habeat. Bonum animum habe Rex, inquit Palatinus regni, Ladislaus Garai cognominatus, cuncta adsunt, postquam Giscra adest, qui ex altera Danubij ripa in oppido Pestho diuersabatur, præpositus ei numero externorum, qui Regem in itinere comitabantur. Hic admonitus vt occultus cum fortissimis in arcem penetraret, in vestibulo arcis Ladislaum Hunniadem comprehendit, & cum eodem Episcopum Varadiensem, Sebastianum Rosgonium, Ladislaum Canisium, & quosdam alios ex eadem factione proceres. De Hunniade capitale sumptum supplicium, Carnifice succlamante: Sic perire illos, qui suis dominis sunt rebelles. Cæteri in carceres coniecti, quibus ruptis breui pòst inde euasêre omnes. At Matthias adolescens Ladislai frater, adhibitis custodibus, Viennam cum Rege adductus est, ibique sub custodia habitus. Duodeuigesimum ætatis annum Rex attingere inchoabat, matrimonio satis habilem; de

*Ladislaus Albam Græcam inuisit.*

*Simultates paternæ in liberis conspicuæ.*

*Læsa fit furor sæpius patientia.*

*Comes Ciliæ obtruncatus.*

*Absoluuntur Regis sententia sicarij.*

*Viduam Hunniadianam consolatur rex.*

*Patrocinium suscipit rex liberorum.*

*Fratres Hunniades regem Budam deducunt.*

*Consilium de Ladislao interficiendo.*

*Ladislai Garæ filiam ducturus erat Ladislaus.*

*Giscra Ladislaum capit & complices.*

*Capite plexus Ladislaus Hunniades ætatis anno 26.*

*Matthias Viennam in carcerẽ detrusus duodecim annos natus.*

quo maturè conciliando sæpius aliàs inter se Hungari, Boiemi, Austriaci differebant: tum verò in concilium Viennam coacti, sententiam suam regi palàm aperuerunt, placere omnibus dicentes, vt Rex ducat vxorem, hoc solùm scilicet ac maximè necessarium restare ad consummandam regnorũ felicitatem, vt videant ex Rege suo liberos procreatos, qui ius succedendi legitimum in regno habeant. Quo audito Rex, haud sanè alienus à re vxoria, iubet illos hanc quoque sententiam promere, quæ nam ei sponsa, & ex qua domo esset eligenda, vt eò melius secum de matrimonio deliberare posset. Vna rursus voce omnes nobilitatem, formam, opes, Magdalenæ Regis Galliarum filiæ prædicare, nec aliam digniorem connubio nobilissimi Regis ostentare, nihil dubitante Rege, quin illam cæteris præferret, sed maximè ambigebatur de loco nuptijs legendo. Hungari Budam, Boiemi Pragam, Austriaci Viennam appositissimam ad eam celebritatem peragendam esse contendebant, qua in re non satis conuenientibus, in aliud tempus dilata fuit consultatio. Interim grauissima inter Fridericum Cæsarem & Ladislaum Regem dissensio amicissimè cum ingenti Austriæ commodo & vtilitate composita fuerat. Quæ Georgius Gubernator audiens, cum octingentis expeditis equitibus in Austriã ire properat, habere se arcana, inquiens, nemini nisi Regi credenda. Iussus trajicere Danubium, atque vrbem ingredi, vt coràm quę vellet, Regi in aurem diceret, Viennam sibi suspectam esse respondit. Feruntq; inde ei ortam suspicionem fuisse, quòd clanculum inaudiuerit, chirographa post interitum Ladislai Hunniadis non pauca eorum esse reperta, qui cœpta consiliaque aduersus Regem eiusdem Ladislai approbabant, inter quæ Georgij quoque chirographum extare aiebant. Veritus itaque ne inauditus, indictaque causa, aut inimicorum suorum factione, quorum plerique tunc in aula Regis erant, periculum aliquod adiret, ex tuto alloqui Regem destinauerat. Id verò maximè indignum cunctis videri, exigere à rege, vt contra maiestatem suam extra mœnia ad subditum suum prodeat, nugas fortasse illius auditurus. Rex nihilominus authoritate gubernatoris, quam sibi in Boiemia apud factionem potentiorem conciliauerat, motus, sepositò dignitatis respectu, seruire tempori in animum induxit, sibique tentorium non procul à Gubernatore constitui iussit. Ad tria ferè millia equitum Regem prosequebantur, sed inermia, colloquiumque in diem quartum protractum est, pernoctante rege semper in vrbe. Ac cæteris quidem diebus, sermoni vtrinque habito, duo ex consilio regis testes affuerant. Quarto, exclusis omnibus arbitris, quid inter se collocuti fuerint, id scilicet ipsi nouerant. Verùm quia vultu vterque turbido & indignationis manifesto ex tentorio discesserant, ex ea re statim innotuit, Gubernatorem cum Rege egisse de nuptijs in Boiemia celebrandis, & postquam non impetrauit, indignabundum minabundumque abijsse. Pœnitentia mox rex ductus, quòd illum malè animatum, qui ipsas quoq; nuptias impedire posset, à se dimisisset, reuocari illum mandat, & si pertinax in proposito abeundi fuerit, polliceri aduentum suum Pragam, ibidemque nuptias celebraturum. Introeunti cum insigni pompa equestrium pedestriumq; copiarum Pragam, Nicolaus quidam ex eorũ numero, qui pronunciandi scientiam ex decretis astrorum profitentur, malè faustum ingressum planeq; stellæ crinitæ regibus horrendæ, quæ eodem anno apparuit, congruentem pronunciauit, quale vaticinium apud paucos curam, apud reliquos risum, velut vanitate plenum excitauit. Omnisque solicitudo omnium, ac maximè regis intenta fuit in apparatum nuptiarum, vt quàm splendidissimè atque ornatissimè illæ quamprimùm adornarentur. Ac sine mora decretum vt leti ad Carolum Galliæ regem pro adducenda in Boiemiam sponsa omni rerum copia instructi proficiscantur. In ea legatione primas partes tenuerunt

*Deliberatio de regio cõiugio.*

*Magdalena, alijs Margaretha, Caroli VII regis Galliæ filia sponsa regi eligitur.*

*Georgius gubernator non nisi data fide publica regẽ extra Viennã cõpellare uult.*

*Colloquium regis cum gubernatore.*

*Offensum gubernatorẽ Ladislaus placat.*

*Ladislaus in Boiemiam.*

*Astrologi præsagium.*

*Legatio in Galliam pro sponsa.*

Vdalri,

Vdalricus Patauinus Episcopus, & alter quidam ex Hungaria Episcopus, tertius Zdenco Sterenbergius, magnificentia clarus. His additi septingenti equites, vno colore vestiti, matronæ ac virgines gemmis vnionibúsque exornatæ. Quadrigæ auratæ, atque octoginta equi candidi, & præterea alia dona, & dante & accipiente digna, sponsæ missa sunt. Iniunxerat item Rex Helcelio, quem à secretis intimum habuit, vt Zdenconi quadraginta millia auri pro viatico adnumeraret. At ille à Gubernatore, cui haud bene cũ Zdencone conueniebat, persuasus, viginti tantùm millia repræsentauit, quam summam Zdenco ne attingere quidem voluit, sed stomachabundus regem adiens, aut integrum viaticum aut nullum repetebat. Ita profectò, inquit Rex, iusseram, vt tibi in solidum summa redderetur, sed pereat Helcelius, si quid de illa defraudauit, tibi ne quid desit curabimus. Interim Helcelius iratum metuens regem, in alienas incidit manus, regeque inscio tortus, occultiora quædam regis consilia Georgio prodere coactus fuit. Delecti mox & alij legati, qui hospites ad nuptias inuitarent, Cæsarẽ in primis cũ coniuge Leonora, dein regem Polonię, qui vnam, & Vilhelmum principem Saxonię, qui alteram Ladislai regis sororem in matrimonio habuit, postea Bauariæ Rhenique principes & Marchiones Brandeburgenses vocati. Trabesque & asseres Pragam conuecti, vt ex illis theatrum & orchestra extrueretur, in quibus ludos spectarent, & cum tripudijs subsultarent. Allatæ etiam tunc ex Gallia literæ, significantes, quàm amplissimo honore, quantaque liberalitate opulentissimus Rex legatos Boiemos tractaret. Ad hæc tantam ibi adesse principum illustrium frequentiam, quantam antea nunquam vidissent, horumque maiorem partem in Boiemiam venturam. Hîc demum animo fluctuari Gubernator ac serò perpendere, infinitas in hospites non sine graui onere regni futuras impensas. At Rokyczanus aliud magis periculum vereri, ne scilicet tot Christiani principes, ad abolendas Boiemorum sectas tanto studio Pragam venire festinarent. Inter hæc subito languore tentari Rex, ipseque de recuperanda salute modicam spem habere, vt ex verbis eius patuit. Nam cùm Hinco à Vetouia, vnus de consiliarijs, regi ad fenestram stanti, nondum abstersis lacrymis interuenisset, ac mœroris causam requisiuisset, non sine gemitu respondisse dicitur, mortem sibi certam instare, ne quam tamen cæteris suspicionem infirmitatis daret, more solito cœnauisse, & cum purpuratis satis hilares sermones in multam noctem miscuisse. Eunti deinde in cubiculum, rappulas, cuiusmodi cibi auidissimus erat, oblatas fuisse, à quarum esu totam noctem cruciatu doloribusque vigilem exegisse, nihil amplius medicis proficientibus, donec post sex & triginta horas, quàm ægrotare cœpit, sanctam innocentemque animam Deo optimo traderet. Cruditate ne an veneno extinctus fuerit, illo statim tempore inter medicos variatum fuit, quibusdam illam accusantibus, cæteris manifesta veneni signa se deprehendisse fatentibus: sed quis incerta audeat pro certis affirmare? Illud palàm fuit, etiam ab ijs qui suspecti habebantur, mœrore tristi completam fuisse domum in qua funus iacuit, quippe in vrbe, non autem in arce obijt, in qua deinde regia pompa elatus, iuxta Carolum Cæsarem proauum suum, tanto ploratu eiulatuque conditus est, vt totum templum Diui Venceslai lamentis & planctibus personaret. Maxima pars immaturam inexpectatamq; adolescentis adhuc regis mortem deplorabant. Multos regni quoque ipsius miseratio subijt, quod desertum certo hærede ad nouas rursus calamitates expositum cernebant. Aduenæ verò omnes communem reipublicæ Christianæ fortunam quasi vnà cum Ladislao intercidisset, ante alia dolebant, vt qui cognitum haberent, tot & tantos principes non tam ad ornandas sua præsentia nuptias, quàm ad consultandum de expeditione contra Turcas suscipienda venturos fuisse. Hæc igi-

*Munera splendida.*

*Helcelius secretarius dimidium uiatici numerat iussu gubernatoris.*

*Conuiuæ inuitantur ad nuptias.*

*Boiemi in Gallia benignè excepti.*

*Malè sibi metuit Rokiczanus ob aduentum tot principum.*

*Ladislaus rex moritur Pragæ anno 1457. 23. Nouembris ætatis 18.*

*Luctus ingens ob regis mortem.*

tur omnia crudele mortis fatum disturbasse, tantamque spem & certissima regni Galliæ præsidia ad nihilum adduxisse, victi dolore tantũ non impiè querebantur. Porrò Gubernator funerato rege ab exequijs, eodem confestim die omnes ordines in domum Regiam seuocat, & ad illos refert, magistratũ suum per obitũ regis, qui in diem Clementis inciderat, nõ esse extinctum, quoniam ita sibi à rege mandatum fuerit, vt in administrando regno vsque ad Pentecosten perduraret. Subticentibus alijs, Pragenses sine vlla dubitatione gubernationi eius se commiserunt, deinde amici & fautores, cæterorum silentium pro approbatione acceptum. Et quis armatis circumsepto apertè contradiceret? Idem Gubernator ea hora qua Rex emisit spiritum, detracto ei annulo literas Viennam ad Matthiam Hunniadem scripsit, vt eum sub spe libertatis assequendæ Pragam eliceret. Quippe hac conditione alligatus erat, ne liber fieret, nisi Rex ipse manu sua ei oblata, liberum pronunciaret. Proin facilè eius modi illecebra iuuenis illectus, Pragam cum deductoribus venit, ad nouam custodiam illum deducentibus, ex qua (nisi magno precio se redimeret) exeundi potestas non aderat. Missi præterea in Galliam ad legatos nuncij, qui illos domum, siue negotium confectum, siue adhuc infectum fuerit, reuocarent, sponsa in Gallia relicta. Hoc nuncio prorsus inexpectato vehementer tota regia conturbata fuit. Quippe cuncta, quorum gratia legati venerant, melius etiam quàm sperauerant, cum rege Galliæ transegerunt. Omnes denique iam in procinctu erant, tanquam postridie abituri, qui sponsam in Boiemiam deducere debebant, ingens is & illustris comitatus fuerat. In hac omnium rerum confusione Zdenco Sterenbergius sumpta audacia Regem Galliæ adit, secum afferre dicens, quibus præsens ista eius animi ægritudo sanari queat, promere iussus remedia: Da, inquit, alterum ex filijs regem nobis Boiemiæ atque Hungariæ, postquam regnum vtrumque hærede careat: longè maiora per hæc quàm perdidisti assequi poteris. Demulctus istis, & planè persuasus rex, legatos super hac re in Boiemiam mittere non procrastinauit.

*Prorogari petit Georgius potestatem gubernandi.*

*Matthias à Georgio Pragam uocatur.*

*Reuocati oratores in Galliã profecti.*

*Galliæ rex ambit regnũ Boiemiæ, persuasus à Sterẽbergio.*

[a] *Constantinopolis à Mahomete 2. Turcarum Imperatore expugnata anno 1453. 29. Maij, ab vrbe à Constantino condita anno 1122. & mense tertio.*

[b] *Flauius Constantinus XV. Palæologus Manuelis iunioris filius, in quo desiit imperium Orientis.*

[c] *Nicolaus V. mortuus dicitur reliquisse in bellum Turcicum 1200000 aureorum.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER TRICESIMVS.

*Potentes multi candidati circa regnum Boiemiæ. Cæsar, Albertus et Sigismundus Austrij, Casimirus rex Poloniæ, Vilhelmus dux Saxoniæ.*

NVnquam maiore, quàm tum ambitu comitia regis creandi in Boiemia caluerunt, adeò multi magnique competitores erant, qui illa calefaciebant. Cæsar in petitione sua, ius, quod nunc feudatarium vocant, à Ladislao neglectum & contemptum prætendebat. Mox Alberto aut Sigismundo Austriæ ducibus, ex antiquo fœdere inter Boiemiæ & Austriæ principes icto, regnum illud alteri eorum asserere tentabat. Casymirus Poloniæ Rex, cui soror Ladislai nupta erat, & Vilhelmus

mus Saxoniæ dux, qui alteram ſororem natu maiorem in matrimonio habuit, regnum ad ſe iure ſucceſſionis pertinere dicebant. At Rex Gallus non iure aut ambitioſa petitione, ſed auro & opibus, quibus etiam parta regna debellantur, audacter prenſabat, ſpondens omnia regni debita ſuo ære ſe perſoluturum, omniaque à regno alienata ſuo Marte recuperaturum, & ad annum vſque ſeptimum nullum planè tributum à quoquam exacturum. Si admiſſi & in comitijs auditi oratores Galli fuiſſent, opinio erat, ablaturos illos ſuffragiorum calculum fuiſſe. Sed non defuit Gubernatori prouidentia, ad ca uendum, ne prius vlli oratores in Senatum vocarentur, quàm Rex futurus deligeretur. Locus eligendo Regi in domo prætoria veteris vrbis conſtitutus, cohortibusque armatis circumdatus, in eum antequam conuenirent, per ſpeciem religionis templum Rokyczanæ ingreſſi, concionantem audiuêre. Ne quem externum regem ac minimè omnium Germanum declararent, experti toties quàm animati ſint Germani in Boiemos, tantum videlicet, vt ſi poſſent, hodie potius quàm cras perderent omnes, nulla noſtra, inquit, culpa, niſi quia veritatem agnouimus, quam illi hæreſin vocant, & nos per contumeliam hæreticos, vt ita nos traducant per ora hominum, & tantam nobis conflent apud cœtus piorum inuidiam, vt quaſi impij & piaculum meriti à ſedibus concilijsque eorum abigamur. Sed ſi nos Boiemos eſſe meminimus, nulla tanti ignominia erit, vt propter illam à maioribus acceptam multoque ſanguine partam religionem prodamus. Et quis tandem melior eius cuſtos fuerit, quàm ille, qui in ipſa religione natus educatusque, & qui ad eandem defendendam promptus paratusque ſit, nempe ipſe Gubernator, conſilijs & armis iuxtà conſpicuus, & vobis iam pridem omnibus domi militiæque ſatis notus. Aut hunc regem nominandum eſſe, aut ſi nemo inter Boiemos tanto faſtigio dignus cenſeatur, Hebræo more duodecim Iudices aſſumendos, qui populum Boiemum æquo iure gubernarent. Hinc in prætorium itum & tam foris quàm intus prius acclamatum, quàm decretum: Viuat Rex Georgius. Eodem ferè tempore apud Hungaros inter magnam etiam armorum vim Matthias Huniadis filius opera & contentione Michaelis Zylagij auunculi ſui bene armati Rex Hungariæ declaratus fuit. Hunc Georgius, facti illius inſcium, menſæ ſuæ adhibet, ad quam præter vxorem & filiam Catharinam, forma elegantem, nemo aderat, crebroque ad hilaritatem & epulas conuiuam inuitans, Tandē ſi quid ego, inquit, te adiuuero, & ab hac captiuitate liberauero, ita vt ad regnum Hungariæ conſcendas, ecquid erit præmij? Magnas, inquit, res magna præmia ſequi decet. Interpellat Georgius: Nullius ego pecuniæ, inquit, ſed amicitiæ potius & concordiæ per affinitatem tecum ineundæ cupidus ſum. Proin ſi cordi eſt filia iſta mea, hanc tibi deſponſam mea matrisque voluntate habeas. Datæ inuicem dextræ, ſponſaliaque protinus iure legitimo confecta. Inde cura Georgium de futura ſui coronatione ſatis anxia ſubijt, propterea quòd Archiepiſcopo ſedes Pragenſis vacabat, & Prothaſius, qui ad Olomucenſem cathedram electus erat, nondum confirmatus Epiſcopus à Romano Pontifice fuerat. Solenne autem Boiemia habet, idque Cæſarum diplomatibus comprobatum, vt Rex Boiemiæ ab Archiepiſcopo Pragenſi, aut Epiſcopo Olomucenſi, ſi Pragenſis non adeſſet, inungi coronarique debeat. Auctaque cura fuit, quòd nullus è Germanis Epiſcopis falcem in alienum agrum, ac præſertim vt dicebant, zizania Huſſitarum infectum, mittere voluit. Poſtquam deinde patuit, Georgium præ ſe ferre nolle, niſi per oſtium, more videlicet aliorum regum Chriſtianorum, in aulam regiam ingredi, præſtito prius iureiurando à Romano Pontifice Calixto ſibi oblato, miſſi ex Hungaria ſunt à Matthia genero duo Epiſcopi, Iaurinus & Vaczouienſis in Boiemiam, qui munere illo coronandi fungerentur. Affuit & Prothaſius Olomu-

*Magnifica pol licentur Galli oratores.*

*Legatis dicendis poteſtas negata.*

*Rokiczanæ concio electionē præmiſſa.*

*Conſilium Rokiczanæ.*

*Georgius à Kunſtat Podiebradius xiiij. rex Boiemiæ. 17. annorum fuit tum Matthias cùm rex Hungariæ diceretur.*

*Matthiam ab Hungaris electum regem Georgius filiā coniuge tradita liberum dimittit.*

*Georgius de ſua coronatione ſolicitus.*

*Epiſcoporum nullus coronare audet Georgium.*

cíj electus, vt testimonium de iuramento perhiberet. Iuramentum Latinè primùm recitatum palàm fuit, dein vernacula lingua Georgio per regni Cancellarium, vt vocant, perlectum, quo audito, schedam ille in manus sumit, nec dubitat, in omnia illa verba, quæ ibi concepta & scripta fuerant, ore suo iurare. Obedientiam videlicet sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in vnitate fidei, quam eadem Romana Catholicaque & Apostolica Ecclesia profitetur, prædicat, ac retinet, custodire, & illam tueri & propugnare pro virili enixè velle, ac populum sibi subiectum ab omnibus erroribus, sectis, hæresibus, atque ab alijs articulis Romanæ atque fidei Catholicæ contrarijs reuocare, & ad ritum cultumque veterem reducere, ac restituere. Hæc ab ore eius audita, & mox per regnum inuulgata, magnam ei gratiam apud optimum quemque conciliauerunt, sperantem illorum quemlibet, bene iactis principijs bonum exitum consecuturum: quam opinionem confirmare videbatur, humanius quàm prius tractans, & faciliùs ad magistratus admittens eos, qui Romanæ essent religionis. Eandem opinionem secuta apud Morauos pleraque nobilitas antea non satis illi propter religionem æqua, venienti in Morauiam, vt mos habet ad accipiendam illius possessionem, officiosè occurrit, Regémque salutauit, ac se imperio eius commisit. Ciuitates præterea Moraviæ primores, Olomucium, Brunna, Znoyma, Noua ciuitas, Graditium, Hussitis sem per inimicissimæ, portas ei aperuerunt, extra Iglauiam ciuitatem, quæ claudere ausa fuit, nolens fidem suam à fide Catholica alieno, vt dicebat, credere. Excanduit vehementer Georgius, & cum his copijs quas secum habuit obsideri Iglauiam ciuitatem statim iussit, quas cùm Iglauienses præsidio Australium muniti contemnerent, validiora ex Boiemia auxilia suis submisit, durauitque obsidio ad quartum vsque mensem, Friderico Cæsare deinceps se interponente, vt illam transactione dissolueret, qua Georgius bene contentus fuit. Maiore inde impetu in eadem Morauia Hinconem à Wetouia, qui nullis minis nulloque terrore adduci potuit, vt obedientiam Christianis regibus solitam Georgio vellet exhibere, aggressus est, atque totos decem menses vano conatu propter situm arcis & strenuam illorum operam, qui in arce (Corensteynam appellabant) cum Hincone se tuebantur, postremò deditione magis quàm vi expugnata & mox demolita fuit, Hincone per tempus elapso.[a] Sed maximè rebelles & contumaces aduersus Georgium animos Slesia atque Lusatia extulerat, Principibus Slesiæ cum ipsa Vratislauia vrbe insigni, cumque Suidnitio: dein & in Lusatia alijs quibusdam ciuitatibus, summa cum pietate fideque & constantia Romanæ Ecclesiæ adhærentibus, vicissimque constantissimè Romanis Pontificibus illis patrocinantibus apud omnes Christianos principes. Ii cùm pressius tum à Georgio tum à regno Boiemiæ ad officium regis debitum exhibendum vrgerentur, ita sibi respondere permiserunt: Si Georgius se regnumque suum in statu regio asseruare, subditosque sibi dicto audientes habere cupiat, eò intendat animum, vt ipse obedientiam, quam paulò antè Pio Romano Pontifici, qui Calixto successit, per legatos obtulit, adimpleat, omnia ei absque vlla dubitatione pro voto successura apud omnes qui ad regnum pertinent. Vnde namque tot mala, quæ fiunt & quotidie instant, nisi ex inobedientia & contemptu religionis Romanæ conflantur? à qua illis, salua ipsorum conscientia, saluoque honore, nullo pacto discedere liceat, ne de albo principum ciuitatumque Christianarum velut impij deleantur. Vrgebat porrò ille eò acrius, quo se contumacius Slesitæ gerebant, ac iam plerosque metu armorum imperata facere coegerat. Sed nec Romanus Pontifex curam solicitandi vicinos, ac præcipuè Casymirum Regē Poloniæ remisit, ne Slesitas pro religione Christiana certantes auxilio destitutos relinqueret. Qua in re Pontifici Rex studiū suum tunc probauit

*Calixtus Papa coronationi consentit.*

*Formula iuramenti à Georgio præstiti.*

*Georgius coronatus 7. Maij anno 1459.*

*Conciliat sibi hoc iuramento subditorum animos.*

*Morauia Georgium dominum agnoscit, excepta Iglauia oppido.*

*Iglauia à Georgio obsessa.*

*Intercedit Cæsar.*

*Hinco à Vuetouia regi rebellis.*

*Responsum Georgio regi à Silesijs datū.*

*Pontifex regē Poloniæ instigat contra Georgium.*

bauit, dum ſine armis cõſilio litem ad tempus componit. Quo vix tranſacto, armat Georgius copias, ducitque illas ad obſidendam Vratiſlauiam, ſed non adeò, vt rebatur, expugnatu facilem. Itaque non diu ibi moratus, ſuburbanis ædificijs ferro & flamma, dein agris populatione cum inſigni Vratiſlauienſium detrimento vaſtatis, Pragam redijt, aliam inſuper viam contra aduerſarios ſibi muniens, coniunctione videlicet Germanię principum per mutuam beneuolentiam, amicitiamque & affinitatem. Aderatque mirifica occaſio, frequentibus tunc principibus, Egram ad fines Boiemiæ conuenientibus, atque illis præſertim, qui arces & oppida à regno Boiemiæ iure, quod vocant feudatario poſſidebant, inter quos tres Electores imperij erant, Ludouicus Bauariæ, Fridericus Saxoniæ princeps, & Marchio Brandeburgenſis, qui Pragam non ſatis per religionem pacatam venire grauabantur, rogabantque Georgium, vt Egram ciuitatem ſuam ingredi ne dedignaretur, quorum ille precibus libenter acquieuit, habuitque hoſpites Egræ lautiſſimè. Rerum quas ibi gerebant ſumma in hoc conſiſtebat, vt Rex, ſi dignitatem ſuam incolumem retinere cuperet, à Romana eccleſia ne diſcederet, à qua ipſi omnes cum toto imperio penderent, ſed quemamodum ſemel iurauit, ita deinceps obedientiam Romano Pontifici, reuerentiamque cum vniuerſis ſuis ſubditis perpetuò vt exhiberet, cætera illi expedita fore, ad eaque expedienda conſilia ſtudiaque ſua, & opes ſe polliceri. Grato animo à Georgio accepta, pollicente viciſſim ſe ita facturum vt ſuaderent. Ibi dein affinitas cum Alberto Principe Miſniæ, Ducis Saxoniæ Friderici filio, per filiam Georgij nondum nubilem, contracta: nonum enim duntaxat annum agebat, ſed ne à teneris ſtatim hæreſi aliqua imbueretur, tranſlata ante tempus in Miſniam fuit. Georgius memor eorum quæ ſibi à Principibus Electoribus dicta erant, oratores ad Romanum Pontificem Pium delegit, obedientiam ei renouaturos, & ſimul petituros, vt pacta concilij Baſilienſis ab eo confirmarentur. Legatione functos collaudat ore ſuo Pontifex, quòd rex eorum portam Domini videatur inquirere, per quam iuſti intrarent, & ſine qua iter ad cœlum non pateret. Cæterùm quod ad pacta, & ad communionem vtriuſque ſpeciei idiotis communicandam attineret, de hac concilium Baſilienſe verbis diſertis definiſſe, illam non eſſe de neceſſitate ſalutis, nec alijs conceſſam, niſi ijs, qui in vſu eius & vſurpatione ætate iam matura fuiſſent, quique à cæteris ritibus & ceremonijs ab eccleſia Catholica inſtitutis non diſcrepaſſent, contra præſcriptum concilij non videri æquum quicquam aliud concedi, ſed conandum Boiemis eſſe, ne plus pars eorũ ſapere velit, quàm totus ferè orbis Chriſtianus. Ac ne quid ad declarandam pactorum illorum ſententiam deſideretur, miſſurum ſe in Boiemiam oratores ſuos, qui mandata ſua perferant, & ita vt ſe res habet, totum negotium exponant, dentque operam, vt cum bona potius gratia, cauſa Vratiſlauienſium, quàm cum mala componatur. Miſſi cum pleno mandato Hieronymus Archiepiſcopus Cretenſis, & Franciſcus Toletanus ſacrarum literarum profeſſor. Eos Georgius, ne loqui quidem paſſus eſt de pactis concilij, quæ Boiemi Compactata vocant, poſtquam à ſuis oratoribus comperit, illa à Pontifice non eſſe comprobata. Vnde omnis exiſtimationis dignitatiſque ſuæ incolumitatem ſperabat. Nam ſi Pontifex illa rata habuiſſet, Regis quoque ſectam ratificaſſe videbatur: aliter igitur ſpem cecidiſſe cum magno videlicet animi dolore accepit: facilè tamen permiſit, vt ſe illi Vratiſlauiam conferrent, atque in eam pacificationem darent, quæ ſalua Regis maieſtate tolerari poſſit, quam induſtria ſua & authoritate, ita ex ſententia vtriuſque partis confecerunt, vt induciæ præterea triennij Vratiſlauienſibus conceſſæ eſſent, priuſquam in verba Georgij iurarent. Redij erat eodem tempore ex curia Romana Venceſlaus eccleſiæ Pragenſis De-

*Vratiſlauia frustra obſeſſa Georgius Rex populatur ſuburbia.*

*Principes imperij ratione oppidorũ accipiunt feudũ à Georgio tam quam legitimo Rege Boiemiæ.*

*Hortantur Georgium principes ad reſipiſcentiam.*

*Georgij filia Alberto Saxoniæ Ducis filio pacta.*

*Legati ad Pontificem à Georgio miſſi.*

*Decreti concilij Baſilienſis de cœna Domini explicatio.*

*Legati Pontificij in Boiemiã miſſi nõ auditi*

*Tentatur conciliatio cũ Vratislauienſib.*

*Triennij inducię inter Regẽ et Vratislauienſes cõſtitutæ*

*Venceslao Pragensi Decano Archiepiscopatus administratio à Pontifice tradita.*

canus, cum literis pontificijs, quibus sua sponte Pius curam administrandi Archiepiscopatus Pragensis ad eum deferebat. Hinc rursus indignatio in Pontificem adeò succensa, vt clamore & conuitio tota Praga iactaretur: inflamatore Rokiczano, cuius item mox opera concursus ad Regem factus, fidem illius implorantium, ne pateretur communem sibi cum ipsis religionem proculcari ab Antichristo, sic scilicet pontificem Romanum cognominabat Rokiczanus. Aderat Zdenco Sterenbergius cum nonnullis ex nobilitate catholica Proceribus nouo administro, illiusque causam summa dicendi facultate, summoque studio, & tanta contentione agebat, vt ausus fuerit Regi, intercedere actioni illamque impedire paranti, iusiurandum obijcere, quò se ad defendendam religionem Romanam, illique addictos obligauerit. Rex offensionem malè simulans: Fateor, inquit, ita esse, vt dicis, sed fateare & tu promissa mea tibi bene cognita, quæ alteri parti promiserim, illa me quoq; scias integra & inuiolata seruare velle. Atque ita Rokiczanus prævaluit aduersus Venceslaum, vt ille Pragæ administraret omnia, iste ferè nihil. Nam cùm ad hunc ipsum Venceslaum questum venissent sodales Franciscani, templo, cui Rokiczanus præfuit, vicini, querentes contumeliam sibi iniuriamque ab eo in omnibus suis concionibus inferri: admonuit Rokiczanum Venceslaus, vt à contumelijs abstineret. At ille exagitatus querela, multò deinceps quàm prius, magis insolentiusque ad vexandos miseros fraterculos, cum sua administratione incubuit, vetans, ne præter præscriptum suũ sermocinarentur, ne ęgrotos cum sacramento Eucharistiæ sub vna specie visitarent, ne mortuos à calice abhorrentes sepelirent. Itaque multi sine viatico decedebant, & ad sepeliendum extra portas ciuitatis efferebantur. Disposuit idem in omnibus domibus, qui perscrutarentur, si quem inuenirent inquilinum à secta illorum dissentientem, vt eum vrbe exturbarent. Nec iniuriam passis vllum propius quàm Romæ perfugium: quippe solius Romani Pontificis censuram Georgius aliquantisper reuerebatur. Sed hunc quoque metum exuit, postquam Fantinus de Valle, orator Pontificis Pragam, ad conuentum à Georgio omnibus prouincijs ad regnum respicientibus indictum venisset, vt certum apertumque ab eodem Georgio responsum referret, an sibi constare in eo quod per legatos promiserit, velit, filialem videlicet obedientiam, & reditum ad vnitatem ecclesiæ Catholicæ. In frequentissimo omnium ordinum conuentu assidente sibi coniuge, & liberis circumstantibus, Georgius ipse ore suo infit dicere: Quo modo legatos de concilio illorum ad Romanum Pontificem miserit, qui honorificè ab illo dictis bonis rem prorsus iustam peterent, vt nobis Boiemis, compactata à concilio Basilienſi concessa confirmaret. Quid ille renunciari iusserit, animos, dum ipsimet legati ordine omnia exponunt, aduertite: legatis auditis, iam diu ira æstuans Georgius, Quid satis, inquit, dici potest de impudentia istius Pontificis? quem non pudet, acta concilij, pactaque irrita velle facere, quæ Eugenius Papa non temerè, sed de sententia omnium patrum, qui in concilio aderant, ritè nobis comprobauit? Nec leuitate sua contentus obijcit nobis iuramentum, quo iurauimus hæreticam prauitatem velle abijcere, & omnes hæreses de regno nostro tollere. Nunquam nobis hæretici, qui verè digni hoc nomine sunt, cordi fuêre, nec hodie sunt. Sed tantum abest vt eos qui compactata, & communionem vtriusque speciei obseruant, pro hæreticis habeamus, vt libentissimè nos inter illos tanquam Christianos, illæso vt credimus nostro iuramento, vnà cum coniuge & liberis numeremus. Si igitur Papa, vt cœpit, Compactata oppugnare perrexerit, scire ex vobis cupimus, num propugnare nobiscum illa volueritis? Exclamat factio Regia, volumus. Ab altera parte Iodocus è familia Rosensium Episcopus Vratislauiensis aliorum quoque nomine, respondit. Quod ad regni gloriam

*Regi iuramentum obijcitur.*

*Venceslaus à Rokiczano compescitur.*

*Rokiczanus omnia Pragæ pro arbitrio gerit.*

*Conuentus Pragæ, quo mentem suam Georgius aperit contra Fantinum de Valle legatũ Pontificium, anno 1462 mense Iulio.*

*Compactata à concilio Basilienſi Boiemis concessa. Iuuehitur rex in Pontificem*

*Hussitæ non sunt hæretici.*

*Iodoci Rosenbergij Episcopi Vratislauiensis oratio in consessu habita.*

gloriam, & communem vtilitatem attineret, omnium ipsorum in tuendo & regno & Rege promptam adesse voluntatem, sed quod alienam religionem tueri debeant, nec se teneri, nec sibi videri tutelam eiusmodi salutarem. Et quid, ait Rex, de Compactatis? Excipit Iodocus: Qui illis egent, ij sibi illa defendant, nos illorum nihil indigemus, præsertim cùm Pontifex illa penitus abrogat. Vtinamq; ait, & tu Rex sine illis, candidam simplicemq; obedientiam ecclesiæ Romanæ præstares. Nullo responso ille reddito, surgit, & postero die ad horam redire iubet omnes. Conuenientibus, mittit pro Fantino oratore Pontificis, quem sæuero vultu excipit: rogat ille indignabundum, vt sibi ea libertate securitateque mandata Pontificis perorare liceat, qua Boiemis oratoribus licuit apud Romanum pontificem, alioqui silere, quàm loqui malle. Audiemus, inquit Rex, te, vti oratorem Pontificis, & procuratorem nostrum: cupiens explorare Fantinus, cuiusmodi esset procurator Regius, interpellat ille, cras se indicaturũ ei. Ergo ore intrepido Fantinus, à salute & benedictione Apostolica incipit, bonis dictis tam Morauos quàm Boiemos compellans, qui obedientiam debitumq; honorem Ecclesiæ catholicæ retinerẽt. Alios deinde, ad hoc ipsum studium, ad eundemque consensum adhortans hoc argumento, quòd dicat Dominus, Omne regnum in se diuisum stare diu nõ posse. Enumerat postea beneficia à Pontificibus in Boiemos profecta, quorum maximum esset ipsa religio, quę authoritate Romani Põtificis per Cyrillum & Methudium Episcopos, primùm fuit introducta. Mox ab Ecclesia Romana confirmata, & ad summum vsq; honoris fastigium ita perducta, vt ipsis quoque regibus in Boiemiam aditus pateret, qui vtique legitimè non coronantur, nisi de sententia Romani Pontificis. Nihil autem in præsens illum aliud à Boiemis exigere, quàm vt facta verbis respondeant, quæ Boiemorum legati in curia Romana loquuti sunt, simplici atque aperto animo, Regis regnique obedientiam Pio Pontifici offerentes. Excusat ad extremum Pontificem, cur non approbauerit Campactata, impedimenti causas allegando, idq; plurimis verbis, sed ista erant, quæ Boiemos maximè offendebant, cùm diceret, concessa ex pacto concilij, nunquam illos asseruasse, sed inconcessa, ac planè hæretica mordicus adhuc retinere, in hoc videlicet, quòd plerique affirmẽt plus ineſſe gratię in sacramẽto duplici, quàm simplici, dein quòd sub specie panis tantũ corpus, & sub specie vini duntaxat sanguis contineatur, quódque post verba consecrationis panis remaneat, & vinum, non autem corpus & sanguis Christi. Quæ omnia in Constantiensi & Basiliensi concilijs, euidentissimis rationibus dicebat esse cõfutata. Vnum hoc ex mandatis dicendum adhuc superesse ait, Romanum pontificem, Rokiczano interdicere omnibus sacris, & alijs quibuslibet functionibus sacerdotalibus tantisper, dum resipiscat, & ad vnitatem Ecclesiæ, à qua sacerdotium habet, redeat. Ad quæ omnia benignum scilicet à Rege se responsum petere. Iussus cras ad eundem locum reuerti: id verò ne faceret, fautorũ prudens quisq; dissuadebat. Sed tantus Fantino animi vigor, tamq; imperterritus aderat, vt vitam potius, quàm mandatam sibi à Pontifice legationem deserere præoptaret. Venienti in conspectum regis, crimini datum, quòd & præuaricator, & acerrimus dissuasor, vnà cum Procopio regni Cancellario Romę fuerit, ne Compactata ratificarẽtur. Cancellarius in domo sua sub custodibus habitus. Fantinus in prætorium abductus, & de nocte in carcerem raptus. Eodem die Episcopo Vratislauiensi, & Zdencone Sternbergio Praga se subducentibus, ne periculosis dignitati suæ implicarentur consilijs. Substitit autem ibidem Prothasius Olomucensis Episcopus cognatione Regi iunctus, cuius fiducia, adiuncto sibi Ioanne Rosensi, enixè laborabat, vt Fantinum carcere eximeret, sed laterem vt dicitur, lauit. Amplius tres menses in carcere Pragensi fuit, atque ægrè inde,

*Fantini oratio publico conuentu à Boiemos habita.*

*Pontifices & religionis & regij splendoris in Boiemia auctores.*

*Causæ quominus approbet Pontifex compactata.*

*Sacris Rokiczano à legato interdictum.*

*Fantinus liberatus Ratisbonæ moritur.*

Ludouico Bauariæ principe deprecatore abstractus. Mox Ratisbonæ mortuus, ex veneno, vt dicebat, tabifico. Quo minus autem Pius Pontifex, vti coeperat, censuris & execrationibus propter violatum ius gentium fulminare in Georgium perseueraret, obstitit precibus Fridericus Cæsar, beneficio recenti Georgio deuinctus. [a] Obsidebatur Cæsar Viennæ in arce cum Leonora coniuge, & Maximiliano filio à ciuibus & fratre suo Alberto: cui Georgius subsidia ad se tuendum submiserat: postquam verò eum præualere vidit, milites suos reuocauit. Ipseq; in Austriam cum octo millibus armatorum profectus est, arte tamen magis, quàm viribus negocium confecit. Sequestri enim personam inter partes suscipiens, Cæsarem ad colloquium euocauit, atque ita eum cum vxore & filio de manibus obsidentium eripuit, & in tuto collocauit. Huius operæ precium quadraginta millia auri à Cæsare abstulit, & pro auctario, Victorino, Henrico, Hinconi filijs Georgij, honos prætereà principalis habitus, delata ad eos principum dignitate. Pragæ item Georgio statua lapidea cum ense & calice inaurato, honoris gratia, à Rokiczano & Pragensibus, in æditissimo templi foro imminentis, loco posita. Sed & Rokiczano iurisdictio amplificata, vt posset in Morauia quoque sacerdotes suæ sectæ constituere, id quod Prostanni primùm fecit, ac deinceps in alijs locis. Cùm igitur ad morem, vt dici solet, Mandrabuli, res in Boiemia procederet, indies scilicet in peius religione Christiana labante, non amplius Pontifex Romanus expectandum ratus, dum meliora, vt Cæsar sperabat, succederent, Vratislauienses & Namyslauienses, quibus Georgius infestissimus erat, palàm in suam tutelam & protectionem recipit, atque ab omni illos vinculo fidei Georgio datæ absoluit, prohibetque edicto, neu quis illis dicto aut facto noceat, néue contra illos arma cum hæreticis ferat. Qui aliter fecerit, Pontificem & Senatum Cardinalium decernere, eum contra rempublicam Christianam facturum, pœnasque olim debitas luiturum. Deridens ista Georgius: Nos, inquit, perfidos interim Vratislauienses pro merito illorum puniemus: pòst viderit Pontifex quando velit, vel à quo debitas sibi pœnas exigere: & pleraque alia contemptim de Pontifice loqui, cùm fideret viribus suis, & principum vicinorum fœderibus: ignarus quòd Pontifex, Matthiam Hungariæ regem ab ipso auerterat, disturbatis omnibus sponsionibus & veteribus obligationibus, quæ per affinitatem, vel aliter intercesserant, inquiens, non obligari Christianum Regem, vt fidem ei seruet, qui Deo & ecclesiæ fidem non seruaret. Matthias igitur suscepto Vratislauiensium patrocinio, illos aduersus Georgium strenuè tutatus est. Moritur inter hæc Pius Pontifex Anconæ, vbi classe comparata, obire ipse per se bellum Turcicum destinauerat: in locum eius Paulus Venetus suffectus. Longè acrior, acerbiorque in Georgium apparuit interdictis, censuris, execrationibus in eum desæuiens, postremò anathemate eundem feriens abrogata ei Regia dignitate, Regisque Boiemiæ titulo ad Matthiam Regem Hungariæ, conniuente ipso quoque Cæsare, translato. Magna hinc malorum, vt dicitur, Panegyris consecuta, cum perpetuo velut tenore malum malo succederet, alijs post alios à Georgio ad Matthiam deficientibus. Conuenerant in vnum locum primores viri ex proceribus, qui Catholici cognominantur, Ioannes Rosensis, Zdenco Sterenbergus, Ioannes & Vlricus fratres germani à Leporibus, Henricus à Plauen, Bohuslaus Suambergius, Henricus à Noua domo, Vilhelmus ab Ilburga, Dipoldus Wissenburgus, Buryanus Guttsteynus, & Dobrohostius, atque plerique alij nobilitate, & opibus insignes. Ii post longam consultationem, literas ad Georgium dederunt, adhortantes eum, vt omissis malis consultoribus, rationes tandem suas ad pietatem, quam Romana ecclesia colit, animo sincero adiungeret, quàm primumque in gratiam cum Romano Pontifice rediret,

*Fridericus Cæsar à Viennensibus in arce obsidetur, ciuibus auxiliãte Alberto fratre Friderici. Sed ope Georgij liberato Cæsar.*

*Georgij filij principes creati, anno 1463.*

*Statua Regis Georgij.*

*Rokiczanus Prostannæ sacerdotes creat*

*Pontifex absoluit Vratislauienses à fidei sacramẽto Regi debito.*

*Pontificem aspernatur Rex.*

*Matthias rex Hungariæ à Põtifice Georgio opponitur*

*Paulus II. pontifex M. vehementior in Georgium, eum proscribit, anno 1466.*

*Proceres Boiemi Regem ad obedientiã Romanæ sedis reducere conantur.*

ret, si otio dignitatiq́ue suæ, si ipsorum fortunis & saluti optimè consultum velit. Postquam nec adhortando, nec rogando, abstrahi eum à persuasionibus Rokiczani posse vidissent, cum Pelsinensibus, & Buduicensibus, qui religionem Romanam gratiæ regis prætulerant, se coniunxerunt. Zdenconem cæteris omnibus peius oderat Georgius, quoniam lingua & manu audax, & dicere verum cuiuis promptus erat. Huius aliquot simul arces sine vlla belli denunciatione oppugnandas suscipit, Sterenbergiam, ad quam Victorinus Georgij filius castra habuit, Konopistiam, Raudnitiam, Lestnam, Costeliciam, inuitatus occasione, quia Zdenco aberat Viennæ apud Cæsarem negocium suum procurãs. Sed confestim ad hunc nuncium ad fines Boiemiæ Iglauiam reuolauit, quæ ciuitas, sicut aliæ in Morauia ciuitates, Olomucium, Brunna, Znoyma à Georgio decidentes, ad fidem & imperium regis Matthiæ se applicuit. Ibi Zdenco nactus milites Matthiæ, & mox amicorum suorum auxilia, effusè bona regis circum Chotieboriã, Czaslauiam, & montes Cuthnenses populatur, vt damnorum acceptorum vicem illi redderet. Nec cæteri ex eius factione proceres, in Pelsinensi, Bechinensi, Prachensi regionibus, à vastandis regijs agris, spoliandisq́; & pellendis colonis cessabant. Ex qua calamitate, magna breui annonæ caritas subsecuta est. Durauit nihilosecius artium obsidio ex quibus Raudnitia vi expugnata, oppidumq́; incensum: Costelicia verò arx etiam demolita. Interim nihil minus expectanti, quàm quòd in Slesia, à Vratislauiensibus, Nisensibus, Budisinensibus, oppugnari debuerit oppidum Minsterbergium, vnde titulum Principis filij regis deducebant, vt Minsterburgenses Duces appellarentur, delectu ex ijs, qui ad manus erant militibus raptim habito, Henricum filium cum illis aduersus oppugnatores mittit. Sed illi aduentum Boiemorum non expectantes, adeò discedere inde festinabant, vt aliquot machinas in castris relinquerẽt. Vertit hinc agmen Henricus ad oppidum Frankensteynum, illudq́; captum incendit, at oppidum Episcopi Vratislauiensis Pascouo, totum diripuit, eaq́; rapina stipendiũ militi dissoluit abireq́; quò vellet, permisit. Ipse Oppauiam deflexit, quam nõ diu antè pater à vidua per quandam transactionem adeptus fuerat. Sed cùm Matthias immi nere tanta cupiditate in Morauiam videretur, vt ad expugnãdam Graditiam ciuitatem, quæ sola ex ciuitatibus Regijs fidem Georgio mutare noluit, ipse cum Hungaris suis venire non grauaretur, robustissimum Georgius ciuibus veteranorum militum subsidium per tempus submisit, addiditq́; Victorino filio quinq; millia armatorum, cum quibus in locis opportunis excubaret, ne quid improuisum accidere possit ijs, qui partes regis sequerentur. Matthias ab altera oppidi parte castra sua in pratis collocauerat, ab altera, occupatis suburbanis ædificijs mandat, proximè mœnia aggerem excitari, castellaq́, erigi, quoniam circumuallari propter Moram fluuium oppidum non potuit, situ omnino ab omnibus insultibus egregiè munitum. Consilium igitur erat, fame illud in potestatem redigere. Sed ea veteranorum virtus atque præstantia animi fuit, vt auderent acie intra oppidum instructa, in castra Regia erumpere, prælium q́; tam strenuum inire, vt Matthiam, quod ei nunquam antea cõtigerat, in fugam verterent, nullibi in via subsistentem, priusquam Brodam oppidum penetraret. Miro gaudio Georgius ad hunc successum exultauit. At Matthias modica interposita mora, rursus exercitum, sed iam contra Georgium cogit, eumq́ue in Austriam, vbi arx vocabulo Stosko, Morauiæ & Boiemiæ vicina eminet, adducit. In eandem Austriam ad oppidum Lauam Georgius copias suas contrahit, quas Misnensis Princeps auxilio mille equitum ei adauxit, Cæsare tunc Lincij per summum ocium, summamq́ue dissimulationem commorante, nec se inter partes dicto aut facto interponente. Sed dum pauore mutuo propius accedere, prælium q́ue inter

*Fœdus percutiunt contra Regem.*

*Rex Sternbergij arces inuadit.*

*Morauia ad Matthiam deficit.*

*Sternbergius regios agros populatur.*

*Silesij Minsterbergium oppugnant, anno 1467. 15. Maij*

*Frankensteinum Henricus Regis filius exurit.*

*Matthias Graditiam oppugnat.*

*Gradicia Mora cingitur.*

*Matthias Brodam vsq; pulsus.*

*Inter Staziam & Lauam exercitus Regij in castris locatus, anno 1468.*

*Insolentes Boiemi in Misnenses.*

se committere differunt, seditio in castris Georgij exoritur, Boiemis ex vetere odio Misnensibus acrius insultantibus, quàm vt tantam petulantiam ferre possent. Vt ergo patuit, quantum mox discrimen adeundum foret, priusquam ferro cum ijs, quibus subsidio venerant, decernerent, maior eorum pars, impetrata à Rege venia discedere maluit. Sequuti mox Regem alij, qui & ipse pertęsus tumultuosa suorum castra, in Boiemiam redibat, Victorino filio cum satis valida manu relicto, qua Morauiam tutaretur. Quem vt Matthias ad Trebicense cœnobium in oppido Trebitio statiua sibi delegisse accepit, eò copias conuertit, Victorinumque obsidione premit. Metu vrgente occupat ille cœnobium, paulum à mœnibus seiunctum, & ad defendendum facilius, rogatque insuper à parente auxilium, quo celeriter comparato, adest ipse pater cum frequentibus agminibus, aliquotque leuia prælia cum Hungaris ęquo successu committit, Matthia non tantùm suis fidente, vt eis aciem summamque belli credere vellet. Incenso itaque oppido, soluit obsidionem, & per Morauiam in Hungariam regreditur, quoniam hyems appropinquabat. Incidit inter hæc Victorinus, dum è Trebitio Crumlouiam vadit ad Henricum à Lippa, qui sororem ipsius in matrimonio habuit, in manus Hungarorum, captusque ab illis, Budam perductus est, & omnibus miseris modis ab Hungaris habitus. [c]In eam siquidem turrim illum proiecerant, quæ in hunc diem tecto caret, vt die, noctuque niuibus aut pluuijs complueretur, ac cæteris aeris tempestatibus vexaretur, quasi parum esset famem & sitim eum siccissimã tolerare. Repetita ipso statim vere à Matthia expeditio in Boiemiã fuerat, sed nec illa ex vtraq; parte memorabilis, nisi quòd Georgius, cùm Matthiam intra montes, quos ferreos cognominant, ita cõclusum stratis per vias à carbonarijs arboribus haberet, vt euadere inde sine magno periculo nõ posset, circumscribi se ab eo, vanisq; de pace pollicitationibus circumueniri passus fuerit, vt eum aggredi in locis angustis vincereq; superfederet. Sanè Georgius, tot & tam continuis bellis defessus, atque omni pecunia, qua bella sustentantur exhaustus, adeò animum ad pacem inclinabat, vt illius conciliandæ, imprimis apud Romanum Pontificem, omnes vias quæreret, vltrò se offerens ad dicendam causam, fideique suæ reddendam rationem (id quod aliàs sæpius faciebat) vbi ei Pontifex locum idoneum, & securum præscripserit. Qua de re Prothasius Episcopus Olomucensis, qui Regis intima familiaritate propter cognationem vtebatur, bellè ei respondit. Quid agis, inquit Rex? vtrum de fide docere, an doceri cupis? Primum valde præposterum, vt doctoris partes inter doctissimos ille suscipiat, qui sit literarum omnium ignarus. Alterum etiam absurdum, Regem Christiano more vnctum, ætate ingrauescente primum imbui velle Christianæ religionis elementis. Tertium restat, vt dicas tui expurgandi causa te cupere vt publicè audiaris. Quid hîc opus verbis? satis superque ab omni infamia purgatus eris, si reipsa obedientiam promissam Romano Pontifici, Romanæque ecclesiæ præstiteris, quam nullus hactenus Regum superauit, nec vnquam superabit. Quantò liberius, tantò gratius consilium erat, sed effectu vt careret, veterator ille maximus obstitit Rokiczanus. Porrò Matthia Rege in proposito nocendi, regnique Boiemiæ potiundi persistente, dolorem vltra non ferens Georgius, sed magis suis (vti dicebat) ne velut pecora trucidarentur & spoliarentur, quàm saluti suæ consulens, prouocat Matthiam ad singulare certamen, hanc ei conditionem proponens, vt inter duos exercitus ad spectandum contractos, paribus armis, pariter induti, cancellisq; angustioribus septi, propterea quòd ipse abdomine grauis, procursare longius nequeat, ipsorum solùm capite decernerent, & vter vicerit, in alterum vt victoria ex arbitrio suo vteretur. Aut si malit acie confligere, deligatur locus idoneus, ad quem exercitus conueniat, qua-

*Castra soluta nullo facto operæprecio.*

*Trebitio concluſum Victorinum Matthias oppugnat.*

*Victorinus Regis filius capitur, anno 1469. 29. Iulij*

*Matthias astu elabitur.*

*Conciliationi studet Rex.*

*Consilium Prothasij Episcopi Olomucensis Regi datum de Pontificis promerenda beneuolentia.*

*Obstat Rokiczanus.*

*Prouocat Georgius Matthiam ad duellum vel ad iustam aciem.*

quatridui spacio vtrinque concesso, vt liberum sit, vtrique sine alterius impedimento locum adire, & inde abire. Cæterùm inprimis necesse esse, ne ex acie alteruter Rex ante prælium initum diffugiat. Ad quæ Matthias, se prouocationi libenter annuere, illamque obire pro Christiana religione ex animo velle legatis respondit, sed ita vt Christianum Regem decet, in loco non angusto, sed ad pugnam apposito, deinde armatus militaribus armis, vt cum armato militari more congrediatur. Hæc si conditio placet, se locum vtrique commodum breui nominaturum. Nam quòd nimis arroganter aciem Georgius iactat, vidit ille, ait, aliquoties Matthiam & exercitum ipsius, à conspectu eius haud fugientem, quemadmodum ille nondum hoste viso ex Austria turpissimè fugerit. Atque hæc irritamenta potius, quàm piamenta erant. Cæterùm Georgium maximè terruit, cùm in conuentu Pragam à se indicto, miram nobilitatis infrequentiam vidisset. Splendidissimus enim quisque validissimusque alienus à Georgio fuit, aut Matthiam apertè fouebat, & quæ tunc nobilitas conuenerat, pleraque non tam fauore in Regem, quàm spe præmiorum & prædarum in officio continebatur. Denique haud aliud illi magis fidum, quàm ciuitates, eandem cum illo sectam assectantes, fuerat. Sed vt in illis vis inerat, ita dignitas abfuit, cuius iacturam tum primùm sentire cœpit, postquam ad animum reuocauit, quid domi amiserit, quos foris principes à se abalienauerit, quas prouincias à regno auulserit, nempe Lucemburgiam, Slesiam, Lusatiã, & maiore ex parte Morauiam, ac solum sibi Boiemiam (quid aliud? quàm caput mẽbris absciss deforme) reliquerit. Solantem eum qui tum fortè aderat, Rokiczanum, vt bono firmoque animo esset, ac virum fortem agere perseueraret, infesto tandem sermone à se abigit, serò damnãs, insolens atque impotens illius magisterium. Rursus tamen illi obsequens, Monasterium S. Crucis in vetere Praga, ad ripam Vltauiæ situm, thesauris magni precij expoliauit. Quo lucro inuitatus, cupiditatis oculos ad aliorum quoque Monasteriorum bona adiecit, partim vt illa suis donaret, partim vt ipse frueretur. Præter autem curas alias, valde eum anxium habuit regni successor, quisnam ille futurus post mortem suam esset, vnúsne è filijs, quod omnium maximè desiderabat, an externus aliquis nihil ad se pertinens. Hunc scrupulum vt sibi de animo eximeret, tum fortè etiam corpore imbecillior, vocat ad se primores ex omnibus ordinibus, & illis coràm: Sentio, inquit, finem vitæ, quem mihi natura constituit, appropinquare. Nollem autem, quantum in me situm est libenter committere, vt post obitum meum, ipsum regnum in aliquod discrimen adduceretur, propter dubium regni successorem. Proin scire aueo, quidnam in hac causa agere, quémue Regem vobis legare destinaueritis? Respondentibus nullã, ipso Rege superstite, successoris faciendam esse mentionem, instabat auidus, donec ab illis extorqueret, non admodum sibi gratam sententiam, qua se dicerent sentire, apud Polonos Regem esse quærendum, cum quibus & lingua conuenirent, & moribus non multum dissentirent. Adesse præterea vires Polonis, quibus regnum Boiemiæ tutari possent. Georgius ea spe, quam velut certam de successione suorum conceperat, deiectus, in rem suam aliena conuertere, arces, oppidaque regni, & aliorum bona filijs suis attribuere, omne argentum ex montibus Cuthnensibus, quos loculum suum cognominabat, in arcem Podiebradam conuehere, id denique agere vt dites atque opulentos filios relinqueret. Prius tamen Rokiczanum, omnium malorum architectum mors oppressit, quàm Georgius suum diem obiret. De sepultura contentio suborta, quibusdam vetantibus, ne ad ædem diui Viti, Romanæ religioni deuotam sepeliretur: sed vicit factio valentior, vt in illa ipsa æde, iuxta Regum conditoria conderetur.

*Cõditiones duelli vel prælij.*

*Responsum Matthiæ.*

*Vrit Georgiũ Matthias.*

*Cõuentus Pragæ solito minus frequens.*

*Sero sapere incipit Georgius.*

*Repellit Rokiczanum.*

*Monasteria consultore Rokiczano diripit.*

*Sollicitus sui vitæ finem de successore Georgius.*

*Non gratum accipit responsum.*

*Locupletandis liberis vacat Rex.*

*Mors Rokiczani quam et Regis sequitur mors quintodecimo die hydrope defuncti, anno 1470, alij 1471. die 22. Martij.*

[a] *Principes & ordines Sileſiæ, Lignitij 22 Martij contra Georgium fœdus fecerunt, quod Vratiſlauiæ 19 Aprilis renouatum eſt.*

[b] *Lis erat inter fratrueles Albertum & Sigiſmundum de portione Ladiſlai in Auſtria, quam Fridericus occupauerat. Hinc origo belli quod morte Alberti diu remptum.*

[c] *Turrim mancam ſeu mutilam adhuc dicunt perduellium carcerem. Atqui non indignè tractatum Bonfinius aſſerit.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER TRIGESIMVS PRIMVS.

*Cuthnæ inaudito exemplo Regalia comitia habita.*

*Factio Matthiæ, ſed vicit Polonica.*

*Vladislaus XV. rex Boiemiæ Caſimiri regis Poloniæ F. Rex renunciatus 25 Maij 1471. ab Epiſcopis Nicolao Camenecenſe, Vincentio Ennenſe, Paulo Laodicenſe coronatus. vix 15 ætatis anno.*

*Matthias repulſam paſſus vaſtat Boiemiam.*

*Animoſus Vladislaus.*

*Fridericus Cæſar Vladislaũ Regem Boiemiæ cõfirmat.*

*Hoc anno 1477 factum narrat Polonus ſcriptor.*

*Cæſar Vladiſlao ſanguinis propinquitate iunctus.*

*Matthias à Cæſare extorquet inueſtituram Boiemiæ.*

Solenne erat, vt comitia Regis creandi Pragæ celebrarentur, ſed in tam varijs omnium tunc ordinum voluntatibus, ac Pragam valde ſuſpectam habentibus, placuit comitia ad montes Cuthnenſes transferri, data omnibus fide publica, vt quiſq; ad illa liberè veniret ac rediret, ſummaq; cum libertate ſuffragia perageret. Ioannes Roſenſis, Zdenco Sterenbergius, Henricus à noua domo, contentiſſima ſuffragatione Matthiam iuuabant. Sed maior numerus Vladiſlaum, Caſimiri Poloniæ Regis filium, etiamtum adoleſcentem, nullarumq; partium factionibus per ætatem infectum, Regem poſcebant, numeroque præualuerunt. Septem millia equitum, & duo peditum Polonorum iuuenem comitati ſunt, lateri eius ex eadem Polonia Epiſcopis adhærentibus, qui eum ſimulatque Pragam veniſſet, ſtatim inungerent, & coronarent. Matthias, vt ſe præteritum cognouit, armis rurſus in Boiemos debacchatur, vi regno potiri, quando aliter non poterat, cupiens. Sed violentiæ eius parem vim Boiemi cum Rege ſuo oppoſuerunt: qui Rex adeò animoſus initio ſtatim apparuit, vt cùm adeſſe Matthias cum multis agminibus diceretur, & ille tria duntaxat armatorum millia circum ſe haberet, ſuadentibus cæteris tempeſtiuam ac ſecuram fugam, reſpondens ille: Nondum, inquit, video, quem fugiam, nec me terret multitudo, cùm ſæpius aſpiciam vnum accipitrem multas fugare columbas. Itaq; ſenſim progreſſus, eum locum caſtris delegit, quem Matthias oppugnare non fuit auſus, ſed deflectens ad loca eorum, quos ſibi aduerſari maximè accepit, illa hoſtiliter deprædatus eſt. Abienſq; minitabatur breui ſe in Boiemiam rediturum, vt melius caſtiget rebelles. At Vladiſlaus ne interim omitteret reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, ſed ab omni parte, vt firmum ſtabileque regnum haberet, Viennam ad Fridericum Cæſarem profectus eſt, vt de manu eius, vexilla regni, prouinciarumq; ad regnum pertinentium, tanquam Elector Imperij ſumeret. Quæ res ſumma cum dignitate, pariq; celeritate confecta fuit, ita vt facilè omnibus appareret, habitam fuiſſe rationem cognationis, quæ Cæſari cum Vladiſlao intercedebat, cuius mater è domo Auſtriaca, Ladiſlai Regis ſoror fuerat. Vladiſlaus domum reuertens, Cuthnas diuertit, ibiq; nouam excudi monetam iuſſit, omnibus probatam, à pondere & valore. Cæterùm quàm grauiſſimè factum Cæſaris Matthias Rex tulerit, vaſtatione & incendijs in Auſtriam & Stiriam perpetratis apertè declarauit, à maleficijs non prius militem reprimens, quàm extorqueret à Cæſare, vt ei quoq; regalia de regno Boiemiæ, & certam quandam pecuniam ſe daturum promitteret, ſed neutrum poſtea præſtitit. [a] Interim, præcipua Vladiſlao in Vratiſlauienſes ira, quòd ſe iam legitimè regnante, ſacramentum

tum fidei Matthiæ renouauerant in sui contumeliam. Sic enim Casimirus quoq; Vladislai parens interpretabatur, authorq, fuit, vt filius ad illam vlciscendam, vnà cum patre incumberet: vtriq; enim communis hostis Matthias erat. In exercitu Poloniæ Regis, Poloni, Lithuani, Tarthari erant, quorum omnium numerus ad sexaginta milla hominum explebat, statiuaq; propè Olauiam tenuit, expectans Vladislai aduentum, qui circiter viginti millia Boiemorum, maiore ex parte peditum adducebat. Fortè, aut data opera, pabulatores Poloni propius Vratislauiam, in qua Matthias ipse aderat, pabulatum accesserant, qualem insolentiam Rex non tolerans, iubet populatoribus occurri. At Poloni ne tentato quidem certamine in castra refugiunt, nimis auidè Hungaris eos insequentibus, seq; Tartharis & Lithuanis, quos Casimirus cum aulicis quibusdam, & vexillo maiore subsidio miserat, immiscentibus: qui sicut numero, ita vi superiores, in fugam persecutores Hungaros vertunt, instantq; fugientium tergis, & cædunt, ac paucos ex ijs nobiliores [b] capiunt, ad mille omnino desiderati feruntur. Atq; hactenus fortuna secunda Polonis adfuit. Superueniente mox Vladislao, vtraq; castra ab Olauia sunt Vratislauiam versus promota, non tamen mœnibus coniuncta, quoniam Matthias rex tormentis & machinis longè superabat. Rarus igitur dies interceßit, quo non eruptio ex vrbe in Polonos fieret, quorum castra non fossa, non vallo, nec diligentibus vigilijs munita erant, licenterq; ab signis & ordinibus per agros prædæ gratia vagabantur, ideoq; nullo negotio passim intercipiebantur, tanta frequentia, vt captiuis Polonorum Vratislauienses tota ergastula, omnesq; turres complerent. Ex quo ita aucta est Matthiæ audacia, vt auderet interea dum Polonus Vratislauiam oppugnat, ad maiorem Poloniam infestandam ex Glogouiensi & Opoliensi regionibus submittere militem, qui vsque ad ciuitatem Posnaniensem spolijs & incendijs fœdauit omnia. In vtroque tandem exercitu, Boiemorum & Polonorum, commeatus inopia, fames, dysenteria, postremò lues incessit, vt Rex vterq; non quas volebat, sed quas Matthias offerebat conditiones accipere cogeretur. [c] Inducijs duorum annorum impetratis, Vladislaus Pragam reuersus, impias in caput suum à veneficis insidias reperit, comprehensis duobus, altero Pragensi, altero Cuthnensi ciuibus, Regi Matthiæ addictis, qui venenum ex Venetijs Pragam attulisse conuincebantur: de altero in arce Carlosteyna supplicium sumptum, alter Pragæ in arce mortuus, suppresso in eum indicio, à quo subornati ad hoc facinus erant. In tanto autem odio, inuidiaque & infamia tunc temporis Senatus vtriusque Pragæ apud populum fuit, accusantem, quòd nulla in iudicijs religio, nullæ leges, nulla iustitia seruaretur, sed cupiditas sola, & auaritia in illis regnaret, modò vndecunque appareat corruptor, & iudicum emptor, cùm interea nemo senatorum vel nocentissimus, reus peragretur, & plerique eorum modò egentes, repentè dites facti, cum tanta, inquam, inuidia ante oculos obuersarentur, vt idem populus primùm nouæ Pragæ, hanc sibi licentiam in Senatores suos permiserunt, vt bonam illorum partem de magistratu proturbarent, partim etiam ære mulctarent, atque omnes solum protinus vertere coegerunt. Mox imitata vetus Praga, eundem per omnia cum Senatu suo ludum lusit, nisi quòd præterea duos ex ijs capitali pœnæ destinauit, si non Rex interuentu suorum, illos à damnationis periculo subtraxisset, castigato vtriusque vrbis populo, quòd iudicia sibi temerè sumeret, non ad multitudinem, sed ad Regem pertinentia. Sed apud indomitam turbam perfidi apostatæ seditiosa vox, plus quàm Regis authoritas valebat, quoniam nimia Regi probitas, nimiaque patientia inerat: qua apostatæ abusi, cùm nihil planè haberent quod ei vitio dare possent, in conuicionibus gentis vocabulum, quasi probrum ei obiectabant, Polonum per

*Bellũ Vladislai regis Boiemiæ et Casimiri regis Poloniæ aduersus Matthiam in Silesia gestũ, anno 1473.*

*Matthias à Polonis fugatus.*

*Vladislaus patri se coniunxit 24. Octob.*

*Poloni carcêres Vratislauienses replẽt.*

*Siradiensem regionem cum maiori Polonia vastat Matthias.*

*Vitæ Ladislai insidiatum.*

*Cõiuratio plebis aduersus Senatores Pragenses, 21. Nouembris anno 1473.*

*Rex compescit tumultuantes.*

*Conuicijs proscinditur Rex.*

contumeliam vocitantes, ablegandumque rursus ad Polonos vociferantes; vt cum illis Romanam colat religionem, quando Boiemum calicem bibere abnuit. Proximè instabant dies carnisprivij adipales, non tam dapibus, quàm tripudijs & vsurpatis saltibus celebres, ad hos dies Vladislaus in domũ suam Regiam ciues Pragenses cum ipsorum coniugibus frequentes inuitat, & totum ijsdem triduum epulas in conspectu suo præbet, ad hilaritatem prouocat, simulque choreas & tripudia obit. Nihil minus opinans, quàm vt publica eiusmodi gaudia, in priuatam sui contumeliam à præuaricatoribus trahi deberent: at illi odio in Regem inflammati, maxima voce, Videte, inquiunt, fructus religionis, quam Rex vester adorat, petulantiæ videlicet, luxuriæque & libidinum plenos: ac retinete diutius talem regem, vt super vos pluat ignis, sulphur, & spiritus procellarum. Atq; hæc tam importuna, tamq; insolens censura, magis Pragensibus quàm Regi acerba fuit: quippe illi expellendos statim vrbe huiusmodi nebulones, qui de virtute locuti, turpius ipsi multò viuerent, censuerant: contrà Rex, ne id in præsens fieret interceſſit, ac satis monere illos habuit, vt deinceps ori suo adponerent custodiam. Non infacetè tunc [d] Bohuslaus Hasisteynus, genere & doctrina præcellens, lusit Pragenses, postquam in arce sua illos audiuit lupanar publicum incendisse. Hoc non est, inquit, tollere vitia Veneris, sed totam vrbem malo Veneris ardore implere, ex vno igne, scintillis per singulas domos concitatis. Post hæc Vladislaus conuentum ordinibus, & inter illos filijs quoque Georgij Pragam indixit, ad quem cùm illi non veniſſent, transtulit illum in aliud tempus, quo Victorinus & Hinco affuêre, debita à regno exigentes, quæ sibi patris nomine deberi iactabant, prolatis tabulis è syngraphis, quibus se pecuniam mutuam dediſſe ostendebant. Et quanquam satis constaret, omnes filios Georgij ex ærario Regio victitaſſe, pacis tamen & concordiæ causa placuit, vt dissoluendis debitis tributum certum constitueretur. In eodem conuentu ab ijs quos ad perturbandum regnum, inopia atque mali mores stimulabant, secretum componendæ nouæ aduersus Regem coniurationis, in domo, quam Collegij vocant, quæsitum, allatis in medium pactis & conuentis concilij Basilienſis, de communione vtriusque speciei, quasi illa per Regem infirmarentur, quia totum se à calice seditioso auerterat, Romanam sectatus religionem. Inter se igitur sub prætextu pactorum tuendorum, noua in Regem consilia consociant, ad vrgendum illum, vt eodem cum illis bibat poculo, aut inde in Poloniam rursus abeat. Atque hæc intra Pragam vbi præuaricatorum, seditiosorumque sacerdotum maximus numerus inerat, imprimis agunt, vehementer concionatores instigantes, perinde quasi malè sani stimulis egerent, vt Regi tantam apud plebem Pragensem conflarent inuidiam, quantam ille non facilè restinguere posset. Eoque insani illi impudentiæ proceſſerant, vt ore illoto, Regem appellarent Suem Polonum, haris ineundis, quàm aris, in quibus calix propinatur adeundis, aptiorem. Qualem impudentiam, cùm neq; senatus Pragensis, neq; ipse Rex comprimere valuerint, multitudine indomita præualente, quæ probrosis concionibus applaudebat, cessit tempestati Rex ad tempus, seque ex vrbe in secessum arcis Gradecæ contulit, atque inde ad Cuthnenses profectus est, de Charybdi, quod dici solet, in Scyllam. Nam apud Cuthnenses quoq; velut canes, fœdo latratu aduersus maiestatem suam latrantes audiuit, ac præcipue Sutorem quendam, natione Polonum, quem mox arripi, & in domum in quam diuerterat (altã curiam vocant) pertrahi carcerãdum iussit. Conuolant subitò operæ quæ in officinis metallicis operabãtur & viri amplius quingenti domum Regiam circũsident, vociferantes se ferro in illam & igne grasaturos nisi protinus illis Sutor incolumis restituatur. Quo restituto, sine cuiusquam iniuria

*Bacchanalia Vladislaus cũ matronis Pragensibus celebrat.*

*Reprehenditur ab Hussitis concionatoribus quod illis impunè abijt.*

*Hasisteynij Epigramma in Pragenses.*

*Conuentus Pragæ.*

*Satisfit liberis Georgij de mutuo quod exæquauit aureorum CCC.M. Cõiuratio aduersus Regem ob dissidium religionis.*

*Maledictis incessunt regem. Declinat vulgi furorem Rex.*

*Sutor Polonus Cuthnæ in Regem debacchatur.*

iniuria ad suum quisque opus reuertitur. Rex item postero statim die Pragam redibat, certior factus, audaciores quosdam de plebe, à Senatu Pragensi exilio punitos esse: censuram autem in sacerdotes contumeliosos sibi reseruari, quando neq; Archiepiscopus, neq; vllus Episcopus in Boiemia censor sacerdotum extaret. Itaq; adnuentibus nonnullis ciuibus, Rex censuram Archiepiscopi induit, notans sacerdotes ob petulantiam linguæ, notari dignos, eosq; à sacris ædibus remouens, vnum ab æde diui Galli, alterum ab Egidij, tertium ab æde Nicolai minoris Pragæ, omnesq; vinculis in arce Carlosteyna includens, præbitis ad mensuram pane & aqua, ne saturi ferocirent. Attenuatos deinde ex fame,[e] Ioannes Varadiensis Episcopus, natione Morauus, à rege Matthia ad Vladislaum missus, precibus suis in integrum restituit. Nihil enim Vladislao ad deponendam offensionem mollius, nihil eodem ad exhibēdam clementiam & misericordiam promptius. Miserat autem ad Vladislaum Matthias, satis superque bellis Turcicis implicitus, Ioannem Episcopum, vt eum ad colloquium de pace transigendum inuitaret, eiq; rei certum locum, certumq; tempus constitueret. Placuit vtrinq; mense Iunij in Morauia ad vrbem Olomuciū coiri. Non decedebat Matthias de more suo ambitioso, sed ita tardè iter faciebat, vt xv. dies Vladislaus, in Nouo, quod vocant, oppido expectare coactus fuerit, antequam Olomucium ille ingrederetur. Inde quoq; cum noua ambitione obuiam prodibat, nudo videlicet capite, ac viridi tantùm serto coronato, ne ipse caput suum hospiti detegeret, sed eum potius honorem ab illo sibi haberi ambiret. Qua in re bellè falsus est, siquidem Boiemi & ipsi satis ambitiosi, cognita Matthiæ arte, Regi suo insusurrant, vt tegmen capitis sui, zona sic planè innodet, vt nodos ipse explicare nequeat. Quo facto euenit, vt præter omnem opinionem voluntatemq; suam, Hungarus nudus capite, salutaret tectum capite Boiemum, deduceretq; vt hospitem in hospitium, prospectante è fenestra Beatrice Regina, amoremq; tacitum, ex conspectu noui hospitis forma conspicui hauriente. Porrò Matthias non videri solùm, sed haberi etiam lautus & magnificus vbiq; studuit, ac præsertim in excipiendis illustrioribus hospitibus, singularem pręse tulit liberalitatem, nulli sumptui parcens, siue in conquirendis epularū conuiuiorumq; apparatibus, siue in ædendis quotidie spectaculis, siue in donis mittendis, non ipsi Vladislao modò, verùm etiam comitatui eius pro cuiusque dignitate: denique omnes ad infimum vsque largis alimentis sustentans.

*Plebs castigata.*

*Sacerdotes linguaces loco moti.*

*Benignitas Vladislai.*

*Conuentus Regum Matthiæ & Vladislai vrbe Olomucio, anno 1479*

*Moram ingenti apparatui Hungari tribuunt.*

*Sic ars deluditur arte.*

*Beatrix Ferdinādi regis Neapolitani filia notha coniunx Matthiæ.*

*Conditiones siue articuli pacis Olomucensis.*

Vt dein ad seria ventum est, sic pax inter Reges conuenit, vt Vladislaus vniuersam sibi retineret Boiemiam, & in Slesia Suidnicensem, atque Iauoriensem Principatus: Matthias verò Morauiam, Slesiam cum reliqua parte Lusatiæ, hac conditione possideret, vt si prior ipse mortem absque liberis obiret, possessa omnia, vt sine vlla controuersia, sine vllaque pecunia ad Vladislaum regnumq; Boiemiæ reciderent. [f] Hærede autem relicto, vt is tantisper dictas prouincias regeret, dum ei ducenta millia aureûm nummûm à rege Boiemię in limitibus Hungariæ adnumerarentur.

Quod si contingeret, vt Boiemi eundem sibi Regem, quem Hungari delegerint (eligi autem ipse maximè cupiebat) rursus sine illius precij interuentu, vt auulsa à corpore regni membra, Boiemiæ coniungerentur. Rebus ad hunc modum transactis, Matthias Budam, Vladislaus verò Pragam redibat. Cæterùm cognito per viam, quid plebs Pragensis in Senatum suum, quid in patres religioni consecratos designauerit, Melnicum deflexit, quo in oppido, primū lachrymas Regis viderunt qui illum comitati sunt, tantus videlicet dolor animum illius incessit ex tam immani Pragensium audacia, qua curiā vtramque nouæ ac veteris Pragæ multorum Senatorum sanguine fœdauerunt, Monasteriaq; instaurata, pulsis monachis, rebusq; omnibus spoliatis profa-

*Noua plebis Pragensis contra Senatum & religiosos seditio magna Regis indignatione.*

narunt,non ob noxam aliquam,ſed quia monachi religionẽ acceptam mordicus retinebant,& nonnulli Senatorum patrocinio illos ſuo,Rege ita iubente protegebant. Qua de re anxio,ambiguoq́; Rege, quánam via, ad expetendas ab audacibus pœnas procederet, veniunt ad illum placãdum Henricus, & Hinco filij Georgij, muneribus ciuium corrupti, Sed cùm tam atrox facinus illorum eſſet, tamq́; euidens læſæ maieſtatis crimen contineret,vt nulla prorſus excuſatione potuerit excuſari,qui placatũ venerant Regem deuotiſſimum religioni, ad exemplum miſericordiæ Dei prouocant,dicentis:Nolo mortem peccatoris,ſed magis vt conuertatur & viuat,idq́; tandem obtinent propoſita quadam ſatisfactione,vt ſcelus illorũ diſſimulatione potius,quàm vltione ſenſim obliteraretur.Reuertente Pragam Rege,Pragenſes multorum regimine factionibus inter ſe diſſidentium,ac nihil in cõmune conſulentium prægrauati,legitimũ Senatum requirebant,ſed eum niſi Rex, alius legere non poterat,ne vel factione ciuium, vel mala electione,homines ſeditioſi,aut adminiſtrandis rebus parum apti,publicis negotijs præponerentur.Eunt igitur ad regem quidam eorũ, priuato magis quàm communi conſilio,rogantq́; vt magiſtratibus orbæ reipublicæ Pragenſi nouos ſufficiendo ſenatores ſuccurreret. Indignabundus adhuc ille: Et vbínam, inquit,ſunt ij,quos paulò antè vobis dedimus? Reſpondent: Malum ſibi quæſiuerunt, malum inuenerunt. Aequúmne fuit,inquit,vt vos accuſarores pariter & iudices ageretis?illorum quos pro libidine veſtra inſimulaſtis,vitaq́; crudeliſſimè ſpoliaſtis. Atq; auerſus ab illis in cubiculũ ſecretius receſſit.Rurſus itaq; Hinconẽ Podiebradium ſibi aduocant,eoq́; aduocato impetrant,vt in vtraq; Praga integer à Rege Senatus reſtitueretur.Interim vnus & alter veterum Senatorum, qui nuper cædem fuga effugerant,clàm Pragam regreſſi,in apertum,niſi perſonati,nõ prodibant. Eorum alter Caudula cognomine,quamuis perſonatus ambularet, cùm nihilominus tamen à quibuſdam agnoſceretur, dedit ſe in pedes,rectáque domum regis,tanquam Aſylum petijt.Ac primò Rex minis armisq́; ſupplicem,contra perſequutores tueri,poſtquam furens multitudo creſcere,nec iam probra ſola in regem,ſed ſaxa etiam & tela iacere,ſcalasq́; afferre cœpit, ſuadente Geſcone Boſcouicio, egregio bellatore, vt contentione impari Rex omiſſa,daret ſe ad mitigandam verbis benignis turbam. Eamq́; prouinciam ipſe nomine Regis ſuſcipit, Pragenſibus tum familiariter notus,tum eidem cum illis religioni obſtrictus,quod illi vinculum magni æſtimabant. Nulla tamen re alia furore percitos Geſco mitigare potuit, niſi vt per communem fidem illis promitteret, Caudulam ſe in ipſorum poteſtatem redacturum, cùm primùm ex latebris extractus,in illisq́; repertus fuerit. Dilabentibus inde turbis non defuit vltimæ fecis homuncio, qui viſo Rege, dum ex feneſtra abeuntes proſpectat, clamare auſus fuerit, occidatur Polonicus iſte porcus, calicis oſor, intentoq́; arcu, propius feneſtram accedens,in illam,declinante iam Rege,telum dirigit. In tanto diſcrimine conſtitutus Rex,conſilium mutandarum ædium capit,ac vix ſe continet,quin ſtatim hora illa domo infauſta emigret. Veſperam expectans ob tenebras ad tacitè elabendum tutiorem, qua aduenientecum paucis clientulis ad ripam fluminis pedibus vadit,conſcenſiſq́ue nauiculis, flumen traijcit, ac ſe protinus in arcem diui Venceſlai transfert,tangens & adiurans aram eius,ſe nunquam amplius ab arce ad aulam Pragenſem delapſurum. Conuerſuſq́; ad ædificandam & muniendam arcem vallo ac foſſis, atq; propugnaculis illam circumdedit, & ante omnia palatio eandem prorſus Regio adornauit,vt quantò ornatior appareret,tantò libentius illam Reges Boiemiæ inhabitarent. Nunquam tot inſidijs vita cuiuſuis Boiemię Regis,quot Vladiſlai appetita fuit,tam veneno,quàm ferro, ſemper tamẽ fruſtrante inſidiatores euẽtu, vel quia occaſio veneni dandi nõ aderat,

*Demulcetur Rex à filijs Regis Georgij.*

*Petunt à Rege nouum ſenatũ Pragenſes.*

*Expoſtulatio Regis cũ Pragenſibus.*

*Senatus exoratore Hincone Podiebradio Pragæ inſtitutus.*

*Caudula ſenator ne Regis quidem præſidio tutus.*

*Effrænis vulgi Pragenſis licentia.*

*Rex in periculo vitæ eſt.*

*Fugit ex vrbe in arcem ſuperiorem, quam ſibi domicilium poſterisq́; conſtituit.*

aderat, vel quia conspiratio ante tempus detecta fuit, vt validissima tunc illa in vrbe Pragensi conflata, quam Hrabanius ciuis Pragensis proditionis conscius patefecit. Venit item tempestiuissimè in lucem, & altera illa occultissima nobilitatis coniuratio per Alexandrum, & quendam alterum ex ordine equestri virum, in tormentis prodita, qua Rex ferro ab ipsis occîdi debuit. Qui dum ad supplicium de proditoribus haberi solitum ducerentur, conspicerentque regem in ambulacro ambulantem, Vide, inquiunt, ô Rex, quàm caute agas, qui discipulos proditionis punis, magistros autem honoras. Erántque ambo Hinconis Bodiebradij clientes. Sed nec Matthias rex ea tempestate sine malo rumore ab hominibus suspicios is transmissus est, eum insimulantibus, quasi pecunia sua coniurationes in Boiemia aleret, vt vel per illas regno Boiemiæ potiretur, crebro dicere solitus, hoc sibi ad deterrendos quoslibet in orbe hostes deesse, quòd Boiemos Hungaris adiunctos sub regno suo non haberet, [g] adeò in re militari exercita, & assiduis bellis inuicta vtraque tunc gens fuit, Boiema videlicet atque Hungara. Cæterùm Vladislaus natura & consuetudine leniissimus vsq; eo remotus ab omni malâ aduersus Matthiam suspicione post talem etiam rumorem fuit, vt se iterum fidei ipsius committeret, veniretque Iglauiam, quam tunc Matthias possidebat, sine vlla publica sibi fide data, ibique ex animi vt libuit sententia reliquas controuersias, de quibus Olomucij decidi non potuit, composuit, præsertim de bonis gladio vtrinque interceptis, vt illa ijs ab vtroque rege gratuito restituerentur quorum antea fuerunt, ne cum damno suo officium & fidem erga reges suos coluisse viderentur. Plurimi enim nobilium dum fideliter regi suo adhærent, omnibus bonis à diuersa factione exuti fuerant, inter quæ cœnobiorum quoque habita ratio est, vt ab vtroque rege illa cœnobitis, quibus erepta erant, redderentur. Sensit tamen paulatim Vladislaus magnum incommodum, magnamque regnandi pro maiestate regia difficultatem ex Morauia, Slesia, Lusatia abalienata, quippe tanta per illam alienationem de vectigalibus censibusque & ex tributis deductio facta fuit, vt ne numerum quidem equitatus solitum rex suo sumptu alere posset. Quin etiam ijs, quos reliquos circum se habebat, stipendium imminuere in animum induxit, ne extra ordinem tributo aliquo ordines oneraret. Solatio in malis fuit, quòd tranquillitatem in Boiemia ab hoste externo obtinuit, Matthia in Cæsarem Friderici hostilia conuertente, qui iure quodam suo Hungariæ regnum sibi vindicabat, quod Matthias Ioanni filio extra matrimonium nato relinquere destinauerat. Prælium inter Cæsareos Regiosque in Austria prope oppidum Cornombergam atrox & cruentum factum, in quo victor Matthias, deducendum sibi exercitum de Austria prius non existimauit, quàm Viennam Austriæ caput reciperet. Qua recepta, non diu superuixit, ibidem ex apoplexia mortuus, tardè Morauis quibusdam proceribus nuncio [h] mortis credentibus: quoniam memoria tenebant, aliquoties famam mortis eius antea sparsam fuisse, ac semper illum magno alicuius malo resurrexisse. Postquam certo apparuit sepultum, vnus è proceribus illis, à centum, inquit, annis malus thesaurus melius tempestiuiusque in terram conditus non est: malè enim ille mulctatus à Matthia fuerat: regium funus Regina Beatrice exequias procurante, Albam celeri pompa transferri placuit. Inde Beatrix Budam reuersa, authoritate, qua apud Hungaros post mariti quoque obitum pollebat, obtinuit, vt interregno durante ipsa potissimum regnaret, liberalitateque mox & sermonis etiam Latini elegantia, tum itē arte mulcendi aures hominum hactenus se insinuauit, vt sibi à compluribus concederetur potestas deligendi maritum, quem ad regnandum sciret maximè appositum. Atque illa non occultè Vladislaum Boiemiæ regem, cuius specie in conuentu Olomucensi capta fuit,

*Vita Vladislai multis insidijs exposita.*

*Per duellibus uita adempta.*

*Matthias & Podiebradij subornant sicarios.*

*Conuentus regum Boiemiæ & Hungariæ habitus Iglauiæ.*

*Definitiones conuentus.*

*Aerario Vladislai multum decessit ob prouincias Matthiæ concessas.*

*Bellum Matthiæ contra Cæsarem Frider.*

*Vienna capta anno 1485. Calendis Iunij.*

*Beatrici datur potestas eligendi regis & mariti.*

*Alij Hungarorum Albertum Vladislai fratrē, Beatrix ipsum Vladislaum posset.*

maritum sibi destinauit. Sed aderat alia factio, quæ Albertum Polonum regis Vladislai fratrem in regno præferebat, quoniam ferocior & armis promptior esse videbatur. Huic ita in secretiore consultatione, quam nonnulli in arce Budensi habebant, acclamatum est, vt nullius alterius nomen audire voluerint. Exarsit ita Beatrix, seuocatoque Iohanne Varadiensi Episcopo, qui sua sponte causam Vladislai enixa fouebat, ire eum continuò extra arcem ad circum, quem Sancti Georgij vocant (in quem tunc omnes Hungarorum ordines coiuerant) iubet, polliceriique reginæ nomine militibus donatiuum, & populo congiarium, si Vladislaus Hungariæ Rex ab illis pronunciatus fuerit. Ingenti omnes voce exclamant: Viuat Vladislaus Rex Hungariæ. Vterq; dein frater, tum Vladislaus, tum Albertus, ius suum armis persequitur, illum non Boiemi iam soli, sed & Moraui & Slesitæ iuuabant, vt rursus cum regno Boemiæ copularentur, istum parens Casimirus rex Poloniæ copijs instruebat, grauissimè ferens, quòd maior natu filius vno diademate contentus esse nollet: Qui tamen quàm libenter ad arma descenderit, hinc liquet, quòd plures conditiones rei fraternæ componendę vltro obtulerit, & cùm neq; patrem neque fratrem mouere posset, ipse in castris, quæ aduersus fratrem parabantur, adesse noluit. Magna præterea cura præfectis militiæ, quorū vnus Petrus Sterenbergius, alter ex equestri ordine Venceslaus cognomine Lúpulus erat, iniunxit, vt si ventum ad manus esset, recordarentur, ab altera parte Albertum fratrem stare, quem fratri violare fas non esset. Sed parum abfuit, quin violaretur ob nimiam animi audaciam, qua post confossum sub se vnum equum, altero rursus in aciem inuectus est, ægreque inde elapsus inter fugam suorum, quos retinere non potuit, insequentes Boiemos frustratus. Occursum mox ab eodem Vladislao Iohanni notho Matthiæ filio ad occupandam Budam festinanti, quasi illegitimi filij legitimam in regnis habere deberent successionem. Opes addebant animum, quas Matthias ei cum toto patrimonio suo reliquerat, magna vi auri & argenti adiecta, vt facilè militem scribere, exercitumque conflare potuerit. Susceptis illius partibus, inter alios Valachos quoque, ex qua gente Matthias ortus erat: atque ij acerrimum prælium diu sustinuerunt, tandem cum duce victi, aut cæduntur, aut dilabuntur castris desertis, supellectili preciosa opulentis, quæ à milite, cui præda concessa erat, vt cupidius pugnaret, variè distracta fuit, adeoque vili precio diuendita, vt vnus orbis argenteus vno aureo nummo permutaretur, lanx, peluis, trulla, phiala, etiam inaurata, carissimè decem aureis nummis redimebatur. Interim Fridericus Cæsar non satis post stragem nuper acceptam milite instructus, legationibus & literis ius suum, quod ad regnum Hungariæ habuit, repetebat, & quia Viennæ inprimis recuperandæ auidus erat, de illa ei Vladislaus concedebat. Sed ea re minimè contentus Maximilianus, quem parens consortem imperij fecerat, armat militem, auxiliaque vndique à principibus & amicis contrahit, atque validissimo agmine ad inuadendam Albam, quam Hungari Regalem cognominant, ire infestus pergit, datque ciuitatem militi in prædam, si illam expugnasset, excepto tamen templo, in quo reges Hungariæ & coronantur & sepeliuntur. Illud ne quis attingeret, edicto prohibuit. Expugnata & crudeliter direpta Alba fuit, iamque miles edicti immemor, templo etiā in Hungaria ditissimo admouere manus cœperat, cum ecce tibi Maximilianus equo cataphracto insidens aduolat, aliquot cohortes secum trahens, cum quibus magna vi turbam à templo remouet. Hoc item super omnia pietatis continentiæque eius opera prædicandum, quòd templum ingressus, donis & monumentis, gemmeis, aureis, argenteis refertissimum, quibus reges Hungariæ locupletissimi eum locum, in quo auspicia regni, auspice Deo, auspicabantur, exornatum illustratumque esse voluerunt, nihil ex tantis copijs extulerit, cùm

*Auro Beatrix milites corrumpit.*

*Vladislaus electus 15. Iunij, coronatus 14. Septembris.*

*Certant fratres de regno Hungariæ.*

*Pietas Vladislai in fratrem Iohannem Albertum regni æmulum.*

*Dux Iohannes Matthiæ spurius ab Vladislao profligatus*

*Vladislaus Viennam Cæsari restituit.*

*Maximilianus Albam Regiā diripit intacto templo sacro, 60. die postquā coronatus esset Vladislaus.*

cum iure victoriæ omnia auferre posset, nisi vnicam crucem auream, illamq; perparuam, quæ maiorum suorum principum Austriæ fuisse dicebatur, cui rei testimonium insigne gentilitium præbebat. Budam exercitum ab Alba deducenti Vladislaus copias suas longè maiores in via obiecit, quibus cùm cedere de campo Maximilianus sine certamine nollet, aduersam in prælio fortunam expertus est, victoriamque de regno Vladislao concessit. [k] Qui statim rursus Alba recepta, regium in illa diadema ritu solenni suscepit. Vitusq; est, non solùm de viuis competitoribus, sed de mortuo etiam æmulo triumphasse. Deficiente namque regni vexillo, quod regi inter coronandum offerri solebat, detractum est Matthiæ vexillum supra sepulchrum eius suspensum, illudq; in manus Vladislai velut triumphantis traditum. Egressus templo vix prandium absoluerat, cùm baiuli in ordinem compositi, scyphos, phialas, pateras, & alia vasa præclaro opere grandique pondere insignia, & nonnulla ex ijs aureis nummis plena manibus gestarent, vt illa pro munere dominorum suorum nomine regi offerrent, quibus postquam mensæ & scamna essent ornata, innuit Rex vni & alteri è proceribus Boiemis vt propius accederent, inquiens, Multò culina vnctior in Hungaria quàm in Boiemia apparet: captusq; nidore eius Pragam rarius frequentabat, accusante illum assiduò Beatrice, vt ingratum, vt accepti beneficij immemorem, quòd nihil eorum, quæ ante regnum adeptum spoponderat, præstiterit. Sua erga illum merita in confesso esse, sed & promissa eius de contrahendo matrimonio testes multos habere. Si magni æstimet regnum, non minus æstimare illum debere fidem & sacramentum, quo sibi ad matrimonium ineundum obligatus est, vt interim secreta intra taciturn duorum conscientiam lateant, quorum Deus solus testis esset. Quæ sæpius frustra iterata deploratáq; coegerunt Beatricem, vt Vladislaum Romam in ius vocaret, ibique consuetudine Romana causa de anno in annum diu ampliata, & ad extremum multo auro redempta dicitur, vt Vladislao aliam quamcunque vellet, ducere vxorem liceret. Duxit autem apud Vascones, filiam Herois de Gandala, cui nomen Annæ fuerat. Quies aliquantisper à Turcis post obitum Matthiæ durauerat, donec Basaythes motu terræ commotus, qui tam acer Constantinopoli extitit, vt octingentas domos ruina prosterneret, ac homines plus minus ter mille vel obrueret, vel fulmine excitato adureret, rursus arma in Hungaros resumeret, eam calamitatem, quam acceperit, Mahomethi prophetæ sui furori attribuens, ob id furenti, quòd nimis diu vacationi militiæ aduersus Christianos vacauerit. Ab hoc submissi Turcæ, agros in Bosna ad Hungariam pertinentes vrunt vastantque, & omnia fuga & terrore complent. Eunt dein ad expugnandam arcem Sabatiam, quam nuper Matthias recuperauerat. Qui in præsidio arcis erant, Budam confugiunt, orantes ne se in rebus tam trepidis Hungari deserant, sibi nequaquam tantum virium esse, vt resistere tantæ vi hostium queant. Consultant illi rege coràm, fuitq; omnium consilium, vt maturè obsessis succurratur, ne arx multo labore & sanguine recepta, per ignauiam turpiter amitteretur. Delecti confestim præfecti militiæ, periti hostium bellorumq; cum Turcis, quos equitatus peditatusq; robustissimus sequebatur, prælium meditans, quod futurum cum hostibus præsagiebat, non falso præsagio. Adeò autem fortuna in certamine Hungaris adfuit, vt primum vix illorum impetum Turcæ sustinuerint, ac mox inde præcipites fugæ se mandarunt, non arcis modò oppugnationem deserentes, sed è tota Bosna retrò fugientes. Sabatia arx firmiore quàm prius firmata præsidio, atque in primis commeatu largo instructa fuit, ad tolerandam diutius obsidionem, si opus foret. Inter hæc in Boiemia, vt fieri solet, rege multo tempore absente, factionibus, seditionibus, latrocinijs, corruptis ad spem rapinarum paganis militibus omnes vias

*Crucem auſert Maximilianus*

*Maximilianus cæſus.*

*Vexillum è ſepulchro Matthæ auulſum Vladislao traditur.*

*Munera regi ab Hungaris tradita.*

*Hungaria opulentior Boiemia.*

*Beatrix ingratitudinis regē inſimulat.*

*Repudiata Beatrice rex Annā Gandalā ducit.*

*Baiazethes II Turcarum imperator religione tactus bellum molitur Hungariæ.*

*Turci ad Sabaziam cæſi duce Paulo Kiniſio anno 1492.*

*In Boiemia ob regis absentiã sacra quàm profana miscentur*

insidentibus,res vehementer turbabantur, Pragam quoque solitis motibus inquieti concionatores suis concionibus commouebant,donec eò conatum suum perducerent, vt haberent Episcopum de secta sua. Is erat præuaricator, Augustinus nomine, ex eo numero Episcoporum, qui titulares vocantur, quia titulum sine ditione præferunt,senex,auarus,& delirus,vt qui in hac voce animam exhalauerit:Si non possum salutem assequi vt malus Christianus, saltem seruari queam vt bonus Marranus,quasi bonus Marranus vsquam locorum inueniatur.Collegia præterea artificum in eadem Praga per factiones diuisa,cædibus inter se mutuis dimicabant, non tam imperito, quam inualido ad cohibendã audaciam,Ioanne Genczone, quẽ Rex summum arcis Prag. præfectum reliquerat. Sed & in argentarijs Cuthnensibus res pessimè administrabantur,tantum cupiditate progressis,qui montib. & operis præerant,vt furta illorum ne operæ quidem ipsæ amplius tolerare quiuerint, nimirum offensæ,sibi quoque operæ precium ab illis diminui detrahique. Signo igitur sublato,ad montem oppido vicinum armati secedunt, armis iniuriam vindicare parati. At furtorum conscij ad proximas ciuitates confugiunt, Czaslauiam atque Coloniam,docentque quanto in discrimine sit thesaurus regni, qui ex montibus Cuthnensihus coaceruatur, quem seditiosi quidam ex plebe promiscua prodere, & ad nihilum redigere pergerent, nisi subueniatur,& quàmprimùm audacia illorum comprimatur. Ab vtraque ciuitate ad arma conclamatur, vt Cuthnensibus extemplo suppetias ferant, atque vtrinque prompto studio ad montem, quem pars aduersa occupauerat, occurritur. Obsessi superante aduersariorum multitudine, cui quantumuis innocentes essent, facile succumberent, ad iudicium prouocant, seque in illo furta, quæ fiunt,& à quibus, demonstraturos recipiunt,interim Colonienſibus, & Czaslauiensibus decem ex suo numero honoratiores dant obsides, hac conditione, vt incolumes in futuro iudicio sistantur. Verùm malè sibi conscij Cuthnenses,iudicio anteuertere cupientes, Budam ire præfestinant,obsidesque apud regem falsò rei capitalis accusant, ita miseri illi causa indicta damnati, pœnas indebitas luerunt, extra vnum, qui carnifice prostrato maleque mulctato superstes euasit.Hæc igitur atque alia pleraque regni incommoda præsentiam regis desiderabant,quibus ille tandem euictus constituit Boiemiam inuisere.

*Metalla Cuthnensium improbitate præfectorũ minus abundant.*

*Vulgus consurgit aduersus quæstores rapaces.*

*Obsides Cuthnenses regis mandato innocentes uita plectuntur.*

[a] *Præterit auctor bellum contra Polonos à Matthia gestum ob euocationem Casimiri I I in Hungariam à coniuratis,vbi licet Boiemorum nulla fit mentio,tamen exacerbati sunt animi ad bellum hoc maiori ardore persequendum.*

[b] *Captum dicunt Vilhelmum à Pernstein,& Petrum Hauguizium Silesium.*

[c] *Auro corruptos asserunt fuisse Poloni consiliarios.*

[d] *Extant huius volumina tam soluta oratione quàm metris, ingenium & eruditionem hominis testantia.*

[e] *Hic est Episcopus etiam Olomucensis administrator, Prostannæ ignobilibus parentibus ortus,qui principium familiæ Baronum à Kunouicz in Morauia dedit, cuius virtutes toti orbi notissimas Bonfinius passim tum Dec. 4. lib.10.sub finem copiosè describit.Hunc cum Iano Pannonio Episcopo Quinqueecclesiense confundit Silesiacorum annalium scriptor.*

[f] *Imò successoribus Matthiæ CCCC M.aureorum fuêre pendenda, quicunque essent futuri reges Hungariæ iuxta pacta Vratislauiensia, quæ hîc fuêre confirmata.*

[g] *Imò ad Vratislauiam conspecto agmine Polonorum & Boiemorum fremebundus dixit,se totius orbis imperio potiturum,si tanti exercitus imperator esset.*

[h] *Matthias rex Hungariæ humanis rebus cessit Viennæ anno 1490.5 Aprilis: ætatis anno 47. regni 37.*

[i] *Interregni tempore Dux Iohannes ab Hungaris cæsus est, cum aspiraret ad regnum.*

[k] *12. Septembris capta Alba à Maximiliano. Recepta verò 19. Iulij anni sequentis, id est, anni 1491. Ergo ante captam Albam coronatus fuit Vladislaus.*

# HISTORIÆ BOIE-MICAE LIBER TRI-CESIMVS SECVN-DVS.

VT magnificus ita fauorabilis Vladislai regis Pragam redi- *Rex Pragam reuersus magno applausu excipitur.*
tus fuit, magnificentia in celebri comitatu emicuit, ex vi-
ris dignitate conspicuis coacto. Tres enim præsules eum
assectabantur, Agriensis, Varadinus, Vaciensis, tum proce-
rum insignium & primorum nobilium ingens numerus,
cultu omnes ornatuque & clientulorum & equorum
splendidissimè instructi. Fauorem Pragenses obsequio de-
clararunt, ex omnibus tribus ciuitatibus obuiam cum signis & vexillis effu-
si, gratiam Regis venantes, eumque ad arcem vsque cum pompa illa prose-
quentes. Rex in arce nullum prius, quàm templi Diui Venceslai tectum sub-
ijt, gratias Deo agens, tanquam salutis suæ prosperitatisque authori. Mox ad *Ornat Rex templa & reliquias sanctorum.*
referendam gratiam deflexus, multam vestem sacram preciosamque, multa
tapetia varijs coloribus picta, vim præterea magnam auri & argenti templo
dedicauit, accitis aurificibus, qui diuorum reliquias, ac præcipuè sanctorum
patronorum capita thecis vilioribus inuoluta, cælato argento includerent,
desuperque inaurarent. Et vt cultus quoque diuinus in templo adaugeretur,
Chorales instituit, qui in conuentu coronaque canentium, hymnos Deo
tum die tum nocte psallerent, atque vtroque tempore, dum per otium licuit,
libenter illis interfuit, vt religionem sanctis vocibus pasceret, spem erigeret,
fiduciam in Deo figeret, simulque oraret pro rerum quiete, quam tantum
dilexit, vt quoties vel cubitum iret, vel è lecto surgeret, nulla eius vox alia au-
diretur, nisi, Da pacem Domine in diebus nostris. Hinc de arce Pragam de- *Pacis studiosus Rex.*
scendit, & tam in noua quàm in vetere ciuitate Senatum valde imminutum
suppleuit, atque vtrobique de regendis ciuibus constituit, vt in suæ quisque
ciuitatis ius ciues redigerentur. Sumpsit etiam supplicium de Cuthnensibus, *Supplementa senatui data.*
qui, quòd in alijs insontibus reprehendebant damnabantque, in eo ipsi ma-
nifestò deprehensi sunt. Ad coercendos autem grassatores, edictum promul-
gatum fuit, vt cuiuis liceret in cuiusuis fundo latroni manifestario liberè ma- *Lex contra prædones.*
nus injcere, illumque ad supplicium pertrahere. Mox in conuentu ordinum
actum de tabulis publicis in arcem transferendis: hactenus enim Pragæ in
domo regia asseruabantur, cùm iam iudices quoque in arcem fuissent trans-
lati. Sed & in iudicibus atq; ipsis iudicijs pleraq; tunc in melius mutata, indies *Forum iudicium restitutum.*
magis ac magis ad ius quàm ad vim inclinantibus omnium animis post tam
inquieta & violenta tempora, & postquā Rex addictissimus tranquillitati es-
set. Cuius turbandæ cùm præcipuam materiam dissensio de religione suppe-
ditaret, quòd alij Romanam, alij Pragensem acriter tuerentur, sic in eodem *Lis de religione compressa.*
conuentu inter vtrosque controuersiam Rex composuit, vt quæ loca veteri
vsurpatione cuique eorum ex hac vel illa factione hactenus obtigerunt, ea vs

quisque pro suis teneret,aliena ne appeteret,aut occuparet, néue alteri alteros contumelijs conuitijsque inceſſerent, ſed darent vtrique operam,ne pax communis quouis modo læderetur. Conatus eſt præterea gymnaſium Pragenſe in antiquam dignationem reſtituere, conductis ex Italia claris doctrina & eloquentia profeſſoribus, nullo non propoſitum regium mirificè laudante,extra ſenem quendam, cui Coranda vocabulum cum paucis magiſtellis gymnaſium occupantibus,qui metuentes ne bolus eis è faucibus eriperetur,clamare apud ſuos occipiunt: Actum eſt de religione veſtra Pragenſes, ni vigilaueritis: conatumq; per hæc regis irritũ faciunt. Is in Hungariam reuertens,aliquantulum in Morauia ſubſtitit,Olomuciumque ingreſſus,cognitioni nouæ ac vix auditæ præſedit. Ciuis Vratislauienſis, honeſto domi loco natus,copijsque rei familiaris locuples, & exiſtimatione inter primos habitus, negocij cuiuſdam ſui gratia in Poloniam profectus, diuertit in oppido quodam in domum meritoriam. Ibi Caupo quingentos hoſpiti aureos clam ſubducit, accuſatusque furti,crimen metu tormentorum fatetur, reddere ablatum paratus,nec aliud quicquam hoſpes petebat. Cæterùm iudex & decuriones oppidi inſtare,vt legibus illorum ſatisfiat,quæ ſanciunt,vt accuſator furti ſuis manibus furem in furca ſuſpendat, aut ſi ad manus carnificẽ ſuum non habeat,ipſe à fure ſuſpendatur, ſi fur id exequi voluerit, quod ille promptiſſimè ſe facturum recepit. His verbis exanimatus metu hoſpes,ignominiam infamiamq; ſupplex deprecatur,donatq; gratuitò iudicibus totã illam ſummam ſibi ereptam,modò abire incolumi illi liceat. Negant illi fas eſſe legũ cuſtodib.contra leges quicquam agere. Quid multa? quando nihil æqui impetrat,facere quàm pati quod neceſſitas iubebat maluit, continuoque Cracouiam ad Regem Poloniæ perrexit, qui legis huius barbaræ non ſolùm teſtem ſe exhibuit,ſed literis præterea ſuis regijs ab omni infamia illũ purgauit, quas Vladislaus quoque rex ſuo diplomate confirmauit, addita mulcta,ſi quis factum illud illi opprobrare auderet. At nemo rurſus quiſquam extabat,qui facinus illud ſerio excuſaret,ſed metu mulctę omnes muſſabant. Hanc demum Vratislauienſes rationem,hominis in priſtinam dignationem reſtituendi,inueniunt:creant eum præfectum, quem ipſi Capitaneum vocant, qui nobilitati ad iurisdictionem Vratislauienſem pertinenti tanquam iudex præeſſe ſolet,quem honorem ſi ille aſſecutus fuiſſet, cætera omnia ſalua eſſe videbantur. Sed nobilitati valde turpe erubeſcendumque viſum,ſubire iudicium hominis,aut ei in ſubſellijs aſſidere, in cuius vita tam manifeſta hęreret infamiæ macula: contrà ciues literas regias opponebant, quibus omnis prorſus nota detergebatur. In hac igitur difficultate Rex medium quiddam cenſuit,vt tum præfecturam vrbis ille gereret, poſteaquam à ciuibus rurſus in ſenatum allectus fuerit:remouerant enim illum è ſenatu. Sed nec poſt hanc Regis ſententiam eum in locum reſtituerunt,ita nec ſenator, nec præfectus, ſed vt priuatus tandem mortuus. Per idem tempus Stanislaus Thurſo Roma Olomucium veniens, regem ſuum qua decuit reuerentia ſalutauit, pontificatumq; Olomucenſem inijt,aliquandiu pontifice vacuum, eoq; gratior aduẽtus eius omnibus fuit,auxitq; ipſe gratiam in tantum ornatus cunctis dotibus pontifice dignis,in quantum ornari capit humana vita paſtoris caſti, ſobrij,pij,atque ea ſimplicitate ſimplicis,quam cũ prudentia Dominus miſcuit,inquiens: Eſtote ſimplices ſicut columbæ, & prudentes ſicut ſerpentes. Meritò itaque non ſolùm apud domeſticos fidei, ſed etiam apud eos,qui extra domum Dei in ſpeluncis verſantur ob virę innocentiam gratioſus fuit. Rex Budam reuerſus,non multò pòſt factus eſt pater ex Regina vxore,quæ filiam ei nomine Annam primo tum partu edidit, non omnibus hac re lætis, qui videlicet regni ſpem, ſi abſque liberis deceſſiſſet Rex,iam dudum deuorauerant, quanquam ſic tum

*Academiam Pragensẽ amplificaturus impeditur à Coranda.*

*Diſceptationi cauſæ inauditæ præſidet Rex urbe Olomucenſi.*

*Barbara lex.*

*Sententia à rege lata.*

*Stanislai Thurſonis Epiſcopi Olomucen. ſis laudes.*

*Anna filia regi nata prius Elizabeth diẽ anno 1500 23. Iulij.*

MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

ne tum quidem spem illam fouere desistebant, verbis se consolantes, quòd filia, non autem filius, qui legitimus regni hæres haberetur, nata esset. Altero deinde partu appropinquante, & nonnullis ex illa factione suspectam reginam habentibus ne puerum supponeret, si puellam enixa fuisset, iussit illa partui ex ijs suspicioſissimum vnà cum obstetricibus interesse, vt oculatus esse testis posset, mas an fœmella nasceretur, natusq; est Ludouicus, matre ex illo nixu fato functa, quoniam non ita vt debuit procurari ab obstetricibus potuit, arbitro præsente, cui fas non erat puerperijs se admiscere. Quàm verò grauem iacturam Rex immaturo reginæ interitu fecerit, mox sensit, redactus ad priorem fortunam, in qua ab alijs, prout illis aut expediret aut liberet, non ipse alios, vt principem decuit, regebat. Id autem, Regina incolumi, nemini concessum est, vt plus quàm Rex vlla in parte polleret; sed si quando partes regiæ suscipiendæ erant, præsertim in tuendis vectigalibus censibusque, & arcibus regijs conseruandis, in quas proceres inuadebant, vilissimo obtruso precio, ipsa munere regis aduersus tales fungebatur, breuique insignem thesaurum coaceruauit, ac prima reginarum abacum regis ex solido auro planè regium instruxit, aggressa dein mensas argenteas adornare, ne quid aliud in cœnaculo regio nisi aurum & argentum purum putumque resplenderet. Sed in ista post obitum reginæ, sicut in alia regis bona, impetus, non quidem festinus, sed lentus factus est ab harpijs aulicis, qui tempora rapiendi obseruare, nimiaque regis bonitate ad suum quæstum abuti probè nouerant. Huius adeò reginæ decessum cùm diutius lugeret, mœrorisque insignia vestes pullas deponere, aut barbam incanam abradere non sustineret, circumstat eum magna consolantium frequentia ex Hungaris, Boiemis, Morauis, Budam aggregata, ex quibus pro se quisque consolatorem agit, alius alio modo, atque in hoc omnes conueniunt, Nihil regem amisisse, saluo Ludouico filio, in illo omnia inesse, illumque regi pro omnibus esse, vt non solùm lugere deceat, sed etiam gaudere oporteat. Quibus auditis Rex, solita sibi in rebus ad stomachum non facientibus taciturnitate omnes transmittit. Redeunt postridie Hungari, quorum nomine Archiepiscopus Strigonienſis: Ad lætum, inquit, exoptabilemque nuncium lætus decet regem habitus, quem si induis, exoptata feres, vt Ludouicum regem Hungariæ tibiq; consortem vel in hac puerili ætate confestim videas. Tam grato, inquit, nuncio libenter in habitu quoque mutando subscribimus, proditq; mox purpuratus lautusque & attonsus ad prandium, cùm subitò Hungari mutant voluntatem de Ludouico coronando patre adhuc superstite, quoniam huius rei exemplum inquirendo se nondum inuenisse aiebant. Sed rursus à Boiemis & Morauis facturos se quæ Hungari negarent, prolixè pollicentibus, in priorem mentem impulsi, vt Ludouicus antea Hungariæ rex quàm Boiemiæ haberetur, coronandum eum in Alba regali susceperunt. Biennio dehinc post, in Boiemia Pragæ coronatus est, intra quod temporis spacium multa apud Boiemos seditiosissima turbulentissimaque contigerunt, diuisis per factiones & coniurationes inter se ordinibus, alijsque auctoritatem iudicum defendentibus, alijs iuri & sententijs latis non obtemperantibus, alijs latrocinari quàm iudicari malentibus, vnde plena insidiarum, plenaque armorum Boiemia erat. Ab omnibus enim ferè arma sumpta fuerant, contra proceres iudicio rebelles, quos Schlicones cognominant. Illorumq; oppidum munitissimum, vocabulo Cubitum, diu oppugnatum, non tamen expugnatum fuit. Capti mox per insidias Heinrici Guttsteini duo fratres è familia Schuambergensium ornatissima, abductiq; in Bauariam, libertatem aliter nisi grandi summa adnumerata recuperare haud potuerunt, nec interim Georgius Kopytlansky, grassatorum grege stipatus, quem aduersus Pragenses contraxerat, igne, cædibus, rapinis, inter-

*Ludouicus filius Regi natus matre mortua anno 1503.*

*In re domestica ampliandâ & reditibus percipiendis peritissima fuit regina.*

*Rex mœstus ob coniugis obitum.*

*Hungari solantur regem promissa Ludouici filij coronatione.*

*Biennio Ludouicus rex Hungariæ coronatur.*

*In Boiemia fusq; deq; omnia fiunt.*

*Cubitum oppidum Schliconum oppugnatur.*

dum membrorum mutilationibus insultare Pragensibus acerrimè destitit, atque ita illos premere, vt pedem è mœnibus vix efferre auderent. Eisdem molesti & sacerdotes erant, more suo inter se rixantes, ciuiumque concordiam distrahentes, dum alij Calixtinorum, alij Piccardorum factionem magna contentione præferunt, fouentque. Continuæ ad regem literæ, frequentes item legationes missæ, orantes, vt aduentum suum in Boiemiam celeraret, vix aliàs vnquam magis necessarium: aut si adhuc negocijs regni Hungariæ impediretur, quò minus ipse statim venire posset, legatos cum plena potestate ad componendos præsentes motus præmitteret, qui simul viam quoque commodam domino suo præpararent, quam sine animi molestia libenter paulò pòst obiret. Delecti ad hoc duo Episcopi, partibus minimè suspecti, quia à studio illarum contentioneque alieni, Stanislaus Olomucensis, & [a] Iohannes Varadiensis, qui quanquam vestem religiosam induit, curas tamen aulicas non planè exuerat, quibus ab ineunte ætate innutritus, ac sub rege Matthia peritissimo magistro edoctus, exercitusque, quoties opus erat, multum arte in illis pollebat. Frequentissimus omnium ordinum conuentus Pragæ tunc adfuit, cùm legati mandata Regis exposituri suggestum conscenderent, quibus breuiter initiò expositis, iubet ante omnia Varadiensis literas cum signis exhiberi eas, quibus nomen quisque suum fidemque in societatem noui fœderis obligauit. Tacentibus primùm vniuersis, mox non paucis tergiuersantibus, & nonnullis extare illas negantibus, instat Varadiensis, vrgetque, & se authoritate regia vsurum minatur, nisi dicto mandatoque regio audientes fuerint: quo audito, vadunt, tollunt, afferunt literas, quibus ille acceptis, explicat pellem longam latamque: sed neque quid in illa scriptum est legit, neque signa circumquaque pendentia considerat, sed cultro sumpto per medium illam discindit, signaque amputat, ac mox ea dispergit, vnde recolligi illa non potuerint. Cùm hæc fierent, aderat non nemo in illo conuentu qui diceret: Quin detrahimus huic monacho bardocucullum, & imponimus ei trabeam palmatam, quãdo tam insignem de nobis egit triumphum. At Varadiensis ab hoc facto hilari vultu ordines affatur, spem illis dans optimam, omnia ex vsu regni ipsorum vtilitate successura: postquam res huc adducta sit, vt liberè omnibus in medium consulere liceat. atque ita sanè euenit, vt communi intercedente consilio, adhibitaque ab vtroque legato medicina, quæ vitiosas partes sanaret, totum inde regni corpus bellè conualuit. Ab ijsdem legatis, mandato Regis peculiari, hoc quoque de Piccardis actum fuit, vt ne in catus publicè aut priuatim coirent, synagogas suas omnes occluderent, à concionibus scriptisque de sua secta plane abstinerent, & intra certum tempus, vt ad alterutram partem Romanam aut Calixtinam discederent. Conuenit inter omnes ordines, vt mandatum istud ad publicas tabulas, cum mulcta transgressoribus imposita referretur, eiusque exequendi potestatem arcis præfectus cum iudicibus haberet. Hinc Regi opportunitas adesse visa est eundi in Boiemiam, quam protinus etiam arripuit, Ludouicum regem paulò amplius triennium agentem, & Annam filiam aliquanto natu maiorem secum adducens. Cumque omnia instructa apparataque inuenisset, quæ ad festa coronationis gaudia apparanda erant, iamq; Marchio Brandeburgensis cum liberis & vxore sua, quæ Vladislai regis soror germana fuerat, cumque alijs principibus & hospitibus Pragam venisset, nulla mora interposita ad regnum Boiemiæ Ludouicum, augure Stanislao pontifice Olomucensi, inaugurandum curauit. Non tenuit Anna puella lacrymas, viso Ludouico corona aurea redimito, interrogataq; à parẽte, cur fleret? quia corona, inquit, regia careo, cũ æquè ac Ludouicus regis sim filia. Vladislaus subridens, post solennia peracta coronam sibi afferri iubet, illamq; capiti

*In Pragenses sæuitum à Kopitlansko.*

*Regis implorati præsentia.*

*Memorabile Varadiensis facinus.*

*Præter spem pacata omnia.*

*Lex de Piccardis, ut Romanis uel Calixtinis se coniungant.*

*Ludouicus xvi rex Boiemiæ coronatur Pragæ.*

*Iocus de Anna regis filia coronam fratri inuidente.*

puellæ

puellæ imponit, atq; ità læti inde omnes ad conuiuium ineundum procedebant. Digreſſis hoſpitibus, atrox facinus à Boiemis in Hungaros, in ea vrbis parte, quam Minorem vocant, perpetratum, rixam nebulone quodam ſuſcitante, ob ereptum ſibi proſtibulum: diu procacitatis, & petulantiæ certamen ſtetit, concurrentibus ad clamorem vtrinq; Boiemis & Hungaris, atque vtriſq; ſtricto ferro ſe turbæ ſuorum miſcentibus. Validior Boiemorum manus trucidatis circiter xiiij Hungaris, cæteros in fugam auertit, ſed nullum tutum fugæ aderat perfugium, in ipſis diuerſoriſs ſauciabantur, & fœdè ſpoliabantur ſine vllo diſcrimine domini ſeruiq;. aucta mox rapiendi licentia fuit, aucto prædonum numero, ex veteri nouaque Praga affluentium, adeò vt Stephanus Batori inter primos apud Hungaros dignitate conſpicuus ægrè è manibus illorum elapſus fuerit, Medæam imitatus, vt enim illa ſparſis per viam liberorum ſuorum membris, ita Stephanus aureis nummis paſſim proiectis ſe inſequentes remoratus eſt, donec in arcem penetraret. Sedata poſt hac turba, à magiſtratibus, & ſaniore parte plebis omnium trium ciuitatum, authores tumultus comprehenſi, varijs pœnis ſubdebantur. Leniſſima erat pœna capitis, frequentiſsima autem pellium detractio, excoriatioq; quã paſsi ſunt ferè omnes, qui ueſtium Hungaricalium precioſis exuuijs ſua corpora induerant. Vocati deinde ſunt Principes Germaniæ ad præſtandam debitam Regibus Boiemiæ obedientiam, Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ. Nam Marchio Brandeburgus ante diſceſsum Praga ſuum, illo munere ſolenniter cum ſacramento functus eſt. Compari ceremonia iſti quoque ſimilia ſacra regibus in throno conſidentibus iurati peregerunt. Ac ne, poſt reditum in Hungariam ſuum regni ſtatus malè ſtaret, curam in primis iurisdicendi, iuſticiæq; omnibus ex æquo adminiſtrandæ habuit, monitis iudicibus, vt ad legitima iudiciorum tempora Pragam coirent, actuique rerum & cognitionibus ſine vlla cuiuſuis interpellatione vacarent, eiſdem armis quoque ipſum ius & ſententias exequendi conceſſit aduerſus eos, qui per audaciam aut potentiam res iudicatas illudere audebant. Ad eoſdem tranſtulit arcium cenſuumq; Regiorum procurationem, cũ accepiſset eum, quem Regijs negocijs præfecerat, magis ſuum marſupium, quàm Principis fiſcum procurare. Ad plurium itaq; conſcientiam confugit, deditq; illis poteſtatem, tam præficiendi, quàm ſubmouendi ab officijs quos idoneos eſse non iudicarent, atq; inter præcipua illis iniunxit, vt crebrò cum eis rationes putarent, ne dilati pro nummis repræſentarent ratiocinarium, nummos denique ne in alio loco quàm in arce Pragenſi deponerent, nullius niſi Regis mandato diſpenſandos: quòs quidem ille breui pòſt diſcedens ita diſpenſauit, vt ne teruntius quidem maneret reliquus, ſed tot præterea & tantis debitis regnum inuolueretur, quantis nunquam aliàs, multis videlicet æruſcatoribus pro vno ſuccedentibus, qui in æs varijs artibus inuaderent. Extat verò prouerbium, Multis ictibus deijcitur quercus: cuius naturæ cùm Vladislaus videretur eſſe affinis, durus interdum in aſſentiendo ac inflexibilis, & quem vnico ictu non proſterneres, quid mirum, ſi crebris multorum ictibus tandem procumberet, vt tædium & moleſtiam vel cum iactura aliqua redimeret. Vrgentibus reditum Hungaris, indulgendum iam illis quoque tempus adeſſe ratus, itinere per Morauiam ſolito progrediebatur, diuertitque Cremſirium ad Stanislaum Præſulem, & vſque in tertium diem ibidem ſubſtitit non ſine cura; quæ animum illius angebat ob peſtem in Hungaria pululantem, cui liberos committere nolebat. Aderam præſens ego, cùm Regem ita affectum Stanislaus in cubiculo iſtis verbis alloqueretur: Video maieſtatem veſtram eſſe ſolicitam periculo liberorum, quod illis ex aura in Hungaria ob morbum ſuſpecta imminere videatur: Nihil maieſtati veſtræ opus eſt hac cura, maneant ambo

*Leui principiò ingens rixa inter Boiemos et Hungaros orta.*

*In authores ſat ſeuerè animadueꝛſum.*

*Principes feudum ab Vladiſlao accipiũt.*

*Armat ſupꝛema magiſtratus auctoritate rex: illis etiam redituum curã commiſſa.*

*Mandata de fiſco.*

*Prodigus Vladislaus.*

*Gutta cauat lapidem non ui ſed ſæpe cadendo.*

*Reuertitur rex in Hungariam.*

*Rex Cremſirium exitinere diuertit.*

cum ſuis in Morauia,aut hîc Cremſirij,aut in vicina arce Viſcouienſi,cui hortus ſatis amœnus adiunctus eſt, libentiſsimè ego illis de altero loco concedam,vt quoad maieſtati veſtræ placuerit, in illo commorentur. Ducens ex alto Rex ſpiritum,gratias,inquit,agimus.Ac multis præterea huius officij tam prompta exhibitio grata fuit.Sed diſturbauit totam rem Ioannes Comes Sepuſienſis è Trencinio Cremſirium ducentis equitibus comitatus ſuperueniens,regiq; coràm minas proponens, quibus Hungari minarentur, ſe illum Budam non intromiſſuros,ſi abſque liberis in Hungariam redeat. Cum liberis itaque reuerſus eſt. Tranquillæ tunc res in Hungaria à Turcis fuerant,rege continenter pro pace orante, & vt multorum opinio habebat, precibus ſuis,Baſaythen à Chriſtianis aduerſus Perſas auertente. A quibus Turcæ iam tertia inſigni clade proſtrati, caſum ſuum apud filium Selimum miſerabantur,incuſantes patrem, quòd omiſſis in Thracia, Miſia, Pannonia felicibus prælijs, infauſtiſſimum apud Perſas concitauerit bellum, multisq; eum exhortationibus cõtra eundem patrem accendentes, ad extremum effecerunt, vt filius illi imperium extorqueret,ac deductis ex Perſia reliquijs, fines regni Hungariæ infeſtare cœperit.Erat tunc Romæ Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis,eoque facilius præſens impetrauit, vt crucis tuendæ contra Turcas,crucis militiam in Hungaria promulgandam Romanus Pontifex concederet, facta promulgatione, vexilloque crucis ſubleuato, cùm præter ſpem magnus hominum ad arma conflueret numerus, multoque adhuc maior fama eius apud Turcas increbreſceret, adſunt protinus Turcæ à Selymo Budam miſſi,vltrò fœdus poſtulantes. Id verò valde ex voto regis pacis cupidiſſimi cecidit,oblatumque ſibi fœdus,nulli niſi Deo optimo acceptum retulit, quale ad vitam vſque ſuam cum hoſte percuſſit. At multitudo plebis collectitia impium nacta caput, bona depoſita, malam crucem (nempe latronis à ſiniſtra pendentis) induit, ſignoque libertatis aſſerendæ propoſito, bellum ſeruile in dominos ſuos commouet, in quo non minore vi ac rabie quàm Turcæ ſolent omni ſæuitiæ genere debacchata eſt, tam in agros quàm in homines, qui dominationem poteſtatemque reuerebantur, defendendamque ſuſcipiebant aduerſus Georgium Cæclum, ſic ducem ſuum nominabant, dignum ſcilicet, vt in prouerbio habetur, patella operculum. Is igitur regnandi libidine præceps, in omnem nobilitatem, quæ maleſanæ eius audaciæ obſiſtebat,infeſtus ferebatur, agreſti prorſus implacabilique odio illam perſequens:nullum enim dignitati, nullum religioni, nullum miſericordiæ precibusque locum relinquebat, ſed quoſcunque nobilitate inſignes comprehendit, eos capite ſtatim adempto, mulctauit, vnum etiam ex Epiſcopis in palo ſuffixit. Vnde mox adeò terribilis factus, vt ipſi quoque regi, quis vnquam crederet? metuendus videretur. Qua indignitate Boiemi? Morauj, Sleſitæ commoti, agmina peditum equitumque celeriter comparant, cum illisque ad opem principi ſuo ferendam maturè Budam perueniunt. Horum tandem aduentu latronum audacia fracta, etiam duci pauorem intulit, vt cogeretur vltra Tibiſcum fluuium tutiora caſtris loca quærere. In hac trepidatione Ioannes Trencinenſis, qui præfecturam Ciſalpinam obtinebat, cum delecto equitum robore improuiſus ſuperuenit modicaque cæde turbam agreſtem ad fugam impulit, Georgio duce eorum intercepto,cui coronam ex ferro iuſſit fieri,ignitamq; capiti illius imponi,ac tum demum cerui-cem noui regis amputari, cùm ipſe tamen regni cupidine inter primos incenſus eſſet, quam ſpem indies acrius fouebat, ſenectam Vladislai conſiderans & pueritiam Ludouici non magnifaciens, ſed vni Annæ, quæ ſoror Ludouici erat,oculum adijciens,ſi eam ſibi pacto matrimonij vincire poſſet.

*Ob peſtem in Hungaria liberis rex metuit.*

*Ioannes comes Trenzinienſis urget liberorũ adductionem.*

*Selymus Baiazethem patrẽ non ſolùm imperio, uerum etiam uenẽno ab Hebræo medico propinato è uiuis ſuſtulit.*

*Strigonienſis Archiepiſcopus à Leone Papa x. crucia tam impetrat.*

*Fœdus ictum cum Turcis*

*Bellum ruſticanum in Hungaria.*

*Anno 1514.*

*Immanis crudelitas Georgij Cæcli ducis ruſticorum*

*Strages magna ruſticorũ edita à Ioanne Vuayuoda Tranſyluanienſe.*

Poſſe au-

Posse autem id se efficere eo facilius sperabat, quòd soror sua cum[b] Sigismundo rege Poloniæ Vladislai fratre nupta erat. Indicata sunt ista regi, simulque datum consilium, vt cum intimis ex vtroque regno contractis de summa rerum tempestiuè deliberaret: qui Budam conuenientes post multas & varias consultationes hanc postremò sententiam Hungari Boiemique approbauerunt, quæ censuit, vt cum Maximiliano Cæsare, cui nepotes & neptes essent, affinitas rege liberisque regijs digna conciliaretur, ita cæteros omnes tanquam impares studium regni ambiendi posituros. Huic sententiæ & Rex præbuit aures, si frater eius Sigismundus eidem subscriberet: non enim valde regi Poloniæ cum Cæsare tunc conueniebat. Missi igitur in Poloniam legati, regem docent quid Vladislaus de liberis suis constituerit, & an constitutio eiusmodi placeat, aut displiceat rogāt, vt Rex planè respondere dignaretur. Ille vt erat aperto candidoq; pectore: Nihil, inquit, mihi obstare debet offensarum quantumuis grauis acerbitas, quò minus rectè sancteq; meis consulam: itaque planè vobis respondeo, quòd consilijs fraternis vehementer assentior. Non latuit hæc animi prorsus regia moderatio Maximilianum ad omnia circumspectum & vigilantem, de qua modestia ne regi concederet, spontè illi eam reconciliationem obtulit, qua ille bene contentus fuit. Ambos dein fratres reges Viennam benignissimis atq; humanissimis verbis inuitauit ad perpetuam inter ipsos amicitiam, beneuolentiamq; & pacem confirmandam. Ad hunc verò conuentum interturbandum non deerant, qui rumorem spargerent, Turcas fines Hungariæ incursare. Ibi Ianus Trencinensis rapere arma & se milites sequi ad pellendos finibus hostes iubet, sed cùm nulli hostes fœdere adhuc durante, in agris inuenirentur, fingit metu cessisse, hortaturq; vt arcem hostium in vicino sitam, quam Zernouice vocant, recipiant, gloriam ambiens, & apud Hungaros fauorem, si res è sententia successisset. Sed contrà euenit, vt non solum cùm ignominia, sed cum multa etiam suorum strage inde repelleretur, ita Vladislaus citra vllum impedimentum cœptum iter Posonium vsque cum liberis continuauit, fratrem inibi manens, vt vnà cum illo Viennam ingrederetur. Quo iam præsente nouum rursus commentum excogitant pacis disturbatores, exploratum se habere dicentes, insidias à Cæsare esse regibus præparatas, vt Viennam venientes caperentur, quibus verbis Vladislaus deterritus, exequi profectionem non properabat, verùm Sigismundus sine vlla cunctatione se profecturum respondit, adijciens malle vita excedere, quàm fidei Cæsaris se nō committere. Traxit igitur hac cōstantia secum fratrem, & ipsum Cæsarem incredibili fauore sibi deuinxit. Satis adhuc longo itineris ab vrbe interuallo, Cæsar obuiam Regibus progressus cum cohortibus & turmis per partes dispartitis, vt seorsum equites, seorsum starent pedites, omnes pulchris armis resplendentes. Ipse togata purpuratorum caterua stipatus, ad salutandos reges hospites adequitabat, primumq; Vladislaum ob pedum dolorem in lectica desidentem vt patrem salutauit, mox Sigismundum vt fratrem, dein Ludouicum vt filium, & Annam vt filiam, eumq; charitatis ordinem, quem titulis præ se tulit, & tum & postea semper coluit. Cœptum dehinc agi, de conciliandis vtrinque matrimonijs, hanc conditionem Cæsare offerente, vt alteri ex nepotibus suis aut Carolo aut Ferdinando filia Vladislai Anna desponsaretur, & vicissim Ludouicus vt stipularetur, se neptē Cęsaris Mariam in matrimonium ductum iri. Nec dum enim sponsis ætas habilis coniugio erat, quanquam Anna proximè ad maturitatem accedere videbatur. De hac liberum Cæsari vterque frater facit, vt eam vel sibi copulet, vel vtri nepotum destinauerit in matrimonium tradat. Ad hæc Cæsar, Viuam, inquit, adhuc memoriā Friderici Cæsaris parentis teneo, dicere soliti: Si quis honesta ratione senem vita priuare velit, obtrudat ei puellam iuuenem: id e-

*Ambit Iohannes regnum et nuptias Annæ.*

*Deliberatio procerum de affine regia doptando.*

*Affinitas cum Cæsare contrahenda uidetur consensu Sigismundi.*

*Candor Sigismundi.*

*Inuitantur reges Poloniæ et Boiemiæ Viennam.*

*Ioann. Vuayuoda ceu Dauus turbare conatur nuptias.*

*Suspectum Cæsarem regibus facere student maleuoli.*

*Ad Prukum Maximilianus excepit reges anno 1515. die 16. Iulij.*

*Viennæ coniugia stipulata.*

*Liberum Cæsari uel ducere Annam, uel neposibus è rege Philippo natis concedere.*

nim ſenibus præſens eſſe venenũ. Quo dicto ego monitus, valde ſeniliter de-

*Apophthegma Maximiliani Cæſaris.*

ſiperem, ſi ſciens volensq; periculũ mortis adirem: dein vehementer in puel-

*Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.*

lam peccarem, ſi breui moriturus viduam relinquerem, non ſtatim poſt Cæ-

*Anna Germanicum ſermonem diſcit Viennæ.*

ſarem maritum alium inuenturam. Proin conſilium placet, quod puellis dedit ille qui cecinit, Si qua voles aptè nubere, nube pari: optimè enim iuueni cum iuuene conuenit. Annam tamen Viennæ retinet, vt ſimul cũ nepte Maria in eodem Gynœceo educaretur, ſermonemq; Germanum perdiſceret, donec ambo adoleſcerent, ſponſus & ſponſa. Atq; ita rebus omnib. ex voto confectis, reges magna cum lætitia in regna ſua remigrant. Vladislaus cum Ludouico rectà in Hungariam, Sigiſmundus per Morauiã & Sleſiam in Poloniam. Tam verò in tranſitu quàm in reditu in Morauia à Stanislao pręſule hoſpitio exceptus eſt cum frequentiſſimo procerum & ornatiſſimo comitatu: primũ Cremſirij, dein Viſcouiæ, atq; in vtroq; loco quàm hoſpitaliter, nullius tantũ valeat teſtimonium, quantum ipſius regis ingenuè tunc fatentis, à Vienna vſq; Cracouiam à nemine quoquam ſe lautius liberaliusq; tractatum fuiſſe, quàm ab Epiſcopo Olomucenſi. Vladislaus Budam rediens, molitiones procerum quorundam ſiniſtras, dilatas potius quàm ſublatas reperit, quas ipſe tamen omnes mira patientia aut diſſimulauit, aut contempſit. In tantonamq; ſilentio quo conſilia ſua obtegebat, difficile erat diuinare, quid ſecum cogitaret, aut quali animo hoc vel illud ageret, ſic videlicet taciturnitatẽ amplexus, vt à pleriſq; mutum idolum cognominaretur, quod aliud proloqui neſciret vel nolet, niſi bene aut dobre. Hunc enim morem habuit, vt Hungaris, quorum linguæ ignarus erat, vocabulo Latino, Bene, Boiemis aũt vernaculo ipſorũ verbo dobre, quod idem cũ priore ſonat, reſponderet, cùm vtriq; illi compendio ſuo ſtudentes ſibi quidẽ bene, cæterùm regi malè conſulerent. Nihil itaq; mirum, ſi per hæc duo verba regnum vtrunq; miſerè afflictũ fuerit, amiſſis regijs oppidis, arcibus, vectigalibus, & quibuſcunq; alijs reditibus, adeò vt in Morauia rex nullum planè reliquum cenſum haberet, tenuiſſimum verò in Boiemia. Nam illud omnem fidem exceſſerit, quòd in Hungaria tam dite, & omni commeatu regio abundante ad eam non ſemel penuriam peruenerit, vt nihil in penu eſculenti, nihil in cella vini reperiret, cogereturq; aliunde ſibi prandium emendicare. Videram Budæ, quando miniſtri aulici cũ aliquot lagenis vacuis ad domum Georgij Epiſcopi Quinqueeccleſienſis currerent, vinum pro regis prandio impetratum, interrogat Epiſcopus, an vinũ in arce non haberent? Ne vllum quidem, obſonium, reſpondent. Indignitate rei ille concitus, ad regem properat, accerſitoq; mox quæſtore, cum illo rege coràm grauiſſimis verbis expoſtulat, quòd præ quæſtu ſuo officium turpiſſimè deſerat, regnumque ad indignam tum infamiam, tum inuidiam adducat, quaſi non haberet vnde regem ſuum aleret, cùm ipſius quæſtoris tam plena ſint promptuaria, vt ex hoc in illud cotidie eructent, iuſſitq; protinus cõplura vini vaſa de domo ſua in arcẽ tranſuehi, vt vini interim adeſſet copia, dum alia obſonantur. Redacta & in Boiemia res ad eſuriem, nunquam ſaturis, qui ſe annona regis ex montibus cenſibusq; aurea & argentea ſaturabant, tantamq; authoritatem ſibi aſſumebant, vt pro libidine ſua honores, magiſtratus, officia, inſcio plerunq; & ignaro rege, quibuſcunq; placuit, diſtribuerent, vt eò procliuius ærarium cum multis manibus exhaurirent. Negari non poteſt, quin Rex ſenecta & valetudine, qua ex podagra ſæpius, nonnunquam etiam ex apoplexia tentabatur, lentus, tardusque & rerum ſuarum incurioſus haberetur, non autem ſponte voluntateque, ſed ſumma importunitate eorum, qui iniuſtè petere non deſinebant, quòd iuſtè eis negabatur. Factus eſt ſine modo profuſus, vt vel per hæc modum ſe moleſtantibus imponeret. Sera dein pœnitentia ductus, in vltimo tandem vitæ actu omnes eiuſmodi iniquas largitiones extortas in oppidis &arci-

*Sigiſmundus rex Poloniæ ab Epiſcopo Olomucẽſi humaniter exceptus.*

*Vno eodemq; uerbo tam Boiemis quàm Hungaris reſpondet rex.*

*Eget Vladislaus.*

*Epiſcopus Quinqueeccleſienſis quæſtorem ob rem malè adminiſtratam accuſat.*

*In Boiemia eadem rerũ ſeries*

*Negligentia regis excuſatur.*

& arcibus Regijs hæreditates, tum in monasterijs, noui generis tutelas, quas sibi lupi in oues impetrabant, voce scriptoque reuocauit, sed post mortem parum valido. Cætera in illo iure optimo laudaueris, pietatem summam, clementiam singularem, amorem in sibi subiectos, ciuilitatemq; insignem, mirificam ab alieno abstinentiam, & pacis studium incomparabile. Mortuus est Budæ, & Albæ conditus, cùm regnasset in Boiemia XLV, & apud Hungaros XXIIII annis.

*Sera in fundo Regis parsimonia.*

*Anno 1516. die 13 Martij, ætatis 63.*

[a] *Huius superius facta mentio Varadiensis qui Pantheo Olomucij extructo Diui Francisci regulam Bernardinorum acceperat eandem professus religionem pluribus in Silesia cœnobijs extructis Vratislauiæ cœnobio se dicauit.*

[b] *Sigismundus postea rex Poloniæ ducit sororem Iohannis Sepusij.*

# HISTORIÆ BOIEMICAE LIBER TRIGESIMVS TERTIVS.

DAternum regnorum decus Ludouicus excepit, impar adhuc per ætatem tanto oneri sustinendo, quod per se satis graue, insuper factionibus Hungaricis pregrauabatur: non nulli enim gubernacula regni statim ad Ludouicum deferenda censebant, alij gubernatorem requirebant, cuius authoritate & consilio tantisper regnum administraretur, dum Ludouicus paulò ad ætatem maturiorem adoleseeret, atque in hanc partem Iani Trencinensis familiarium vehemens studium apparebat. Sed missi per tempus à Cæsare, & à Rege Sigismundo in Hungariam legati, dignitate ac nobilitate conspicui, facilè in hanc sententiam Hungaros adduxerunt, vt regimen penes Ludouicum esse sinerent, vsque ad publicum Hungarorum concilium, in eo quod omnium consensu fuerit definitum, id meritò vt præpolleat. Discedentibus legatis, vocat concilium Ludouicus, cui Boiemos præterea, Morauosq; & Slesitas, consultandi gratia interesse iubet, congregatur in loco solito ad oppidum Pesthum, maxima Hungarici populi multitudo, non sine armis, vt mos est illi genti. Aderat quoque Ioannes Trencinensis cum sexcentis equitibus. Cæteri Proceres & Pontifices cum Rege in arce Budensi erant, ibique periculi rationem habentes, Regi persuadent, ne se turbæ tumultuosæ credat, sed euocet potius Budam omnes, quibus in publicis consilijs versari liceret. Nolunt illi consuetum consilij locum mutare, sed conscensis mox nauibus, numerus maior quàm trium millium, Danubium trajicit, totumque hoc spacium quod ante arcem patet, strictis gladijs complent, Proceribus minitantes, ni vltrò Pesthum veniant, se illos vi eò pertracturos. Talique furore inflammati, in portam arcis faciunt impetum, cui custos præpositus erat Paulus Tomori miles strenuus cum validissimo præsidio. Is reserata audacter porta, oppositisque bombardis, complures de ponte in fossam proturbat, cæteros metu tormentorum longius summouet, donec à Rege missi, qui furorem illum compescerent, nomine Regio spondentes, si postridie manè in eundem locum inermes redeant, ipsum quoque Regem cum suis absque armis ad illos progressurum, idq; factum fuit, constitutumque Regi tribunal, in quod cum consiliarijs conscenderet. Proximus Regi Thomas Archiepiscopus

*Vndecim annorum rex Ludouicus regendi imperitus.*

*Gubernator quæritur.*

*Ianus Trencinius Vayuoda ambit gubernandi munus.*

*Res in conuentum ordinum reiecta.*

*Conuentus Hungarorum ad Pesthum.*

*Rex se Hungaris non committit.*

*Paulus Tomoræus ab arce Budensi Hungaros repellit.*

*Consultatio de gubernatore.*

Strigonienſis aſſedit: eum Rex vti puer rogat, quid hoc nominis eſſet, aut quę illius authoritas, quem gubernatorem vocant? tanta, inquit ille, vt in ipſum Regem & regnum habeat imperium, qualis ergo, ait Rex, ego futurus? picto, inquit, ſimilis, qui nullam exercet iuriſdictionem. At ego, ait, ferre talem non poſſum: dabitur, inquit, opera, vt ne nos etiam illum feramus. Vacabat tunc morte Perenŋ ſummus apud Hungaros magiſtratus, quē regni Palatinum appellant, qui vt cæteris omnibus magiſtratibus honore antecellit, ita imperio tamen Regis ſicut alŋ ſubiectus eſt. Huic cùm & Rex intendere, & omnes Proceres eundē cupere viderentur exploſo gubernatore, Stephanus Batori, Palatinus regni declaratus fuit, atq; ita maieſtas Regia apud Ludouicum incolumis manſit. Qui ſi nactus fuiſſet educatorē, qualem oportuit Regem habere, qui non ſolùm corporis vitæque curam ſuſcepiſſet, ſed multò magis optimam viuendi rationem menti eius indidiſſet, tam bona indoles, quæ in puero emicuit, ſopita nunquam fuiſſet. Nunc altor, morumque formator ei patris voluntate Georgius Marchio Brandeburgenſis obtigit, bonus ille quidem princeps, ſed cui conuiuia, theatraque & arena, in qua haſtis concurritur, ludique & choreæ magis cordi erant, quàm ſeria ſtudia, quæ mox deliciæ Ludouicum ſic proſecutæ ſunt, vt conſultationes de regno grauiores vitaret cane peius & angue. Aduenerant in Boiemiam quoque à Ludouico miſſi legati, qui liberam regni Boiemiæ adminiſtrationem ei, tanquam Regi coronato concedi peterent, ſimulque cohortarentnr omnes ordines, vt poſitis inteſtinis ſeditionibus, mutuam inter ſe pacem & concordiam fouerent, latrocinŋs obuiam irent, iudicia celebrarent, quanquam ætas adhuc non ſatis regni capax eſſe videretur, ne tamen Hungaris cedentibus, ipſi contrà contenderēt Ludouico regimen liberum hac lege promittunt, vt cùm primùm in Boiemiam veniret, iura libertateſque ordinum omnium ſuo ore per ſacramentum Regibus Boiemiæ ſolenne confirmaret: prætereà operam ſe daturos pollicentur, ne quid interim inteſtini motus oriatur, & ſi quid exortum ſit, vt intercipiatur. Nolebant videlicet expectare Boiemi, dum externi illos peregrinis legibus in concordiam fortaſſe non valde omnibus gratam reducerent, ſed ad præſtitutam diui Venceſlai diem, Pragam coeuntes, incredibili facilitate difficilimas controuerſias amicè inter ſe ac domeſticè compoſuerunt: cæterùm de Regŋs debitis, ſine authoritate Regis tranſigi non potuit. Denuò itaq; legati in Boiemiā remiſſi, qui hanc cauſam Regis mandato tranſigendam ſuſciperent, in qua tamen aliud proficere nequiuerunt, niſi vt dilata in certum tempus ſortis ſolutione, fœnus interim à debitore ſine vlla intercapedine creditori repræſentaretur. Seorſum hinc ciues rebus ſuis conſulere, atque in primis ipſi Pragenſes id agere cœperunt, vt ex duabus ciuitatibus vnam facerent, ſerius licet ſecum reputantes, quod adunata quàm diuiſa virtus & fortior & tutior eſſet. Vnum igitur ius, vnumque magiſtratum in vtraque ciuitate conſtituunt, foſſas complanant, portas reſerant, pœnamque exilij perpetui contra eum ſanciunt, quiſquis conſtituta turbare auſus fuerit. Aliæ dein ciuitates, diu multumque à latronibus & graſſatoribus vexatæ, cùm vagos per vias perſequi difficilè eſſe viderent, coniunctis in vnum viribus, latibula illorum & receptacula aggrediuntur, partimque illorum comburunt, partim demoliuntur, nec loca ignobilia erant, ſed quæ à nobilitate poſſidebantur, vocabulis vernaculis, Tochouice, Macice, Calenice, Neſtanice, Ianouice nuncupata. Querelæ nobilium minæque, poſtquam vis ad vlciſcendum deerat, paulatim cum cæteris regni erroribus euanuêre, ac ciues interim maiore quàm prius cum ſecuritate degebant. Ea tempeſtate [a] Selimo Turcæ, qui interfecto Soldano Syriæ potitus erat, Solimannus filius ſucceſſit, bella à Parthis auſpicans, vt illorum etiam imperium ſibi adiungeret, ſed ni-

*Rex et Archiepiſcopus recuſant gubernatorem.*

*Stephanus Bathoreus regni Palatinus creatus.*

*Egregia in Ludouico indoles mala educatione extincta.*

*Georgius Marchio pædagogus Ludouici.*

*Ludouicus regnū Boiemicum petit.*

*Annunt Boiemi.*

*Ante aduentū Regis Boiemi rebus in tranquillo conſtituendis vacant.*

*Duæ ciuitates Pragenſes in vnā coaleſcūt.*

*Graſſatorum receptus & arces ſolo æquantur.*

mis

mis aduerso & cruento prælio ab illis acceptus est, siquidem amissis plus centum millibus suorum, cum octoginta solùm equitibus Constantinopolim rediit, tanto ex hac clade Turcarum odio sibi conflato, vt deijciendum protinus imperio tanquam infaustum, maleq; ominatum censerent. At ille ad preces & promissa versus, quòd totam Misiam, Bulgariam, Bosnam, cum ipso Belegrado reducturus breui in potestatem Turcarum esset, gratiam tandem recuperauit. Audita hæc Turcæ promissa Budæ erant, sed pauci illis animum intenderunt, reliqui cum lætitia stragem hostium præsentem accepêre, nihil de futuro solliciti, quasi cum vno prælio tota vis Turcæ interijsset. Per incuriam igitur, perque epulas & conuiuia, vitam amœnam Hungari transigebant, Regemq; iuuenem, qua quisque arte nouerat circumueniebant. Quis vnquam carius emptam vulturem auem audiuit, quàm fuit à Ludouico redempta? Secesserat Agriam, quam morte Episcopi vacuam, ipse per præfectum suum aliquandiu tenuit, eratq; præfectus Regi familiarissimè cognitus. Is vulturē cicurem, & ad aucupium edoctā habuit, ipsum præterea aucupem vario præstigiarum genere, quo Rex maximè delectabatur, insignem petit vtrumque sibi dari Rex. Ad hæc Præfectus, hac, inquit, conditione dono, vt liber sim à ratione villicationis reddenda. Annuit Rex, nutumq; literis & annulo suo roborat, vt à quadraginta millibus aureûm nummûm, quæ penes Præfectum reliqua erant, liber esset. Vide quàm longè viliori argento Augustus coruum præstinauerit, qui tamen humana voce Cæsarem eum salutauerat, qua meruit, vt precio aliquo dignus existimaretur. Ab eiusmodi igitur leuioribus studijs, vt Ludouicus abstraheretur, de vxore ei maturius adducēda deliberatum. Nihil autem horū nesciebat Turca exploratoribus illum de omnibus quæ in Hungaria fierent certiorem facientibus, ideoq; prouidentissimè copias paulatim colligit, vt illas ad manus semper habeat, interimq; ab omnibus excursionibus abstinet, expectans nuptiarum tempus, vt improuisos & festis diebus occupatos Hungaros adoriatur, Bellegrado potissimum imminens, quòd id quoq; compertum haberet, arci præpositum esse non virum aliquem maturum, militiæq; gnarum, sed prorsus adolescentem, Turcam Valentinū cognominabant, quem Hungari, quasi hæreditaria esset præfectura, in patris locum substituerant, obliti Bellegradū Regni Hungariæ clauem esse, quæ portam in regnum patefaceret hosti, quisquis illius clauis potiretur. Proin ante alias omnes arces, firmiore præsidio diligentioreq;, & maturiore custodia indigebat. Sed tantum abfuit vt à quoquam cura aliqua adhibita fuerit, vt ipse etiam præfectus per causam petendi stipendij Budam pergeret, relicta arce sine capite, mansitq; Budæ vsq; ad nuptias, Quæstore tam diu illum frustrante, & ad extremum nihil adnumerante. Constat plerisque (nec enim adhuc omnes mortui sunt) centum tantummodo aureis pro stipendio adnumeratis Bellegradum retineri potuisse, ne in potestatem Turcæ veniret: sed cùm Præfectus absque nummis regredi ad suos non audet, & illi sine duce inter se diuersi ac discordes agunt, & mox circumfuso pauore, quem eis Turca modico exercitu incussit, ita torpent, vt ad defensionem nec animus nec vires superessent, priusquam illis succurri potuit, deditionem fecerunt. Ad hunc modum Bellegradum aliorum quoq; regnorum præter Hungariam munitissimum propugnaculum, ad confluentem Saui, Danubijq; inclytorum fluminum situm, turpissimè est amissum. Turca in præsens hac victoria contentus, relicto Bellegradi validissimo præsidio, Adrianopolim retro iter conuertit, vt è propinquo suis adesset, si ad recuperandam arcem Hungari exarsissent. At illi metu exoluti, quem de progressu Turcæ in vlteriorem interioremque Hungariam conceperant, satis habebant fortunam amissæ arcis miserari, & inter se potius hostilia, quàm aduersus Turcas exercere,

*Solimannus cum Parthis aduerso prælio concurrit.*

*Expeditione in Hungariam damna sarcire vult.*

*Luditur in castris, ocia milites agit.*

*Vultur à rege Ludouico magno emptus.*

*Regis nuptiæ accelerantur Budæ.*

*Eodem ferè tempore Linzij Ferdinandi nuptiæ celebratæ.*

*Valētinus Tœrök præfectus arcis Belgradensis.*

*Belgradum obex Turcis in Hungariam irrumpentibus.*

*Stipendiorum inopia Belgradi causatur deditio.*

*Belgradum à Turcis occupatū, anno 1521. 21. Augusti.*

*Hungaris recuperandi Belgradi deficit animus.*

adeò à virtute & militia maiorum degenerare cœptabant, iuxta Romanorum dictum, defunctis patribus, succeſſit praua, aut verius ignaua iuuentus.

*Diſſolutè viuunt Hungari neq; Rex ſui iuris.*

Nam in Rege nihil erat, quòd eum de militia accuſaſſes, qui per ætatem nullis conſilijs bellicis interfuerat, nullaq; adhuc arma, niſi ludicra tractauerat, vt veris præluderet: ad quæ ſi vel tum vocatus fuiſſet, illa ſeriò contra hoſtes

*Stimulum addit Regi vxor.*

ſumere non detrectaſſet. Nam ſuo ipſi arbitrio agere nihil ferè licebat, tantum imperium ſibi in principem ſuum ſubditi arripuerunt. Poſt nuptias tamen frenum mordere, ſuoq; interdum arbitrio currere audebat, calcar ei vxore Regina ſubdente, hortanteque vt Regem aliquando non ſemper miniſtrum ageret. Ea tempeſtate Lutherus apoſtata malo bonorum morum publico exortus eſt, Monachus audax, vafer, ſubdolus, varius, vt qui pugnantibus & contrarijs, tum ſtudijs, tum conſilijs ſemper vteretur: in hoc ſolùm intentus, vt ad ſuam apoſtaſiam traduceret quàmplurimos, idq; fieri vix aliter poſſe cùm videret, niſi religione euerſa, quæ præuaricatores, periuroſq; & transfugas abominaretur, nouam inſtituit religionem, quæ & vota & periuria, continentiamq; & caſtimoniam, tum preces & ieiunia, aliaq; pia opera confidentiſſimè contemneret. Cumq; à bono ad malum facilis ſit lapſus, breui temporis ſpacio totum illum terræ angulum, in quo morabatur, fidefragis, periuris, adulteris, inceſtuoſis, ſacrilegis compleuit. Talium colloquia praua, ne bonos mores apud Hungaros corrumperent, ſubmonitus Rex, edicto vetuit, ne quis externus in Hungaria quidquam in religione nouaret. Nec diu poſt à Boiemis multis precibus rogatus, vt profectionem in regnum Boiemiæ aliquoties dilatam, cum ipſa regina, nondum regio diademate in Boiemia coronata ſuſciperet, Pragam tandem vterq; venit, amboque lætis exceptus ominibus. Nihil autem Rex apud Boiemos pro auctoritate Regia prius agere potuit, quàm conceptis verbis inter ſacra iurans, libertates illorum confirmaſſet. Præibat iuramentum, Zdenco Leo, arcis Pragenſis Præfectus, viciſſimq; cum omnibus ordinibus obſequium Regi debitũ ſtipulata manu exhibuit. Sequi poſtridie coronatio Reginæ debuit: huic moram in octauam vſque diem, Procerum & Equitum de inſignibus Regijs geſtandis, nempe corona, ſceptro, malo, enſe, diſſenſio obtulit, vtriſque ad ſe decus illud trahentibus, tanta Procerum pertinacia, vt ne vel vnum enſem geſtandum equitibus permittere voluerint, cùm nullus contentionis finis appareret. Rex de conſilio ſuorum coronam capiti ſuo imponit, dextraque ſceptrum, ac leua manu aureum malum geſtat, enſem verò Marchioni præferendum tradit. Mox Staniſlaus Olomucenſis Præſul celebritatem coronationis ritè peragit. His rebus confectis Rex, ad ordinandum regni ſtatum, cum conſiliarijs ac tribus potiſſimum, in conſilium ingreditur, cum Andrea Siculo, Barone cognomine, Cæſaris legato, & cum Alberto Marchione Brandeburgenſi, à Rege Poloniæ Pragam miſſo, cumque Ladiſlao Epiſcopo Vacienſi, ſine quo rarò quicquam ardui deliberabat. Is conſuetudinis Boiemorum magis cæteris gnarus, docet in manu Regis, qui tunc primum regnum auſpicaretur, omnia ſita eſſe iudicia, tabulasque publicas, & quoſuis ſummos magiſtratus, ideoque occaſionem egregiam adeſſe, quos oportet ex dignitate & vtilitate regni, tam iudices quàm magiſtratus deligendi, creandique, cùm antea per gratiam aut factiones priuato cuiuſque compendio crearentur. Nullam autem eſſe rem, quæ vehementius ſtatum regni incolumem contineat, quàm rectus iuſtuſque magiſtratus. Delibetatum inde fuit, num omnes an aliquos mutare expediret? placuit omnes mutandos, ne cum pudore & verecundia pauci rejicerentur. Ac quò cum minore inuidia ſumma arcis Pragenſis præfectura ad alium transferretur, nullus ad illam Procerum, ſed Carolus dux Minſterbergenſis, natione Boiemus, delectus eſt, nouo Capitanei nomine. Cæteri voca-

*Martini Lutheri dogma cœpit.*

*Edictũ in Hungaria contra Lutheranos propoſitum.*

*Rex cum Regina Pragam concedit.*

*Iurat rex Boiemis.*

*Diſceptatio inter proceres & nobiles de regni inſignijs circumferendis.*

*Regina Maria Pragæ coronata.*

*Eludit eorum conatus rex.*

*E conſilio prudentiſſimorum virorum omnes Boiemiæ magiſtratus rex mutat.*

vocabula antiqua vſurpataq; retinuerunt, vt ipſe etiã Cancellarius, ad quẽm magiſtratum Adamus à noua domo allectus fuit. Aſcripti in album iudicum ex vtroque ordine viri fama integra, conſciẽtia bona, authoritate magna. Sed & minora per arces Regias officia idoneis hominibus diſtribuebantur, nouuſque magiſter monetæ argentarijs Cuthnenſibus præpoſitus, qui pecuniam Regi ſuppeditaret. Sed apud Regem ſic interim in ipſa aula cuncta erant diſſoluta, vt nullus ordo, nullus diſpenſandi modus ineſſet, ſed profuſio intemperantiſſima, nullo prorſus modeſto diſpenſatore exiſtente, ſed omnibus ad ſe omnia rapientibus, dieſque & noctes in aula cum grege ſuorum comeſſantibus, aut perpotantibus, quando nulli cella, nulli coquina clauſa eſſet. Inuentum & ab aulicis nouum tunc rapiendi genus. Vt enim quemque à prima nobilitate, ornatum torque vel cathena, vel aurea veſte conſpexerant, Regem continuò adibant, impudenter petentes, vt Rex alios decore illorum ſpoliaret, & aulicos ſuos adornaret. Nemo ſanè erat, quem iuuenis Rex de re ſatis precioſa appellaret, quin ſtatim ei donaret, rurſus è veſtigio ille donum ad aulicum transferebat. Vocat deinde ad ſe Henricum Tunkel exuuijs murium Ponticorum, quales pelles apud nos in magno precio habentur, indutum, dariq́ue ſibi veſtem illam petit. Has ego, inquit, ille pelles, honoris mei cauſa, vt in conſpectu maieſtatis tuæ ex dignitate mea apparerem, haud paruo ære permutaui, & ex illis ita concinnari mihi veſtem iuſſi, vt corpori meo apta eſſet, illudq́ue accedente iam ſenecta calefaceret. Iſti autem qui illam venantur iuuenes ſunt, poſſúntque adhuc ſanguinis & pellis ſuæ calore eſſe contenti, at ſi pellibus indiguerint, bene pulchrè & honeſtè pro ætate illorum vulpinis contegentur. Quo reſponſo audaciam cæteris negandi indidit, & pudorem aulicis petendi aliena incuſſit. Rex præpoſito, vt diximus Boiemiæ, Carolo duce, rurſus in Hungariam temonem vertit, tranſienſque per Morauiam Olomucẽ ſubſtitit, dum Iglauienſes ad ſe accerſitos ſæueriſſimis verbis caſtigat, quòd leuitate ingenij, nouarumque rerum ſtudio veterem religionem deponere inciperent, à Sperato quodam planè deſperato faſcinati, vt non crederent veritati, ſed attenderent pſeudoprophetarum mendacio, à quo niſi reſipiſcerent, pœnam perfidiæ debitam, Regem à ciuitate exacturum eſſe: captuſque interim Speratus & in vincula coniectus. Inde Rex cum Regina Cremſirium flexit, ſuaq; ibi manu literas ad ducem Opolienſem ſcripſit, vt fidem orationi haberet, quam Staniſlaus Epiſcopus ad eum miſſus oraturus eſſet, de Teſtamento videlicet agebatur, ne Dux orbus & ſenex, ac bene locuples, alium quàm Regem bonorum ſuorum hæredem relinqueret. Audita per idem tempus Rhodi, clariſſimæ inſulæ oppugnatio, quam Solimannus Turca ingentibus viribus oppugnabat, adeò obſurdeſcentibus cæteris Chriſtianis ad preces & clamores militum Rhodiorum, vt ne per ſex quidem menſes, per quos difficilimam atq; grauiſſimam obſidionem ſtrenuiſſimè ſuſtinuerunt, exaudire voces clamantium, auxiliumq; imploran tium vllus Chriſtianorum voluerit, donec ope humana diuinaque deſtituti milites Rhodij concedere de inſula Turcis coacti ſunt, quanto Chriſtianorum malo, ſatis in hunc diem ſentimus. Non defuerant qui ſtatim tunc dicerent: Prænunciat hic Rhodiorum fumus incendium Hungarorum, niſi maturè cauerint. At Hungari velut ſenſibus omnibus capti, animoque torpentes, ocio præſenti perfrui, quàm metu futurorum torqueri maluerunt, ſi tamen ocium appellari debet, in quo omnis dies, omnis hora, negocium turbidum, ex inſidijs rapinisque, & latrocinijs mutuis concitatum afferebat. Credat aliquis Budam, in qua Rex præſidebat, & magnus ſemper Pontificum, & Procerum numerus aderat, furta, cædes, ſpolia, quæ intra illam fierent, ſpectare coactã fuiſſe. Non ſpectauit modò, ſed inuita etiam fortunam

*Carolus dux Munſterbergenſis capitaneus Boiemiæ.*

*ἀταξία in Regis aula.*

*Nouum aulicorum aucupij genus.*

*Petacitas aulicorũ perſtringitur à Tunkelio.*

*Iglauienſes à rege reprehenſi ob mutatam religionem.*

*Speratus concionator captus.*

*Ludouicus petit ſe ſcribi hæredem à duce Opolienſe.*

*Rhodus inſula in poteſtatem Solimanni venit, anno 1522. menſe Iunio obſeſſa, 25 verò Decembris ſe dedit.*

*Veterno oppreſſi Hũgari.*

*Budæ omnium ſcelerum et flagitiorum ſentina.*

*Spreta Regis authoritas.*

*ἴλιος κακῶν*

suam perinde ac si capta esset, tolerauit: nam in tumultu Regi nihil authoritatis affuit, & qui munia Regia obibant, ipsi magis à suis quoque sibi timebant, quàm timebantur. Inter alias domos Emerici cuiusdam, nuper Iudæi, tum Christiani, saltem nomine, domus direptâ fuit, quàm diuitiarum plena, vel vnus eius angulus indicium facere potest, in quo sexaginta millia aureûm nummûm reperta sunt. Meliore fortuna vsi cæteri Iudæi, qui Christianismum non simulabant. comparato enim sibi firmo validoque præsidio vim vi audacter repellebant. Sed nihil indignius, quàm quòd Adamum à Noua domo, regni Boiemiæ Cancellarium, cùm domuitionem pararet, ac per vrbem sine cuiusquam iniuria curru veheretur, ad portam aggressi, omnibus rebus despoliauerunt, verùm maximam omnium inuidiam Hungari à Germanis hinc sibi contraxerunt, quòd omne æs Cyprium, labore & sumptu Fuggarorum conflatum, ex omnibus regni locis, ad quæ depositum ab illis fuit, per improbam cupiditatem violenter abstulerunt, & inter se pro libidine sua partiti sunt. Damnum non vana ad augendum oratione, sed re & veritate à fidelibus ratiocinatoribus, amplius quater centum millibus aureorum æstimatum fuerat, missique à Cæsare & fratre eius Ferdinando oratores, qui hanc tam insignē iniuriam cum Ludouico Rege expostularent, ad quem tamen nihil eius prædæ peruenerat. Imò ipse potius præda omnibus erat ad paternam redactus penuriam, vt neque in arca, neque in penu aliquid ei superesset, ideoque sæpius alienam messem coactus est metere. [b] In hoc tria peculiaria sunt adnotata, cuncta nimis præcocia, quòd citò adoleuerit, ante tempus barbam emiserit, & vix annum decimum octauum ingressus, canos ostenderit. Quale ingeniorum præcox genus, vt quidam dixit, non temerè peruenire solet ad frugem. Idem porrò cùm nemini planè noceret, ac ne verbo quidem molestus cuiquam esset, habuit tamen vitæ suæ insidiatores, qui illam veneno ex Venetijs in Boiemiam allato appetere dicebantur. Diues & præpotens reus erat, qui de veneficio accusabatur, & quanquam innocentiæ satis fideret, ne tamen recenti inuidiæ propter opes impar esset, formidabat, præsertim cùm in Hungaria cognitio, & apud iudices de auaritia suspectos celebraretur, nec secus atque cogitaret euenit, vt iudicium hoc, non ob causæ difficultatem, sed emungendi reum gratia aliquoties prorogaretur, vsque dum plena cruoris hyrudo cutem dimitteret, reumque absolueret. Quum igitur hæc, atque alia multa indigniora, acerbioraque apud Hungaros existerent, & ipsi inter se magnis odijs & simultatibus conflictarentur, rumor turbidus de aduentu Turcarum sensim serpere, indiesque augescere incipit, à senioribus Hungaris, & multa expertis grauissimè acceptus, quòd nec duces vllos, nec multos centuriones, militesque bellorum peritos viderent. Regémne igitur iuuenem, qui nondum hostilem gladium conspexerit, tantam belli molem à regno propulsaturum esse, inuicem alter alterum interrogabat. At reliqua turba curam seniorum irridere, vires & opes suas tam superbe iactare vt inuenirentur, qui palàm gloriari auderent, solis annulis quos haberent, gestarentque potentiam Turcæ se obruturos. Accessit ad hanc linguæ vanitatem tantus animi stupor, vt sana externorum consilia admittere nulla vellent. sed ipsi inter se de alijs quibuslibet friuolis, quàm de regni arduis rebus consultarent, nullo ferè consulendi die prætermisso: & quocunque Turcæ incidisset mentio, ille dies aliquot missus de prandio Regis detrahebat, sublatisque lancibus maioribus, modicis patellis cibum sumere absque vllis conuiuis cogebatur, vt vel per hæc fucus populo fieret, tanta scilicet sollicitudine tractari negocia regni, vt ne prandere quidem præ cura libeat, cùm nullus tamen interim eiusmodi cura conatus appareret, non commeatus prouisus, non stipendium promptum, non miles delectus, non tormenta

*Emerici Iudæo Christiani domus directa.*

*Adamus à Noua domo bonis in vrbe exutus.*

*Fuggarorum es Cyprium direptum.*

*Venenum paratum in necē Ludouici.*

*Reus absolutus.*

*Solymannus parat expeditionem in Hungariam.*

*Terror senioribus incussus.*

*Arrogantia Hungarorum.*

*Plebi fucum faciunt.*

menta,non nitrum,non ſulphurei puluere comparati,quodque caput rei erat, ipſe dux belli adhuc in monaſterio priuatus inter idiotas latitabat,aliam iam ibi quàm nuper in arce Budenſi militiam meditans. Supra enim Pauli Tomori meminimus, qui in arce illa tuenda, ſtrenui militis functus eſt officio. Hunc igitur pleriſque placuit ducem creari:illis denique fautoribus exuitur Paulus cucullo,& infula Archiepiſcopi Colocenſis coronatur, vt cum dignitate authoritas quoq; ei accederet. Erant qui in contumeliam Iani Trencinij, Paulum eſſe antelatum exiſtimarent, quoniam Ianus nimis impotenter ſe gereret, vt qui præ ſe vno cæteros valde contemneret:non enim alium parem opibus atque viribus habuit, & fortiſſimæ Hungariæ regioni, quam Tranſyluaniam vocant, quæ minimum quadraginta millia equitum armare ſolet,præſedit:cum quibus ſi prælio Turcico interfuiſſet,nunquam tanta clades accepta eſſet. Porrò Tomori veriſſima excuſatione vſus,cur ducis partes aſſumere detrectaret,quoniam parere tantùm,& manu ſtrenuè facere,vt miles didiciſſet,ſed nullas vnquam legitimi ducis artes,à quibus ſalus exercitus pendet,attigiſſet: cum excuſando ſe nihil promoueret, conſilium dat, vt externa propere auxilia quærantur:parum enim domeſticas vires aduerſus tam præpotentem hoſtem profuturas. Hactenus illi conſilio parent,vt Boiemorum,Morauorum,Sleſitarum auxilia requirant, ſed moderata,adeò immodica in viribus propriis fiducia adfuit. Dixit me coram primæ in Hungaria authoritatis dignitatiſque Pontifex hęc ferè verba Staniſlao Præſuli tum meo: Nihil opus eſt vt multos nobis ſubſidio mittatis milites,cæterũ famam hanc ſpargite, tanquam plurimos extrudatis, cuiuſmodi famam bellè ſubornabitis,ſi complura vexilla militibus admiſcueritis. Ad vexilla enim militum noſtratium Turcæ numerum ineunt. A prudente viro parum prudens oratio, ſed illam metus ei dictaſſe videbatur,metuenti,ne ſi externorum auxilio Rex victoria potitus eſſet, aliorum quàm Hungarorũ arbitrio deinceps regnaret, néue à nonnullis regni malè adminiſtrati, rationem victor repoſceret. Cæterùm dictu mirum quanta cum fiducia,quantoq; Turcarum contemptu auxiliares quoq; milites in Hungariam feſtinabant, tanto prorſus; vt in omnibus ſympoſia mutua inirent, & inter potandũ alius alios ad pocula inuitans, hic pro cęde quinq; Turcarum, ille alter pro decem alteri prębiberet,cum nulli tamen temulentorũ vnquam in mentem venerit,qua ratione hoſtes ſuperari poſſent, ſed quemadmodum victoria vti vellent,id ſolùm oſtentabant. Non vno autem agmine auxilia ibant, ſed ſparſa per vias diuerſas,alia celerius,alia tardius veniebant. Turca iam Bellegradi cum incredilibus copijs pręſente,vocatis raptim ad concilium Hungaris,conſulitur,expectandumne ſit,dum gentes ſubſidio aduentantes conuenirent,an contatione ſublata,occurrendum in via hoſti cõſultius fuerit?ne ab illo velut ignaui mœnibus Budæ incluſi deprehenderentur. Conclamant obuiam hoſtibus eundum eſſe,locumq; prælio futuro idoneum occupandum,hortanturq; Regem ad celerem profectionem. Rex modico apud Reginã præſidio Budæ relicto,dat ſe in viam non lęto omine, quòd ante portam ſtatim equus ſub eo Phriſius, in genua procubuerat,inſeſſorẽ, ſi non ſuccurſum fuiſſet,deuoluturus,Regem Pontifices,Proceres,equites,per ſe quiſq; cum numero ſuo ſequebatur. °Sic enim mos exigit, vt Rege in caſtris degente, omnis in campo nobilitas,capite ſuo militet. Qua neceſſitate Georgius quoque Iani Trencinij frater natu minor, adductus Regem comitabatur vſq; ad vicum Mohatium, iuxta quem locus pugnæ deſtinatus fuit. Ibi Fatis iam vrgentibus regnum Hungariæ,pœnamq; veterum & nouorum erratorum repoſcentibus,tanta mentibus Hungarorum caligo infuſa eſt, vt nihil dilucidè expedire,quod oportuit,poſſent. De duce autem inter illos, deq; opperiendis auxilijs rurſus certamen ortũ fuit,ducem prę Pau-

*Paulus habitũ & religionem diui Franciſci aſſumpſerat, qui Archiepiſcopus factus ſummæ rarum præficitur.*

*Potentia Iani Vayuodæ.*

*Excuſat Tomoræus.*

*Auxilia quærũtur.*

*Stolidum Epiſcopi conſilium.*

*Secuſq; cogitata fortè interpretatum.*

*Vana auxiliorum iactantia.*

*Turca Belgrádi apparet.*

*Turbulenta conſultatio.*

*Leuum omen Regi Buda egreſſo obuenit*

*Georgius Trẽtinius Paulo collega additus.*

lo,ipsum Georgium multis præferentibus. Sed Georgius hunc honorem toto capite abnuebat,inquiens,adeò se bellorum esse inexpertum,vt nunquam gladium aduersus hostẽ strinxerit. Nihilo secius collega Paulo adiunctus est, cum quo moribus & voluntate dissentiebat. Sed nec illi auditi sunt,qui dilationem maximè esse necessariam dicerent, vt peditum atq; equitum grauioris armaturæ copiæ augerentur. Reiectum deniq; consilium Ambrosij Sarcani, de prohibendo traiectu Draui fluminis, quod haud dubiè consultissimum erat,si id exequi illum siuissent. Poscebat non amplius quàm sex millia equitum,illoq; numero se impediturum,ne hostis Drauum transmittere posset receperat,reddiditq; consilij sui hanc rationem, quòd proximè Drauum loca restagnarent vliginosa, quæ nullum transitum propter voraginem admitterent,nisi vna illa via,quæ ramis arborum velut pontibus strata esset,sed eam nimis arctam videri,facileq; tueri posse.Cuncti simul ore fremebant,clamantes,à seculo non esse auditum,vt conspectum Turcarum Hungari declinauerint. Ita hostis nemine obstante securus flumen traiecit,castraq; castris contulit,paratus vel statim cum Hungaris confligere. At illos ne vltimi quidem discriminis tempus à malè consultis deterrere potuit. Adhuc multa auxilia in via erant,sed de proximo à castris adhuc tormenta,pulueres ænei globi ad Danubium in nauibus custodiebantur, & iam duces aciem instruebant promiscuam confusamque, omnia videlicet in vnum permiscentes, equites,pedites,lixas, calones. Cumque Turca in tertio demum militum agmine à suis constitueretur, isti in prima acie,ad quintum equitum ordinem, Regem cum Pontificibus stare iusserunt. Hîc se,Varadiensis Episcopus Perenij filius, non tenuit, quin clara voce diceret,Ferunt, inquit, maiores nostros, decem millia martyrum, quorum diem in Ecclesia celebramus, necquondam dedisse, multò plures vt ego perspicio hic Monachus hodie martyres ex Hungaris consecrabit. Inter funestas ipsius postremò Regis vox numerata,qua præguſtatori roganti,vbínam cœnare vellet,in castris,an in vico? respondit:Deus nouit vbi hodie cœnabimus. Ac paulò pòst fremitus,vlulatusq; Turcarum appropinquantium exaudiebatur, quem mox tormentorum tonitrus consecutus est, cum tanto fumo, ex sulphureis pulueribus excitato,vt mutuus vtrinq; conspectus exercitibus eriperetur. Sed admodum parua ex bombardis Hungarorum strages facta est,telis exercitum præteruolantibus. Plures cæco fumi beneficio vsi,ante hostem visum pedibus fugacissimis,qui lingua tamen paulò antè pugnacissimi videri volebant, fugam arripuerunt.Vnde fumo repentè discusso,tam ingens metus ex hac fuga alios inuasit, vt & illi nondum tentato certamine passim dissiparentur, extra pedestrem externorũ aciem, cui vt ad fugam nullus patebat locus,ita ad pugnam non magna vis aderat, propterea quòd ruptos turbatosq; ab equite suo inepte sibi admixto ordines habebat, gradum tamen stabili hostium impetum excepit,sustinuitq; vsque dum ab hostibus cæsa esset. Non procul ab illa Paulus Tomori cum equitibus,quos circum se habuit,interfectus,caputq; eius à ceruice desectum, ad Turcam est perlatum, miraculo tam repentinæ victoriæ obstupefactum,magisq; adhuc mirantem,quòd pauciſſimi in acie:cætera autem omnis nobilitas aut in fuga trucidata, aut sua sponte submersa fuerit, quorum capita Georgíns Trencinensis, & Ladislaus Archiepiscopus Strigonienſis erant,ambo à Danubio hausti. De Ludouico autem Rege diligenter Turca iniunxerat, vt incolumis caperetur,dignum vita & ipso regno existimans propter animi magnitudinẽ,quem adolescente adhuc iuuenta gerebat, ausus cum paucis apparere contra infinitam multitudinem.Sed iam is quoq; decesserat in proxima alluuie Danubij cum equo,in aquis collapso,priusquã casum deductor conspiceret, ferreq; opem posset,submersus. Interim fugæ

*Ambrosij Sarkanij consiliũ repudiatum.*

*Præcipites ad vicinam mortem ruunt Hungari.*

*Rex in prima acie collocatus*

*Franciscus Perenus falsè Proteuiam Pauli ridet.*

*Ominosa Regis vox.*

*Fuga Hungarorum.*

*Tomoræus interfectus, caput Cæsari Turcæ oblatũ.*

*Proceres Danubio absorpti.*

inſequendiq́ue fugientes non ante noctem finis. Quis hîc occiſorum numerum,in tam confuſa omnium, nocturnaq́ue etiam diſperſione facile inierit? Sed orta mox luce videre licebat,plenas cædibus vias,caſtra vbique cruenta, ferro corpora lacerata,& omnia ferè capitibus trunca, atque in vnum cumulum ingentem capita coaceruata,mox igne concremata. In captiuos deniq; ſæua & immania exempla edita,quæ pro rei indignitate,luctuoſiſſimum ſpectatoribus præbuerunt ſpectaculum.In hoc tam acerbo funeſtoq; & calamitoſo Hungarorum caſu, vnicum id ſolatium affuit, quòd Turca cum exercitu in regno hybernare,atque reliquos ſibi ſubdere auſus non fuit. Inter quæ Regina Ludouici Regis vxor, magna cura ad veſtigandum ſcrutandumq́ue corpus mariti adhibita, illud tandem in ſtagno illo, vbi fluctus Danubij ſtagnare ſolent,reperit, ſepeliriq́; in Alba Regali in conditorio Regum Hungariæ iuſſit, annum ætatis nec dum vigeſimum attingentem, adeò immatura morte è medio ſublatus eſt, ſi tamen is moritur, qui per gloriam, quam ſibi ob pietatem apud poſteros peperit æternùm viuit. Non defuerunt,qui diem diui Ruffi pugnæ Regum Boiemiæ, vt anteà diximus, triſti omine infamem, necis Ludouici reum citarent. Poſt occaſum Ludouici,Ferdinandus Auſtriæ tunc princeps, infanſq́ue Hiſpaniarum, cui Anna ſoror ipſius Ludouici deſponſa fuit,vtriuſque regni gubernacula excepit. Dextra prorſus manu,& adeò tenaci, vt ad extorquenda illa ipſa gubernacula, neque inſidiæ,neque arma ſumpta quidquam hactenus valuerint,ſed nec poſtea valebunt,quoniam regnis gubernator contigit prudentiſſimus, de quali Salomon diuinitùs: Et intelligens (inquit)gubernacula poſſidebit.Fruſtrà videlicet(vt idem ait)iacitur rete, ante oculos pennatorum,qui intelligentiæ pennis ſubnixi,facilè retia tranſuolant,& ab omnibus ſibi laqueis cauent. Nemo autem quiſquam Regum Ferdinando cautior, quia nemo ad cauendum ſolertior, vigilantiorque: nemo vigore ingenij, atque animi præſtantior: nemo aduerſus omnes humanos caſus fortior,infractioráque. Cæterùm quando lubricus locus ſit,& ab hiſtoricis vitatus, ſuperſtites adhuc Reges laudibus celebrare, propter adulandi ſuſpicionem melius eſt, me in præſens ſilere, quàm de tanto Rege, qui magnitudine ſua omnibus Regibus caliginem ſit inducturus parum dicere. Itaque alijs poſt nos, longè me diſertioribus,quæ de Rege Ferdinando memoranda erunt,relinquimus.

*Ludouicus rex aquis mergitur clade Mohaziana,anno 1526, die 29 Auguſti.*

*Regina cadauer Regis diſquiri iubet.*

*Ruffi dies nefaſtus trium regum Boiemiæ cruenta morte*

*Ferdinandus Archidux Auſtriæ* XVII. *rex Boiemiæ, Hungariæ,idē Imperator Romanorum. Pragæ coronatus 24 Februarij,anno 1527.*

[a] *Selymo Turcarum Imperatori Aegypti Victori regni Mamaluchorum euerſori mortuo, anno 1520 menſe Septembri ætatis 46 Regni 8.ſuccedit Solimannus filius ex filia Tartari Præcopitæ natus.*

[b] *Aliter referunt alij: Natus epidermide,ſeu extrema cuticula caruit,quæ liniomentis fuit de nouo producenda. Ante ſtatum tempus partus in lucem editus. Præter ætatem barbam adeptus. Statim canos emiſit.*

[c] *Hungari Rege in aciem prodeunte per capita omnes militant.*

# CATALOGVS EPISCOPORVM OLOMVCENSIVM.

AD

REVERENDISSIMVM PATREM AC DOMINVM STANISLAVM OLOmucensis ecclesiæ Pontificem, Augustinus decretorum Doctor eiusdemque ac Brunensis ecclesiarum Præpositus, & Secretarius Regius S. P. D.

*CORRIPVIT me nuper, Reuerendissime præsul, nescio an curiosior vel religiosior potius (vt ita dicam) scabies ecclesiæ nostræ Pontifices, in eum quem reuerendissimæ dominationi tuæ nuncupatim dedico ac ≈ itto, catalogum referendi, quidue per eorum tempora memorabile gestum sit, non ingratum veluti auctarium addendi. Dolebam enim eos per quos orthodoxæ Christianæ religionis apud nos exordium cæpit, & tanquam per manus tradita, ad hæc vsque tempora defluxit, æui iniuria obsolescere, nullisque annalibus, seu literarijs monumentis commendatos, cæca nocte ac obliuione inuolui debere, quò nihil infelicius in rebus humanis accidere reor. Quale enim hominis ac beluæ discrimen, si terra & corpora simul & nomina obruuntur? Quod ne his qui ecclesiæ tuæ olim præfuêre accidat, pro virili mea prouidi, breueq; id licet, ac compendiarium opusculum in tui gratiam congessi. Nolim tamen reuerendissima D. tua mihi succenseat, de ea me pauca in præsens scripsisse, quæ maiore longè præconio quam quisquam eorum quos retuli, pensanda foret. Nouit enim ea ecclesiæ præscripto, neminem nisi mortuum, in diuorum Apotheosim referendum fore. Nescio ergo an tanta gloriæ huius dulcedo reuerendissimam D. tuam capiat, vt pro ea emori velit: arbitror sanè viuentis à me potius præconia expectare, quàm mortua, quantunuis diuturniora perennioráque elogia expetere: quin etiam vetus est Græcorum adagium, Herculem nemo laudat quem nemo vituperat. Ita ergo, optime ac sanctissime Præsul, eorum quorum & ordinem & sedem tenes, exempla oculis tuis subijce, vt ad bonorum veluti ideam quandam, te (quod hactenus egisti) componas, & formes, prauorum autem sacrilega opera vt pestem quandam declines. Vale ex Buda vij. Nonas Decembris.*

STANISLAVS DEI GRATIA EPISCOPVS OLOMVCENSIS, Reuerendo ac excellentissimo Iurispontificij Doctori, domino Augustino Olomucensis & Brunnensis ecclesiarum Præposito, ac Regio supremo Secretario, S. P. D.

ACcepi cum multa voluptate, & perlegi diligenter, charissime doctor Augustine, priscorum Pontificum Olomucensium & maiorum meorum actę vitæ instituta sanctissima, & quęnam quisque eorum pro sua liberalitate, & munificentia in suam sponsam memoratu digna cõtulerit, quantúmue non solùm obseruan-

obſeruandæ, verùm etiam amplificandæ religionis Chriſtianæ: cui que ſtudium inſederit, eleganter & accuratiſsimè tua cura & indu ſtria conſcripta: quæ mihi indigno præſuli ex tenebris in lucem te duce educta, dicare ex humanitate tua voluiſti: habeo tibi chariſsime Auguſtine pro tanto munere non immeritò ampliſsimas gratias, & præſertim propterea quòd nominis & famę meæ bonæ ſtudioſiſsimus publicis & priuatis continuè occupatus negocijs, eorū nihil omittis quę virtuti, honori atq; nomini tuo optimè ſeruiunt. Quantum itaq; tibi debebunt patres illi celeberrimi, quos admiranda ſanctitatè præpollētes commemoras, & quos ſquallore obſitos, precioſos & conſpicuos facere voluiſti, ipſemet tibi hæc mente reuoluito. Multa proculdubiò precatione & ſuis ſanctiſsimis votis, ob tuam huiuſmodi pręclaram eis relictam memoriam, te plurimum hîc & in futuro ſeculo iuuabunt. Facis igitur (vt compendio dicam) chariſsime Auguſtine, quæ te decent: vtpote qui præclara eruditione, doctrina, & ſcribendi gratia multum potes & vales. Quod autem me tua eleganti præcurſoria epiſtola hortaris & inuitas, vt maiorum meorum (qui rectam vitæ ſecuti ſunt viam) documenta & veſtigia imiter & ſequar, agis iterum probi & integerrimi fratris, & amici officiū, atq; vtinam tui ſimilimos complures fratres haberemus, ſtaret ſponſa mea (quæ cœleſti prouidentia adhuc benigniſsimè fouetur) longè illuſtrior, precioſior, ornatiórque. Vt igitur tuis ſalutaribus conſilijs obſecundem, enitar, dilecte Auguſtine, & elaborabo maximè, vt ad eorum pontificum conſuetudinem & morem me præſtem, qui ampliorem & magis gratam ſui memoriam reliquerunt. Tuoq; recto conſilio confirmatus, libenter ea præſtabo, quæ in mea poteſtate fuerint, nō ignarus eum qui gloriam virtutis & bonarum rerum geſtarum memoriam reliquerit, meliorem hęreditatem, & præſtantius patrimonium relinquere non poſſe. Vale feliciter, & præſulem tuum diligito, qui mori potius cum virtute, quàm viuere cum dedecore iam pridem animo conſtituit. Datum Olomucij xi. Ianuarij.

## EIVSDEM AVGVSTINI Decaſtichon.

*Clauditur hoc paruo ſeries numeroſa libello*
*Pontificum, per quos gratia larga venit*
*Chriſticolis, quî ſancta fides & myſticus ordo*
*Hoc numero (vt cernis) ſacra regenda dedit.*
*Nec te vel Bauarus moueat vel Mrazo prophanus;*
*In ſpinas flores degenerare ſolent.*
*Illorum potius mireris candida facta*
*Quos decorat priſcæ religionis honos.*
*Nam vitæ meritis redolet, fulgétque, beátque*
*Vileſcit vicijs, pontificalis apex.*

# OLOMVCENSIVM EPISCOPORVM SERIES.

PRimus Archiepiſcopus Morauiæ Cyrillus natione Græcus prius Conſtãtinus philoſophus dictus, à Nicolao primo Pontifice maximo, anno Chriſti octogeſimo ſepitmo ſupra octingenteſimum ſedem Velegradenſem ſuſcepit, poſtquam Triballos primùm, inde Swatoplukum Morauorũ regem cum vniuerſa gente (quæ Viſtula, Danubio ac Vago fluuio terminabatur) in fide Chriſti initiarat. Fuere hi Marcomanni veterum quondam hiſtorijs celebratiſſimi. hic quum eccleſiæ quinque fermè annis præſediſſet, Archiepiſcopatui ceſſit, Adrianiq; pontificis nutu Methodium fratrem eccleſiæ Velegradenſi præfecit. Qui cùm à iuniore Swatopluko multis iniurijs ac contumelijs cum clero ſuo afficeretur, eccleſiæ huic ſacris interdixit, Romamq́ue conceſſit, reuocatuſq́ue non multo pòſt, quum nihilo remiſſius rex in clerum ſeuiret, omnibuſq́ue ſceleribus & vitijs homo ſanguinarius flagraret, beatus Methodius gregis ſui perditionem ferre non valens Romam iterum redijt, atque illic anno Chriſti Noningenteſimo ſeptimo, ex hac luce migrauit, in eccleſia diui Clementis (cuius corpus Cyrillus ex Cherſona ponti Romam attulerat) ſepultus, poſt cuius obitum ſedes Epiſcopalis quinquennium ferè vacauit.

IOannes ex Morauiæ epiſcopis primus beato Methodio in pontificatu ſucceſſit, Epiſcopalemq́ue ſedem in oppido Poleſſowicz, in eccleſia ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, annis ſexdecim ferè rexit, religioſeq́ue adminiſtrauit. huius tempore Venceſlaus quum ducatum Boiemiæ moderaretur, ab impio Boleſlao fratre (qui virtutibus ipſius vitæq́ue ſanctimoniæ regnandi cupiditate æmulabatur) occiſus, glorioſam martyrij lauream ſuſcepit, inter diuos non multo pòſt relatus. Otho verò Cæſar qui tum Germanis præerat, tam immane parricidium ferre non valens, Boleſlaum vſque adeò perſequutus eſt, vt bello contra eum moto, hunc caſtris exuerit. Eoq́ue miſerabiliter extincto, Boiemiam etiam ditioni ſuæ ſubiecerit. Tradunt nonnulli ſedem Epiſcopalem non in Poloſſowicz, ſed in Kunowicz fuiſſe.

SIlueſter Morauorum Epiſcopus ſecundus, Ioanne vita defuncto, epiſcopales infulas, anno Chriſti quadrageſimo ſecundo ſupra noningenteſimum ſuſcepit, Epiſcopatuiq́ue decem & nouem annos præſedit: poſt cuius mortem Epiſcopatus Ratiſponenſi eccleſiæ (quæ tum Baioariorum erat metropolis) vſque ad annos triginta quinque fuit vnitus: indè verò per Benedictum ſeptimum tempore beati Adalberti Pragenſis Archiepiſcopi, opera Boleſlai pij eccleſiæ Pragenſi annexus, quæ vnio nonaginta duobus annis durauit, vſque ad Seuerum Epiſcopum Pragenſem, ac Vratiſlaum regem Boiemiæ primum, cuius opera, annuente Alexandro Pontifice maximo, Epiſcopatus redijt ad Morauos. Sub hoc Silueſtro, Hungari gens Scythica Panno-niam infeſtant, exactiſq́ue inde Gepidis & Auaribus occupant, ad Belgicam vſque Galliam omnia ferro ac flammis vaſtantes. Hoc etiam tempore Ricinenſis Epiſcopatus Sleſiæ, Vratiſlauiam tranſlatus eſt. Electuſq́ue eſt hic Hieronymus Romanus primus Epiſcopus Vratiſlauienſis.

Ioan-

IOannes Morauorum Episcopus tertius, sancti Stanislai Cracouiensis Episcopi coętaneus, cõsentiente Seuero, ex Canonico Pragensi à Segefrido Maguntino episcopo ordinatus, anno sexagesimo tertio supra millesimum pontificatus curam suscepit. Hic pro arce podium Iaromiro seu Gebhardo Pragensi Episcopo Vratislai regis fratri germano (qui non eam solùm, sed & episcopatum violenter occupare conabatur) se viriliter opposuit, episcopatuique suo cum omnibus prædijs rursum reintegrauit. Moritur anno Christi millesimo octogesimo sexto, septimo Calendas Decembris: post cuius mortem episcopatus quinque fermè annis vacauit, occupante eum iterum Gebardo Episcopo Pragẽsi: qua etiam tempestate sanctissimus Carthusiensium ordo in Gallijs excitatur, & Cistercienſium alter apud Burgundos auspice Bernardo de Clara valle.

ANdreas Morauorum Episcopus quartus, ex Pragensi Canonico Ioanni sufficitur, anno Christi millesimo nonagesimo primo, & à Richardo Maguntinensi Episcopo consecratur. Huius pontificatu Vratislaus primus rex Boiemiæ episcopalem sedem ex Polessowicz transtulit in Olomucz, atque illic ecclesiam cathedralem sub titulo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in suburbanis erexit: cui quum Andreas quinque annis præfuisset, moritur, atque in ecclesia sua sancti Petri sepelitur. Sub huius exitu Hierosolymæ ingenti Saracenorum Turcarumque strage per Gottifredum Gallorum regem capiuntur, Christianique denuò iuris efficiuntur.

PEtrus Episcopus Olomucensis secundus, quintus in Morauorum episcoporum ordine, Canonicus regularis Strahouiensis cœnobij, in pontificatu Andreæ successit. Huius electionem Bretislaus Dux Boiemiæ Vratislai regis filius vsque adeò approbauit, vt deinceps statuerit neminem nisi eiusdem cœnobij Canonicum in Episcopum Olomucensem eligi debere: quod etiam decretum literis suis ac diplomatibus perpetuò duraturum firmauit: idque in Episcopi & Pragensis capituli contemptum, qui sibi electionem Olomucensis ecclesiæ violenter vsurpare nitebantur: quæ quidem electio Canonicorum regularium de Strahow continua serie centum & quinque annos durauit. Moritur Petrus anno Christi millesimo centesimo quarto, Nonis Iulijs, sepultus in Strahow.

IOannes episcopus, dictus Ventrosus, in ordine Episcoporum sextus, Canonicus in Strahow, concordi voto ecclesiæ Olomucensi præficitur, non tam religione vitæque sanctimonia clarus, quàm de ecclesia bene meritus. Hic enim Cremsirium cum foro & omni iure ab Othone Marchione Morauiæ pro trecentis marcis argenti emit, ecclesiæque bonis adiecit: insuper Lubacum in Boiemia à Sobieslao duce episcopatui incorporandum obtinuit. Moritur anno Christi vigesimo sexto supra millesimum ac centesimum, nono Cal. Martij, in Strahow sepultus.

HENRIcus cognomine Zdik, illustris Vladislai Ducis Bohemiæ frater, ac Strahouiensis cœnobij professus, Iohanni succedit: miræ sanctitatis ac innocentiæ pontifex, miserorumque singulare profugium. Huius pontificatu, anno scilicet tricesimo supra millesimum ac centesimum, Venceslaus Othonis Marchionis Morauiæ filius, cultum diuinum

amplificare ſtudens, & epiſcopium ( quod paruis continebatur anguſtijs) glorioſis ſtructuris euehere, templum ſub honore & titulo diui martyris & penatis Venceslai in arce ſua Olomucenſi erexit, ſedemque illuc epiſcopalem ex eccleſia Sancti Petri permiſsione ſummi Pontificis Innocentij ſecundi transferri curauit, duodecim ibi Canonicis inſtitutis. Hic etiam corpus ſancti Chriſtini pro eccleſia ſua recens conſtructa obtinuit, ibidemque religiosè recondidit. Addidit eidem & eccleſiam Diui Mauritij intra ciuitatem Olomucenſem, quæ antehac ad monaſterium Gradicenſe pertinebat. Moritur tandem glorioſus hic pontifex anno Chriſti M. C. L. VII. Calendas Iulij, in monaſterio Strahouienſi ſepultus.

IOannes ex numero Epiſcoporum octauus, Henrico viam vniuerſæ carnis ingreſſo, pontificatum Olomucenſem ſuſcepit, Canonicus regularis de Lythomiſsl. Hic dum epiſcopatui ſeptem annis præſediſſet, moritur: & in eccleſia ſua Olomucenſi ante introitum chori ſub albo marmoreo lapide ſepelitur. Ea tempora inſignes cùm philoſophos tum medicos tulêre, Auicennam Hiſpalenſem, & Auerroem Cordubenſem, cognomento Commentatorem: cœpit & hac tempeſtate Lugduni peſtifera Valdenſium inſania, quæ alibi iam pridem extincta, virulenta tabe Boiemos tandem ac Morauos corripuit, longeque ac latè infecit.

IOannes nonus, ſextus verò Olomucenſis Epiſcopus, cognomento Caluus, cathedræ Olomucenſis concordi omnium voto præficitur, Strahouienſis & ipſe cœnobij profeſſus: vir magnæ prudentiæ, eximiæ largitatis, ac ſingularis in omnes humanitatis & beneuolentiæ. Qui quum ſedi ſuæ miro omnium fauore bene & laudabiliter quindecim annis præfuiſſet, anno Chriſti M. C. LXXII. moritur, & in monaſterio Gradicenſi prope Olomucz honorificè ſepelitur.

DIetlebus in ordine Epiſcoporum decimus, ex Strahouienſi monaſterio pontificatum inijt, beneque hunc & religiosè adminiſtrauit. Moritur anno Chriſti octogeſimo primo ſupra milleſimum & centeſimum, & in monaſterio Strahow tumulatur: poſt cuius deceſſum ſedes anno vno vacauit.

PEregrinus vndecimus, Epiſcopus Olomucenſis octauus, Dietlebo ſucceſſit, ordinis & ipſe Canonicorum ex Strahow, vir integer & pius. Hic nondum expleto pontificatus ſui quadriennio moritur, & fratribus ſuis epiſcopis in Strahow attumulatur, quo mortuo ſedes biennio integro viduata eſt præſule & paſtore.

CAyn, in catalogo Epiſcoporum duodecimus, ex Strahouia procurante Conrado Marchione Morauiæ pontificias infulas, opponentibus ſe iterum Epiſcopo & Canonicis Pragenſibus, ſuſcepit: Pontifex, qualem Paulus eſſe voluit, hoſpitalis ac modeſtus, profuſaque in omnes largitatis, in clerumque ſuum potiſſimum. Hic quotieſcunque Olomucium venit, non Canonicos ſolùm, ſed totum eccleſiæ ſuæ clerum ex menſa & quadra ſua pauit, facilem & benignum ſe omnibus exhibuit, religioni mirificè vacauit, de quo id vulgo ferebatur, quòd vox eius ſonora vt tuba Dei, & quaſi vox angelorum. Moritur pius & religioſus pontifex anno Chriſti M. C. XCIIII. pridie Idus Ianuarias.

ENGEL-

ENgelbertus, natione Brabantinus, Canonicus & ipſe regularis de Strahow, in ordine epiſcoporum tertius decimus, Olomucenſem ſedem, vbi pridem Archidiaconus & Canonicus fuerat, obtinuit, magni conſilij vir, & ob hoc à principibus & optimatibus in maximo precio & exiſtimatione habitus. Canonicos ſuos miro amore & beneuolentia complexus, & ab eis viciſſim paterna veneratione cultus, nulli noxius, quin potius erga ſubditos ſuos mirificè benignus: ſciens boni paſtoris eſſe, tondere oues non deglubere. Moritur plenus dierum xvi. Calend. Ianuarij: anno Chriſti centeſimo nonageſimo nono ſupra milleſimum. Hic totum eccleſiæ tectum plumbo veſtiuit.

BAuarus Boemus, nobili genere natus, ex Strahouienſi cœnobio, Engelberto in pontificatu ſufficitur: vir gulæ & ventri totus immerſus, ſeditionibuſque & turbis plus quàm quieti intentus: helluo & prodigus, miſerabili ob hoc exitu vitam finiuit. Nam quum in monaſterio Milewsk ſacris operaretur, intraque canonem primam ſupra calicem benedictionem extenderet, apoplexia correptus concidit, omnique membrorum deſtitutus officio, infelicem animam Calendis Octobris exhalauit anno Chriſti ducenteſimo primo ſupra milleſimum, in Strahouia ſepultus: poſt quem ſeries electionis epiſcoporum ex Strahow ceſſauit. Fuit ea tempeſtate memorabilis ille vir Balduinus, Decanus Olomucenſis, natione Romanus, perpetuo præconio ob ipſius in eccleſiam bene merita celebrandus, qui ordinem cantus & pſalmodiæ, quæ hodie in eccleſia Olom. obſeruatur, primus diſtinxit, libris antiphonarijs ad id propriis ſumptibus coemptis: omnibus inſuper ſe humanum & facilem præſtitit, & Italici licet ſanguinis, hoſpitalem ſe ac liberaliſſimum & externis & domeſticis præter modum exhibuit. Moritur anno Chriſti ducenteſimo tertio ſupra milleſimnm, ſexto Calend. Decembris.

RObertus, natione Anglicus, quintus decimus in Epiſcoporum ordine, Olomucenſem cathedram (quum prior in Nepomuck fuerat) obtinuit, homo excellenti literatura præditus, magna prudentia ac morum grauitate inſignis. Hic Sarcophagum Diui Chriſtini auro & argento veſtitum, gemmis precioſis vndique diſtinctum, pulcherrimo opere cœlatum magnis ſumptibus & impenſis eccleſiæ ſuæ contulit, crucemque precioſiſſimam duodecim marcarum auri à Vladislao Marchione filio Przemisl, ſeu Ottagari tertij regis Bohemiæ pro eccleſia ſimiliter dari obtinuit. Multis beneficijs & ſacerdotijs peculium Diui Venceslai augendo: namque præpoſituram de bonis ſuis in eccleſia Olomucenſi primus inſtituit, villam Miedwiezy eccleſiæ perpetuò poſſidendam tradidit, compluribusque priuilegijs & diplomatibus principum indulgentia adauxit. Moritur dijs & hominibus gratus præſul decimo ſexto Calendas Nouembris, anno Chriſti ducenteſimo triceſimo ſecundo ſupra milleſimum in Velegrado ſepultus. Quo anno Diuus Antonius Vlyxiponenſis in Apotheoſim cælitum Patauij refertur. Sub hoc duo illa clariſſima religionis Chriſtianæ lumina Franciſcus Aſſiſiates, & Dominicus Calaguritanus ordinis mendicantium architecti, paupertatisque veri ſectatores illuxêre, miroque ſanctitatis & doctrinæ fulgore, totum orbem illuſtrauêre. Claruit & Diua Elizabeta Andreæ Pannoniarum regis illuſtris filia hac eadem tempeſtate.

Frideri-

FRidericus sextus decimus, Roberto vita functo, ecclesiæ Olomucensi præficitur. Nihil de hoc memorabile legitur. Moritur anno Christi ducentesimo quadragesimo primo supra millesimum: post cuius mortem Vilhelmus quidam per Capitulum erat electus, aduersus quem Venceslaus Rex Boiemorum Conradum de Fridebergk violenter intrusit: verùm Decanus & Capitulum, spontaneum pro ecclesiastica libertate subeuntes exilium per septennium ferè contra Conradum in Romana curia causam egerunt, iura ipsorum & electionem defendentes, quousque anno Christi ducentesimo quadragesimo septimo supra millesimum in Brumonem de Schœnbergk vnanimi voto fuit consensum, Vilhelmo in potestatem ac manus summi pontificis Adriani quarti iuri & electioni suæ cedente. Ea tempestate Scythæ & Sarmathæ profunda paludis Meothidos egressi, Poloniam & Hungariam latè peruagati, in Germaniam vsque penetrauêre, omniaque cædibus igne ac ferro populati, miserabilem stragem vndique edidêre.

BRVmo Comes de Schœnbergk, natione Saxo, præsul nunquam satis laudatus, cedente Vilhelmo, pontificias infulas, ac Olomucensis ecclesiæ moderamen suscepit: homo præstanti ac liberali forma, singulari consilio ac heroicis quibusque virtutibus egregiè dotatus, dijsque & hominibus iuxtà acceptus. Hic ecclesiam suam tenuem & inopem adeò auxit & locupletauit, vt eam de nouo visus sit & instituisse & erexisse. Cremsirium enim in primis muro cinxit, & ex pago in ciuitatem turribus & propugnaculis munitam euexit, collegium in ea Diui Mauritij, institutis illic Decano, Præposito, & Canonicis, ex fundamentis erexit, ac liberalissimè dotauit. Comitatum Hukenwaldt, cum arce & oppido Ostrauia, nec non comitatum Schœnbergk, cum arce & oppido Kelcz, cumque multis prædijs & villis ecclesiæ suæ adiecit, oppidumque insuper Hulyn ac Prawczize & Niemczize cum antiqua villa à rege Ottocharo obtinuit. Præterea Scolastriam & quatuor præbendas in Vitonicz & Friczonicz de nouo creauit. Insuper pro ornamento & tutela ecclesiæ complures insignes Vasallos instituit, variaque his bona & prædia in feudum concessit, adeò vt Olomucensis Episcopus antehac pauco cleri sui comitatu contentus, iam militaribus etiam viris honestissimè stipatus procedat, ecclesiasticaque ac militari æquè præfulgeat dignitate. Moritur gloriosissimus hic pontifex anno Christi ducentesimo octuagesimo primo supra millesimum, duodecimo Calend. Martij, in collegio Cremsiren. quod ipse extruxerat, sepultus. Floruêre ea tempestate Albertus cognomento Magnus, ac Thomas Aquinas, viri & vitæ innocentia clari, ac præstanti ingenio & eruditione illustres.

THeodoricus octauus decimus, Morauiæ Episcopus, mortuo Brumone in pontificatu successit, non minus grauitate quàm religione ac vitæ innocentia clarus. Hic missam gloriosissimæ Deiparæ virginis ante auroram singulis diebus in ecclesia Olomucensi solenniter decantari instituit, præbendam in Powla per illustrissimum principem Otthocarum ac Venceslaum ipsius filium de nouo fundari obtinuit, & alias insuper quatuor in Slatina de redditibus proprijs adiecit. Mortuus anno millesimo trecentesimo secundo, sexto Idus Octobris: Olomucij in ingressu chori sepultus. Fuit hoc tempore in precio Scotus, argutissimus ille Sophista, cui posteri Subtili cognomen indidêre.

Iohan-

IOhannes dictus Haly, ex cathalogo pontificum nonus decimus, Olomucenſem cathedram poſt Theodoricum obtinuit, vir magnæ prudentiæ optimeque meritus de eccleſia ſua: namque parochialem eccleſiam in Slapanicz ſcolaſtriæ Olomucenſi contulit ac vniuit, ſtatuitque vt deinceps Archidiaconatus, ſcolaſtria & cuſtodia non niſi præbendatis eccleſiæ Olomucenſis Canonicis conferantur. Mortuus eſt Nonis Octobribus, anno Chriſti cccxj. ſupra milleſimum, in eccleſia Olomucenſi ante altare Sanctæ Ludmillæ ſepultus.

PEtrus cognomento Bradawicze, ex famigerabili procerum de Lomnica familia ortus, pontificales infulas poſt Iohannem ſuſcepit, vigeſimus in Epiſcoporum ordine. Hic cùm eccleſiæ triennium laudabiliter præſediſſet, moritur Pragæ, in eccleſia metropolitana ſancti Viti ſepultus.

COnradus ex cathalogo pontificum vigeſimus primus, comitijs publicis eccleſiæ Olomucenſi præficitur: magnanimus eccleſiæ tutor & defenſor. Hic villam Chrzenowicze prope oppidum Cogetin emit, eccleſiæque & Capitulo perpetuò poſſidendam tradidit: conſtitutiones ſaluberrimas clero ſuæ dioceſis ſanciuit, plurimisque eccleſiam ornamentis auxit. Mortuus Idibus Auguſti anno Chriſti cccxxvj. ſupra milleſimum, ante altare ſanctæ Cordulæ in eccleſia ſua humatus.

HEnricus Berka, ex vetuſta & inſigni familia procerum de Duba, Conrado in pontificatu ſuffectus, Olomucenſem cathedram in ordine Epiſcoporum vigeſimus ſecundus, ſanctè & religiosè adminiſtrauit, villam Chrzenowice ex manibus Ioannis de Lucemburgk Bohemiæ & Poloniæ regis vendicauit, eccleſiæque reddidit: eccleſiam parrochialem in Wiſchow Decanatui vniuit. Moritur Pragæ quarto Calendas Ianuarij anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo tertio ſupra milleſimum, Ibidem in eccleſia ſancti Viti ſepultus.

IOhannes cognomento Wolko, filius Venceslai regis Bohemiæ, vigeſimus tertius in pontificum cathalogo, Henrico ſucceſſit, moxque religionis zelo ſuccenſus, monaſterium ſanctimonialium in Puſtimir à fundamento non paruis ſumptibus erexit, copioſisque redditibus dotauit, vaſisque inſuper ac ſupellectili argentea magnificè ornauit. Ibidem illuſtris ac religioſus pontifex inſigni pompa & apparatu ſepultus.

IOhannes cognomento Oczko, ex clara procerum de Wlaſſim familia: in Epiſcoporū ordine vigeſimns quartus. Wolkone vita functo ex Præpoſito omnium ſanctorum in arce Pragenſi fauore inuictiſsimi principis Caroli Romanorum & Bohemiæ regis, Epiſcopatum Olomucenſem ſortitur: non multò pòſt ad metropolitanam eccleſiam Pragenſem translatus, cardineóque culmini aſcriptus, ac rubri galeri honore ſub titulo Baſilicæ duodecim apoſtolorum à ſummo pontifice inſignitus, magna auctoritate eccleſiam ſibi commiſſam adminiſtrauit: poſtque multa laudabiliter geſta ex hac luce feliciter migrauit: ſepultus in eccleſia Pragenſi. Ferunt huic genitricem Dei Mariam in arce Raudnik viſibiliter apparuiſſe.

IOannes de nouo foro, episcopus Lythomyslensis, ac Caroli Augusti cancellarius, ad ecclesiam Olomucensem postulatus, ipsius curam non inuitus suscepit. Hic monasterium Heremitarum sancti Augustini in Lythomisl à fundamentis erexit ac liberaliter dotauit: ecclesiam Olomucensem per familiares Iodoci Marchionis ignis consumptam iniuria restituit. Moritur anno Christi ccclxxx. supra millesimum, in Lythomisl humatus, in monasterio quod ipse fundauit.

PEtrus cognomento Gelyto, vigesimus sextus in episcoporum ordine, ecclesiæ Olomucensi præsedit, ex Chorensi primum sede in Magdeburgensem ecclesiam translatus: deinde Venceslai Romanorum & Bohemiæ Regis ductu: Olomucensi cathedræ præfectus: homo magni animi, deque ecclesia sua & religione optimè meritus: monasterium Canonicorum regularium in Lantzkrona magnis sumptibus propriisque impendijs extruit: ornamentis ecclesiasticis egregiè decorauit. Insuper altare sancti Briccij in ecclesia Olomucensi erexit. Hic etiam munitionem Drzewcziz cum villa Popowicz pro se & suis successoribus fauore regis Venceslai emit. Moritur pius pontifex Idibus Febr. Anno Christi ccclxxxvij. supra millesimum: in monasterio Lantzkronensi humatus.

IOannes Iodoci & Procopij Marchionum Morauiæ frater germanus, ex ecclesia Lythomislensi violenter ac renitente capitulo cathedræ Olomucensi præficitur, Iodoco & Procopio bona ecclesiastica præter fas occupantibus, miserabiliterque distrahentibus. Quo audito, Vrbanus sextus Pontifex maximus Ioannem confirmare renuit, sed paci & tranquillitati ecclesiasticæ consulere cupiens, ad patriarchatus apicem ecclesiamque Aquilegiensem promouit, Nicolaum verò de Prussia ex ecclesia Constantiensi Episcopatui Olomucensi, in cathalogo pontificum vigesimum octauum, præfecit, dissipatorem ecclesiasticorum bonorum, magisque principum commodis quàm ecclesiæ suæ vsibus fauentem. Nam arcem Modriz & Melicz cum oppido Vuischau Iodoco Marchioni pignoris nomine tradidit, dissipatisque bonis ecclesiæ in Bohemia Pragam ac munitionem Drzeuicz incoluit, vbi & mortuus est, & in ecclesiam suam Olomucensem translatus.

IOannes dictus Mraz, nunquam sine honoris præfatione nominandus, Iuris Pontificij Doctor, ex præposito Zderasiensi ordinis Cruciferorum sacri sepulchri, ad ecclesiam Olomucensem primùm electus, inde verò ad Olomucensem postulatus, non episcopum gessit, sed sacrilegum, furem atque prædonem: non contentus enim ecclesiasticis bonis, oppida & arces per libidinem distrahere, à sacris etiam vasis supellectileque ecclesiastica non abstinuit. Sed dum se ob religionem sanctorum ossa & reliquias veneraturum fingit, in ædes sacras matricis ecclesiæ se intromitti prope noctis crepusculum petijt, satellitumque stipatus caterua, res ecclesiæ (ductu Smilonis de Wyczow Canonici & Vicarij sui in spiritualibus) abstulit, ac capsas quæ pro tuta & fideli custodia ad sacras ædes repositæ erant, effregit, magna inde vi auri & argenti subducta. Hic etiam postquam arcem Hukenwald contra inhibitionem summi Pontificis Sigismundo Cæsari tradidisset, maioremque partem bonorum ecclesiæ vel alienasset vel oppignorasset, arcem Myrow duntaxat, pro vsu suo & molendinum in Cremsir retinuit: vnde & prouerbium inoleuerat, ex Episcopo Olomucensi molitorem Cremsirensem effectum. Moritur anathemate damnatus, ac corio bubulo inuolutus, in domo sua Episcopali sepeli-

sepelitur, obtenta tamen post mortem absolutione, exhumatus ante eum locum, vbi sacrilegium commiserat, in ecclesia reconditur.

LAdislaus, aliàs Laczko, nobilis de Crawar in episcoporum ordine vigesimus nonus, sacrilego Mrazoni concordibus suffragijs sufficitur, retinente Iodoco Marchione Morauiæ, & Smilonem illum sacrilegum de Wyczow aduersarium eidem subornantem: Cui & octo milia numûm aureorum tradidisse fertur, ad causam contra eum in Romana curia instituendam. Verùm Smilone Romę turpiter & probrosè vita functo, Ladislaus episcopatu pacificè potitur, redemptisq; nonnullis bonis, quę Mrazo oppignorarat, ac ecclesiæ redditæ, Suitauiaque ex manibus Sigismundi recuperata, toxico (vti fertur) anno Christi M cccc vij necatur: in ecclesia collegiata sancti Mauricij Cremsirii sepultus. His temporibus Emanuel Chrisoloras Bizanzius literas Latinas & Græcas, à quingentis fermè annis fœda barbarie occupatas, in Italiam veluti postliminio reduxit, miraque felicitate auxit, vt Varronis Marciique Tullij secula redijsse videantur.

COnradus natione Westphalus, humili genere natus, regni Bohemiæ Subcamerarius, Laczkoni succedit, homo vanus & prodigus, artibusq; necromanticis ac sortilegijs contra professionem suam (vti aiunt) infamis. Hic bona ecclesiæ iterum diripuit, in duplaque quàm prædecessores ipsius pecuniarum summa partim Venceslao regi, partimq; alijs Marchionatus proceribus oppignorauit, fauore tandem Venceslai ad metropolitanam Pragensem sedem translatus: cuius bona, æquè atque in Morauia fecerat, distraxit, in Husitarum insaniam (quæ tum pullulare cœpit) non multò pòst prolapsus, postquam duo errorum architecti, Iohannes Hus & Hieronymus, patrum Concilij Constantiensis decreto igni traditi fuissent.

WEnceslaus cognomento Kralik, Patriarcha Antiochenus, post Conradum ecclesiæ Olomucensis curam in commendam (sicut vulgo aiunt) suscepit: homo ventosus, gloriæque, suprà quàm religioso homini conuenit, cupidus, quique dum sacris operaretur, spectari præ alijs voluerit, populumq; in admirationem sui pertrahere, altiore in ecclesia suggestu (quod ad id parare iusserat) conscenso. Hic etiam sub obtentu adeundi sacri Constantiensis Concilij magnam argenti vim à Capitulo mendaciter extorserat, quam Pragam vsque procedens, abliguriuit, neque vlterius (prout pollicitus erat) processit, redire tandem volens in Suitauia oppido Episcopali, pridie Idus Septembris defecit anno Christi quadringentesimo vicesimo sexto supra millesimum, in ecclesia Olomucensi sepultus.

IOhannes de Praga in episcoporũ ordine trigesimus secundus, ex Lythomisiensi sede ad Olomucensem postulatus, variam fortunam expertus est, aduersante sibi Venceslao Romanorum & Bohemiæ rege, ad cuius importunitatem quidam Also Canonicus Vissegradensis fauore hæreticorum & Conradi Archiepiscopi Pragensis pro Olomucensi Episcopo per factiosos quosdam Canonicos fuit electus. Verùm quum ea de re coram sacro Concilio Constantiensi controuersum esset, Iohannis electio approbatur, adeò vt in Cardinalium etiam cœtum sub titulo Sancti Ciriaci fuerit aggregatus. Qui tandem nutu Martini quinti Pontificis max. anno Christi quadringentesimo vigesimosexto supra millesimum vniuerso clero & populo sibi occur-

rente & applaudente,in ſedem ſuam reponitur,infulaque & Cardinea & pontificali decoratus, poſtquam laudabiliter eccleſiæ præſediſſet, Strigonij moritur,Vaciæ ſepultus, anno Chriſti triceſimo ſupra milleſimum ac quadringenteſimum. Hic non pontificem modò geſsit, ſed fortiſsimum & militem & Imperatorem,hæreticorum copijs ipſius auſpicijs ſæpe fuſis. Cùm is cataphracto etiam equo inſidens, inſtructis eorum aciebus idemtidem occurrere haud dubitarit,ob id vulgo Ferreus nuncupatus.

COnradus qui & Kunzo, ex familia procerum de Zwola, Iohanni ſucceſſit,pontificij iuris profeſſus, ac ſacri palatij apoſtolici cauſarum auditor. Hic eccleſiæ ſuæ cura neglecta Sigiſmundum Cæſarem paſſim per Pannoniam & Germaniam comitabatur,duorum tantùm aut trium famulicio ob auaritiam contentus: quamuis præter epiſcopatum multis ſacerdotijs abundaſſet. Mortuus Vlmæ in Sueuia,quum tribus annis eccleſiæ præſediſſet.

PAulus nobili genere de Miliczin natus,ex Præpoſito Pragenſi ob memorabilem hominis probitatem eccleſiæ Olomucenſis pontificatum ſuſcepit, triceſimus quartus in Epiſcoporum ordine. Multa hic eccleſiæ bona ab iniuſtis poſſeſſoribus vel vindicauit, vel redemit,eccleſiæque denuò reddidit: grauiſſimis ob hoc hæreticorum perſecutionibus attritus, quorum inſidias pro comitijs in Mezerzioz,& Proſtanno bis egrè effugit:armatis eum hoſtibus concitatiſsimè inſequentibus, quamuis corpore obeſo eſſet, & ob ætatem inualido & imbecilli, ſingulare in pauperes pietatis exemplum:quorum greges quocunque ibat ipſum conſequebantur, proſoribus hoſpicij ipſius continuè excubantes. Moritur tandem pius Pontifex ſexto Nonas Maij anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo,Brunnæ in collegio Sancti Petri ſepultus.

IOhannes dictus Haz de Brunna, Paulo vita functo,pontificatum obtinuit: quem ipſi prius quàm vita excederet deſtinaſſe fertur, cùm Præpoſitus Olomucenſis fuiſſet: vir magni conſilij,iurisque pontificij egregiè peritus. Hic Ladislaum Alberti filium regio diademate impoſito in Bohemorum regem inunxit. Mortuus non multò pòſt in Muglycz oppido Epiſcopali, ac in eccleſia ſua Olomucenſi ſepultus. Huius tempore anno ſcilicet ſalutis quinquageſimo ſecundo ſupra milleſimum ac quadringenteſimum, Bizantium ſeu Conſtantinopolis ab Amurate Turcarum imperatore magna Chriſtianorum principum ignominia capitur, inſigni ſummæ Sophiæ templo prophanis vſibus polluto, captis poſtridie etiam Galathis , quam hodie Peram appellant.

BOhuſsius triceſimus ſextus in pontificum cathalogo, Conradi de Zwola gentilis, Epiſcopales infulas Iohanne nuper extincto ſuſcepit, iuris & ipſe pontificij profeſſus,regijq; Ladislao(cuius conſiliarius erat)ob rerum agendarum peritiã apprimè acceptus. Hic 8000.aureûm nummûm à clero acceptis, Cremſirium oppidũ redemit, eccleſiæq; rurſum reſtituit:nõ multò pòſt temporibus ita expoſcentib. iterũ id oppignorare coactus.Pauco is tẽpore eccleſiæ præfuit,hæreticorũ odio veneno(vti fertur)Viennæ necatus.Ita enim medici interanea ipſius ſcrutantes aſſeueraſſe produntur. Sepultus Olomucij eo loci

loci,vbi Mrazo ille ſacrilegus humatus erat, quem viuens vt inauſpicatum ſemper cauebat.

PRothaſius de Czrnahora, ex illuſtri Bozkowiceorum gente, quum in Ticinenſi gymnaſio ageret,ad pontificatum aſcitus,eccleſiæ Olomucenſi præficitur: & ab Iodoco epiſcopo Vratislauienſe ex Roſenſibus regulis Georgio Podiebratio Bohemiæ rege præſente inſigni pompa ac magna procerum frequentia in eccleſia ſua coronatur:homo excellenti ac procero corpore, facie liberali, miraque prudentia, ac ſingulari eloquentia præditus, ſacrorum curam diligentiſsimam geſsit, nihilq; epiſcopalium cerimoniarum vnquam obmiſit. Hic arcem Wiſthaw regijs ſtructuris euexit, eccleſiamque illic à fundamentis magnis ſumptibus extruxit. Moritur peſte nono Calendas Septembris, anno Chriſti octogeſimo ſecundo ſupra quadringenteſimum ac milleſimum: in eccleſia ſua Olomucenſi ſepultus. Per eius tempora floruêre viri omni ætate memorandi,Laurentius Valla, Theodorus Gaza, Guarinus Veronenſis,Leonardus Aretinus,Pogius,Franciſcus Philelphus,latinæ linguæ egregij vindices & aſſertores.

MOrtuo Prothaſio, eccleſia Olomucenſis longo tempore antiſtite ſuo caruit: quindecimque ferè annis apud adminiſtratores ad hoc per capitulum deſignatos,adminiſtratio & ſpiritualium & temporalium fuit. Interea Matthia Coruino Pannoniæ & Bohemiæ rege prouidente, vt Iohannes Epiſcopus Varadienſis eius curam ſuſciperet,Pontificemque geſſerit.ex obſcuro hic oppido Morauiæ Proſtanno proceſſit, ingenio tamen & induſtria ſua ad id culminis euectus, vt neminem per ea tempora inter ſui ordinis homines parem habuerit, breui adminiſtrationis ſuæ tempore glorioſis ſtructuris arcem Viſchaw & Mirow ornauit,cœnobium omnium ſanctorum Canonicorum regularium in ſuburbanis Olomucenſibus ex fundamentis erexit, oppidum Muglicz ex epiſcopalibus ſumptibus redemit, eccleſiæque reſtituit:verùm eo familiæ diui Franciſci non multo pòſt aſcripto, quum epiſcopatus ad ſedem Apoſtolicam deuolutus fuiſſet, Innocentius octauus pontifex maximus Cardinali Allerienſi hunc contulit, eoque extincto, Alexander ſextus ad eum rurſus epiſcopatum Cardinalem Montis regalis ſuffecit. Quouſque impenſa ac fideliſsima opera Stanislai Thurzonij (qui eccleſiæ nunc ſanctè, integrè ac religioſè præſidet) libertati priſtinæ reſtitutus eſt, capitularique rurſum electioni permiſſus. Ea tempeſtate clariſsimi illi philoſophiæ triumuiri effulsêre, Iohannes Picus Mirandulanus, Hermolaus Barbarus Patricius Venetus, & Platonicæ philoſophiæ aſſertor Marſilius Ficinus Florentinus.

*FINIS.*

*Ite leues procul hinc moneo, procul ite prophani,*
*Neu fœdent veſtri limina ſancta pedes.*
*Quadraginta ſenes habitant hæc clauſtra domúmque:*
*Omnibus ijs cingit infula ſacra caput.*
*Nulli fas caſtum ſcelerato inſiſtere limen:*
*Nam chorus hic ſacer eſt: ſit procul ergo ſcelus.*

DOCTISSIMO AVGVSTINO MORAVO, SVpremo Regis Hung. Secretario, Ioachimus Vadianus.

*Pontificum, quòd ſancta refers memorandáque ſeclis*
*Nomina, & ex ſacris nobile ducis opus.*
*Auguſtine tibi tantúm proba pectora debent,*
*Elyſio quantum hæc turba ſacrata ſenum.*
*Te ſiquidem ductore cedit vtriuſque fidésque*
*Et redit excultæ relligionis amor.*
*Nam dum clara legit præſul monumenta ſuperſtes*
*Nimirum virtus gratior inde ſibi eſt.*
*Hæc facis vt vigeat cultis mandata libellis:*
*Cætera cuncta dies longior interimit.*

AD IVRECONSVLTISS. D. AVG. REGIVM AVricularium, Petri Aperpacchi Hendec.

*Auguſtine ſacri decus ſenatus*
*Rex quem Pannonius fouet probatq́*
*Pötens, belliger, integer, beatus,*
*Quod tu pontifices ſacris vetuſtos*
*Duris viuere vinculis relictis*
*Crede, magna manet pium laborem*
*Nullis gloria diluenda ſeclis.*
*Quantum clarus equis, celerq́ curſu*
*Caſtor: morigero pioq́ fratri*
*Debet perpetuæ fauore fratris*
*Vitæ redditus, ac redemptus horco.*
*Quantum Threitio reducta Vati*
*Felix Euridice, Stygios palude*
*Quondam debuit. Herculiq́ quantum*
*Thæſeus, Cæcropiæ ſalus iuuentæ*
*Tantum turba tibi ſacrata debet*
*Vitæ reddita nunc perenniori.*
*At pro munere Neſtoris ſenectam*
*Factus te duce corpori ſuperſtes*
*Ab ſummo chorus hic Deo rogabit*
*Virtutis celebri ſuæ patrono.*

# INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLE-TISSIMVS IN HAC HISTORIA Bohemica contentorum.


ABA rex Hungariæ 58.17
Abbas à Fulda malè acceptus à rege, & cur 147.10
Abbatis Strahouiensis oratio ad regem 141.8
Abacus uitreus ex industria præcipitatus 270.20
Acies bene instructa à Carolo 203.13
Accusatio in regem Venceslaum 146.30
Abdua traijcitur à Bohemis 110.45. & iij.8
Adagium Bohemicum in monachos 46.38.222.1
Adalbertus Magdeburgensium archiepiscopus 44.39
secundus episcopus Pragensis 44.45
in Bohemiam cum monachis 46.32
relicta Bohemia in Poloniam it 47.24
ad Prussos 47.26
pecoribus concionatur & audiunt, si credere fas est 47.30
Brunnouiensem abbatiam fundat 46.44
Romam it 45.40
in Ecstasim exequijs adest 45.48.
iterum in Bohemiam extruditur 46.20
pro diuo habitus 47.42
Adalberti fratres necati 45.45
Adalberti uita in episcopatu 45.1
querela 45.20
præsagium 45.37
cadauer auro emptum Gneznæ sepultum 47.40
Adalberto Strigonij templum ædificatum 47.44
Adamus à Nouadomo bonis exutus 311.8
Adamitæ 250.28
Adamitarum reliquiæ in Bohemia 182.10
Adheleida Vratislao nuptui datur 67.40
Adhortatio ad colendam concordiam 187.16
Adolphus Cæsar contemnitur in Germania 173.40. Anglis operam locat 73.42
æs Cyprium direptum 312.12
ærario Bohemico cur multum decesserit 295.28
æqualitatem inter populos quid conciliet 6.1
æruscatores 78.39
Agnes Bohema spreto Cæsare monialis fit 144.20
affinitas inter Rudolphum & Ottocarum 164.26
Aganum, nunc S. Mauritius 214.7
Alba Græca à Mahomete oppugnata 276.4
Albanesi qui dicantur 117.26
Albertus regis Bohemiæ frater Salizburgensis archiepiscopus 119.12
Albertus Bauarus regnum Bohemiæ renuit 266.38
Albertus Marchio Lusatiæ Cæsari rebellis 132.33
Albertus rex Hungariæ, Bohemiæ, & imperator uno anno 263.46
à Pontifice imperator declaratus 173.48
Adolphum occidit in prælio ibid.50
Venceslao inuidet 174.35
decimas à Bohemis de metallis petit ibid.
contrà Venceslaum regem Bohemiæ 175.8
Cuthnam inuadit ibid.18
in Bohemia pro Friderico pulchro filio 181.14
Albertus Austrius xij rex Bohemiæ 264.10
Albertus Cæsar sine gladio suis amissis retrocedit 175.30
Albertus cum Barbara regina transfigit 265.50
fluxu alui ex melonum esu extinguitur 266.2
Alberti præsidiarij Bohemia ejiciuntur 181.38
Albis fluuius unde oriatur 2.9
Salmone fœcundus 2.17
Albicus medicus archiepiscopus auaritiæ idæa 223.50
nihili fit 224.10
archiepiscopatũ uendit 226.1
Alexius miles ueteranus 75.36
occumbit 76.9
Alexander III. aduersus Cæsarem occultè 112.26
Alexandria in Liguria in Cæsaris ignominiam à Papa condita 118.45
Aluhia liber Vuicleffi Iohannem Hus confirmat 223.4
Ambrosij Sarkanij consilium repudiatum 314.8
Amurathes Turca Russiam inuadit 265.35
eius immanis sæuitia ibid.
Amurathis ingentes copiæ ad Varnam 269.20
Andreas XIX. Episcopus Pragensis 140.42
regem ostendit 142.29
libertatis ecclesiasticæ assertor ibid.
Andreas Dubrauius Episcopus Olomuccensis 77.1
Andreas rex Hungariæ sororem Vratislao dat 62.48 67.41
Andreæ regis pia cõsolatio 67.34
Anastasius Abbas postea episcopus Strigonij 46.48
Anna Gandala Hungariæ regina 267.26
Anna Vladislao nata 300.46
Germanicum sermonem discit 306.8
coronam fratri inuidet 302.48
annona præsidiarijs suppeditata 234.35
Anshelmus Rauennas episcopus Mediolanensib asper 31.33
Antipapæ à Cæsare creati 118.36
Apophtegma Venceslai regis Bohemiæ 148.6
aquarum inundatio 90.5
arx Deuma 12.41
arx montis Sionis expugnatur 261.11
arx Zuebrach 220.10

Arx Tetin 31.37
arx Briga 80.4
arx noua Pragenſibus traditur 248.38
arx Viſſegradenſis 2.2
arx Pragenſis ſuperior obſidetur 251.40
traditur 252.6
indncias facit 229.35
arx Bergomi à Io. rege Bohemiæ extructa 197.26
arcis Sedecæ deditio 160.4
arcis Vicegradenſis ruina ominoſa 97.3
arcem Cæſarianis reſtituit Vartembergus 232.20
arces reginæ oppignorantur 195 32
arces prædonum in Morauia ſolo æquatæ 187.42
Arces Morauiæ ædificatæ uerſus Auſtriam 146.6
Archiepiſcopus in partes Pragenſium tranſit 251 16
archiepiſcopi Germaniæ arbitri inter reges et proceres 191.27
archidiaconus pugnis multatur 134.10
argentariæ Bohemiæ fertiles 2.33
Arnolphus epiſcopus regem Bohemiæ apud Cæſarem Philip. accuſat 137.28
Arnulphus ultimus imperator Galliæ 28.50
eius mors ex pediculis 29.3
artes aulicæ 95.22
aſylum muliebre 12.40
aſtrologi præſagium 278.50
auaritia teloniorum coercita 212.16
Auguſtini epiſcopi extrema vox 268.6
aulicorum petacitas perſtringitur 311.12
aucupij nouum genus 311.6
aurum Bohemicum 2.39
auri maſſa ſomnium regi Venceslao turbat 148.2
Aurea bulla Caroli 312.8
aures regiæ ſuſurronibus patulæ 275.22
authoritas pontificis Romæ proſtrata 209.1
Auſtria inuaditur 257 4
Auſtria inferior olim Marchia orientalis dicta 73.15
Auſtriã Huſſitæ inuadunt 258.5
Auſtrius Henrico fauet 73 16
Auſtrij Friderico adſunt cum copijs 128.8
Auſtrij latrones Morauiam populantur 143.17
à Morauis caſtigantur 155.6
territi fugiunt 144.50
dominum quærunt 155.20
Nouam ciuitatem oppugnant 270 44
auxiliorũ uana iactantia 313.26


B


BAiazetes Amurathis filius 239.36
à Tamerlane captus 240.36
Baiazethes y. bellum molitur Hungariæ 291.30
Baiazethis victoriæ 240.33
fortuna ibidem
balneum fraudulentum 219.18
balneorum Bohemorum mos 219.46
Bamberga à Lothario oppugnata 99.20
Banum reginæ parricidam Sigiſ. perſequitur 238.30
Bani ſupplicium 238.38
Barbara lex 310.19
Barbara Cilienſis regina Bohemiæ & Hungariæ uetula ambit nuptias Vladislai Poloni 262.36
eius artes eluduntur ibid.
cuſtodiæ tradita 263.10
Barbaræ Sigiſm. uiduæ atheiſmus 271.4
Barones à quercu unde in Bohemia 51.44
Barones uitam mercantur nuptijs plebeiorum 182.46
Bartolus de Saxoferrato quo tempore uixit 209.20
Baſilia Rutheni filia Vratislao data 102.22
Batho Thatarorum dux in Hungaros 149.42
Batho & Peta Thatarorum duces 149.34
Bathi Thatarorum ducis ſtratagema 152.42
Bauariæ principes Bohemiam infeſtant 218.36
Bauarus operam Florentinis locat 218.47
Bauaro aſtu arces extorquentur ibid.40
Bauari à Thaboritis peßimè multati 258.10
Bauarorum ſtrages 58.26
Beatrix Barbaroſſæ uxor ex Burgundia 109.28
Beatrix Neapolitana Hungariæ regina amore hoſpitis capitur 293.26
auro milites corrumpit 296.8
ingratitudinis regem inſimulat 267.20
repudiatur 267.24
Beatricis ruſticæ dotes 54.33
Batrici reginæ Hungariæ facta poteſtas eligendi regis & mariti 295.44
Bela rex Hungariæ cur non gratus Hungaris 152.8
cunctator 159.10
cum Hungaris à Bohemis fugit 159.48
in Dalmatiam 153.6
Dalmatiam repetit 254.32
Bela prouerbium 8.6
Belinæ præfectus Vratislaum inuitat ad templi dedicationem 70.2
Beltrandus Baucius copiarum dux 197.30
Bellegradum ueteribus Taurum 276.8
obex Turcis in Hungaria 309 30.
à Turcis occupatur ſtipendiorum inopia 309.40
Bellegradi oppugnatio à Chriſtianis fortiter defenſum 276.20
bellum ciuile 105.30
bellum inteſtinum inter Auſtriũ & Bauarum 191.52
inter Pontificem & Cæſarem ſimile ciuili 118.30
inter Henricum iij. & iiij. patrem & filium 72.38
exitiale 73.20
inter Rudolphum Cæſarem et Ottocarum 163.50
incrudeſcit 265.10
inter Bohemos & Auſtrios 199.10
contra Marchionem Brandeburgenſem 207.22
Bellum Hungaricum in Moraiam 42.7
Bellum Othocaro in Hungaria 18.50

Bellum in Hungaria rusticanum 304.26
bellum Ioannis regis contra Lithuanos 194.10
bellum secundum Lithuanis 201.25
Prutenicum 157.44
inter Austriacum & Morauum 121.26
Morauicum ob fodinas argentarias 42.20
inter Regem Morauiæ & principem Boiemiæ 25.2
bellum Bretislai in Poloniam 59.30. quomodo militem cogat ibidem
Transalpinum contra Alexandrum 239.20
Matthiæ contra Fridericum Cæsarem ibid.32
gestum aduersus Matthiam à patre & filio regibus 291.2
ad Nicopolim infeliciter à Sigismundo gestum 240.2
bella pro religione perniciosa 243.40 inter reginam & Vladislaum 2.67.10
Bernardus Saxa 61.30
Bergomum se dedit 190.17
Bergomenses Bohemo se dedunt 197.28
cum Mediolanensibus Cæsequuntur 197.18
Betouia arx solo æquata 20.6
Boiemia sale caret 16.15
latronibus plena 217.45
perturbata 268.2
cur miseranda 91.16
Boiemiæ vocabulum vnde 3.9
situs 1.21. regiones ibid.27.
vrbes 1.33
Boiemiæ gentis primordia 3.2
Reip. constitutio ij. 21
incolæ olim inculti 45.5
administratores 169.18
Boiemiæ regum stirps extincta 179.5. proceres regem ad Pontificem reducere conantur 286.44. fœdus percutiunt contra regem ibidem
rex opulentior ipso imperatore 213.34
regem coronandi authoritas 115.31
principibus fatales Versouicenses 82.22. Capitaneus 111.2. rex filium cum copijs Cæsari in Italiã mittit 117.ij.
Boiemus ferox, audax, vorax 2.47
Boiemus quot possideat prouincias 74.42
Boiemi militis virtus Belligradi enituit 276.25
Boiemi leonem referunt 2.47
Boiemi proceres regi ius suum ostendunt ibid.
Boiemi forum reformare non volunt 113.24
peius quàm Germani remp. administrant 190.10
res tranquillas reddunt ante regis aduentum 308.30
externos abigere è regno Germanos volunt 189.25
de suo rege suspicioſi 188.42
à Brandenburgico decepti sua opinione 167.27
in Gallia benignè excepti 279.18
prædæ dulcedine militiæ nomina dant 121.10
Vlmæ malè mulctati 121.15
milites Turcico exercitui obiecti 261.2
Portam Mediolani occupant 113.37
à Cæsare laudati 192.24
maiestatis rei aguntur 126.40.
in Morauos 19.30
ad Casimirum Polonum inclinant 246.2
Federico regnum Cæsari deferunt 266.45
Albertum Bauarum regem ambiunt 266.18
Episcopum non Latinis, sed Boiemicis verbis volunt sibi sacra ministrare 31.8
excommunicati 45.42
Boiemorum primus rex 82.35
regum priuilegia 140.24
Boiemorum & Polonorum Dij 5.48
Boiemorum & Germanorum affinitas 2.60.1.3.
Boiemorum natura & mores 2.45.
proceritas 2.45
Bohemorũ ad Mnatam admonitio 17.18. salutatio 7.35
Bohemorum adagium 76.1
defectio ad idololatriã 76.1
querela in præfectos Germanos 169.6. odium in regem & Episcopum 47.3
cum Saxonibus & Misnis prælium 19.17. Bohemorũ et Morauorum præliũ 25.17
Boiemos antiquitus in libertate vixisse 5.5.6
Boiemos, solos Baiemos domare posse 259.20
Boiemis vernacula lingua sacra administrari concessum & cur 31.15
Boiemici soli dotes 2.2
Boiemica iura scripto comprehensa 213.15
à bobus ad equos 10.37
Boleslaus primus omnium fines suos egreditur feliciter 49.13
Boleslaus Sæuus 38.26. prodigijs terrritus sæuitiam remittit 40.30. paulatim fit Christianus 41.46
Boleslaus tertius xix princeps Boiemiæ 49.50. cæcus, auarus & iners 50.14. Craccouiam amittit ibid.22
regimen filio cedit 51.2
Boleslaus Boriuorij filius puer baptizatur 31.6. xvij princeps Boiemorum 40.4.
Boleslaus pius xviij princeps Boiemiæ 43.47. Craccouiam occupat 49.2
Boleslaus puer moritur 32.17
Boleslaus Venceslai frater, Caino comparatur 35.40
Boleslaus Polonus in Boleslaum
Boiemum cognatum suum insurgit opera Versouicensium 48.40. Sileſiam occupat ibid.
in Boiemorum exercitũ 52.8
in Boiemiã 82.7. aulæ magister ibid. iterum in Boiemiam 54.43. pudicus princeps Poloniæ 149.36. Vratislauiæ dux 188.39.
Boleslai iuxta sæuitia 40.50, in fratris cadauer inuidia 41.20. soror Mlada fit Monialis Romæ 44.6. Maria vocata ibid.20. eius mors 49.50. Boleſ. Poloni modestia 49.44. legati ad Boriuorium 85.2. cauillus siue scomma quanti constiterit Polonum 102.1
Boleslao sæuo infans natus 39.8

Boleslao Polono cur regnũ abrogatum 73.45
Boleslauia à Boleslao sæuo 41.3
Bonifacius viij. Iubileum instituit 172.26
Bonifacij pontificis indignatio in Hungaros 174.30
Boceco à Kunstat insidias prodit Friderico Austriæ 144.44
Bombardæ inuentæ in Germania 219.2
Boruiorius xij. dux Boiemiæ 26.22. primus Christianus 25.23. vt Christianus factus ibid.25
Boriuorius factus Christianus exosus Boiemis 29.43
Spitigneo filio Christianos commendant 31.50
templa ædificat 30.46
Boiemis ad tempus cedit religionis gratia 29.50
reducitur 30.35
principatu se abdicat 31.32
tertiò reuocatus ad fasces imperij filium Vratislaum dat 32.10
Bormirius Versouicensis in Poloniam turbas excitaturus 63.37
Boriuorius cur Versouicenses in integrum restituat 84.43
Boriuorius post primum conatum voluntarium subit exilium 86.44
Boriuorius ducit Leopoldi Austrij filiam 81.30
hæres Boiemiæ institutus 82.1
Vdalrico resistit 84.14
auarus 85.10
fugit 86.15
III à rege princeps 83.36
Suatoplucum ad Cæsarem defert 86.26
per legatos principatus repetit 90.45
Pragam à suis intromissus 91.9
exilium voluntarium in Bauariam capit 97.20. deinde in Hungariam ibidem
Boriuorij adagium 84.16
vox improuida 97.12
Boriuorij restitutio per vim Othonis repellitur 86
auxiliares copiæ à Vladislao fugantur 91.45
Boriuorio subsidia veniunt 91.38
custodes dantur 92.22
Borichius sacellanus defertur 100.18
Boseius cum filio domi suæ iugulatur 88.38
diripitur ibidem
Boum tributum, à Carolo magno Boemis impositum 24.30
Brandenburgensis Episcopi sacrilegium in Boiemia 168
sacerdotibus grauis ibid. 25
Brandenburgico præsuli abrogatur magistratus 169.12
Brandenburgensium cum Episcopis Saxoniæ discordia 146.14
Brennouienses Erimitæ 48.6
Bretislaus Vdalrici filius 54.43. in Polonos 56.15
Bretislaus primus Marchio Morauiæ vxorem Iuditham ex cœnobio rapit 56.42
de raptu veniam petit & impetrat 57.43
cum Morauis in Hungariam 58.10. xxij princeps Boiemiæ 58.46
Craccouiam capit 59.40
thesauros Gnesnenses in Bohemiam portat 60.20
contumax & proteruus 61.1
Cæsarem retrocedere cogit 6.24
in expeditione Hungarica moritur 64.48
in Hungaros equites Germanos conducit 64.12
Bretislaus Vratislai F. ex Adheleida 68.22
proteruus & contumelioſius in patrem regem 78.15
patri irato non fidit 78.8
ad Ladislaum in Pannoniam se recipit 78.20
Conrado succedit, popularis factus 79.1
in Polonos ducit exercitum 79.36. in Silesiam 80.2
Bretislaus Mutinæ Versoucensi vitam donat 80.18. & Boseiũ similiter dimittit 80.22
Iudæos expilat 80.27
Conradi filios exosos habet 80.32
inuestitur principatu 81.48
occiditur 82.26
Bretislai encomium 64.50
filij 65.40
præclarum militare specimen 76.14
victoria 76.17
Breteslai regij filij prima rudimenta militiæ posita 75.34
Bretislai vidua Hungaro nubit 66.36
Bretislai egregia indoles 75.50
Brunna exusta 25.11
Brixia recepta à Cæsare 110.34
Brixiani Gulphæ factionis 195.40.
à Vladislao Boiemiæ rege inuaduntur 110.24. deduntur ibid.
Bergomates obsident 197.10
Broda cremata 251.8
Brumo Episcopus Olomuzensis munificus & magnificus 160.24. Cresmirium extruit ibid.
eius ædificia ibid.
Buduoij consilium 85.30
Burgundiæ princeps captus 240.12
Bysa fluuius 146.20


C


CAdana oppidum 19.21
Cæsar contra Bretislaum 61.10
auro corruptus Vdalrico fauet 83.51 Sobieslai filium ex baptismo suscipit 99.29. Lusatiam donat ibid.
Vladislao Polono adest 108.50. sed frustra 109.1
in Boiemiam 106.10. Vladislaum restituit ibid.15
Cæsar Barbarossa Abduam transit iij. ibid.16
præmia militibus dat 115.18
Regem Boiemiæ honorat 115.12. ad libertatem regis Boiemiæ adigitur 47.10
Cæsar Rodulphus Milotam Morauiæ capitaneum corrumpit 165.12
offensus Brandeburgi peruerso animo 167.31
Baptismo nepotis adest 170.22.

Cæsar repellitur à Cuthnensibus 181.6.

Cæsar Marchiã Ioan. Boiemiæ regi promissam denegat 192 27. Misnensem & Austrium Boiemos inimicos facit 198.30 diuortij inter coniuges autor 203.2

Cæsar Sigismundus in Boiemiã 232.34. obsidionem Pragensem soluit re infecta 234.12. tribus locis Pragenses adoritur 235.21 intempestiuus theologus 236.16 Cæsar ope regis Boiemiæ obsidione liberatus 286.10

Cæsares duo 189.16

Cæsarum duorum conflictus ad Eslingam 191.48

Cæsariani in Boiemia cæsi, in Carinthia bella suscitant 203.20

calicis vsus qua lege Boiemis concessus 259.48

calicis professio Huſso mortem accelerat 225.34

calicis hostes pelluntur 232.6

Calixtini 225.51 ad montem Thabor 226.20 ampliora templa petunt 226.10.

Calixtus III pontifex Christianos in Turcas accendit 257. 48. coronationi Georgij à Kunstat consentit 282.1

calumnia à Miroslao in Episcopum effictã 100.38

calumniæ in aulis principum & in Fridericum 110.4

calumnias in aulis regnare 195. 26.

Campanarum hostis rex 154.28

cancellarius capitur 195.32 carcere profugit 196.7 absoluitur innocens 296.14. Episcopus Olomucensis ibidem 196.20

candidati pro regno Boiemiæ 280.40

Capistrani summæ doctrinæ 173. 20. mors 276.45

Carambus Asiæ præfectus 268. 38.

Carolus magnus Bohemos infestat 20.17

Carolus Robertus Hungariæ rex à Papa declaratus 173.50 contra Venceslaum regem Hungariæ 175.40 regno Hungariæ potitur 177.48 arbiter inter Polonum & Boiemum 292.32

Carolus regi Ioannes nascitur 188.38

Carolus regis Boiemiæ filius in Galliam puer ducitur 192.50

Carolus patris in Italia vicarius strenuè se gerit 199.30 veneno à Vicecomite inficitur 199.36. aulici eius ienctati moriuntur ibid. perspicax 199.50 acceptus Italis 200.18 Marchio Moraviæ creatur 201.3 patri Ioan. suspectus de ambitu 202.24 in Italia in summa difficultate positus 200.12 apud Boiemos benè audit 202.10.

Carolus contra Cæsarem proficiscitur 203.8

Carolus IIII rex Romanorum designatus 204.9

Carolus regnum Boiemiæ init 206.6. pius erga Deum ibidem Ioannem fratrem Moraviæ Marchionem creat ibid. ædes sacras ædificat ibidem Episcopatum in Archiepiscopatum euehit ibidem Gymnasium condit ibidem à suo Archiepiscopo coronatur ibidem

Carolus liberalis 206.32, redimit arces ibid. bonus œconomus ibid.

Carolus Germaniam peragrat, & iuramenta capit 208.12 vxorem Annam filiam Palatini Rheni ducit 208.20. conuentum indicit & cur ibidem.

Carolus Mediolani ferream accepit coronã 208.40. ornamenta Marchionatus Ludouico tradit ibid. Pisas se confert ibid. Romam venit ibid.50. Valdemaro opem fert 107.50. pugnam detrectat, ne reus agatur effusi sanguinis. 108.6. cum vxore Romæ coronatur 209. 10. armis à Pisanis impetitur 209.35. nouam Pragam condit 210.34. monachorum contubernia adducit. ibid. magnificentiæ studet 210.12 reliquias S. Viti in Boiemiã à Ticinio portat 210.44 auget regnũ Boiemiæ 211.42. Carolsteinam arcẽ cur ædificet 212.50 beneficus in pauperes 214.24 publica vectigalia imperij Electoribus vendit 215.22

Carolus Paruus regni Pannonici æmulus 237.30. à Forgatio interfectus 220.25

Cæsar suspectus regibus fit à maleuolis 305.30

Caroli magni prima mẽtio 17.24

Carol. IIII in Italia pugnat 200. 27. eius victoria ibid. de suscipiẽdo bello vltra mare sententia 211.25. præsentiam requirunt Germani 213.30 studium in filium Venceslaũ 214.30. in Italiam secundus ingressus 214.6. studium in ornanda Praga 215. 45. adhortatio ad filium Venceslaum 216.10. mors & sepultura 216.30. templum incolume seruatur 252.52

Carolostеynum obsidetur 253.8

Casimirus Meschonis Poloni filius monachus attonsus in Gallia 59.25. & sacer, profanus princeps fit Pontificis Romani indulto 61.44. Bretislao Boiemo tributarius 62.30

xxxi Versouicenses furcas suspendit Craccouiæ 53.48

cœnobia olim, id quod Gymnasia 44.38. regum horrea 141.25

cœnobiorum & arcium ruina 232.25.

cœnobitæ quibus vacarent rebus olim 44.36

censura in sacerdotes Boiemos 133.28

Cirina sylua 60.26

Cladora cœnobium construitur 96.42

clades Varnensis 269.26

Clinodia imperij Carolo tradita 208.31
Catharina Rudolphi IIII ducis Austriæ 2ij.12
Carthusiani Pragam illati 203.40.
Caudula Senator ne regis quidem præsidio tutus 294.25
Cogeta Vissehorius Belinæ præficitur 70.8
stat à partibus Iaromyrij 70.45.
Cochanus Versouicensis 50.24. 51.16. proditor 38
versipellis 52.32
fugit in Poloniã 50.24.51.46
regum proditor ibid,
Bretislao cædem minatur 58.50. Hiaromyrium interficit 59.2
necis reus agitur ibid.
de eo supplicium capitur 59.10
Cochani proditoris opera Praga recuperatur 52.40 53.14
in Hiaromirium pessimum consilium 53.32
Codanus sinus 3.48
Chodones qui 235.44
Chomutouia expugnata 250.40
Charistia apud veteres 102.17
Christianorum & Iudæorum conspiratio in Ethnicos Pragæ 47.8
Christannus substitutus Archiepiscopo 260.50
Christini corpus in Bohemiam translatum 101.14
Christinæ fastus 109.10
Chrodus miles strenuus 25.8
Cilienses insidiæ eluduntur 275.36.
Collegium Carolinum 210.42
Colloquium Bretislai cum Colomanno rege Hungariæ 80.41
inter Boiemum & Hungarum 94.37
regis cum gubernatore Bohemiæ 278.30
Colomannus regis frater 125.21
Colomanni regis Hungariæ mors 89.73
Colonia in Boiemia vbi sita 8.34
Cometes 98.5.144.3
Comes Libicensis apud Hungaros 44.30
Comes Palatinus apud Polonos 40.32
Comites Hardeggi occiduntur 159.26
Comitia campestria & armata 30.22
Bambergæ ab Otthone indicta 139.12
cruenta de eligendo rege 179.26. prætoria 180.44
ab Henrico interrege Pragæ indicta 182.30
regalia Cuthnæ habita 290.12.
Compactata à concilio Basiliensi Boiemis concessa 284.33
cur pontifex non probet 285.28
concionator Thaboritarum nouum senatum instituit 245.10.
concilium Claramõtense 118.40
conditiones Ladislao proponendæ 171.44
confessio auricularis 223.14
conflictus Pisis 209.38
coniugia Viennæ stipulata 305.46.
coniuratio muliebris in viros 12.14.
aduersus regem 292.30
Vladislao dissimulanda 105.16. detecta 154.10.
procerum contra Thaboritas 153.47
coniurati supplicio affecti 100.24. regnum Premislao filio deferunt 154.2
de coniuratis supplicium sumptum 154.14.
connubia in Boiemia 194.44
Conradus Sueuus Cæsar designatus 103.9
Conradus & Otthо fratri se dedunt 67.5
Conradus princeps I. à Rege salutatur 78.33. Conradus princeps moritur 78.42
Conradus prælio victor 105.38
Pragam obsidet ibid.44
Conradus Leopoldi F. Vladislao aduersatur 105.10
templa succendit 106.6
damna à Vladislao patitur 106.17
Conradus Marchio Morauiæ Episcopi proditor 107.12.
excommunicatur 107.40.
Conradus à Vladislao obsidetur ibid.46
arte elabitur 108.46
nomen dat sacræ militiæ 108.16. cum Friderico coniungitur 122.2
Morauia domatur 124.14
principatum ambit 126.2.
Conradus Vestphalus V. Archiepiscopus Pragæ 226.4.
Conradus IIII interrex 126.14.131.5
Conradus Vicegradum occupat 126.15
Conradus & Otthо peste extincti 131.24.
Conradus Cæsari militat bello Siculo 131.15
in concordiam cum Henrico redijt 129.46.
ad Fridericum tabellarij habitu ementito venit, culpam deprecatur 129.35
Conradus Duringus percussor regis, discerptus 178.76
Conradi filij in Austriam fugiunt 80.39. ex arce Morauiam populantur 80.47
Conrado Leopoldi filio struuntur insidiæ 99.31
Conradi odium aduersus Fridericum 127.30.
conspiratio in regem Boiemiæ 153.40
conspiratio tyrannorum Italiæ in Carolum 200.6
consensus inter fratres 96.38.
Constantinus Pogonatus quando regnauit 27.3
Constantia Monialis Panhormi Henrico Cæsari nubit 131.9
Constantia filia regis castellæ in Hungaria nupta 133.2
supra sexus prudens 146.2
constitutio in declarandis regibus Hungariæ 174.8
Constantinopolis expugnata 32.
consules Pragenses 267.11
consultores exautorantur 165.5
controuersia de decimis inter agricolas & Episcopos definita 55.16
contentiones in schola Pragensi 244.40
Coranda Calixtinos impedit ad noui

noni regis electionem 226.26
vafrum consilium eius. ibid.
corona Cæsarea intercipitur 143.50
corona Hungarica clàm subtrahitur 266.12
conuentus Cziaslauiæ de rege eligendo 252.44
Pragæ 159.30
Iglauiæ 159.45
conuentus imprrij Ratisbonæ 161.50. eius acta 262.2
Pragæ de religione 284.25 292.20
conuentus regum Matthiæ & Vladislai 293.12
iterum Iglauiæ 295.18
eius definitiones ibid.
Pragæ in frequens 289.13
Hungarorum ad Pestum 307. 30.
Cosmus xi Episcopus Pragensis 76.50
moritur 81.35
Craccouiæ vnde nomen & origo 7.57
Craccouiam recuperare Polonus studet 49.24
in pugna confossus 23.24
Crasnitius Gurimensis ferox 22. 40. Morauo se subijcit ibid.15
Crassota miles strenuus 49. 7.35.
Creuomyslij etymon 20.19
Cressus Suoslao opponitur 24.7
Creuomislius ix Bohemiæ princeps 20.19
Cremsirium Zisconi resistit 255.14. Olomucensium Episcoporum sedes 90.40
Creuolcata arx 94.3
Cremes oppidum 143.27
Cremenses Bohemo se dedunt 197.30
Croatia, Illyria olim 4.28
Crocus Boiemicus 2.30
Croccus Solonis vel Lycurgi munere apud Polonos perfunctus 7.40
Croccus Czechio succedit 6.20
Diuinus ibid.24
Boemorum prætor 30. superstitiosus ibid,40
Crocci filiæ seu Sybillæ 7.59
Crucem auream auert Maximilianus 267.2
Cruciata pro ordine Theutonico 214.38
in Bohemos publicata 230.38
Crucigeris Ioann. rex Boiemiæ Pomeraniam tradit 194.35
crudelitas in infantes 88.44
crudelitatem in coningem suam vlciscitur 70.12
Crußina Thobiam occidit in comitijs 179.36
Crußina dux in periculo 253.42
Cubitum oppidum oppugnatur 301.47
Curia direpta 207.40
Cuthna à rege oppugnata 30
Cuthnæ oppugnantur 185.40
Cuthnenses deficiũt à rege 184.2
veneno aquas inficiũt 175.20
Cyrillus & Methudius principem Boiemiæ primũ baptizant 26.46
quo populos ad Christi sacra adduxerint 31.20
Cyrillus Clementis cadauer ex Græcia in Morauiam, inde Romam portauit 30.50
Cyrilli mors 33.30
Cydlina flumen 93.28
Czechius Croata nobilis 4.29
Czechius vt in Boiemam venerit 45.8
Czechius sacra facit 5.18
à fratre secedit 5.24
Czechij & Lechij migratio 4.31.
Czechij gratiarum actio Dijs 5. 16. diligentia 26


D


DAniæ rex Brandenburgensem iuuat contra Mechelburgenses 207.35
Daniel à Lyppa Episcopus Pragensis 14.109.19 xviij.135.40. Italia moritur 118.50
decretum Electorũ imperij contra Henricum interregem Baiomiæ 148.20
decretum de aduocando Ladislao 271.37
decreti concilij Basilienſis de cœna Domini explicatio 283.26
delatores aulici 95.30
deliberatio de Regio coniugio 278.5
delubra extruit Vẽceslaus 37.42
desertores suspendio puniuntur 121.25
desertorum pœna 124.30
Desiderius occiditur à Bretislao 77.28.
Desiderij Colacis dictum Bretislaum mordet 77.8
Denarium S. Petri in Polonia 194.42
Dethmarus primus Episcopus Pragensis 44.24
dignitates duæ summæ, tam in Boiemia quàm in Morauia 190.
discordiæ origo quid 6.15
disceptatio Pragensium de insignibus 310.34
disceptationi causæ inanditæ præfuit rex 300.10
disputatio de religione sine fructu 242.26
eius acta ad synodum deferuntur ibidem
dißensiones inter regem & reginam tolluntur 193.30
Dobrina expugnata 194.16
dolus Poloni in Boiemum 50.34. oculis priuat perfidè Boiemum. ibidem 47
dolosum Brandenburgi colloquium 167.18
Dombraua Boleslai filia, regi Poloniæ nubit 41.50
domestici hostes subigendi prius 257.
Dominicani in Boiemiam introducti 140.36
Dracula Valachiæ Dominus 269.4
Drahomira Lucensis aliena à Christo Vratislao vxor datur 32.22. sæua in Christianos ibid. Dolosa ibid.39
Drahomira filium Venceslaum regem tollere curat 39.8
Drahomiræ inuidia 35.46
Drahomiræ in Christianos persecutio 33.38 perfidia & feritas 48.
duelli conditiones 189.1
Dulcini et Margarithæ hæresis 181.47.
Dulciani fratres exusti 194.7
Duringi perfidia et auaritia 22. 18.23.27, suspenditur ibid.34
Duringi Alnus 22.36.

E

Edictum regis contra Germanos, et etiam matrem 66.16
non lædendis ſacris bonis 141.39. in Hungaria contra Lutheranos 310.20
educationis fructus 38.22
Electorum in Germania inſtitutio 50.4
Eliſabeth Nimburgam è cuſtodia fugit 183.20
Boiemiæ hæres, emendicato mundo muliebri Spiram ad Cæſarem ducitur 185.10
Ioannes Lucemburgius datur ei maritus ibid.25
Elizabeth reginæ mors 267.26
epigramma in Pragenſes 292.14.
Epiſcopus ad Cæſarem pro Vladislao 92.12
à Conrado ſpoliatur 107.18
Epiſcopus regi ſuſpectus 154.22
Epiſcopi Varadienſis memorabile facinus 202.14
Epiſcopo quouſque liceat ſæuire in errantes 74.20
de Epiſcopo in Boiemiam inducendo deliberatio 43.3
Epiſcopi Pragenſis & Olomuzenſis moriuntur 109.18
Epiſcopi Ioann. Lucemburgi negocium faceſſunt 195.3
Epiſcoporum nullus audet coronare Georgium 281.44
Eremitæ trucidantur 48.31
Eremitarum miracula 48.14
Ernestus primus Archiepiſcopus Pragenſis 206.30
moritur 214.20
Eugenius papa III 107.34
ægrè rata habuit Baſilienſis concilij acta 242.32
exactiones à Friderico impoſitæ 125.10
exercitus ingens contra Huſſitas 235.24.
exercitus inedia dilapſus 265.10
exercitus regis vbi locatus 287.46.
expeditio à Chriſtianis in Orientem illuſtris 108.20

F

FAbella de Horimyrio 20.35
Factiones Pragæ pugnant 34.6. in electione regis 290.13.
Fantinus à Valle pontificis legatus 284.28. carceri truditur 285.50
liberatus Ratisbonæ moritur 286.1
Fantini legati oratio ad Boiemos 285.8
Ferdinandus Archidux Auſtriæ xvij rex Boiemiæ. Pragæ coronatur ibid.36
Ferdinandi nuptiæ Limtij 309.24.
Filippus Florentinus vigeſies contra Turcas in Hungaria victor 243.16
Fiſcus imperij egens 262.22
flagellatorum ſecta abolita 163.14. deletur 2ij.7
Florentini inſidiarum architecti 209.45 iter Sigiſmundi impediunt 242.40
fluuij Bohemiæ 2.16
fœdus cum Hungaris 99.10
publicum 236.42
cum Amurathe violatum, authore Pontifice maximo 269.20. cum Turcis ictum 304.14. pontificis operâ reſciſſum ibidem
fœminas cum viris bella inire apud Sarmatas 15
Forgatius Carolum Paruum occidit 237.40
Forgatio Sicario caput amputatur 237.50
Forum iudiciarium reſtitutum 299.44
Franciſcus Cardinalis Florentinus Latinæ claſsis præfectus 269.2
Franciſcus Perenus falsè Proteruiam Tomorræi ridet 314.25
Franciſcanorum familia in Bohemiam introducta 140.36
fratres de regno certant 296.13
reconciliantur 55.5
Frankſteina exuritur 287.22
Fridericus Barbaroſſa imperialis dignitatis defenſor acerrimus 109.40
Cæſar deſignatus 109.22
Fridericus Vladislai Bohemi F. caſtellum Mediolani expugnat 113.7
ex Italia domum reuertitur 118.24. F. Cæſar Mediolanum triumphans ingreditur 115.2
regni ſucceſſor declaratur murmurantibus Baronibus 119.35
Fridericus XV Epiſcopus Pragenſis 119.10. Fridericus Praga potitur 16. popularis ibidem
Fridericus regno ad tempus cedit in Hungariam 120.28
Fridericus interrex 120.30
regnum repetit 121.35.
Fridericus à Cæſare confirmatur in regem 120.12.
Ratisbonam ad comitia vocatus 122.34
Friderici vxor prudens & popularis 122.26. Frider. biduò Sobieslaum anteuertit 123.36
ad comitia euocatus à Conrado regno priuatur 126.10
per Cæſarem reſtitutus 126.46. Pragam defendit 127.40. nouum fidei ſacramentũ à nobilibus exigit 128.4 Boiemiã vaſtat 128.15
Fridericus Barbaroſſa dux ſacræ expeditionis 130.10
Fridericus Bohemiæ princeps moritur 130.50
Fridericus II Cæſar deſignatus 140.4. comitia Argentinæ vocat 143.37. Henricum filium Cæſarem deſignat ibidem
Fridericus Auſtrius iniurias vltus in Boiemiam 144.25
Vetouiam oppugnat 144.34
duellum offert, poſt renuit 145.5.
Fridericus Auſtrius Cæſari conciliatur, redemit á Boiemo Viennam 147.42
Fridericus Cæſar cur ex Italiâ in Germaniam 146.25
Fridericum Auſtriæ inuadere iubet Bohemum 147.24
Fridericus Auſtrius meritò ab Hungaris interfectus 154.47
Fridericus pulcher competitor regni Boiemiæ 181.2
Fridericus Cæſar à Viennenſib. obſidetur 286.6
à Cæſare Ludouico occiditur 192.2
Fridericus regnum Boiemiæ Ladislao

dislao patrueli ſaluum vult 267.2
in Italiam Ladislaum ſecum ducit 270 4
Vladislaum regem Boiemiæ confirmat 290.34
Friderici Auſtrij barbara inhumanitas 54 38
ſollicitudo iuſtitiæ adminiſtrandæ 116 40
manſuetudo 129.28
Barbaroßæ in Aſia progreſſus 130.25
Friderici II fœdus cum rege Galliæ 140.9
Friderici Auſtriæ ſumma barbaries 153.2
Friderici coniunx Leonora 270. 22.
Friderico Cæſari noua miſſa auxilia 117.1
Friderico ſuccenſet nobilitas ob gmaiſtratus Germanicos 125.47
fuga Hungarorum & ſtrages 314.32
furorē vulgi declinat rex 292.40

G

GAlliæ Rex ambit regnum Boiemiæ 280.25
Galli inſtitutionem Electorum iniquè ferunt 50 10
Galli magnifica pollicētur 281.2
Gambacurta capitur 209 42
Gambacurtæ proditio in Carolum IIII 209 28
Gaudentius Gneznæ præſul 47. 25.
Genua Cæſari contumax 121.5
Georgius Trencinius 314.1
Georgius Fiſcellinus iureconſultus 241.50
Georgius Podiebradius Albertū fugat 264.32
regem extra vrbem ad colloquium educit 278.16
Maynardo opponitur 207.40
Praga potitur 267.42
magiſtratus conſtituit 268.3
Boiemiæ gubernator 270.48
de reducendo Ladislao deliberat 271.30
prorogat ſuum magiſtratum 280. 5
rex Boiemiæ creatur xiiij
Georg. de ſua coronatione ſollicitus 281.80
rex coronatur 282.6
Monaſteria diripit 281.24
iurat Pontifici ibid.
Matthiam prouocat ad duellum 258.41
de ſucceſſore ſollicitus 289.36
in conuentu mentem ſuam aperit 284.26
Georgij filia duci Saxoniæ pacta 283.20
Georgij filij principes 286.18
Georgij regis ſtatua 286.20
Georgij Cecli ducis ruſticorum immanitas 304.36
Georgij demortui regis liberis ſatisfit 292 24
Germani cum Vdalrico profligati 84 30
Germania tota in Boiemos armata 253.48
Germani deſpondent animum 235.40.
Germani terga vertunt panico terrore 254 20
Germani ad Auſtrū cæſi 257.10
in factiones diuiſi 103.9
Germanorum & Bohemorum vetus mos 8.10
Germanorum præfectorum auaritia 189.32
Germanos principes hortatur Sigiſmundus ad Latinæ linguæ ſtudium ib.45. liberalis in viros doctos 242.8
Gerardus Epiſcopus Pragenſis in fratrem proteruus 75.12
moritur 76.47
Gerardo lis mota de Epiſcopatu Olomucenſi inſtigante rege 76.40
Gertrudis mors & ſepultura 109.16
Geſco Verſouicenſis ex factione Boriuorij captus, dimittitur incolumis 92.30
ignominia notatus ibid.
Gibellini Parma expulſi 198.2
Gibellinorum & Gulphorum origo prima 143.10
Giſcra regias partes defendit in Hungaria 367.18
fidus Ladislao ſatelles 268.22
Ladislaum Hunniadem capit & complices ibid.
Glacium exuſtum 94.5
Glogouia oppugnata 89.48
Gonzage fiunt Marchiones à Sigiſmundo 243.2
Gneczna capta 60.ij
Gorlitiū à Boiemo capto 198.50
Gotius Vrbeuetanus legum peritiſſimus 173.30
Gradycum monaſterium exurunt Thatari 151.23
Graditia Mora fluuio cingitur 287.30
Graßatorum receptus ſolo æquantur 308 46
Griffina Polona Boiemo ſororis marito ducatus duos legat 171.28
Gualuaginus Angleriæ comes vir ſagax 112.24
è carcere euadit 120.48
Mediolanum reuertitur 120. 50. eius diligentia & labore Mediolanum reſtauratum 121 1
Mediolani reſtitutus 116.48
gubernator Hungariæ quæritur 307.208. 50.
gubernatorem offenſum Ladislaus placat 278.32
Guelphorum & Gibellinorum origo 143.10
Guido Elateranus ſiue Blandrata deditionem Mediol. ſuadet 113.46. eius prudens oratio ibid.
Gurimum obſidetur 23.8
Gurimenſis æmulus imperij 15. 47. plectitur 16. 15
Gurimenſes Boleslao ſe dedunt 42.31
gymnaſium literarum prohibent erigi Pragenſes 173.34

H

HAna fluuius Morauiæ 29 18
hæreſis Piccardæ origo 127.1
Henricus Cæſar donis corruptus 52. 4
contra Bretislaum 60.46
Henricus pater à filio captus in carcere moritur 73.40
Henricus iunior Vratislaum Boiemum ad ſe pelliccre conatur 73.35
Vratislaum regem Boiemiæ declarat 75.4

Henricus Episcopus Olomucensis 100.36
Romam pergit 107.30
Conradum Vladislao reconciliat ibid.
Henricus à Conrado proscriptus 103.32.
Henricus Austrius fugit 121.30
moritur fracto crure 121.33
Henricus primus dux Austriæ 121.36. in margine
Henricus xiij. Episcopus Pragensis 125.35
Henricus Friderici F. Cæsar designatus 130.16.131.3
principatu se abdicat 134.26
Henricus Episcopus gubernator Boiemiæ 131.18. interrex 152
Henricus Premislaum & Adalbertum Marchionem superat 132.45
Henrico insidiæ structæ 133 6
incitatur ad vindictam ibid.
Henricus Lignicensis se Thataris opponit 150.1
infeliciter pugnat ibid.
Henricus V I Vratislauiensis princeps 271.16
Henricus à Lyppa Poloniæ præest 178.39
interrex Boiemiæ 178.49
Henricus Comes Lucemburgensis imperator 181.43
Henricus Carinthiæ interrex Boiemiæ 181.34. regnum expilat 182.14
Henricus proceres indicta causa damnat 182.36
Henricus Coniugis suæ sororem impari nubere vult, quod illa negat 183.10
Henricus interrex multos in fidem adigit 185.36
Henricus Lucemburgius Romæ coronatur 188.10
Henrici Cæsaris Lucemburgensis prima in Italiã profectio 188.6. Turrianis deiectis Vicecomites præfecit Mediolano ibid.10
Henricus à Lyppa Trencinium fugat 188.20
Henricus Cæsar Boncõuenti moritur veneni suspicione 189.10
Henricus à Lyppa reginæ senioris bona curat 190.16
capitur ibid.
Henricus Austrius captus in prælio liberatur 182.18
Henricus Rosensis à Thaboritis cæsus 234.50
Henrico datur discedendi potestas 186.30
Heluetij quas tenuerint regiones 3.14.
Helichardus Pragæ V. Episcopus 54.43.
Hermannus X. Episcopus Pragẽsis 81.40. turbis cedit 86.48
Hermannus episcopus Vladislao fauet 92.3. moritur 97.26
aulicus magis quàm religiosus ibid.
Hiaromirius XX Boiemiæ princeps patri similis 51.2. simplex & iners ibid.10. venator ibid. Vicegrado in arce obsidetur 52.19
Hiaromiri vulnera diuinitùs sanata 51.36. inuectiua in Versouicios 58.44
Hiaromirio oculi à fratre eruuntur 53.32
Hierosolyma à Saladino capta 130.6.
Hieronymus Stridonensis 24
testamentum in Sclauonicam linguam vertit 4.25
Hieronymus Io. Hus collega 223.32. facundus & doctus ibid.
Hinco à Vetouia regi rebellis 282.22
Histria & Carinthia Otthocaro venditur 157.41
Hormidurus rex Moraniæ 23.15
hospitale prope Pragam constructum 124.20
hostes declarandi ab imperatoribus mos iij.48
Hostiuitius xi princeps Bohemorum 23.27
Honoras Hiaromirij venatorum dux 51.14
Honoræ fidelitas 51.31. præmiũ fidelitatis ibid.41. Baro factus ibid.
Hradecium à Thaboritis captum 235.6
Hungari cum Morauis à Boleslao sternuntur 42.44. in Austriam 42.14. cur in Morauos 56.8. à Boiemis funduntur 95.1, regem Belam non amãt 101.28 prouincias Imp. Constantinopol. possidebant 117.42. à Thataris atrocissima perpessi 152.18
cæsi 152.48. cæduntur 155.40
flumine absorbentur 159.42
Dominis suis nõ sat morigeri 135.32 decus imperij Alberto non concedunt 264.18
Vladislaum Polonum regem poscunt 266.18
Hungaria opulentior Boiemia 267.16 ad Idololatriã procliuis 79.14. dissolutè viuũt 310.2
veterno oppressi 3ij.40
præcipites ad mortem 314.10
Orebitas dissipant 233.12
Hungarorum bellum aduersus Saxones 32 50
strages 188.24.218.18
arrogantia 312.40
Hungaros prius inuisit Ladislaus 271.48
Huniades regni gubernator institutus 269.45
vocatus à rege, regni limites prudenter transire non vult 275.30
Huniadis fuga 269.25
Hunni Augustam obsidẽt 40.34
Hunnorum astutia in repetenda Pannonia 27.28
Hussitæ non sunt hæretici 284.40
Hussitarum ciuitates 230.35
capitanei 231.42
sacerdotem rex ab ara deturbat 274.18
Hussitis nullus à rege honor habitus 273.2.274.4
Hyruinus histrionem fabulæ gerit veterator 85.35
Hyrri 5.48

I

IAgellus Lithuanus 239 1
baptizatur ibid. Lithuaniam Poloniæ coniungit ibid.
Ianus Smiritius capitis supplicio affectus 272.15
Iani Vayuodæ potentia 313.10
Iaromyrius fratrum minimus admitti vult ad hæreditatem 69
habitu seculari in Poloniam se transfert 69.34
Vratislaũ fratrẽ lacessit 69.39
Iaromyrius, qui & Gherardus 72.5

Iaromyrus Episcopatum ambit 70.38
Episcopus Pragensis ibid.20
Episcopatum Olomucensem ambit in vito principe 72.12
contumax 72.24
ab Episcopatu suspenditur ibid.
per Mathildim restituitur 72.36
Iaromyrius Cæsari comes in Italiam 101.16
Iaromyrio spem fratres iniiciunt Episcopatus Pragen. 69.17
Iaromyrium Episcopum confirmat Henricus Cæsar 71.50
Iglauia à Georgio obsessa 282.20
Iglauienses à rege cur reprehensi 3ij.25
Inducia à viris ab Vlasta petitæ 12.38. triennales inter Bohemum & Polonũ 102.ij firmatæ admißis quatuor capitibus 235.50
triennales inter regem & Vratislauienses 283.50
innocentes vita plectuntur 268.26.
inquisitio Magorum & sagarum in Boiemia 74.8
contra idolatras 79.19
insignia regni Boiemiæ mutata 115.24
insidiæ deteguntur 99.40
insolentes Boiemi in Misnenses 288.1
Insubres cæteri contra Mediolanenses iij.25
interregnum in Germaniam annorum xviij 162.23
interregni incommoda 187.50
interregnum sacrum in Boiemia 228.20
Ioan. Papa aduersus Ludouicum 195.43
Ioannes Vlaßimus Episcopus Olomutij 213.34
Ioann. Scholasticus Episcopus Pragensis 142.45
Ioann. xij. Pragensis Episcopus 102.36
Ioan. xxij. Episcopus Pragensis 162.33
Ioan. xxiiij. Episcopus Pragensis 180.44
ecclesiæ suæ auget reditus 202.16
Ioan. Caroli frater Marchio Moraviæ moritur 214.10
Ioan. à Lichtenberg. Episcopus Argentinensis 214.50
Ioan. Hus litem vicit 222.30
Ioan. Hussus contra indulgentias 222.16. Praga pulsus 223.30
in pago concionatur ibid.
Pragam redit 224.10
Ioan. Hus & Hieronymus combusti 228.38
Ioan. xiiij. Papa 224.15
Ioann. Olomucensis Episcopus xxiiij. 250.20
Ioann. Austrius Albertum patruum Cæs. confodit 181.22
Ioan. Hunniades Turcos vincere docuit Hungaros 268.24
Ioan. Capistranus cucullatis Boiemis conuertendis destinatus 273.10
Ioan. Lucemburgius Cæsaris filius rex Boiemiæ designatur 184.35
Boiemiæ Electus 184.6
ducit vxorem Elizabetham Boiemam 185.25
designatus rex in Boiemiam tendit ibid.30
per tumultum Pragam occupat 186.15
Vicarius patris in Imperio 188.4. bello Italico se accingit 189.1
inuitus Germanos dimittit 189.50. Lucemburgum migrat 190 14
redit in Boiemiam ibid.20
Lucemburgum secundò redit 191.40 Ludouico Cæsari fauet 192.1
ad bellum promptius 192.8
Lusatiam occupat 192.35
offenso in regnum animo 192.43, gulæ & luxui deditus 193.48
Lituaniam amisit 194.28
audax in rebus arduis 195.6
in itinere adortus ibid.8
Boiemis non valde gratus ib.
protectionem Britannorum suscipit 196.2
quo consilio Italiam adierit 197.20. filium Carolum reb. Italicis præficit 198.35.
se purgat apud Cæsarem 198.28.
excusat se apud Cæs. 198.35
vlciscitur iniuriam à Misnensibus sibi illatam 198.47
Ioanni regi Galliarum filiam despondet 199.5
iterum in Italiam 200.34
cum Carolo filio redit in Boiemiam 200.44
Cæs. pontifici reconciliare studet frustra 201.8
thesauros ecclesiarum capit 201.22
Io. regis prima expeditio 187.38
Ioann. archiuum regni instituit 203.39
Ioan. Marchionis Moraviæ filij 214.14
Ioan. regis exercitus in Italiam 197.6
liberi 200.15
filius in solatium ademptæ vxoris Tirolensis comitatus datur 203.26
Io. regis cæci profectio in Galliam ad bellum 204.36
Temerarius ibid.40. eius audacia 204.50. mors 205.1
Lucemburgi sepelitur ibid.5
Ioann. Hunniadis obitus 276.42
Io. Hunniadis filij 276.50
Io. Regi à Lucemburga tres filios peperit regina 193.5
Iodocus Marchio Moraviæ profligat Hungaros 218.15
Iodoci Rosensis oratio 284.44.
Iso vi. Episcopus Pragen. 58.6
Italia patrocinium Ottocari expetit 160.10
Itali cur contenti de institutione Electorum 50.8
iter à Roma in Boiemiam per Hungariam 46.22
Iudæi medici principibus & populo pernicioßi 204.18
Iudæus medicus regem Ioan. altero oculo priuat 204.14
Iudæorũ Pragæ facinus in Christianum 176.20
Iudæis cur Pragæ synagoga concessa 47.17
Iudex vrbanus à Zisconе confossus 227.32
Iudith filia regis in Misniam ad maritum adducitur 195.20
iugum muliebre vt excußum 15.12
Iula apud Hungaros præfectus
Iudithæ raptum Cæsar vlciscitur

ſtatuit 57.15
Iulianus Cardinalis Cæſarinus violatæ pacis morte ſua pœnas dat 269.34
Iurgium inter principes Pragenſes de regno 53.20
Iurgium priuatum inter Imper. & regem Boiemiæ 146.37
Iurgium de impotentia inter maritos 161.6
Iuramentũ regi obijcitur 284.9
Iuramenta vt eludantur 57.46
Ius Polonicum 238.40
Iuttha Cæſarem placat 57.25
Iuuenum conſilia 178.4

K

KVnigundis Venceslao Premislai filio datur 238.28

L

LAdislaus Neapolis Rex ad regnum Hungariæ inuitatur contra Sigiſmundum 240.30 Iaderam Venetis vendit 240.40
Ladislaus Alberti filius poſthumus 266.10
rex coronatur ibid.
poſtulatus à Boiemis negatur 268.16
ab Auſtrijs repetitur 270 36
prius Hungaros inuiſit 271.48. Viennã ſe confert 276.10
Auſtrijs reſtitutus 271.22
viduam Hunniadis conſolatur 277
Alberti Cæſaris filius rex Boiemiæ xiij. 272.40
Budam venit 278.42
coronam Boiemiæ accipit 273.6. magiſtratus conſtituit in Boiemia 274.14
in Sileſia tendit ibid.
Ladislai ingreſſus in Boiemiam 272.50
Ladislai liberalis indoles 268.12
Ladislai ſoror regi Poloniæ pacta 274.20
Ladislaus Hunniades capite plectitur 277.40
Ladislao regi coniunx data 278.9. ante nuptias moritur 279.32
latronum receptus euerſi 218.1
Laudenſes legati contra Mediolanenſes iij.23
Lechus Czechij frater 4.21
legatus Pontificis cenſuram agit in Boiemos ſacerdotes 107.3
legatio Pontificis ad regem Boiemiæ 141.48
legatio Baſilienſis concilij ad Boiemos 242.15
legatio ſplendida ad Cæſarem 184.10
legatio in Galliam 279.1
legati ad Vitholdum ad Sigiſmundum adducuntur 253.40
legati ad Caſimirum Verſouicenſes latrones poſtulatum 63.44.
legati ad Pontificem à Georgio Rege 283.24
legatis dicendi poteſtas negata 281.7.
legati Pontificis in Boiemiam miſſi 283.40
Lemures & Larue fugantur à D.Procopio 63.15
Leonora Luſitana Friderici coniunx 270.22
Leopoldus Auſtriæ fugit 73.12
Auſtriam Hungaris adimit 73.14
Morauiam inuadit 72.48
clàm fuga elabitur 81.20
Leopoldus vij. dux Auſtriæ 143.16
Leopoldi querela 143.28
Leſco ſententia optimatum princeps dicitur Poloniæ 139.28
Leſconis Nigri Poloni teſtamentum 111.23
lex contra Bretislaum 61.7
lex Carolina ſiue Aurea bulla 212.6
de viduis 215.40
contra prædones 299.42
de Piccardis, Caltxtinis & Romanis 302.35
Licentiæ frenum à Carolo iniectum 212.20
lis inter fratres per arbitros compoſita 23.4
lis compoſita inter Epiſcopum & Marchionem Morauiæ 104.1
lis de pluralitate votorum 222.28.
lis inter reges Hungariæ compoſita 217.48
de vtraque ſpecie ſacramenti à quo primum mota 225.26
de religione cõpoſita 299.50
Budæ inter Germanos & Hungaros 203.40
Lithuaniæ deſcriptio 194.26
Lorecus Verſouicenſis 82.11
principem occidit ibid.24
Lorecus caſu ſuo gladio confoſſus 82.28
Lotharius cur Henricum oderit 76.35.
Boiemis infenſus 98.32
pro Otthone cladem inſignem capit 98.36
inter Bohemum & Polonum arbiter 102.5
Lotharij mors 102.47
& ſepulchrum 103.4
Lotiharingi præfectus capite plectitur 101.2
Luca in Etruria à Carolo in libertatem aſſerta 214.6
Lucenſes Etruſci regis Io. Boiemi imperio ſe ſubdunt 198.3
Lucretia Bretislai coniunx 79.9
luctus ingens 279.4
Luderus ſiue Lotharius Saxo rex Romanorum 75.29
ludi ſeculares in Iubileum verſi à Bonifacio viij. 222.10
ludi equeſtres 194.4
Ludmilla prima Chriſtiana in Boiemia 26.48
Ludmillæ pietas 32.4
Ludmillæ viduæ ſanctitas 36.3
necatur à Drahomira ibid.6
corporis translatio 38.1
Ludouicus viij rex Gallorum 127.20. Piccardos delet ibid.
filium Marchia Brandenburgenſ. donat 192.32
Ludouicus Cæſ. nunquam à Pontifice approbatus 19.50
Cæſar Ioan. regem rebellem declarat 198.18
Ludouicus vltimus Comes Flandriæ 204.45
Ludouicus xi annorum regendi imperitus 307.23
Ludouicus ſe Hungaris non committit 307.35
Ludouicus Marchio fratri Morauiam reſignat 208.10
Ludouic. Marchio Cæſari Carolo vt reconcilietur 208.38

Ludouicus rex Hungariæ natus 301.7.
Biennis coronatur 301.35. 302.44.
Phasidæna laborat 203 48
regnum Boiemiæ petit 308.2
magistratus omnes in Bohemia mutat 301.38
Ludouicus rex in prima acie collocatus 314.20
Ludouici regis nuptiæ accelerantur 309.15
Ludouici egregia indoles 308.14
Ludouici regis ominosa vox 304.16
Ludouic. rex aqua mersus 315.2
Ludouicus rex cum regina Pragam concedunt 320.24
iurat Boiemis ibid.
Ludouicus petit se hæredem scribi 3ij.30
Ludouicus veneno appetitur 312.24
Ludouico Cæs. abrogato à Pontifice imperium 204.1
Lusatia superior 16.32
Lusacij olim Sirbij 16.30
Lusatij ad Saxones inclinant 67.30
luxus Persicus 193.50
Lybussa Cracci filia imperio præficitur Boiemorum 8.6
Lybussæ ingenuitas 8.24
iudicium 8.17. excusatio 8.35. apologus 9.6
astus & ars 10.50. nuptiæ ib.
vaticinium & astus 9.32
de Praga augurium ij.14
Lybussæ & Premislai filius ij.21
sepultura ij.27
mors ij.2
Lybus arx 8.33.ij.24
Lycus Augustanus fluuius cruore fœdatus 40.39
Lypsia Pragæ Colonia 222.40
Lypnicia arx obsessa 19.35
flammis exusta ib.41
Lythomirium oppidum cur muniatur 55.40
Lyppana factio Friderico Duci Austriæ se dedit 191.20

M

Magicum ostentum à Thataris in pugna editum 150.34.
Mahometis in Hungariam apparatus 275.10
magistratus indigenis non aduenis conferendos 189.40
Mahometes repulsus Bellegrado 276.30
mandata de Fisco 303.34
Manuelis Constantinopolitani Cæs. scelus & fraus 108.32
Margareta Galliæ regis filia Ladislao nupta 278.10
Mutina proditor in conspectum principis fato trahente venit 87.50.
Marchio Estensis captus 200.30
Marchio Misniæ à Thataris cæsus 258.26
insidias effugit 265.23
Polonis grauis ibid.
Marchio Brandëburgius Ludouici regis pedagogus 308.20
Boiemiæ feudatarius 146.12
Marcomannorum gloria 3.41
Maria Sobieslai filia Leopoldo Austriæ desponsa 102.29
Marobodius 3.40
Martinus v. Pontifex Maximus 235.8.
Martyres Pragæ facti 224.38
Martini Lutheri dogma 310.10
Maximilianus cæditur 267.5
Maximilianus Albam regiam diripit 296.80
vexillũ Matthiæ restituit ib.
Maximiliani I. Cæsaris apophtegma 306.2
Maynardus Episcopus Pragensis xi. 307.31
ludibundus moritur 267.48
Milesius Sucoslai filius Cæs. 24.14
Maynardus se purgat 100.43
captiuus moritur 102.30
Matthæus Comes Trencinienſis Morauiam populatur 188.14
Matthæus Vicecomes liberalis 189.8
Misnenses illusi 252.20
Matthias Hunniades captiuus Viennam ducitur 277.45
à Georgio Pragam vocatur 280.10
rex Hungariæ dictus 281.50
subornatus à Pontifice contra socerum regem Boiemiæ 286.30
Graditiam oppugnat 287.26
Brodam vsque pulsus 287.40
astu elabitur 288.23
Georgium vrit verbis 289.7
in Cæsarem cur iratus 290.47
Austriam vastat ibid.
extorquet à Cæsare inuestituram Boiemiæ ibid.
repulsam passus Boiemiam vastat 290.24
Poloniam vastat 291.26
à Polonis fugatus 291.12
Matthias Podiebradij sicarios subornant 295.10
Matthiæ regi Hungariæ filiam dat Gæorgius rex Boiemiæ 218.36.
Matthiæ regis ad prouocationem responsum 289 3
eius coniunx 293.25
mors 295.36
Matthiæ regis spurius à Vladislao profligatus 296.33
Mecthildis Angliæ regis filia Cæsari nupta 247.18
Mediolanum obsidetur 122.12
à Friderico Cæsare funditus euersa 118.15
Mediolanensis obsidio 112.30
Mediolanenses legati ad Cæsarem Barbarossam iij.27
Mediolanenses hostes imperij declarantur iij.46
Cæsari rebelles 116.50
Mediolanẽsium crudelitas 112.4
eruptiones 112.44
Mediolanens. rege vtuntur mediatore apud Cæs. 114.20
Cæsari deduntur 114.50. fidẽ iurant 115.10. rebelles 116.50
Mescho princeps Poloniæ ad Eremitas 48.19
muribus arrosus 144.4
Meschonis Poloni ignauia carpitur 59.18
metalla Boiemica 2.35.41
metalla Cuthnensium minus abundant 268.10
metallorum inuentor Premislaus 15.23
Methudius Morauiæ primus antistes 26.40
Methudius Morauorum præsul 28 10.
in Boiemiam ducitur à Boriuorio 30 36
Methudius & Cyrillus, quos populos ad Christum adduxerint 31.20

Methudij mors 33.30
Morituri Bretislai oratio 64 20
filios ad concordiam hortatur ibid. 26
hæreditatem diuidit 40
mos à Premislao in coronandis regibus Boiemiæ 15.30
Milota proditor fugæ principium facit 165 34
Milotæ proditionis præmium 166.30.
militum Christianorum impietas 108.43
Milada 12.32
Misa condita 102.40
Misnenses auxilio Henrico veniunt. Delentur 183.46
Myroslao condonatur si pandat authores 100. 5
Mystibogius neglectus 23.30
fratri bellum mouet 23.34
in Morauos 24.42
Mistibogij letum horrendum 25.40
Misnensium naualis excursio prima 18.44
stratagema 76.5
Mnatha xi. princeps Boiemiæ 16.35. venator ib. 40
Mnathæ mors 17.28
Moguntinus monet regem officij sui 187.22
Moguntini electoris oratio pro Boiemis 184.36
Monachus Tribunus plebis 232.8
Monachi quidam interempti, direptum monasterium 226. 50
monasterium siue Lucense cœnobium 66.40
monesteria direpta 228.50
monasteria splendidißima combusta 245.26
moneta adulterina in Boiemia 201.20.
Monomachia Radislao à Venceslao oblata 36.37
mons Sembor 28.30
mons regius in Prußia ab Ottocaro conditus 158.35
mortes Cerconeßi 2.12
Mora fluuius 283.39
Morauia in duos fratres diuisa 69.9
vini ferax 29 35
Georgium dominum agnoscit 282.15
ad Matthiam deficit 287.10
Morauiæ nomen vnde 28.37
regiones ibid.
regni origo & fines 26.50.27
descriptio 29.4
fluuij & vrbes 29 8
regnum à Cæsare in prædam victis datum 28.23
finer populantur 251.32
Reges 27.20. vrbes Ziscon non fauent 255.10.
Morauiæ rex vt Pannonia ab Hunnis spolietur 27.26
Morauiæ præfectus timiditatis insimulatus 247.38
Morauiæ fumen 29.21
Morani à Boiemis profligati 20.2.
Morauorum & Boiemorum mores similes 29.40
Morauos Vogenus reprimit 19.10.
mulierum imperium traducitur 8.20
mulierum Thaboritarum crudelitas 250,44
Mumia in Morauia à Sternbergio inuenta 29.30
munera in Galliam 279 4
Mutus veneficus capitur 19.15
Mutina Versouicensis principi infidus 87.29
cum filijs iugulatur & in familiam sæuitur 88,22
Mutina & Regium Bohemo se dedunt 197.42

N

Neclan x. princeps Boiemorum 21 1
eius etymon ibid.
Neclæ pietas 22.18
ignauia 21.35
Neoburgum danubij frustra obsideri 147 38
Nezamislius v. Boiemorũ princeps 15.35
Nezamislius quid significet 15.35
Nicolaus xxi. episcopus Pragensis 153.14
Nicolaus Otthocari filius Dux Opauiensis 161.16
Nicolaus antipapa 199.24
Nicolaus quidam Romæ Augustum se dicit 209.5. capitur & in Galliam ad Pontificem mittitur ibid.
Nicolaus Gaza Palatinus 237.36
Nicolaus v. Fridericum coronat 242.40.
Nicolaus Tolentinas 242.40
Nicolaus Hus 248.9
Nicopolis expugnatio 239.26
Nimburga 183.20
Nimburgenses confirmati defendunt se ab Henrico 183.30
nobilitas Calixtinis adhæret 226 40.
Nosislaus regis Morauiæ præfectus 25.4
Nouæ ciuitatis obsidio soluta 271.14.
Numi Rom. Impp. vbi inueniantur in Morauia 29.23.
nuptiæ Venceslai quibus principibus ornatæ 170.ij
nuptiæ Neapoli regio apparatu 270.30
ad nuptias regias inuitati 270.12

O

Obsessorum stratagema 253 16
obsidionis incommoda 253.12
eius solutio ibid.30.
Odera 71 40
Oderæ fluuij fons 29.13
vnde dictus ibid.
odium in Maynardum consulem Pragensem 267 34
odia inter Cæs. Otthonem & regem Boiemiæ sublata 139.20
Odolemus Bohemus miles impiger 110.42
Oheb arx 25.32
Olmucii mons ab Henrico præsule ædificatur 108.16
Olsena fluuius 94.35
Olomucẽsis et Pragensis Episcopatus iterũ coniungitur 75.9
omen læuum 150.8.313 40
omen de poculo sacro 225.40
Operis propositio
oppidum & cœnobium ex spolijs Hungarorũ constructum 160.20.
Oratores in Galliam profecti reuocantur 280.16
Orzak quid significet 238 10
familia in Hungaria vnde dicta 238.16
Ottho magnus quando imperare cepit 37.1. Hunnos ad Augustam conficit 40.39.

Ottho Cæsar contra Bolesla um 41.5.
Boiemis iratus 98.29
in acie cadit 98.50
Ottho cum Gallis infeliciter pugnat 140.16
regem Boiemiæ in suas partes trahere tentat 137.36
Ottho IIII coronatur rex Romanorum 137.18
Ottho cum Episcopo Colonia excluditur 138.38
Ottho in Saxoniam à Philippo fugit 238.43
à coronatione Pontifici ingrato 139.45
Ottho dux Saxoniæ contra Philippum Sueuum 136.34
Ottho dux Bauariæ, rex Hungariæ nominatus 176.10
Ottho & Conradus fratri se dedunt 67.5
Ottho Bauarus rex Hungariæ vngitur 176.18
Ottho Austrius ingens exercitum conflat 199.16
per absentiam regis sua recuperat 200.36
Ottho Marchio Brandenburgicus tutor Venceslai 166.22
Ottho suffectus Suatopluco à Cæsare irritum habet: Boiemi 90.26
Ottho Morauiæ Marchio auxilio est Vladislao 91.50
Vladislao contumax 94.20
capitur ibid.26.
carceribus traditur ibid.30
bonis & libertati restituitur 96.30
Ottho & Vratislaus Vradislao conciliantur 106.20
Otthonis Moraui vires suspectæ 92.7.
Otthonis Saxonis responsum 136.45.
Otthonis miles dilabitur 106.20
Otthoni abrogatur imperium 140.2
Otthocarus primus inimicos cõtemnit 138.16
Otthocarus dux Austriæ 155.25
Otthocarus Cæs. Philippi regionem vastat 137.50
Otthocarus V rex Boiemiæ 151.
armatus regnum mit ibid.
asper m paternos consiliarios 157.20. iudicia emendat. ibid.25. equestria exercitia instituit ibid.
ad bellum Prutenicum 157.50
ex pellice Austriaca sobolem capit 161.10
classe Posoniũ obsidet 161.32
capit ibid. ad imperium vocatus renuit 162.22. & 163.4. magnificus 163.10
debitum obsequium Rudolpho Cæs. præstat 164.25
regalia ab Rudolpho Cæs. accipere dedignatur 163.38
ignominiam subijt 164.46
vexilla non omnia à Cæs. Rudolpho recipit 164.38
interficitur pugnans 165.44
Otthocari nominis origo 137.45
auxiliares copiæ 159.15
præda ex Hungaris 160.15
filiæ spuriæ quibus nuptæ 161.15
animus inuictus 165.37
Otthocaro bellum ab Hungaris ob Austriam 155.30

## P

Papia regem Boiemum agnoscit 194.12
Papa Boleslao potestatem facit Episcopo nominandi 44.24
Papa dicitur Antichristus 224.22
Parmam Cæsar obsidet 143.47
Paulus II pontifex vehemens contra Georgium 286.35
Paulus Tomoræus 307.42.313.2
pax coit inter Otthonem & Boleslaum 41.12
pax perpetua inter Boiemos & Polonos 64.1
pax, fœdera & connubia inter Boiemum & Græcum Cæsarem 118.4
pax inter Vladislaum & Amurathem 268.46
pax inter reges Hungariæ & Boiemiæ 293.28
pacis conditiones Mediolanen. à Cæsare datæ 114.35
pacis cupidus Otthocarus 159 4
pacis rationes ineuntur inter Rudolph. et Otthocarum 164.10
pacis edictũ promulgatũ 259.20
pacis conditiones 293.30
pacem Cæsar cum Sobieslao facit 99.7
pauperes de Lugduno 127.14
Pelsina recuperata 231.10
Pelsinam Zisco oppugnat 249.20
Pelsinenses ad obsidionem se muniunt 257.20
Chamelum Thaboritis eripiunt ibid.
Pelsinensium encomium à Sigis. Cæsare 257.48
Perduellibus vita adempta 295.6
Persarum regum optima institutio 179.14
pestis Polonos sternit 54.84
Peta Thatarorum dux interficitur 151.44
Petrus Valdensis 127.1
Petrus à Via lata legatus Pontificis in Boiemiam 133.40
Petrus Rosensis proteruus in petenda gratia 191.12
Philippus Barbarossæ F. imper. designatus 136.30
primò contra Otthonem congreditur 137.20
Premislao regi irascitur 137.31. Otthonem Coloniæ obsidet 138.34.
Egram ad Otthocarum placaturus illum venit 138.20
ab falso amico occiditur 139 1.
Philippus VI. rex Galliæ auxilia postulat 204.20
Piccardi vt in Bohemiam venerint 127.25
piscator à Ven. eslao equestri dignitate ornatus 221.20
Pius pontifex de templis Boiemiæ testimonium 228.30
Plauum Thaboritæ expugnant 258.18.
plebs captiuos relaxari vult 224.30
plebs castigata 293.2
plebi Hungariæ fucus fit 312.48
Podiuinus Venceslao inimicus 38.47. lequeo plectitur 40.14
Poloniæ regnum sub Boiemis 173.10
Polonus Morauiam populatur 54. 50. arbitrium se simulat 93 30. præda ducta in Poloniam reuertitur 93 37. Bohemo insensissimus 102.9
pacem à Boiemo petit 102.13

data pax ibid. Bohemo illudit scommate 101.44
pacem mercatur à Boiemo 201.40
Poloni in Moranos 79 48
in longa obsidione pigri 49.40. vili precio Hungaris à Boiemis venduntur 56.22
cur denarium S. Petri ponti fici Rom. soluant 61.50
Poloni regis filij discordes 84.48. fuga prædam relinquunt 94.2
cum functione sua in Boiemia profligati 264.30
Thabor oppidum occupant 264.40. pugnam detrectant 265.2. carceres Vratislauienses replent 291.20
Polonis vnde ieiunium & tributum Pontifici 61 46
Polus dux Praga euadit 53.18
pondera & mensuras emendat Ottocarus 163.24
pons Pragæ mirandi operis 116.12.
Pontifex à Cæsare Roma pellitur 118.35
instigat Polonum contra Georgium regẽ Boiemiæ 282.48
absoluit Vratislauienses à iuramento præstito 286.24
Pontifices Romani contra Bretislaum 60.40
religionis authores in Boiemia 285.22
Pontificum Rom. schisma 43.12
popularis licentia damnosa 30.2
portentum in conflictu 160.2
portentum 219.14
posteritas Premislai quandiu duratura 10.42
prædicatio verbi cuiuis concessa 238.23.
prædonum pœna 124.30
prælium inter Christianos & Ethnicos 45.15
prælium equestre inter Hungaros & Boiemos 63.2
prælium cruentum ciuile ad Pragam 123.50
prælium cruentum ad Ludomirium 129.1
prælij strepitus quàm longè auditus 129.15
prælium inter Hungaros & Boiemos 159.35
prælium ad Lauam commissum inter Rudolphum Cæsarem & Otthocarum 165.25
prælium ad Nicopolim ex errore infelix 240.10
præfectorum duorum integritas & constantia 155.10
Præmonstratenſium author 106 30
Præpositus Vicegradensis pari ferè dignitate cum Episcopo 75.18.
præsagia de incrementis & duratione regni Boiemici 10.17
Præsules Olomucenses ex cœnobio Strahouiense decem continuata serie 130.3
prætor Pragensis crudelißumus 33.49. interficitur 34.40
prætor Pragensis ignominia notatus 92. 34
prætorianorum Henrici insolentia 183.34
Praga regni Boiemi caput 1.40.
Praga noua conditur 210.34
Praga à Polono capta 52 16
Praga obsidetur ab Henrico Cæsare 62.,.8.186.1.232.20
Praga minor munitur 229.8
Pragæ ortus, etymon & augurium ij.7
arces duæ 2.1
præcipua ædificia 2.7
noua ædificia Caroli tempore ædificata 210.10
Pragæ excipitur Sigismundus 260.12.
Pragæ occupatæ dies fit solennis 273.48.
Pragensis Episcopus fuit & Olomucẽsis per annos xc. 68.35
Pragensis vulgi licentia effrenis 294.35
Pragenses in fide Friderici manent 126.18
obsessi se dedunt ibid.
Cæsarem contemnunt 126.30
rebelles & contumaces iudicantur 232.48
in Boiemiam occidentalem 252.22
strage affecti 252 40
nouũ petunt senatum 294.10
ciuitates duæ in vnam coalescunt 308.40
Pragensium ad Cæsarem oratio 230.10
Pragensium dogmata 245.2
Pragensibus succurrunt cæteri Thaboritæ 234.6
Pragensibus Sigismundus annuit 260.4
Premislaus Lybussæ maritus & princeps Boiemorum 9 37
colonus princeps fit 9.40
arator indicio Lybussæ deprehenditur 9.56
ab equo Lybussæ inuentus princeps salutatur 10.12
quid rusticanum & cur retinuerit 10.23
quid monumenti posteris reliquerit 10.30
metallorum indagator 15.23
Premislaus id quod Prometheus 15.14
Premislaus victor ex prælio 129.10
Friderici frater Olomucio donatur 129.30
à Cæsare citatus causæ diffidit 131.48
Premislaus cur in electione prætermissus 135.4
Premislaus Latomis Ratisbonæ inseruit 135.16
Philippo adhæret 136.50
Saxoniam vastat 137.3
Premislaus rex Boiemiæ à Friderico II magnificè donatus 140.12
Premislaus Otthocarus primus 145. 14. moritur & sepelitur ibid.
Premislaus Vẽceslai Lusci filius 145.48. Marchio Moraviæ ibid. cur parũ pius reputatus 146.48. patri se opponit 148 16. exercitum in patrem ducit ibid.
Promislaus filius profligatus 148. 32. patri supplex ibid. carceri dicatur ibid. libertati & principatui restituitur 153.12. rex Poloniæ inauguratus à Papa 172. 24. occisus 172.32
Premislai boues in auras euanescunt 10.13
Premislai mandatum de mantica & carbatinis suis 15.24
Premislai misera sors 135.14. ad Vladislaũ fratrẽ literæ 135.44

Premislai regis filiæ quibus matrimonio iunctæ 144 4
Premislai prouidens responsio ad coniuratos 154.8
Premislai ænigmatis explicatio 179.8
ars & astus 14.40
à Premislao ordine sibi succedūt reges Bohemiæ 137.14
Primates contra principem 71.1
Princeps Stiradio monēti recta, malè auguratur 13.27
Princeps in ius uocat Satrapam 161
Principis auxiliares, Austrij 144.30
Principi quid maximè faustum & felix accidat 67.18
Principes Deo authore creandi 9.18
Principes Bohemiæ Versouicensibus exosi 24.34
Principes qui Mediolanum obsident 112.15
Principes qui se cum Friderico Cæsare in expeditionem sacram adiunxerunt 130.20
extincti 180.24
Principes imperij accipiunt feudum à Georgio tanquam à legittimo rege 283.8
Priuilegia regibus Bohemiæ concessa 170.26
Procopius uitæ innocentia claret 63.8
Procopius maior siue Rasus 256.25
Procopius minor 256.30
Procopij Belimæ Comitis supplicium 61.42
Procopij Capitanei loco Zischonis 256.30
Lytomislium occupant ib.40
Calixtinos etiam comburunt ib.44
Proceres Hungari Danubio absorpti 314.46
Procerib. Bohemiæ cur præmia data 209.50
Prodigium 36.46
incredibile 63.2, 841.30
Prodigia Premislai 10.14
Prodigiorum explanatio 10.38

Q

Quærelæ in Bohemia contra præfectorum tyrannidem 193.10

R

Rabus fluuius 58.12, 162.7
Radeca 12.32
Radislaus Gurimensis aduersus S. Venceslaum 36.25
Ratiborius Versouicensis subsidia ex Polonia Premislao in Morauiam adducit 128.30
Ratiborius re bene gesta recipitur in gratiam à Friderico 29.20
arce donatur ib.23
Ratiborio acceptum refertur uictoria 129.17
refutatio quatuor articulorum 236.10
Ratisponensis præsulis ius in Morauia & Bohemia 38.12
Regradense cœnobium ex manubijs Hungarorum ædificatum 56.33
Rhetium oppidum 121.29
à Bretislao expugnatur 81.10
religio Romana Pragæ explosa 234.22
res nota, incognita melior 30.29
Rex Moraviæ eremita factus 28.27
Rex à filio offensus 77.30
Rex de Cæsare queritur 120.20
in Lusatiam concedit ibidem
Rex Bohemiæ excommunicatus 141.2
Rex ad nuptias inuitatus 147.20.
Rex Bohemiæ imperij elector 170.27
Rex pauper idem calumniator in Albertum Cæsarem dictum 174.45
Rex Venceslaus brutum animal 224.44.
Rex Sigismundus fugit ab exercitu Ziscons 294.18
Rex & Episcopus nihili 224.48
Rex Sulconi monacho applaudet 222.51
Rex minaciter Calixtinis respondet 226.15
Rex Venceslaus ex ira in apoplexiam, inde moritur 227.45
Rex pontificē contemnit 286.28
Rex Sterembergij arces inuadit 287.9
Rex ab Hussitis reprehensus 292.10
Rex in periculo uitæ 294.38
fugit ex urbe Praga ib.
Rex mœstus ex obitu uxoris 301.20
Rex in Bohemiam tumultuantem uocatur 302.6
Rex gubernatoem recusat 308.2
Regis Ioh. Bohemi præconia 198.15
Regis expostulatio cum Pragensibus 294.20
Regis negligentia excusatur 306.42
reges qui sacræ expeditioni se adiungunt 193.22
reges tres in expeditione Hierosolymitana 108.28
reges à Pannoniæ rege mirificè donatos 204.40
reges Poloniæ & Hungariæ Viennam inuitantur 305.15
regum Galliæ & Angliæ æmulatio 130.32
regum Bohemiæ immunitates 175.2
regum Othocari & Io. comparatio 205.8
regum ambitio uana 293.15
regina Hungariæ affinitatem Bohemiæ ambit 117.8
regina Ottocari uxor anus sterilis 161.5
regina Ottocaro rege insultat 165.1
regina Bohemiæ fugam meditatur ex tyrannide Brandeburgici 168.30
fugit Oppauiam ib.42
regina ex adulterio grauida, adultero nubit 169.25
Regina senior arces dotales commutat 193.38
Clausstrum Brunnæ condit 193.42
regina & frater regi deferuntur falsò 195.30
regina Elizabeth moritur 201.12
regina se subducit 229.6
regina Hungariæ amni mergitur 238.4
regina Maria Praga coronata 310.36
regina Gandala rei familiaris prouida 301.12
moritur 301.14

Regni decus omissum in Moravia 27.48
Regalia per uexilla tradi 81.50
Reygradense cœnobium absoluitur 63.6
Rixa inter Germanos & Bohemos 101.20
inter Bohemos & Hungaros 303.4
rixæ authores castigantur seueriſsimè 303.14
Rokytnice fluuius 78.12
Rhodus insula in potestate Solymanni 311.34
Rohouitius Versouicensis tutor principis 17.32
eius arrogantia & auaritia ibid.33
fugit 18.10
in Lucenses grassatur ib.15
laqueo uitam finit ib.32
Robertus quidam sacra uendit in Bohemia 78.35
Robertus rex Neapol. Guelphæ factionis 188.50
Robertus Anglus episcopus Olomutij 142.16
quæ ecclesiæ donauerit ib.
Rokita miles Bohemus Græcum Cæsarem regi conciliare studet 117.36
Rochezanus monachos infectatur 260.28
Praga fugit 260.44
Capistrano disputationem offert 273.34
probris infectatur Capistranum 273.40
omnia Pragæ pro arbitrio gerit 284.20
sacris interdictus 285.30
Rochezani prudentia & timor 279.23
concio ante electionem 281.10
consilium 281.20
mors 289.40
Rochezano spes facta de archiepiscopatu 260.20
sed euanuit ibid.
Riczianum expugnatur 245.45
Rom. Pontifex sacra uernacula lingua administrari prohibet 71.17
cur Bretislao reconcilietur 62.24
frangendæ fidei author 268 42
Romani pontificis in declarandis regibus præsumptio 174.4
bonis displicebat ibid.
Romano pontifici iurant 209.12
Romanis plus quàm Bohemis fauet Sigismundus 261.8
Rosenses conspirant in regem 170.37
Rudolphus Comes ab Habsburg Ottocari magister equitum 161.48
Imperator renũciatus 163.28
tenuis per affinitates crescit 163.34
Austrium sibi subijcit 164.4
uictor monasteria expilat 166.7
regnum Bohemiæ occupat 179.48
uiduam senioris Venceslai coniugem ducit 180.2
sordibus quæstibus addictus ibid.10
debita contracta dissoluit ibid.16
Bauarum Stracouicensem oppugnat ibidem
in castris moritur ib.34
Rudolphus dux Saxoniæ ad bellum ultramarinum hortatur 211.20
Rudolphi & Otthocari congressus 164.16
Rudolphi tentorium callidè constructum 164.43
Ruffi dies infausta regibus Bohemiæ 315.12
Rusticorum strages 304.42

S

Sacella à Boriuorio in Bohemia ædificata 31.1
Sacellanus cum hasta Venceslai 98.45
Sacerdotes linguaces loco moti 293.8
Sacerdotes cremati 236.10
Sacerdotes Bohemi castigati refragantur 134.4
Sacerdotum libido 106.46
castigatur ibid.
Sacerdotum tumultus 134.14
Sacrilegium in præsulem commissum 28.15
Sæuitia muliebris in infantes 14 18
Sagarũ ænigmata fallacia 21.38
Sagarum præstigia 22.8
Saium flumen 152.24
Salinæ repertæ & amissæ 16.18
S. Stanislai Poloni sanctitas unde patuit 73.50
S. Venceslai translatio 41.26
Sarca Amazõ fraudulenta 13.35
Sarmatia Slauinarum gentium partus 3.38
Sarmatia quibus finibus finiatur 3.39
Sarmatarum mos 3.60
Saxones Conrado supplices 103 26
cum Henrico stant 103.14
proscriptus ibid.34
Lusatiam populantur 136.40
Saxonum & Misnorum strages 19.22
Saxonum domus occupata Pragæ 229.28
Sbinco archiepisc. auxilia petitus contra Hussitas moritur 218.25. 223.45
Scandauia insula 3.50
Sciabadenus Bassa 268.35
Scholæ primæ in Bohemia constitutæ 31.5
scholastici Germani Pragam deserunt 222.36
Sclauini quo cibo delectentur 7.27
Sclauinorum uetus superstitio 6.53
noua superstitio 7.2
Scomma in pictos Bohemorum calices 245.7
Scripturæ sensus deprauatus 246 30
Scyrri 3.43
Sedislaus Sterembergus regi fit supplex 190.50
seditio aduersus Lybussam 9.2
seditio noua Pragensium 293.46
Selymus patrem ueneno tollit 304.12
senatus authoritas imbecilla 227 8
senatus corruptus Pragæ 291.35
nouus institutus 294.24
senatores iugulati 227.43
senex diues præcipitatus 17.45
sententia à rege lata 30.33
sententiæ de suscipiendo uel renuendo imperio dictæ à Bohemis 162.34

Sesemus crudeli modo necatus ab Hussitis 231.32
Seuo mons 3.46
Seuerus vij. episcopus Pragensis 60.18
episcopatum Olomucensem resignat 68.31
somnij interpres 68.2
Seueri episcopi opera pax initur cum Cæsare 62.14
Seueri præsulis oratio ad Spitigneum principem reprehensiua 67.8
mors 70.32
Sicariorum pœna 36.19
Sigismundus Caroli filius nascitur 214.1
Sigismundus Marchio Brandenburgensis quinquennis 215.25
uxorem ducit Hungaram ib.
in Hungaria educatur 215.40
rex Huugariæ seipsum Cæsarem eligit 225.8
Imperator salutatus 225.12
concilium cogit Constantiæ ib. 24
comitia Brunnæ edicit 229 48
Vratislauiam tendit 230.25
xi. rex Bohemiæ 237.5
in Valachiam 239.10
carceri ab Hungaris traditur 240.20
Pragæ coronam accipit 236 35
nuptias celebrat 238.20
rex Hungariæ salutatur 238.22
ope uiduæ fugit 241.2
redit in Hungariam 241.10
parcit rebellibus ibidem
Venetos multat ib 24
Cæsar eligitur ibidem
Romæ ab Eugenio imperator salutatus 242.45
coronatus in Bohemia Hungariam petit 244.32
ultioni intentus 246.38
Ziscone allicere uult promissis 255.25
in Bohemiam reuocatus 259 40
Pragæ cum uxore coronatur 260.12
censoriam potestatem laudat 262.10
restituit cultum sacrum in Bohemia 262.25
Hungaros laudat 262.50
Romam tendit armatus 242 35
Olomutij humaniter exceptus 306.15
Albertum hæredem constituit 262.50
moriturus Pragam deserit 263.5
in Morauia moritur ibid. 20
regnorum suorum tempus ibid.
Sigismundi Cæsaris responsio ad Pragenses 230.15
& Venceslai uidua pactum contra Thaboritas 231.6
uita 237.10
acutum responsum 241.40
historiæ morales 242.2
literæ interceptæ 247.30
exercitus eius cæsus 247.44
adagium 255.20
Sigismundi regis Poloniæ candor 305.10
Siloense cœnobium 100.35
Simultas inter duas reginas Bohemiæ 192.38
Simultates inter Cæsarem & Vratislaum 73 30
inter Comitem Ciliæ & Hunniadem 275.17
Simultates paternæ in liberos 277.6
Siradium à Bohemis expugnatum 171.50
Slaua quid 4.20
Slauinorum etymon 4.15
Silesia uastata à Polono 265.14
Silesiæ descriptio 71
latitudo 71.38
etymon 77 37
principes Polonorum principum soboles 201.43
Io. et regibus Bohemiæ se dedunt 202.1
Silesii bellicosi 71.45
Bohemiam inuadunt regis iussu 253 35
tyrannicè agunt ibid.
Silesii Minsterbergium oppugnant 287.41
Silesitarum responsio ad Georg. regem 282.38
Sucoslaus captus 24.27
fœdè interimitur ibid.
Sobieslaus religiosus 100 30
Vratislaum patruelem carceri addicit 90.14
Conrado fauet 103.18
frater minimus Vladislao bellum mouet 93.20
uulneratur 93.51
ab exilio reducitur 94.12
Lusatiæ præficitur ibid.
in ludo equestri uictor 95 20
in Lusatia capitur 96.5
carcere euadit ibid 10
iterum in Poloniam exul 96 25
Othone præterito hæres instituitur 98.8
vi. à rege princeps 98.16
Othonem opprimit 98.24
uictoriam celebrat 99.3
insidias prouidentia fugit 99 38
cum uxore dona ecclesiæ offert 101 ij
300. equitibus Cæsari Romam cunti se iungit 101 16
Belæ regi Hungariæ adest 101 36
Silesiam armis repetit 101 48
uastat ibid.
præteritis filijs paruulis Vladislaum hæredem nepotem relinquit 103 45
ad Vladislaum postrema uerba 104.4
Olomucium diripit 115.48
arci includitur ibidem
carcere dimissus à rege 119. 50
gratias regi agit 120.1
interrex III. 120.37
à cæde regnum auspicatur 120.43
Conrado Morauo fauet 121.28
Pragensibus non fidit 122.12
in Lusatiam se confert ib.
Pragam tentat 122 40
Friderico insidias frustra tendit ibid.
Fridericum ter profligat 123 5
cataphractum Germanum captum terra obruit equo insidentem ib.22

Friderici manu uulneratus 124.8
Sobieslai querela 100.3
ædificia 102.38
mors 104.12
Sobieslai Poloni facinus Cæsari ingratum 121.42
Sobieslao inuidia cõflata ex prostrato fratre in arenam 95.27
Solymannus cum Parthis aduerso prælio concurrit 309.2
expeditionem in Hungariam parat 312.30
Solthus homo deprauata mente 94.39
ab Hungaris captus 95.4
pœna exigitur 95.8
Solthi supplicium 95.8
Somnium ominosum Premislai ij.50
Somnium regis Daniæ 39.50
Sophia urbs Turcis erepta 268 28
Spitigneus nascitur 85.5
Spitigneus xiiij. princeps Bohemiæ 31.34
modestus ib.39
proteruus in parentes 32.2
Sobieslaus xxiij. princeps Bohemiæ 66.10
Germanis infensißimus ib.13
origo huius odij ib.23
cur 300. nobiles spoliet 66.64
in Vratislaum fratrem 66.50
Spitigneus ex lupo ouis subitò 68.11
Spitigneus in uiduam clemens 68.40
Spitignei opera bona 31.40
mors 32.8
elogium 69.2
Stanislai Thursonis elogium 300 40
Statius Mediolanensis ciuis strenuus 112.32
Germanos sternit ibid.
Statij Mediolanensis in castra Cæsaris eruptio 123.27
occumbit ibid.
Stephanus vi. papa in Formosum rabidus 43.15
Stephanus Belæ filius errore in hostes incidit 159.20
Stephanus Hungarus fugit 159 37
Stephanus rex Hungariæ Ottocaro bellum indicit 161.22
Stephanus Vayuoda 239.14
Stephanus Bathori Palatinus regni 308.10
Sterembergius Morauis auxilio 151.5
primus in Morauia capitaneus 152.6
Stiradius principis ignauiam exprobrat 13.15
Vlastæ dolis circumuentus. 13 33
Stiradij supplicium 14.ij
stolidum episcopi consilium 313 20
Stoymirus princeps exul eligitur 30.10
Stilfridum appellarunt Germani ibid.
propriam linguam oblitus ib. 15
exauthoratur ibid.18
Strahouia monasterium 106.29
Straka arx cur extructa 18.40
à Misnis capta 19.2
Strachyquas Boleslai filius 39 46
monachus Ratisponæ 43.47
episcopatum ambit 46.8
inaugurandus inuaditur à maligno 49.ij
Strachyquati episcopatus offertur & respuit 45.28
Stratagema puellarum in adolescentes amatores 13.6
stratagema militare 254.40
Suataua 12.2
idem & Beatrix latinè 94.7
Suatouiti effigies 7.12
colendi ritus ib.
Suatobogius regis Morauiæ filius 24.40
Suatobogius ultimus rex Moratiæ 28.50
Suatoplucus rex Moraniæ 24 37
Christianus ad Cæsarem ibid. 39.41
eremita 28.30
Suatoplucus principatum affectat 85.19
Pragam frustra tentat 85.23
re infecta retrocedit ib.26
citatus apud Cæsarem 86.33
Suatoplucus IIII à rege Bohemiæ principatu potitur 86.20
restituitur pacta Cæsaris pecunia 86.52. rapinas instituit ib.
Cæsari militat in Hungariam 87.18
prædatur Hungariam ib.
in exilium 119.28
Suatopluci coniuratio in Boriuorium agitur 86.13
filium Cæsar ex baptismo suscipit 87.10
inuectiua in Versouicenses 88.1
Suatopluco oculus excutitur 89 12
successionis pactum inter Henri cum & Ottocarum 171.13
Sucoslaus Bilinæ præfectus principi infensus 24.3
sues Zytonis 221.30
Sueuos quæ loca habitauerint 3.26
Sulcho Bauariam populatur 218 42
Sulconis prudens responsum 222 46
supplicium de Rohacio sumptum 261.40
supplementa senatui data 299 38
superstitionis commutatio in Bohemia 7.31
sutor Polonus Cuthnæ in regem debacchatur 292.46
Sulzpachij Comites monasteriũ fundant 96.4
Syba Versouicensis scommate tatur 55.30
telum uenenatum in principem torquet 55.48
Sylua cur Sarca cognominata 14.15
Syderius suppositius princeps 21 40
à suis propter rem benè gestam interficitur 22.14
Syrbi 3.43.58
Syrbo in Lusatios transisse 4.10

T

Templum augustum Pragæ exædificat Spitigneus 68.50
Templa Christianorum in successu Pragæ à regina 34.46
expilata 229.2
repurgata Sigismundus ingreditur 260.35
Tetrarchiarum Tartarorum nomina & fines 149.30
Thaboritæ cum Pragen. Vicegradum occupant 229.22

Cuthnenſes mulctant 229.42
profligati 231.12
Cephalon agmen 231.20
cum Pragenſibus Sigiſmundo reſiſtunt 233.5
Pragam ingrediuntur 233.25
ſternuntur 233.44
ad Vicegradum ebrij trucidantur 245.30
cæſi 249.48
Thaboritæ Morauí Velegradum ſpoliant 250.10
in Morauia delentur 250.24
in campis oblectantur 256.37
Thaboritæ ab Orphanis diuiſi 257.1
obſidionem ſoluunt 257.44
Rhetium in Auſtria expugnant 258.1
Miſniam petunt 258.14
Luſatiam & Sleſiam populantur 258.30
ſucceſſu inſoleſcunt 258.40
ad internecionem cum ducib. deleti 259.10
Thaboritarum cum Pragenſibus coniuratio 229.12
effrenis licentia 233.28
præfecti Pragæ 234.20
dogmata 244.45 250.1
Thaboritas & Pragenſes non bene de ceremonijs conuenire 248.25
Thacari qui & Thatari 148.41
Thatari in Polonia primùm 139.33
quibus ducibus in Ruſsiam uenerint & quando 149.30
Thatari crudiuori 149.7
in Morauia 150.45
Olomuzium obſident 151.12
arte ſagittandi pollent 151.20
inopinati cæduntur 151.40
Thatarorum regio 139.33
quibus primùm noti 139.40
mores & figura 148.44
ortus 149.12
quatuor tetrarchiæ 149.18
pugnandi mos 150.12
reliquiæ in Hungariam ſeſe recipiunt 152.2
Thatarorum in Hungaria pugna 152.34
Thataros opprimit prudens dux 151.28
Talionis pœnæ ſententia illuſtris 213.10
Theobaldus regis Bohemiæ frater in Italia moritur 118.50
Premislao reconciliatur 138.30
Othocari æmulus 138.10
princeps Bohemiæ per inuidiam declaratur 138.10
Theobaldo uxor datur 139.20
Theodatus IIII. epiſcopus Pragenſis 47.48
Theodoricus monachus ærario præficitur à Carolo 207.14
Theodorici monachi induſtria 206.50
de eo lepida hiſtoria 207.6
Tetcha Crocci filia ut Circes 7.6
Thobias xxiij epiſcopus Pragenſis 167.42
amatus in Poloniam 111.32
Siradiam & Sandomirium capit ibid.48
regem monet de maturando aduentu in Poloniam 172.25
Thobias à Cruſsina inetrfectus 179.36
Thus & Myrrha in Morauia ubi inueniatur 29.26
Terræmotus in Tridentina ualle 96.48
Premislao regi religionem incuſsit 244.8
circa Alpes 210.10
Terror Hungaris incuſſus 312.34
Tiſta Verſouicenſis Suatoplucũ ſagitta confodit 90.14
Tomorræus interfectus 314.38
caput Turcæ oblatum ibid.
Trebicium cœnobium 98.29
Triarij Bohemorum 19.23
Trutnouum flumen 93.42
Tumultus Pragæ compeſcit rex 291.44
inter Iudæos & Chriſtianos Pragæ 153.36
Turbo inſignis 102.45
Turbæ in Bohemia ex ſiniſtro rumore 193.14
Cæſare interceſſore pacatæ ſunt ib.24
Turbulenta & trepida conſultatio 313.38
Turca Bellegradi apparet 313.30
Turcæ ad Sabatiam cæſi 97.41
Turci Valachos adiuuant 239.25
Turcarum ad legatos ſuperbum reſponſum 239.43
Turris pontis Pragenſis à Carolo ædificata 210.50

V

VAceco Morauis præeſt 94.48
bene meritus & principi charus per inſidias Sobieslai obtruncatur 95.47
Vaceco Thaboritarum dux 131.26
Vagus fluuius 98.24
Morauiam ab Hungaria diſterminat 25.35
Vaiuoda regnum Hungar. ambit 305.2
Valdekus uir fortis 54.44
Valdemarus ſuppoſititius Marchio 207.30
eius cauſa Comites Mechelburgenſes principum ordini aſſcripti 207.32
faſcinum oculis obduxit ib.44
Valentinus xvi. epiſcopus Pragenſis 122.30
Valeria legio 4.34
Valpurgi Conradi uxoris ad regem oratio 77.40
Valramus à fratre Cæſare rex Bohemis obtruditur 184.28
Vandali 4.6
Vartembergus factionis Lyppanæ occumbit 55.27
Vaſallon 101.5
Vdalricus cur iniurias Polonorum non ulciſcatur 55.27
principatum ui aggreditur 84.8
Vdalricus auxilia Cæſari fert 122.10
Vdalricus à ſuis deſeritur 84.23
capitur 80.50
Vdalricus ſolutus carcere 83.40
eiuſdem ambitio ib.48
Vdalricus xxi. Bohemiæ princeps 54.22
Vdalricus ruſticam coniugem ducit 54.14
Beatrix dicta ibid.
Vdalricus fratri regnum cedit 120.30
Vdalricus dux Carinthiæ Auſtriam inuadit 154.50

interrex II. 120.36
Vdalrici principis mors 58.38
exequiæ ibidem
Vdalricum milites relinquunt 121.20
facinoris in Hiaromirium fratrem commißi pœnitet 55.6
uectigal Pragæ ſacello applicatum 96.42
Velegradum cœnobium à quo ædificatum 142.4
Velleda Germana 8.12
Veleslaus nobilis Pragenſis uirginem Hebræam ſtuprat & occidit 153.22
inſtinctu Iudæi patris interficitur ibid.
Velitationes cũ Hungaris & Bohemis 162.2
Verona Vladislao regi Bohemiæ ſe dedit 110.18
Venceslaus Vratislai filius 32 31
S. Venceslaus impijßimam matrem habuit 36.21
ad comitia imperialia uocatus 37.8
prodigium in comitijs ib.13
primus rex ſalutatur 37.32
tributo abſoluitur ibid.
inſignibus Cæſar. inſignitur 37.34
regiam dignitatem repudiat 37.36
mitis & deuotus 82.30.40
uirgo 39.12
ad natalicia inuitatur fraude ib.19
à fratre trucidatur orans nocte in eccleſia 39.40
Venceslaus Latiæ Comes comprehenſus 92.20
Venceslaus Marchio Othonis filius prudens 101.1
arcem ſuam ſacris uſibus deſtinat 101.3
Venceslaus interrex 131.30
captus, in carcere moritur 132.1
Venceslaus rex coronatur 139.20
coronatus Morauo eſt auxilio 143.25
Venceslaus Ottocarus Bohemiæ IIII rex 145.42
Venceslaus monoculus 147.16
Venceslaus luſcus III I. rex Bohemiæ 145.43
Venceslaus rex ad prodigalitatem liberalis 147.50
Venceslaus VI. Bohemiæ & Poloniæ rex 167.10
à Marchione in Marchiam abducitur 168.50
regno patrio reſtituitur 169 31.
eius Pragam aduentus ib.40
matri condonat culpam ibid.
Venceslaus Othocarus delatum imperium ad Adolphum Naſſouienſem cur detulit 172.10
nouam cudit monetam 173.12
fulgura & tonitrua horret 173.37
Bohemiæ, Poloniæ, & Hungariæ acclamatus 174.18
Hungaricum renuit ib.
Venceslaus Venceslai filius Hungaris rex datus 174.28
non pro uoto Cæſ. Alberto reſpondet 174.50
crapulæ aſſueſcit in Hungaria 175.37
à patre Hungaris eripitur 175 50
regnum & coronam Hungariæ Othoni defert 176. 14
Venceslaus cachecticus 176.28
moribundus præcepta filio dat 176.42
moritur & ſepelitur 177.8
Venceslaus iunior rex Bohemiæ inſtitutus 177.30. ebrioſus ib.40
arcem ædificat ibidem
arces oppignoratas ſine pecunia repetit 178.10
Miſniæ portionem uendit ibid.12
fugillat proceres 178.33
cum exercitu in Poloniam tendit 178.40
Vnceslaus dux Maſouiæ 194 24
Olomutij interficitur ib.45
Venceslaus Ioh. regis filius 203 44
Venceslaus qui poſtea Carolus dictus 192.50
Venceslaus ſeſquiennis coronatur rex Bohemiæ 212.30
uxorem ducit 215.5
ſucceſſor imperij declaratur pecunia grandi 215.10
coronatur rex Romanorum 215.ib.
X. rex Bohemiæ 217.38
Rom. Imp. ibid.
rectore deſtitutus 218.22
Vicecomites Mediolanenſes duces creat 219.1
publicis ſcortis oblectatus 219.5
reginæ monenti iniurius ib.
ſacrificum à confeßione reginæ ſecreta reticentem mergit 219.10
crudelis comitem carnificem habuit 219.22
arcem ædificat ib.
capitur à ſuis inaudito exemplo 219.40
elabitur 220.1
ſecundò capitur 220.26
Viennam captiuus ducitur 220.30
Balneatrici concumbit 220.8
ab omnibus deſertus 220.40
quo æſtu euaſerit è carcere 220.42
piſcatori ſe aperit ibid.
Vicegradum habitu mendici ingreditur & regno reſtituitur ibid. & 221.2
Sophiam Palatini coniugem ducit 221.22
Venceslaus caupo 246.12
Venceslaus Boſchouitz à Capiſtrano ad Papiſmum reuocatus 273.25
à Rochezano compeſcitur 284.16
S. Venceslai pietas. 35.44.36.10
pia tunc tẽporis petitio 37.28 179.45. moderatio 174.20
præſagiũ 39.24 uxor 178.25
mortis conſcij diuinitus puniti 40.24
liberalitas 146.5
apophtegma ibidem
ſtolidum reſponſum 218.30
mors 155.48
cur tecta aliquandiu 156.1
mors immatura deploratur 179.10
Venceslai ignauia 217.40
Venceslao filius Venceslaus naſcitur 170.18
moderator datus 177.34
Venceslao regi nihil tutũ 219.25
Venceslao decano epiſcopatus ad miniſtratio tradita 284.1

Venenum 8.47
Venenum paratum in necem Ludouici 212.24
Veneti magnificè excipiunt Fridericum 270.12
Venetis forũ Iulium adimit Sigiſ. 242.34 Teruiſum expugnat ib.
Vernerus Orſela Pruſſiæ magiſter 194.13
Verſouicenſes principatus æmuli 16.42
diſcordias ſerunt 80.ij
in Poloniam 80.25
Boriuorio infeſti 84.33
falsò delati 86.3
ad Vladislaum Boriuorij fratrem confugiunt 86.10
xiij. Verſouicenſium ſupplicium 51.46
Verſouicenſium clades 88.30
nomen unde 89.1
inſignia mutata 129.22
Verſouicius proditor ſe ipſum iugulat 17.18
Veſperinum Morauorum regum ſedes 27.25
Veſtales ex cœnobio fugiunt 106.7
Viadrum Ptolomeo, Odera eſt 290.15
Vicecomites Mediolanenſes Pontifici ſe opponunt 213.48
Vicegradum reparatum 210.48
Pragenſes obſident 246.40
captum & uaſtatum 247.50
Vicegradenſes penuria laborant 247.10
paciſcuntur cum Pragen. ib.
Vicleffi uolumina comburuntur 223.25
Vicleff. doctrinæ ſumma 223.8
Victorinum Matthias oppugnat 288.13
Vienna regi Venceslao ſe dedit 147.37 capta 295.36
amiſſa iterum à Bohemo redempta 147.42
Viola regis Venceslai uidua Petro Roſenſi traditur 190.34
uiri à mulieribus ceduntur 12.35
uitia & uirtutes in principibus magis conſpicua 216.20
Vitus Bohemorum tutelaris 7.6
Spitigneo in ſomnis apparet 67.47
Vitholdus dux Lithuaniæ uocatur ad regnum Bohem. 248.16
Vitholdus Lithuanus ſolicitatur 253.1
Vladislaus Suatopluco principatum concedit 86.16
V. à rege princeps 90.40
Praga excluſus 51.28
à Cæſare confirmatus 92.26
Vladislaus Bretislai filius ex Italia cum laude reuerſus 95.10
Boriuorium participem regni facit 96.34
Cæſaris ſoronem Gertrudim ducit 103.46
nepos Sobieslao ſuccedit 103.40
Bohemiæ princeps comitijs in frequentib. 105.10
ad Cæſaris opem confugit 105.40.
diruta reſarcit 106.22
Syon monaſterium condit ibid
Imperatoris uicarius in Germania 109.24
rex coronatur ibid.30
Barbaroſſæ ſocius in bellum contra Mediolanen. 109.35
bacchanalia cum matronis celebrat 292.2
rex demulcetur 294.6
rex inſidijs expoſitus 295.2
à Beatrice rex poſcitur 296.2
rex Bohemiæ, Hungariæ etiã eligitur 296.10
Viennam Cæſari reſtituit 296.34
rex Pragam reuerſus plauſu excipitur 299.12
ornat templa & reliquias ſanctorum 299.22
pacis ſtudioſus ib.34
reuertitur in Hungariam 303.43
eget 306.30
moritur 307.6
Vlatislaus Lucenſis princeps 20.18
Vladislaus ad principatum aſpirat 21.7
acie confoſſus 22.6
Vladislai & Friderici filij egregium facinus 13.16
Vladislai ad fratrem Boriuorium æquum reſponſum 91.2
ſuſpicio 105.9
diligentia contra coniuratos 105.22
ſecunda uxor Landgrauij filia 109.31
uirtus 112.38
mater Auſtriaca 290.42
uitæ inſidiatum 291.30
benignitas 293.13
in fratrem pietas 296.20
Vladislai ſtultum edictum 22.18
crudelitas 21.ij. & 23
Vladislauia expugnata 194.16
Vlaſta amazon muliebrem dominatum inuexit ij.32
Vlaſta in aciem contra uiros prodit 12.36
prælians occumbit 15.9
Vlaſta ad ſocias oratio ij.35
potio medicata in uiros ij.47
conuiuium 12.12.
Vlaſtislauiæ origo 21.10
Vneslaus viij. princeps Bohemiæ 20.9
Vngelt uectigal nouum in Bohemia 203.36
Vogenus vij. princeps Bohemorum 17.30
ad adminiſtrationem ſublimatus 17.47
Vogeni filij 20.8
Vogislao regni adminiſtratio data 119.18
quem Suatoplucus pugione lædit 119.25
Volhonn fluuius 149.26
Voldimirus Rruſſiæ princeps in Morauia infeſtus 48.50
uociferatores comprehenſi 214.26
capitis dant pœnas ib.38
uox è cœlo, Omnis ſpiritus laudet dominum Bohemorum ui cauſa allata 31.14
Votichius in cœnobio eruditus 44.38
Vratislaus Lucenſis princeps 20.13.
Vratislaus xv. princeps Bohemiæ 32.ij
Vratislaus pius Chriſtianus 32.40
Vratislaus Marchio Morauiæ fugit in Hungar. 66.50
fratri Spitigneo reconciliatur 67.48
Vratislaus xxiiij. princeps Bohemiæ 69.5
Vratislaus exercitum cogit in Polonum ad Glacium 70.28

non libenter Iaromyrio episcopatum concedit 70.40
tertiam ducit uxorem Polonam 71.20
contra Leopoldum 73.1
in partes Henrici transit senioris 73.16
Rex Bohemiæ primus coronatur 75.5
fratrem tumidum episcopum ridet æmulo dato 75.16
rex Cæsarem placare uult 76 22
rex contra nepotes & fratrem 77.5
præteritis filijs omnibus fratrem successorem regni declarat 78 50
moritur & sepelitur 78.31
Vratislai in Hungaros expeditio 33.2
Vratislai uxor capitur 67 2
Vratislai cõiunx relaxata 67 26
abortiuum facit ib.28
moritur ibid.
Vratislai ex amissa uxore & sœtu ingens dolor 67.30
Vratislai filij 78.30
Vratislao moritur secunda coniunx 69.43
ab Vratislao usque ad Vladislaum omnes fuerunt interreges 78.in margine
Vratislauia frustra obsessa 283.2
Vratislauiensis episcopatus anten Ricinensis fuit 62.37
Vratislauienses timent 80.10
Vrbs Praga ubi ædificanda ij.4
Vrbes imperij à Thaboritis pacem redimunt 258.37
Vrbanus V. pontifex monachus 213.52
Vuolffgangus episcopus Ratispo nensis 38 14
Vlricus Augustan. antistes 40.36
Vulgus aduersus quæstores 268 20
Vlricus Ciliæ Comes aula pellitur 272.20
dignitati restituitur 274 25
obtruncatur 277.10
Vultur à rege Ludouico magno emptus 309.10

X

Xenodochium Pragense constructum 124.26
Xenodochia à Carolo ædificata 214.22

Z

Zatecum oppugnatum 254.7
Zauißius reginæ maritus inuisus 269.50
capite mulctatur 171.2
Zauißij impotens dominatus 170.2
Zdenco Sterenbergius legatus 279.2
Ziſco ſummus imperator constitutus 245.32
Ziſco quibus artibus res ſuas euexerit 227.24
cum Coranda Pelzinam diripit 230.42
monachomaſtix 230.50
equitatum inſtituit 237.30
memorabili ſtrage Germanos fudit 235.34
ſuffraganeum aquis mergit 245.50
ditiones Henrici Roſenſis uaſtat ibid.
monaſterijs uaſtandis incumbit 259.7
Adamitas deteſtatur 250.32
cæcus Sigiſmundum regem & Cæſarem in fugam uertit 254.50
in Morauia 255.5
Ziſconis genus, origo, & nomen unde 227.15
conſilium bonum 227.27
teſtamentum 255.30
moritur ibid.
poſteri Orphani ſe nominant 256.22
Ziſconi alter oculus excuſſus 249.7
Znoyma capitur 108.2
Zyto Venceslai magus ſues piſtori uendit 221.30
Zytonis magi facinora 221.25
uitæ exitus funeſtus 222.8

FINIS.

# AENEAE SYLVII

SENENSIS S. ROM. ECCLE-
SIÆ CARDINALIS TITV-
LI S. SABINAE

*De*

## BOHEMORVM, ET EX HIS *IMPERATORVM ALIQVOT origine ac gestis,*

Ad illustrissimum principem & Dominum ALFON-
SVM regem Aragonum

*HISTORIA.*



BASILEÆ
PER PETRVM PERNAM,
Anno *M D LXXV.*

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA

# AENEÆ SYLVII SENENSIS, S. ROM. ECCLES. CARDINALIS, TITVLI S. SABINAE DE BOHEMORVM

*& ex his Impp. Rom. aliquot origine ac gestis, ad illustrissimum principem & dominum Alfonsum regem Aragonum*

## HISTORIA.



INTERITVRA esse quæcunque nascuntur, atque homines in primis, quos ea de causa mortales appellant, omnes norunt, plurimi damnant. Nam cur hominem natura finxit, cui negata immortalitate, spatium quàm breuissimum vitæ indulsit, cornicibus & ceruis, quorum nihil intererat, longissimum largita est æuum? Sed cui de naturæ operibus iudicare permissum, quã nihil esse aliud, quàm Deum vel Dei decretum dixerim? Ego illud mihi persuadeo, nisi mors introisset in orbem terrarum, ex duobus alterum fuisse necessarium, aut terræ scilicet quam incoleremus amplitudinem sine fine patuisse, aut humanam generationem interdictam. Quis mundi ambitus homines capiat in horas absque mortis periculo nascentes? Tot præterea calamitates hominem circumsistunt, vt mori satius sit, quàm vitam producere miseram. Optabant fortasse vtcunq; viuere, queis vitæ alterius adempta spes, quamuis & huiusmodi homines mortem sibi aliquando conscíuerint. At homini Christiano, qui Deum fabricasse mundum constanter credit, nec dubitat illum gubernare quæ condidit, iniquitatem quoque omnem ab eo alienam putat. Sacri veteres nouiq; sermones fidem faciunt, qui animas ex corporibus excedentes in alia loca meare tradunt, in queis præmia pro benefactis, supplicia pro malefactis expendant: quamuis in hac mortali vita & viros bonos aduersis rebus oppressos, & iniquos homines sæpe numero blandis fortunæ afflatibus in sublime raptos cernimus: licet in omni gente, quæ sub cœlo est, hoc videre: Bohemia tamen testimonio satis: fuerit in qua nostra ætate pessimi homines reiecta Rom. ecclesiæ obedientia, conculcata parentum religione, sacerdotibus Christi occisis, phanis sanctorum direptis, sine fide, sine bonis moribus, in latrocinijs, in adulterijs, in omni spurcitia viuentes, aduersus potentissimos reges, innumerabiles populos, peritissimos duces, structissimos exercitus inuicti perstiterunt: ex quibus plerique ad hoc æui peruenêre delitijs affluentes, plerique quum diu ex arbitrio vixissent, non morbo, non gladio ex hac luce, sed naturæ necessitate senio confecti obierunt: vt si nihil aliud quàm præsentis vitę cursum animo voluas, beatos iudices, qui tot victorijs potiti, apud suos ciues charissimi, inter opes quàmplurimas inoffensi morbis, quantum homini licet, æuum produxêre. Contrà verò infelices dicas ac superis odiosos fuisse, qui pro lege patrum custodienda, pro veritate, pro iustitia, pro honestate, aut in exilio pauperes obiêre, aut in medio vitæ cursu rapi, ante ora suorum miserabili cruciatu necati sunt. Sed verissima est Christianæ religionis assertio, quæ post vitam huius seculi patere alteram asserit, his qui religiosè vixerunt iucundam ac beatam, reliquis molestã & infelicem. Cui sententiæ & Iudæi & Saraceni, & Gentiles, & ipsi quoq; philosophi consentiunt, quos veri conscios, & humanæ vitæ magistros putant. Nemo homo est, cui non insit aliquid boni: id Deus in terra, & in

hac tranſitoria vita remunerat. Neq; enim mole malorum obſtante cœleſtem conferre lucem poteſt. Vitia apud inferos plectuntur: viris bonis, queis terra clauſa eſt, cœlum patet. Peregrina in terris virtus, in cœlo ciuis. Ziſcha igitur, Ciaccho & Praſco, quos felices Bohemi credidêre, tot præliorum victores, tanto imperio præditos, Coranda quoque & Iacobellus, quibus velut apoſtolis Chriſti, aut angelis è cœlo miſſis, populorum aures patuêre, cum Procopijs pugna cæſis, cum Ioanne ac Hieronymo Conſtantiæ in magna ſynodo igni damnatis, apud inferos pœnas dant temeratæ religionis, in æternumq́ue dabunt: eosq́; proculdubio Rockiczana ſequetur, & ei qui auſcultant, diuinæ legis temeratores, niſi ante finem vitæ ſuæ reſipuerint. Viri conſtantes, qui vel exilium, vel carcerem, vel cædem pro teſtamento Chriſti fortiter pertulêre, cum rege ſuo in cœlo regnant, ex aliena victoria triumphantes, quorum multa milia Bohemia tulit. Nam ſicut Huſſitarum inſania Bohemicum nomen labefactauit, ita & fortium virorum conſtantia illuſtrauit. Nec prouincia eſt, quæ tempore noſtro plures Chriſti martyres quàm Bohemica produxerit. Inter quos equitem fuiſſe non eſt ambiguum, nobilibus parentibus ortum, captum ab Huſſitis, admotum ignibus, pedes primùm, deinde tibias, mox genua coxasq́;, poſtremo reliquas corporis partes exuri paſſum potius, quàm illorum inſaniæ conſentiret. Admiranda ſunt quæ tempeſtate noſtra inter Bohemos emersêre, ſiue pacem, ſiue bellum recenſeas. Mihi verò dum valetudinis cauſa in balneis Viterbienſibus ago, procul ab negocijs Curiæ haud indigna cura viſa eſt, res Bohemicas ſcribere, atque hominibus noſtris ex barbaris, quæ partim vidimus, partim verò auditu accepimus, digna memoratu nota efficere. Sunt enim multa, quæ in communi noſſe perutile eſt. Et dum cogito, cuius potiſſimum nomini dedicem, tu primus occurris, qui ſeculum noſtrum non doctrina ſolùm ac bonis moribus, ſed ſplendore quoque rerum geſtarum exornas, & quaſi clariſſimum quoddam ſydus illuſtras. Tibi ergo Bohemicam hiſtoriam dedico: nam tuo nomini inſcripta, facilè cum rerum tuarum notitia, quas doctiſſimi celebrarunt, ad poſteros transferetur: nam ego ab origine gentis in hanc vſque ætatem, ſi Deus dabit, producam: in qua etſi vetera digna ſunt memoria, illuſtriora tamen noua exiſtimo, quæ tum certa, tum admirabilia ſunt. Nec mea ſententia regnum vllum eſt, in quo æuo noſtro tot mutationes, tot bella, tot ſtrages, tot miracula emerſerint, quot Bohemia nobis oſtendit. Hæc ego tuæ maieſtati libens pandam. Vale: & quod ab homine deditiſsimo tibi mittitur, quodcunq; eſt legito, boniq́; conſule.

Temere

## *DE SITV REGIONIS BOHEMIAE, DE FLVMINIbus, eiuſdem & ciuitatibus, ac de Bohemorum moribus. Caput I.*

BOhemia in ſolo barbarico trans Danubium ſita, Germaniæ portiõ eſt, Aquilonis flatibus tota fermè expoſita. Cuius ad Orientem vergens latus Moraui obtinent & Sleſitarum natio. ſeptentrionem ijdem Sleſitæ ac Saxones, qui & Miſnenſes & Thuringi appellantur. Ad occidentem * Aduocatorum terra eſt, Baioariorumq́; regio. Meridionalem plagam tum Baioarij, tum Auſtrales habent, qui ripas Danubij vrraſq; accolunt, nec alia Bohemiæ quàm Teutonum terra coniungitur. Regionis longitudo latitudoq́; penè par: nam formam rotundam ferunt: cuius diametrum trium dierũ itinere expedito pateat. Sylua vniuerſam claudit, quam veteres Hercyniam vocauêre, cuius & Greci ſcriptores & Latini meminerunt. Flumina quæ terrã irrigant vniuerſa in Albim exonerãtur. Hic in montibus oriens, qui Bohemiã Morauiamq́; diſterminant, mediam fermè prouinciam perlabitur, primò in occidentẽ, deinde ſeptentrionẽ verſus, vbi prouinciam

*aliàs iudicum.*

*Bauari nunc.*

*Albis fluuius.*

ciam relinquit, per anguſtias montium & abrupta conuallium præceps Saxoniam petit, quam duas in partes dirimens in Oceanum fertur, vbiq; à Rheno flumine æquo terrarum ſpatio diſtans. Quod plerique Germaniæ terminum Sarmatiæq; quondam dixêre: ſed noſtra ærate Oderam fluuium, qui Sleſiam interſecat, & ipſum Viſcellam Prutenorum amnem Germania prætergreſſa Albim in alueo continet. Amnes alij quos Bohemi memorant, Orlioze, quod Aquilam ſignat: Egra, qui ex nomine oppidi quod alluit vocitatur, in terra Aduocatorum exoriens, apud Littomeritiam Albi miſcetur. Sed cunctos Multauia excedit, qui metropolim regni Pragam influit: hic Saczanain & Luſmicium & Miſam & Albim ſecum trahit. Oppida toto regno memorabilia, Praga, regi pontificiq; honeſta ſedes, neque minor neque ignobilior Etruſca Florentia, tres in partes diuiſa, queis nomina indidêre, paruam Pragam, veterem, ac nouam. Parua ſiniſtrum latus Multauiæ fluminis occupat, colliq; coniungitur, in quo ſita eſt regia, ac ſancti Viti potificiale auguſtumq; templum. Vetus Praga in plano iacet, vniuerſa magnificis operibus adornata: inter quæ prætorium & forum & lætam curiam & collegium Imp. Caroli mirificis efferunt laudibus. Iungitur autem minori Pragæ lapideo ponte 24. arcuum. Nouam ciuitatem à veteri foſſa diſiungit profunda, vtrinque munita muro, & in quam facilè fluminis aqua deriuari poteſt. Hæc quoq; ciuitas ampla eſt, & ad colles vſq; protenditur, quorum alterum S. Caroli, alterum S. Catharinæ appellant, tertium *Viſſegradum, in arcis modum exædificatum, vbi & collegium eſt, cuius præpoſitum & cancellarium regni & principē vocant. Poſt Pragam Litemeſce, altera in Bohemia pontificalis ciuitas, vicina Morauis. Cuthna quoq; haud parui nominis habetur, vbi argenti inexhauſtæ venæ ſuffodiuntur: quamuis noſtra ætate ſæpius capta exhauſtaq; fuerit, & in ipſas argenti fodinas pluuiales aquæ deriuatæ. Nec Buduicium contemnere oportet, æque ſplendidum & munitum, habet etiam nomen Slagenuerdium. *Eaduum, Luna, & vtraque Broda, altera Bohemica, altera Teutonica: Budinge colonia Litomericium, & quod reginis dotale dicunt, Grezium, Pons inſuper, Noua domus, Neuburgia, Poggiebracium, & diutina obſidione memorabilis Pelzma, Zaziorumq; ciuitas, & ſi Bohemiæ dederis Iglaria, quà iter eſt in Morauiam. Poſtremò arx hæreticorum aſylumq; Thabor, memoria noſtra ex ruinis alterius Hauſchæ, difficili loco conditum oppidum, & à Sigiſmundo Cæſare ciuitatis honore donatum. Gelida prorſus regio, piſce atque armentis abundans, cum volucre ferisq;, frumenti ferax. Sicera pro vino vtitur: illi Ceruiſiam vocant, quaſi ex Cerere factum. Ager toto regno optimus. Circa Zazium colles, apud Litomericium conſiti vineis. Vinum quod naſcitur, acerbum: ditiores ex Auſtria atque Hungaria importato vtuntur. Sermo genti & Dalmatis vnus. Mos vetus in hanc vſque diem ſeruatur. In templis ſermone Teutonico plebes docent, in cœmiterijs Bohemico, vbi ſecularium presbyterorum collegia ſunt, aut monachorum prædia poſſidentium. Solis mendicantibus libertas fuit, qua vellent lingua populum inſtruere. Quæ res palàm indicat, regionem ipſam olim Teutonicam fuiſſe, ſenſimq; ſubintraſſe Boiemos: quod Strabonis teſtimonio confirmare licet, cuius verba hæc ſeptimo Comment. inuenies: Senones Sueuorum natio, vt ſuperius dixi, partim intra partim extra ſyluam habitant, Getarum contermina genti. Sueuorum quidem gens ampliſſima: è Rheno ſiquidem vſq; ad Albim peruenit fluuium: eorum etiam portio trans Albim loca depaſcitur, quemadmodum Emondori & Lancoſargi. Hæc Strabo. Plebs toto regno bibula, & ventri dedita, ſuperſtitionumq; ſequax, & auida nouitatum. Quoties Cretenſe vinum caupones venale proponunt, inuenies quamplures, qui iuramento adacti, nunquā cellam vinariam egredientur, niſi exhauſto dolio. Idem efficiūt in electis Italiæ vinis.

Odera.

Multauia.

Praga.

aliàs Vicegradum.

aliàs Cadanum

Thabor.

Sicera.

Strabonis locus.

Boiemorum mores.

Qui paulò excellunt, atq; inter plebem nobilitatemque medij sunt, audaces, versuti, ingenio vario, lingua præcipiti, rapinarum auidi sunt, & quibus nihil satis esse possit. Nobilitas gloriæ appetens, belli perita, periculorum contemptrix, ac promissi tenax: quamuis eius ingluuiem explere difficilimum. At vniuersum simul si expendas populum, non est qui religioni aduersetur: sed profectò in omni gente qualis rector, talem inuenies & populum. Quomodo autem & vnde hoc genus hominum in Germaniam venerit, scripsi iam pridem integerrimo & præstantissimo patri Dominico Cardinali Firmano, tuæ serenitati amicissimo: id hoc loco repetere non grauabor, quando historiæ quam teximus omnino quadrat.

## *De origine gentis Bohemorum.*
## *Caput II.*

BOhemi, sicut cæteri mortalium, originem quàm vetustissimam ostendere cupientes, Sclauorum se prolem asserunt. Sclauos autem inter eos fuisse, qui post vniuersale diluuium condendæ famosissimæ turris Babel authores habentur, atque ibi dum linguæ confusæ sunt, Sclauonos, id est, verbosos appellatos, proprium idioma sumpsisse. Relicto deinde campo Sennaar, ex Asia in Europam profectos, eos agros occupasse, quos nunc Bulgari, Serui, Dalmatæ, Croaci, & Bosnenses incolunt. Nondum ego quempiam legi authorem, cui fides adhibenda sit, qui tam altæ gentis suæ initium reddiderit, Hebræos excipio, omnium mortalium primos. Multi ex Germanis satis se nobiles arbitrantur ex Romanis ortos, Romani ex Teucris originem ducere gloriosissimum putant. Franci qui & Germani fuerunt, Troianum se sanguinem esse dixerunt. Eadem Britannis gloria satis est, qui Brutum quendam exilio profectum, generi suo principium dedisse affirmant. At Bohemi longè altius orsi, ab ipsa confusionis turre se missos iactitant. Cæterùm nec qui tunc principes fuerint, nec quem regem habuerint, nec cuius terræ cultores extiterint, nec sub quo duce, nec quibus periculis in Europam venerint, nec quo tempore, tradunt. Fuisse illic Sclauonos aiunt, dum labium vniuersæ terræ confusum est. Vana laus ac ridenda. Quòd si qui Bohemos imitari velint, nobilitatem generis ex ipsa vetustate quærentes, non iam ex turri Babylonica, sed ex arca Noe, atque ex ipsa deliciarum paradyso, primisque parentibus, & ab vtero Euæ, vnde omnes egressi, facilè sibi principia vendicabunt. Nos ista tanquam anilia deliramenta prætermittimus. Omnes reges ex seruis ortos, omnes seruos ex regibus, scripsit Plato. Veram nobilitatem sola atque vnica virtus gignit. Multa sunt quæ de Bohemis vera ac memorabilia traduntur: ad ea nugis omissis festinat calamus.

*Scite.*

## *De Zechio, primo duce Bohemiæ.*
## *Caput III.*

ZEchius Croatinus haud obscuris parentibus ortus, gentem Bohemicam condidit. qui homicidio domi perpetrato iudicium vltionemq; fugiens, in regionem eam venit, cui nunc Bohemia nomen est, ac montem incoluit Chezip vocatum, quod vocabulum latinè Respiciens interpretatur: surgit enim ex medio camporum æquore, fluuios intuens, qui præcipui Bohemiam irrigant, Albim, Multauiam atque Egram. Terram incultã fuisse tradunt, nemoribus atque sentibus asperam, ferisq; quàm hominibus aptiorem. Credimus id quidem: nam prisci Germani, qui ea loca tenuerunt, pastoralem vitam agentes, agrorum culturam neglexerunt, ac more Nomadum

*Chezip.*

dum alimoniam ex pecoribus trahentes, domesticum in carris tollentes instrumentum, quocunque sors tulit & opinio, cum suis armentis conuertebantur. Non assentimur Bohemorum historiæ, quæ Zechium illum omnémque familiam suam (nam frater cognatiq; fugæ comites erant) glandibus ac syluestribus pomis tantùm vitam duxisse affirmat, obliterato iam tum glandium vsu: nec post diluuium ex his fuisse hominibus victum crediderim. Illud mihi persuasibilius fuerit, Zechium paucos inuenisse cultores, quos lacte ac venatu viuentes arare terram, triticum serere, fruges metere, vesciq; pane docuerit: atque ita sibi rudes homines, ac penè feros, ad vsum mitioris vitæ redactos subiecerit. Nec rursus apud me pondus habet, omnia tum fuisse communia, atq; tam viros quàm fœminas incessisse nudos. Neq; enim illa regionis temperies est, vt hominem asseruare nudum queat ex Dalmatia venientem, vbi non defuit vestis vsus: nisi fortassis in argumentum quis aduexerit Adamitas, qui nostra tempestate apud Bohemos emersere, communione rerum omnium, nuditateq; gaudentes, quos breui deletos constat. Zechio frater fuit nomine Leches, paupertatis & exilij comes. Hic vbi Germanum agris ditatum, bobusq; potentem animaduertit, ad Orientem profectus in magna camporum planicie sedem collocauit, Poloniamque nomen ex loco dedit: nam planicies Sclauonica lingua Pole nominatur: cuius hæredes in numerosam multitudinem breui coaluerunt, ac Russiam, Pomeraniam, Casubiámque sui generis hominibus impleuerunt. Zechij quoq; familiam: Bohemos, id est, *Diriuos appellant, mirum in modum germinantes, non solùm prouinciam à se dictam, sed Morauiam Lusatiamq; pulsis veteribus incolis occuparunt. Dum vixit Zechius nihil temerè, nihil tumultuosè actum, eius imperio sine controuersia obtemperatum. At eo vita functo, quum sibi quisq; principatum vendicaret, diu seditionibus agitata prouincia est, sine principe, sine certa lege, iudicio tantùm multitudinis gubernata. Postremò quum potentiores imbecilles opprimerent, & serum atq; incertum esset populare remedium, ex re visum est rectorem assumere, qui omnibus præsidens imbecilles ac potentiores pari iure gubernaret.

*Adamitæ.*

*Alias diuinos*

### *De Croco, secundo Bohemorum duce.*
### *Caput IIII.*

ERat per idem tempus apud Bohemos vir nomine Crocus, iustitiæ opinione insignis, ac propterea magnæ apud vulgus authoritatis: hunc sibi principem deligunt, summamq; ei rerum committunt. Cuius tanta moderatio fuit, vt non aliter quàm pater à prouincialibus coleretur: neq; enim ad suam voluptatem, sed pro subditorum vtilitate ac quiete prouinciam rexit, ferocemq; populum non tam imperio, quàm beneuolentia quietum continuit. Hic arcem apud Stemnam condidit, quam de suo nomine Cracouiam nominauit. Moriens autem tres filias reliquit, Brelam, quæ castellum Brelum ædificauit, herbarum ac medicinæ peritam: Therbam, siue Therbizam augurem & sortilegam. Tertiam Libussam, quæ vt natu minor fuit, ita diuinarum humanarumq; rerum scientia maior.

### *De Libussa filia Croci, quæ pluribus annis rexit Bohemiam.*
### *Caput V.*

LIbussa autem velut vna ex Sybillis habita, post obitum patris fauente populo pluribus annis prouinciam gubernauit: & priusquam Praga ædificaretur arcem Vissegradensem communiuit: fuitque suum imperium patri-

bus plebiq́ue iuxta gratum. Postremò non crudelitate aliqua, non tyrannide aut secordia vsa, sed rectum iudicium faciens, popularem fauorem amisit. Contendebant coram ea duo ex optimatibus de possessione agrorum. Sententia ex bono & æquo dicta, potentior humiliori damnatur. Ille tanquam iniuria esset potentiorem in iudicio succumbere, populares appellans, indecorum esse indignumq́ue ait, tantum populum, tot proceres, tantum imperium vnius fœminæ subesse arbitrio. Ad cuius vocem excitata multitudo, muliebre regimen accusare, vicinarum gentium mores in medium adducere, virum qui sibi dominetur expetere. Libussa indicto silentio, desiderium se populi animaduertisse dicit, neq; se illos eo frustraturam: imperium subditis, non sibi post patris obitum tenuisse. Iubet ad diem posterum redeant. Obtemperatum est, itum atque reuentum.

## *De Primislao tertio Bohemorum duce.*
## *Caput VI.*

Libussa in concione vbi adesse multitudinem vidit, Ego vobis, inquit, Bohemi, in hanc vsque diem placidè molliterq́; vt mulieribus mos est imperaui, nulli quod suum esset eripui, nullum læsi, matrem experti estis, non dominam. At vobis meum regimen ingratum, more humani ingenij mecum agitis: nihil diu placet homini: pium iustumq́; principem desiderant populi magis quàm ferunt. Estote ergo iudicatu meo liberi: virum qui vobis præsit, quiq́; suo arbitratu capita vestra iudicet, sicut optastis, dabo. Ite, equũ meum albicantem sternite, atque in campos latè patentes adducite, liberum effrenemq́, ibi dimittite, sequentes eum quocunque ierit. Curret equus aliquandiu: deniq; ante virum subsistet in mensa ferrea comedentem. Ille mihi coniunx erit, vobis princeps. Gratus sermo concioni fuit. Emissus equus decem millia passuum percurrit. Postremò ad flumen Bieli ante aratorem constitit, nomine Primislaum. Sequuti proceres popularesq́; , postquam stantem equum & aratori blandientem adulantemq́; viderunt, accedentes propius, Salue, inquiunt, bone vir, quem nobis superi dederunt principẽ. Solue boues, atq; ascenso equo nobiscũ venito: Libussa te virum, Bohemia ducem poscit. Agrum colere, gregem pascere, nauim regere, texere, suere, ædificare, multi se ignorare fatentur: magistratum in vrbibus agere, regem gerere, gentibus ac nationibus imperare, quod est difficilimum, nemo sibi à natura negatum dicit: etsi plerique siue laboris odio, siue ocij amore, oblatis regnis abstinuere. Primislaus quanuis agrestis, nuncios benignè excipit, facturumq́; postulata respondit: tanta est mortalibus regnandi cupido: nemo se regno indignum putat. Solutos boues, vt fabulosa est omnis antiquitas, eleuatos in aera ferunt, & in altissimam præscisse rupis speluncam delituisse, nunquam postea visos. Stimulum verò quo boues vrgebantur, terræ defixum mox fronduisse, ac tres corili ramos emisisse: ex quibus duo statim exaruerunt, tertium in arborem eiusdẽ generis proceram excreuisse. Non recipio ad me veri istius periculum: apud authores ista quærantur. Vidi tamen inter priuilegia regni literas Caroli quarti Romanorum imperatoris, diui Sigismundi patris: in quibus hæc tanquam vera continentur. Villæq́; illius incolæ, in qua hæc gesta creduntur, libertate donantur: nec plus tributi pendere iubentur, quàm nucum illius arboris exiguam mensuram. Sed nec mihi Carolus fidem facit: nam reges plerunque creduli sunt, nec quicquam non verum putant, quod generis sui claritatem astruit. Primislaus igitur audita legatione, inuerso vomere, pane caseoq́; appositio, viam quasi grandem facturus, cibum sumpsit. Ea res Bohemorum animos confortauit, mensam ferream, de qua Libussa vati-

*Tres tantùm liberi vsq; hodie 1513.*

*Mensa ferrea.*

vaticinata fuerat,in vomere cognoſcentes.Stupentes edentem circumſtant, ſaturum equo imponunt, iubentq; feſtinare. Inter eundum,quid ſibi vult ſtimulus frondens? interrogant:& cur duo rami mox aruerunt? Ille qui diuinandi peritiam calleret,treis ſibi liberos naſcituros ait, ex quibus duo funere immaturo deficiant, tertium nobiles fructus editurum. Quòd ſi ager totus exarauiſſet ante vocationem,genus eius maſculinum perpetuò regnaturum fuiſſe: quum ante tempus accerſitus ſit,eam ſpem ademptam.Interrogatus, quúrnam calceos, querno robore factos ſecum afferret? ſeruandos in arce Viſſegradenſi reſpondit,oſtendendoſque poſteris, vt ſcirent omnes primum qui principatum inter Bohemos accepiſſet,ex agro fuiſſe vocatum:neque inſoleſcendum eſſe,qui ex humili fortuna ſolium aſcenderit.Seruati calcei diu apud Bohemos,religiosè habiti,ac per ſacerdotes templi Viſſegradenſis ante reges delati,dum pompa coronationis educitur. Quum Viſſegradum appuliſſet Primiſlaus,ingenti fauore plebis atque honore exceptus eſt, Libuſſamque ſibi matrimonio iunxit. Nec diu moratus,Pragenſe oppidum aggere atque muro cinxit: de cuius nomine dum diſceptaretur,iuſſit Libuſſa ex artificibus, qui primò occurreret, rogari quid ageret: ac ex primo verbo eius vocari oppidum. Interrogatus faber lignarius quiſpiam: limen ſe agere dixit, quod Bohemicè praha dicitur:indeque nomen vrbi datum, ſed corrupto vocabulo poſteri Pragam dixêre. Exinde leges conditæ,quibus Bohemi longo tempore vſi,prouincia pace & ocio fruens,opibus aucta eſt. Et Libuſſa caſtellum Libus ędificauit,non longè ab Albi flumine,quod morienti ſepulchrum fuit. Qua mortua,imperium ad Primiſlaum ſolum rediit,quod viuente coniuge eius maximo conſilio adminiſtrauit: fœminarum (quæ illa viuente plurimum poterant)authoritas extincta.

*Calcei è querno robore.*

*Praga vnde dicta.*

*Libus.*

*De puella Valaſca, quæ principatum Bohemiæ more Amazonum ſeptennio potenter obtinuit.*
*Caput VII.*

SED fuit inter virgines, quæ Libuſſæ miniſtrare ſolebant, Valaſca puella ingentis ſpiritus, & Amazonicæ mentis, quæ clanculum accerſitis comitibus:heram,inquit,ô ſorores perdidimus,quæ nos à virorũ contumelia vindicauit,nec paſſa eſt ſeruire viris: contrà, viri eiuſdem imperium ſubiêre,nos reginarum honore fungebamur. Nunc iugum aſperum & miſerrimum ferre oportet: niſi libertatem nobiſipſis vendicemus, viliſſima mancipia ſumus. Quòd ſi vobis id animi eſt quod mihi, facilè priſtinam authoritatem obtinebimus.Ego ſecretorum Libuſſæ conſcia.Therbicæ quoque ſortes noui,herbarum vires non minus quàm Brela calleo.quod tres habuêre ſorores, hoc mihi ſoli datum eſt. Aſſiſtite audenti,vobis imperium in viros polliceor. Probant ſingulæ Valaſcæ conſilium: coniurant, poculum recipiunt,quo virile genus odiſſent. Interea loci Primiſlaus virginem ſibi per quietem ſanguineum miniſtrare potum videt. Territus ſomnio,ac malum quod erat futurum ſuſpicatus,primores terræ admonet,ne tantum licentiæ fœmineo ſexui præbeatur. Mos enim virginibus erat equos aſcendere,fatigare curſu,flectere in gyrum, haſta contendere, geſtare pharetram & arcum ſagittare,iaculari, venari, nihil officij virilis omittere. Quod Primiſlao tum periculoſum,tum bonis aduerſum moribus videbatur.At proceres ridere principem, fœmineum ſexum nil auſurum magni credere. Mirari tantò maius atque amare puellas,quantò agiliores ac doctiores dicerentur. Valaſca monere interdiu noctuq; conſpirationis ſocias,ſpem bonam facere,audaciã augere,poculis atq; carminibus mẽtes earum à virorum amore auertere, dictim plures

*Muliebris audacia.*

allicere prouinciam vniuerſam veneno inficere. Vbi iam virginum ac nuptarum ſatis conueniſſe arbitratur, mandat omnibus ſuos viros, parentes, germanos, filios mares, omnes ſomno vinoq; ſepultos noctu occidant, armis equiſq; arreptis in campum prodeant, non longè à Praga monſtratum. Maturatur ſcelus, virorum quantum imperatum erat interficitur: veniunt in campum armatæ fœminæ, proſtratoq; virorum exercitu, qui parricidas inſequebatur, ducem in arce Viſſegradenſi obſident. Quam quum expugnare nequirent, caſtellum ſibi haud procul inde in prærupto vndique colle naturaque munitiſſimo ædificant, quod Dieuizum appellant, quaſi virginum caſtrum. Dieuizæ namque eorum lingua virgines nuncupantur. Res viſa patribus plebiq; perniciosiſſima, tum propter admiſſum ſcelus, tum quòd illarum exemplo reliquas adduci fœminas verebantur, & hoſtem cuique domi eſſe formidabile fuit. Hortantur itaque principem, puellas bello coerceat, ſe cum copijs affuturos promittunt. Primiſlaus ſe à dijs admonitum ait, perituros omnes qui puellas armis laceſſant, tempus aliud expectandum. Illi ſpreto conſilio, coacto ſine principe exercitu, caſtra ad Dieuizum ponunt, puellaſq; cingere obſidione pergunt. Valaſca nil territa in maiori diſcrimine maiorem adhibet animum, comites ne mente labantur plena fiducia hortatur, aduenisſe tempus affirmat, quo toti Bohemiæ leges imponant: videre ſe omnes prouinciæ optimates in ſuam poteſtatem veniſſe: vires tantùm acuant, victoriam in manibus eſſe. Neque nouum viros mulieribus obſediſſe, Amazones ſibi Aſiam vectigalem feciſſe, pugnaſſe ad Troiam, Theſei atque Herculis arma contempſiſſe. Si conſilium atq; animus mulieribus adſit, vires haudquaquam deeſſe: nullius Bohemi conſilium ſuo præferre. Vbi perſuaſam multitudinem animaduertit, palantes hoſtes, & nil tale verentes aggreditur. Fit trepidatio in totis caſtris. Mox fœda oritur fuga, inſtant virgines, viroſq; paſſim trucidant. Neque aliter pugnatum eſt, quàm ſi muliebres viri animos, viriles fœminæ induiſſent. Pauci ex ea pugna euaſerunt, quos velocitas equorum, non ſua virtus à morte redemit. Singularis audaciæ in hoc prælio ſeptem puellas fuiſſe memorant, Maladam, Nodeam, Suataciam, Voraſtam, Radgam, Zaſtanam, Triſtanam. Reginam ſua manu ſeptem viros interemiſſe. Spolia ingentia capta: præmia pro meritis reddita: ſeptem quæ virtute præſtiterant, torquibus aureis atque armillis donatas: Valaſcam veluti deam habitam: neque poſt id prælium Bohemis aduerſus puellas audaciam fuiſſe. Illę populari agros, abducere prædas, rapere, occidere, villas incendere, potentiam indies augere, fingere interdum ſe virorum amore teneri, amatorias epiſtolas nobilibus adoleſcentibus mittere, deteſtari faſtum atq; inſolentiam Valaſcæ, ſimulare fugam, rogare in ſyluam potenti manu venirent, ac ſe raperent. Iuuenes qui puellarum facinora magis admirarentur quàm odiſſent, victi blanditijs, captiq; nonnullarum ſpecie (erant enim pleræque pulcherrimæ) imperata faceſſunt. Sed ingreſſi ſyluas, inſidijs circumuenti, trucidantur. Alij noua fraude in arcem vocantur; Valaſcam veluti per traditionem comprehenſuri. Qui mox intromiſſi, ad vnum necantur. Vbi iam nulla fides virginibus eſt, commentum inauditum excogitant.

Dieuizum

Fortiter

## *De puella Sarca, quo modo dolosè nobilem Stiradum deceperit, mortique tradiderit.*
### *Caput VIII.*

SArca erat inter puellas admodum honeſta facie, ſed animo impuro, & ad omne ſcelus parato. Hanc in altiſſimo nemore ſtrictis pedibus ac manibus arbori alligant, tubamque venatoriam, ac vaſculum medone plenum iuxtà

iuxtà ponunt:ipsæ in insidijs haud procul deliteſcunt.Solebat hac iter ſæpe facere Striadus nobilis eques inter Bohemos opibus & authoritate potens,& qui puellarum tyrannidem præ cæteris abhorreret,atque perſequeretur. Is ergo quum ſyluam pro ſuo more venaturus intraſſet,puellamque vinctam conſpicatus eſſet,miſerabundus quid ſibi ea res vellet percontatur. Cui Sarca:Noſti,inquit,quot ſcelera his in regionibus Velaſca perpetrarit,dum ſibi potentiam regnumque vendicat. Ego quoque pariter in furorem acta,inſaniam eiuſdem aliquandiu ſequuta ſum. Peccaui fateor,pœnituit me tamen tot ineptiarum,cogitauiq; quònam modo ſceleſtam relinquere vitam poſſem:ſtatui ab iniqua diſcedere domina:ſed dum comitem fugę quæro,prodita captaq; huc peducor: hic de me ſumere ſtatuerat ſupplicium ſanguinaria carnifex.Interea dum ligor,dumq; mihi vltima verba dicuntur,vt auditus eſt tuorum canum latratus atq; hinnitus equorum,illæ meæ lamiæ ſalutem pedibus quæſiêre.At ego te vir clariſſime,quem vnum perfida turba metuit,per nobilitatem tuam oro miſerere infelicis fœminæ. Solue me obſecro atque abducito:aut ſi hoc non placet,iugula me potius quàm hîc viuam deſeras: namque vbi abieris,mox aderit iniqua virginum cohors,meq; diris lacerabunt modis:iuuat tua manu perire. Striadus lacrymis motus muliebribus, puellęq; forma captus,equo deſiliens vincula ſoluit,rogatq; medonis vaſculum,ſimulq; tuba appoſita quid ſibi velint? Tum Sarca,Medonem,inquit,optimum carnifices attulerunt,quo inter cruciandum vterer:hunc iam læta ſecuraq; bibam:& hauſto ſumpto, quod reliquum fuit Stirado propinauit, qui pariter bibit.Erat autem potus ſuauiſſimus,quem Bohemi ex albo melle conficiunt: ſed quàm mulieri ſaluber,herbis & carminibus adhibitis,tam viro peſtilens:qui mentem Striadi prorſus alienauit. Exinde tuba hæc,inquit, mea fuit dum venarer,quam mihi mortuæ ad collum ſuſpendere ſtatuerant peſſimæ,quaſi venatricis ſignum:inflabo vt intelligant me viuentem,ſuiſque manibus ereptam eſſe. Moxq; tuba cecinit. Valaſca vbi ſonitum audiuit,ex compoſito cum armatis puellis adeſt,Striadum incautum capit,comites eius obtruncat. Ferunt dum hæc agerentur,auditum tota ſylua ingentem veluti ridentium ſtrepitum:vbi dum eſſet hominum ſolitudo,creditum dęmones de puellarum facinore ac fallacia cachinnatos:illas verò inſtructo exercitu Striadum cathenis vinctum,in conſpectum arcis Viſſegradenſis deduxiſſe,ibiq;proſpectante Bohemorum principe,nobilem virum totę ſupplicio, quod eſt inter Germanos atrociſſimum ac miſerrimum,peremiſſe. Poſt hæc iam planè regionis dominas viros ſibi aſciuiſſe,ex quorum complexu nouis fœtibus Rempublicam ſuſtentarent,ſancitumq; lege,vt natæ fœminæ diligenter aſſeruarentur,maſculis dextri oculi eruerentur,amputarenturq; pollices,ne viri facti aut arcus tendere,aut armis vti valerent. Idq; aliquandiu factitatum. Septem annis ea peſtis Bohemiam afflixit,tributariaq; magna ex parte prouincia virginibus fuit. Qui detrectauêre imperium,intra mœnia clauſi,nuſquam exire audentes,magnis incommodis affecti ſunt. Denique quum neceſſaria deeſſent,eoq; perducta res videretur,vt coactos fame deditionem facere oporteret,tumultuariè principem adeunt,dirum puellarum bellum deplorant,ignauiam ducis accuſant,malle ſe fœminis obedire,quàm perire inedia dicunt,aut populum tueatur,aut meliori cedat:probris & contumelijs minas adijciunt. Primiſlaus tot anguſtijs circumuentus,quum non tam armis,quàm ſortibus valeret,plebem paucos adhuc dies expectare hortatur.id ſi faciant,puellarum excidium imminere.Paret multitudo. Ipſe medio tempore ſcribit Valaſcæ,iniuſſu ſuo optimates prouinciæ arma in eam ſumpſiſſe: placere ſibi eos ſubijſſe pœnas:ſe illam filiæ loco amare:neque inuidere principatum,quæ coniugis ſuæ Libuſſæ diſcipula extitiſſet:imperium

Medò

Stratagema

virtuti ſuæ deberi, quæ Bohemiam virili audacia bello attriuiſſet: ſenium ſuum regno ineptum, neque filio impuberi gubernationem credendam, monere vt arcem Viſſegradenſem ex manibus ſuis accipiat, ſic Bohemiam totam in poteſtatem eius venturam: filio quam velit partem faciat: ſibi priuato, quod reſtat ætatis, viuere libeat, atque in agrum reuerti, quem reliquiſſet inuitus. Poteſtatem quam ſibi fœmina tradidiſſet, iure optimo ſe fœminæ reſtituere. Capitur Valaſca ſuis artibus, miſſaque puellarum cohorte, tradi ſibi arcem poſtulat. Intromiſſæ virgines apud principem opipare epulantur. Interea proſilientes ex inſidijs iuuenes armati, puellas omnes trucidant: nec morati, caſtellum Dieuizum cum exercitu petunt. Valaſca re cognita, furore amens, cum paucis obuiam egreditur, conſertoque prælio priuſquam comites adſint, dum ſtrenuè pugnat, inter confertiſſimas hoſtium turmas occiditur. Subſequutæ virgines, vbi dominam cecidiſſe cognoſcunt, non tam ſpe victoriæ, quàm vltionis ardore certamen inſtaurant. Pugnatum eſt aliquandiu, nunc huc, nunc illuc victoria inclinante: ad extremum infeliciter præliantes fœminæ, cæſis quampluribus, fugæ ſe commiſerunt. Subſequuti hoſtes, vno agmine victores cum victis caſtellum irrupere, potitique arce, quicquid fœminei ſexus inuentum eſt, ferro extinxere, atque hoc pacto magnanimi iuuenes dominatu fœmineo Bohemiam liberarunt. Valaſca inter fœminas clariſſimas numeranda, plus auſa quàm ſexui ſuo congrueret, inſepulto cadauere iacens, feris ac volucribus eſca fuit.

## *De Nimiſlao quarto, ac Mnata quinto, Vorcióque ſexto, nec non Vinſlao ſeptimo Bohemorum ducibus.*
## *Caput IX.*

PRimiſlao ex Libuſſa tres filij nati, duo immaturo rapti funere, tertius morienti ſeni hæres dictus, Nimiſlaus nomine, quod nihil excogitans interpretatur. Fuit enim ſtupidi ingenij, & prorſus iners: inter ſcorta & concubinas ocio marcens. Molliciem eius fortuna confouit, quæ pacem illi perpetuam dedit, nullo vicinorum arma mouente, nec ſeditionibus ſtudente populo, quem diutina virginum bella prorſus extenuauerant. Hunc Mnata filius ſubſequutus eſt: Mnatam Vorcius, cui duo fuerunt filij, Vinſlaus & Vratiſlaus. Inter quos moriens partitus eſt terram. Vinſlao Praga & ducatus Bohemiæ ceſſit, Vratiſlao Lucenſis principatus, qui poſtea Zazenſis dictus eſt.

## *De Grezomiſlao, qui & Neclam dictus eſt, octauo Bohemorum duce. Et graui bello quod geſſit cum patruo ſuo Vratiſlao.*
## *Caput X.*

EX Vinſlao natus eſt Grezomiſlaus, qui & Neclam dictus eſt, vnicum timoris & pauoris exemplum. Cuius ignauiam animo voluens patruus, optimum inſtrumentum ad ſubigendam ſibi Bohemiam ratus, arma mouens plura aduerſus eum bella feliciter geſſit. Quibus magnificatus & auctus, vrbem condidit inter duos montes Mednam & Pubecham, quam de ſuo nomine Vratiſlauiam nuncupauit. Neque contentus prioribus victorijs, nouum nepoti bellum indicit, capitalem pœnam ſubditis ſuis interminans, qui gladij longitudinem æquantes in prælio deeſſent. Iubet quoque purpuratos ſuos falcones atque accipitres ſecum afferant, quos humana carne paſcere velit, non ad pugnam, ſed ad cædem iturus. Poſtremò ſe nulli ætat par

parſurum dicit, ipſoſque lactentes pueros ab vbere matrum rapi atque confodi mandat, mammaſque mulierum pullis equorum ſugendas tradi. Inſolens ſanè ac ſuperbiſſimus, & fortaſſe crudelior quàm ſi viciſſet. Parte alia, Neclam vir muliere corruptior, trepidare atque pauere, nihil conſilij, nihil ſpei habere, vltimam vitæ ſuæ diem aduenisse putare, non gladium intueri, non milites affari poſſe, alieno tamen ductus conſilio, ſe pugnæ interfuturum dicit. Et accerſito clàm Sclercio nobili equite, figura corporis ſibi perquam ſimili: animi verò fortitudine & corporis robore diſſimilimo. Fuit enim manu promptiſſimus, & audaci animo, atq; in primis rei bellicæ peritiſſimus. Hunc ſuis armis iudutum ac inſignibus principalibus honeſtatum, quàm pauciſſimis rem ſcientibus, obire ducis munia iubet. Multa interim vatum prę ſagia, fœminarum quoque ſpiritu, vt aiunt, pythonico imbutarum vaticinia exquiruntur. Ex quibus vna placandos deos humana hoſtia reſpondit, ſic enim victoriam repromitti. Cui Neclam, plus religioni quàm armis fidens, cæſo quem ſortes deſignauere iuuene, morem geſſit. In alia parte mulierem fuiſſe tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vratiſlaum in pugna caſurum, maiorumque populi partem cum eo interituram prædixerit: poſſe tamen euadere iuuenem, ſi ſibi crederet. Adoleſcenti ſe credere, atque imperata facturum reſpondenti, iuſſiſſe vt pergeret, quando remanere domi capitale eſſet, primumque qui obuius fieret occidere, atq; vtraſq; aures cadenti amputare, & in pera recondere. Exin gladio inter priores equi pedes ſignum crucis in terram facere, qua deoſculata, equum aſcendentem fugam maturare. Pugna in campo cui Thuſco nomen eſt committitur, concurrunt acies, magnis vtrinq; viribus ac clamoribus certatur. Stat belli fortuna diu anceps, multi hinc atque inde vulnerantur, proſternuntur, occiduntur. Ad vltimum Bohemi qui non pro gloria, aut ampliando imperio, ſed pro vita, pro focis, pro aris, pro vxoribus ac liberis in aciem veniſſent, deſperatione in virtutem verſa, audacibus animis, inuicto robore præliantes, victoria potiuntur, non ſine Sclercij magna laude & ſumma gloria: cuius in hoc bello, tum ars, tum virtus plurimum valuit. Occiditur tamen inter præliandum: & vt iuſſerat, in eo campo ſepultus eſt, vbi prælium geſtum, ſuaq; morte vitam ducis, & patriæ liberationem redemit. Ex hoſtibus cæſo principe, quàm pauciſſimi euaſerunt. Aiunt adoleſcentem, qui nouercæ iuſſioni paruerat, domum redeuntem vxorem ſuam quam vnicè amauit, interemptam reperiſſe, ambabus carentem auribus, pectuſq; confoſſam, & quas hoſti amputauerat aures, coniugis ſuæ fuiſſe, ſtupentem triſtemque cognouiſſe. Tantum præſtigia poſſunt, aut veneficarum carmina mulierum.

*Victoria ex deſperatione*

*Præſtigium*

### *De infidelitate Duringi, qui Vratiſlai filium ſibi commiſſum interfecit, pœnámque condignam dedit.*
### *Caput XI.*

BOhemi parta victoria, occiſo Vratiſlao, terram eius ferro atque igne deuaſtant: inuentumq; Vratiſlai filium impuberem, principi tradunt. Qui miſertus ætatis, patruelem educandum Duringo, ad Egram fluuium imperium poſſidenti, Vratiſlao gratiſſimo quondam comiti tradidit. Qui cæca cupidine captus tanquam initurus principis gratiam, puero ſupra Egram, qui tum glacie conſtrictus erat, perfracto gelu piſces quærenti, gladio caput abſtulit, ſecumque Pragam deferens, vbi ad Neclam introductus eſt, proferens cruentum caput, Solium, inquit, tuum hodie firmaui: aut perite hoc, aut te oportuit. Securus in vtramuis aurem poſt hac dormies, æmulo regni ſublato. Motus haud aliter quàm par erat princeps tam diro ſpectaculo: perfi-

diam,ait,nulla beneficia vincunt. Vt aleres puerum,non vt occideres,credidi. Te neque meum imperium,neque amici memoria,neque innocentis pupilli miseratio retraxit ab scelere? At mihi quietem parare voluisti. Tui ergo meriti hæc sumito præmia. Ex tribus mortibus, quam malueris, optionem habeto: aut gladio teipsum confodito,aut laqueo perstringito guttur, aut ex Vissegradensi rupe præceps ruito. Duringus accepta sententia,in alni arbore,quæ propinqua fuit sese suspendit: alnus postea quamdiu remansit,arbor Duringa dicta est.

*De Nostirico nono, & Borsiuoio decimo Bohemorum ducibus. Qui & vltimus Paganorum ducum fuit,& tandem cum vxore sua fidem Christi suscipiens,baptizatus est.*
*Caput XII.*

*Aliàs Hostinicum*

NEclam verò moriens,* Nostiricum maiorem natu filium hæredem instituit. Dipoldo prouinciam Surimensem testamento dimisit. Nostirico Borsiuoius filius successit, vltimus Paganorum ducum:qui tamen & ipse imperante Arnulfo Cæsare à beato Methodio Morauorum archiepiscopo, cum Ludmilla coniuge ad Baptismi gratiam perductus est DCCCCXCV. anno post Christi saluatoris nostri ortum. Ludmilla sancta mulier habita,& etiam miraculis claruisse fertur.

*De situ Morauiæ,& Suatocopio, penultimo Rege eiusdem. Qui & primus Christianus inter Reges Morauiæ fuit.*
*Caput XIII.*

SVatocopius eo tempore Morauis imperabat Christianæ religionis cultor,& dignus cuius memoriam ad posteros referamus. Morauia trans Danubium iacet,cui ad Orientem Hungari Poloniq; regnum possident, Morauia disiuncti amne, qui nomen regioni dedit: occidentem solem Bohemi excipiunt,Austriales,Meridianum:Septentrionale latus Sleſiæ occupant. Ager vini,frumentiq; ferax, gens rapinis assueta: nulli tutum iter nisi armato,potentioriq; præbet. Hic multos annos regnatum. Hungari, Bohemi,Russani, Poloniq́ue,Morauorum principi paruerunt,princeps ipse Romano imperio. Caput regni ciuitas Volegradensis.*Suatocopius regum penultimus,quum aliquandiu feliciter regnasset, tandem Arnulpho Imperatori tributum pendere recusans, commisso prælio, quum suos cadere animaduertisset, clàm sese pugnæ subtraxit:atque vt erat mutata veste incognitus,salutem solus fuga quæsiuit. Quumque ad montem venisset,cui Sambri nomen est,abiectis armis,equo dimisso pedibus iter fecit, & tanquam viator inops, vastissimam ingressus eremum, tam diu pomis arborum atq; herbarum radicibus vitam sustentauit,donec treis eremi cultores obuios habuit:quibus sese adiungens, vsq; ad extremum vitæ perseuerauerit incognitus,patienter ac sedato animo incommoda quæq; ferens. Vbi verò obitus affuit,accersitis eremitis:nondũ, inquit,quis fuerim,nouistis? Rex ego Morauorum,prælio victus ad vos confugi,& regiam vitam & priuatã expertus morior. Nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præferenda. Hic securus somnus,dulces herbarũ radices atq; vndas efficit:ibi curę atq; pericula nullũ cibum,nullum potum non amarum reddunt. Quod vitæ mihi fata dederunt,apud vos felix peregi:in regno quicquid eius transactum est,mors verius quàm vita fuit. Sepelite me hîc postquã anima corpus reliquerit, Morauiamq; deinde petentes, filio meo, si adhuc viuit, hæc nunciate. Atque his dictis vita excessit. Arnulfus interea victoria potitus,

*Aliàs Suatocupus*

*Scite*

potitus, regnum Morauiæ Suatocopij filio, quem de sacro fonte leuauerat, possidendum reliquit. Is ab eremitis edoctus de fortuna patris, quem cecidisse in prælio existimauerat, corpus eius ex eremo defossum, Volegradum retulit, atque in sepulchris maiorum condidit. Fuit autem Suatocopij filius, quanquam Christianorum sacris imbutus, minus tamen qnàm decuit, sacerdotes Dei veneratus. Qui venationem aliquando facturus, archiepiscopo Methodio imperauit, ne ante suum reditum diuina perageret. Expectauit Methodius ad meridiem vsque, tandem negligi rem diuinam veritus, Deo sacrificium cœpit offerre. Interea reuersus princeps, vbi se neglectum animaduertit, sacram ingressus ædem, multitudinem canum intromisit, tubasq; clangere iubens, ad altare vsque progressus, conuicia multa ingerens, vix manus à violatione sacerdotis abstinuit. Ob quam rem paucis post diebus Methodius in Bohemiam fugiens, regem extra ecclesiã fecit, regnoq; sacris interdixit. Quo facto, non solùm archiepiscopalis sedes in Morauia defecit, sed in seipso quoq; regnum extinctum est. Mortuo namq; paulò post excommunicato rege, imperij Morauorũ partem Theutones ac Bohemi, partẽ Poloni atque Hungari diripuerunt. Methodius in Bohemia aliquandiu moram traxit, deinde Romam se contulit, ibi fratrem suum Cyrillum comperit, qui baptizato quondam Suatocopio, Morauis Christiana sacra crediderat, multasque alias Sclauorum gentes ad fidem Christi conuerterat. Ferunt Cyrillum quum Romæ ageret, Romano pontifici supplicasse, vt Sclauorum lingua, eius gentis hominibus quam baptizauerat, rem diuinam faciens vti posset. De qua re dum in sacro senatu disceptaretur, essentque non pauci contradictores, auditam vocem tanquam de cœlo in hæc verba missam, Omnis spiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei: Indeque datum Cyrillo indultum.

## *De Spitigneo vndecimo, ac Vradislao duodecimo Bohemorum ducibus.*
## *Caput XIIII.*

BOrsiuoius autem, coniunxque Ludmilla, Christianam veritatem amplexi, fidem catholicam inter Bohemos magnopere ampliarunt. Ludmilla filia fuit comitis Slamborij castelli Bizeniæ, quod postea Melinca dictum est. Ex qua tulit Borsiuoius duos filios, Spitigneum & Vradislaum. Primus patri succedit: sed moriens sine filijs, fratri principatum reliquit. Coniunx Vradislai * Drabonucia, mulier audax, & ad scelus prona, duos pariter filios viro peperit, Venceslaum & Boleslaum: priorem Ludmillæ tradidit educandum, alterum ipsa enutriuit. Alumni ex nutricibus mutuati mores, Venceslaus pietatem colere, mansuetudinem præseferre, Christiana sacra venerari, elargiri multa pauperibus, nulli noxius esse: Boleslaus idolorum sectari culturam, honores ambitiosè quærere, adulterari, rapere, occidere, in scelera cuncta prolabi.

*Alias Drahomicia.*

## *De sancto Venceslao martyre, tertiodecimo, & fratre suo Boleslao quarto decimo Bohemorum ducibus.*
## *Caput XV.*

PAter suprema ordinans, Ludmillæ, cuius integritatem prudentiamque optimè nosset, quousque liberi adoleuissent, gubernationem prouinciæ dimiserat. Id ægrè Drahomiciæ fuit, quæ Tymam & Simonem nepharios homines submittens, socrum in castello Thetim strangulari iussit: ipsa deinde imperium accepit. In omnes crudelis, in Christianos sæuissima & intolera-

Venceslaus

bilis, ac propterea Venceslao etiam filio infesta, cui præferre fratrem non dubitauit. De Venceslao hæc referuntur. Potus cibique parcissimum fuisse tradunt, corporis maiestate decorum, virginitatem ad vltimum vitæ seruasse: diuina in templis officia, diurna nocturnaque nunquam neglexisse, & noctis quidem tempore nudis pedibus super glaciem ac niuem iter agentem, vim frigoris minimè sensisse. Podium verò eius comitem, quum caligatus obriguisset, iussum vestigia Venceslai pedibus premere, concaluisse. Postera die cruenta sancti viri vestigia inuenta: iisse eum populo perurgente, adhuc viuente matre, principatum. Duci verò Curinensi, nulla iniuria lacessito, cum exercitu in Bohemiam ingresso, atque agros vastare conanti, armatum cum copijs occurrisse, vocatoque in colloquium, singulare certamen obtulisse. Accepta ab aduersario conditione, vbi manus conseri debuit, angelos visos, qui Venceslaum protegentes arma ministrarent: territum ea nouitate Curinensem, ex equo prolapsum veniam petiuisse. Bohemum libenter humiliato peperciisse, monuisseq; ne deinceps aliena peteret. Similem angelorum comitatum vidisse aiunt Imperatorem, quum Venceslaus adolescens in eius curia obuersaretur, eamq; ob causam brachium sancti Viti dono ei dedisse, in cuius honore cathedralis ædes in Praga constructa est. Ferunt tunc Bohemiam sub episcopo Ratisponensi fuisse, ac propterea quum Venceslaus Volgangum præsidem, qui postea inter sanctos relatus est, ad consecrationem eius basilicæ summis precibus inuitasset, respondisse pontificem, coram Deo iam templum suum dedicatum esse, quod futuram metropoliticam cerneret, missurum se tamen, qui sua vice Venceslao satisfaceret. Creuerat iam Venceslai nomen, miraq; populi charitate atque admiratione celebrabatur. Sed quantò cæteris acceptior erat, tantò acrius in se odium fratris matrisque concitabat, ac propterea licet dimittere seculum, & in monachum tonderi destinasset, non potuerunt infelices animæ sancti viri propositum expectare, sed impatientes moræ, piam principis intentionem scelere præueniunt. Fit conuiuium apud Boleslaum matre iubente: vocatur Venceslaus. Qui & si mortem instare prædixerat, facta tamen cum sacerdote de peccatis suis ex more Christiano confessione, fraternam domum ingreditur, ibique statim Boleslai manu percussus interijt. Dicat aliquis homicidam suipsius Venceslaum fuisse, negetque cœlo dignum, qui certæ se morti obtulerit. Nos Gotthorum instante procella, plurimas Romæ fuisse puellas legimus, quæ pudicitiæ suæ vim inferri timentes, & ne in manus hostiles inciderent, in Tyberim sese præcipitauerunt: quæ postea miraculis coruscantes, sanctorum honores meruere. Venceslai sanctitati qua die cæsus est Christum Deum testimonium præstitisse, memoriæ prodiderunt, qui regi Daciæ per visum apparens, suo martyri ædem construi mandauit. Ipsum autem Venceslaum multis miraculis claruisse, atque inter sanctos martyres ab Ecclesia receptum tradunt, Drahoniciam paucis post diebus fatis suis trahentibus, vltionemque parricidij exigentibus, hiatu terræ apud arcem Pragensem absorptam, Boleslaum multis sceleribus nobilitatum, morbo absumptum duos filios reliquisse, Boleslaum paternum nomen referentem, & Stratiquatem.

Venceslai mors.

## *De Boleslao quintodecimo Bohemorum duce.*
## *Caput XVI.*

Milada

BOleslaus imperio potitus, patrui magis quàm patris æmulator extitit. Religionem enim Christi extollens, viginti ecclesias erexit. Huic soror fuit Milada eximia specie virgo, sacris imbuta literis, & multa pollens eruditione. Quæ quum Romam orationis causa petiuisset, à Ioanne pontifice maximo

maximo benignè excepta, ipsius authoritate monasterium sancti Georgij in arce Pragensi constructum, ibiq; sacerdos consecrata est. Eadem quoque sancti Viti ædem à Venceslao fundatam, in pontificalem eleuari obtinuit. Ditimarus natione Saxo, & opinione sanctitatis insignis, primus ibi episcopus consecratus, cui Adelbertus successit, nobili genere apud Bohemos natus. Stratiquas, Boleslai frater, relicto seculo apud Ratisponam Baioariæ ciuitatem, in cœnobio sancti Emerammi, monasticam vitam elegerat. Quem Pragam forte aduenientem, aggressus Adelbertus, pontificalem ei cathedram offert: qui quum esset regis frater, ex rege natus, facilè populum sub religione continere posset: nam sibi non esse facultatem eius regendæ plebis, quæ rapinis & adulteriis assueta, ius fasque omne contemneret. Stratiquas mundanas dignitates quasi malas pestes effugiendas esse respondit, monasterium sibi & præsentem vitam suauem præstare, & futuram promittere meliorem, in eo se viuere moriqué velle. Scribunt authores, Adelbertum his auditis, prophetico spiritu plenum Stratiquati dixisse, Poteras modo Pontificiali honore cum salute defungi: at quod nunc recusas, in perniciem tuam vehementer expetes. Abijsse deinde Romam, ac cum fratre suo beatæ vitæ Gaudentio in monasterio sancti Alexij tamdiu delituisse, donec iussu pontificis maximi, suas oues repetere iussus est. Quibus quum esset prorsus ingratus, in Hungariam profectum, regem Stephanum baptizasse, quem inter sanctos relatum aiunt. Exinde Poloniam ingressum, Gaudentium fratrem, in ecclesia Gnesnensi prędicaturum Euangelium, pontificem ordinasse. Postremò Prutenos adijsse, apud quos dum Christi legem prædicat, gladio cæsum, martyrio vitam finisse. Interea Stratiquatem mutato proposito, Pragensem ecclesiam popposciisse, neque repulsum, fraterno regioque fauore adiutum. Sed dum apud Maguntinum archiepiscopum agit, sacris de more imbuendus, inter duos episcopos iacentem pronum, diabolico spiritu arreptum, tamdiu vexatum, donec animam exhalauit, Adeodato natione Teuthonico, ecclesiam commissam.

*Ditimarus*

*Stratiquas*

## *De Boleslao sextodecimo Bohemorum duce.*
## *Caput XVII.*

BOleslaus duobus & triginta annis imperio potitus, ex vita decessit, relicto successore filio sui nominis Boleslao tertio: Huic Mescho Polonorum princeps Cracouiam per fraudem eripit. Bello deinde orto, vastatis agris, inducię demum dictæ, statutumque vti ambo duces apud Crocouiam conuenirent. Boleslaus accepta fide eò pergit, atque in conuiuio captus, luminibus priuatur, comites eiusdem crudeliter necati, exceptis Vrisbuicensibus insidiarum conscijs, sceleriscque participibus. Qui domum reuersi, tanquam magno ex periculo euasissent, publicam fidem atque iusiurandum & iura hospitij à Polono violata queruntur. Vbi fides habita, Ianurem Boleslai fratrem dolo necare conantur. Cocherem inter Vrisbuicenses consilio, opibus & authoritate maior, adolescentem sub specie venationis in syluam tractum, ad stipitem arboris alligatum, sagittis cõfodi iussisse fama est: diuum Ioannẽ Baptistam ab eo precibus exoratũ, hirsuto tegmine sagittas excepisse, vxoremq; eiusdem per visum commonuisse, periclitanti viro opem ferret. Interea famulum principis Oueram nomine, ex periculo prolapsum, proditionem populo exposuisse: illum tanta nouitate commotum, correptis mox armis in syluam procurrisse, captisque proditoribus atque occisis, ducem salvum reduxisse. In eo loco vbi hæc acta sunt, monasterium ordinis sancti Benedicti, quod Velisicam appellatur constructum, & aram maiorem ibi sitam,

vbi arbor religatum Ianurem tenuit. Meſcho autem coacto exercitu, longè lateque Bohemorum populatus agros, Pragam denique obſidione cinxit, eamque biennio fame laborantem obtinuit, excepta arce Viſſegradenſi, quæ in fide Ianuris permanſit.

## *De Vdalrico, ſeptimodecimo Bohemorum duce.*
## *Caput XVIII.*

FVerat & alter Boleſlao frater, Vdalricus nomine, quem pater Henrico Imperatori nutriendum dederat. Is audita Meſchonis proditione, clàm ab imperatore dimiſſus, caſtellum Dieuizum natura & arte munitum ingreditur. Exin collecto raptim milite, colles occupat, qui Pragæ ſupereminent, tubaſque clangere iubet. Mox alta voce præconem Pragenſibus nunciare, victos prælio Polonos fugam cepiſſe, victorem principem cum exercitu adeſſe. Qua voce accepta Polonorum præſidium quod vrbem tenebat, metu perculſum exceſſit. Pragenſes aucti animo inſequuti, complures in fuga captos necauere. Meſcho cum paucis in Poloniam ſe recepit. Vdalricus Pragam ingreſſus, germano ſuo, ſiue proditoribus ſuggerentibus, ſiue quòd ætatis beneficio illum ſibi præferri videbatur, effodi oculos iuſſit. Multa huius facinora referuntur, partim reprehenſione, partim laude digna. Inter cætera & illud narratur, redeuntem ex venatione, puellam vidiſſe in villa quadam, iuxta puteum veſtimenta lauantem, nomine Bozenam, quod Beatricem interpretatur, eleganti forma, & moribus ſupra quàm par eſſet agreſti venuſtis: captum ſpecie & alloquio modeſto, quamuis amici aduerſarentur, coniugem accepiſſe: Bizetiſlaum ex ea natum. Is quum adoleuiſſet, Iutham Imperatoris Otthonis Rufi filiam, quæ apud Ratiſponam in monaſterio nutriebatur, quamuis nunquam vidiſſet, ſola fama commotus, vi rapuit, ſoluſque cum illa ad patrem perrexit, comitibus velocitatem eius inſequi nequeuntibus, ab imperatore ex fuga retractis atque occiſis. Non improbauit pater factum, ſed admiratus audaciam, tantum ſe filium genuiſſe gauiſus, matrimonium cum rapta in Morauia celebrari mandauit: tantò præſtantiorem filium eſtimans, quantò nobilius eſt, Imperatoris quàm villici filiam amauiſſe. Imperator ea contumelia motus, iureiurando affirmat exercitum in Bohemiam ducturum, terram malis affecturum, ſibique ſedem in medio regni collocaturum. Statimque cum exercitu Bohemiam inſtar torrentis cuncta ſecum rapientis, ingreditur. Contrà Vdalricus filiuſque caſtra mouent. Iam duo exercitus ad iactum teli conuenerant, tum lutha, cuius ex iniuria bellum ortum, crinibus ſparſis, ſciſſa vnguibus facie, victo periculorum magnitudine muliebri pauore, auſa telis ſeſe inferre volantibus, inter primas acies proſiliens, patris alloquium priuſquam furor ardeat amplior, expoſcit.

*Iuthæ elegans oratio.*

Quo impetrato, Fateor, inquit, pater, iuſtum te bellum mouiſſe, cuius filia rapta eſt, illumque pœna dignum, qui te contempſit, niſi compuliſſet amor, cuius cæca conſilia ſæpe veniam meruere. Sed age obſecro, pone ante oculos quem armis inſequaris, gener tuus, mihi maritus, cui tantoperè iraſceris, & fortaſſe nepos tuus, eius filius, in ventre meo conceptus eſt. Parce oro filiæ, parce nepoti: patrem illi, mihi virum dimitte. Non eſt degener maritus, nec ſolui conſummatum matrimonium Romana eccleſia ſinit: nec tibi victoriæ poteſtas eſt: vtrique vires, vtrique belli artes ſuppetunt: Mars dubius caſum reſpicit. Ne obſecro pater, mei cauſa tantam militiam morti obijcito: parce, cui ego prior læſa, peperci. Illachrymatus pater, audita filiæ factorumque ſe quod illa vellet, niſi obſtaret iuramentum. Tum Iutha, Et maritus, inquit, meus iureiurando adſtrictus eſt Theutoniam armis lacceſſere: ſed

*Grauiter.*

vana

vana religio,quæ sceleri locum facit. Vim criminibus sacramenta non addunt.Et promissorem maleficij diuina maiestas odit,factorem exterminat.Inueni tamen,si libet,viam,qua te simul promisso virumq; soluam.Veniet cum patre gener ad pedes tuos,veniam commissi petet:te regem,te dominum profitebitur:neque impedimento erit,quo minus sedem in medio Bohemiæ colloces,ibiq; ius dicas. Postremò curiam tuam in Theutonia petens, villas aliquas quas iusseris inter equitandum maritus diripiet.Placuit Imperatori consilium filiæ,atque in eius verba fœdus ictum, exercitus consalutati,& in Boleslauia,quæ vmbilicum tenere Bohemiæ creditur, sedes Imperatoris lapidea erecta,perpetuum rei monumentum principibus terræ insigne datum Imperialis aquilæ.Exin Bisetislaus Morauiam ex paterno indulto rexit, Polonosq; qui magnam eius partem occupauerant, bello deleuit, eorúmque multa milia, ligatis post tergum manibus,in Hungariam venundandos misit.

## *De Bisetislao decimo octauo Bohemorum Duce.*
## *Caput XIX.*

DVm hæc aguntur,anno post Christi ortum tricesimo ac millesimo, Boleslaus apud Cracouiam excæcatus interijt. Vdalricus quoq; frater eius vita functus est.Qua re cognita Ianur & ipse cæcus,Pragam veniens,ducatum gentis suopte ingenio nepoti dimisit.Bisetislaus ea re cognita,animo auctus, quamuis nulla iniuria lacessitus, exercitum in Hungariam duxit, magnámque inde prædam retulit. Quinque ei ex Iutha fuerunt filij, Spitigneus, Vratislaus,Conradus,Iaronurus & Otho:quorum fiducia plenus,etiam Polonos vlturus,auum pulsare bello non timuit,Cracouiamq; armis captam funditus euertit,Gnesenium quoq; metropoliticam vrbem diripuit, multorúmque martyrum sacratissima inde corpora asportauit, & crucem auream cce. pensantem libras. Quod quum Imperator Henricus eius nominis secundus accepisset,indignatus iniussu suo Poloniam vastatam esse,Bisetislaum aut reparcire Polonis damna,aut bellum expectare iussit. Ille nihil se Imperatori nisi tributum debere respondit à maioribus institutum. Pendebat autem Dux Bohemiæ Romano imperio quotannis centum & viginti boues, & argenti puri centum quinquaginta marcas:id se neq; neglexisse hactenus, neque neglecturum. Si quid amplius iusserit Imperator,à bono & æquo recedere,se libertati gentis nihil detracturum. Imperator his auditis,ex Ratispona in Bohemiam copias traducit: Othardo Saxonum Duce ex altera parte cum exercitu properare iusso. Ingressus syluam, qua Bohemiam cingi diximus, præcisis arboribus iter interceptum reperiens, milites viam securibus aperire iubet. Magnus hic labor equiti:erant enim vastæ magnitudinis arbores, multaque robora incidenda, priusquam iter pateret. Ob quam rem, quum iam opere peracto ad interiora peruenissent, nec hostis in conspectu vsquam daretur, fessi ac sitibundi protectis armis flumina petunt. Bisetislaus ex insidijs prodiens,palantes atque inermes aggressus,stragem haud paruam effecit. Imperator repentino commotus malo multis suorum desideratis,fuga salutem petit. Othardus verò iam fines Bohemiæ ingressus,Septentrionalem prouinciæ partem longè lateque populatus:his cognitis,cum præda domum reuertitur.Procopius comes Biclienſium, cum parte copiarum aduersus eum missus,fortuna parum prospera vsus,tanquam pecunia corruptus,effossis oculis, manibus, pedibusq; obtruncatis,in flumine Biclinæ demersus est: nec tamen eo pacto quies Bohemiæ data. Nam sequenti anno Henricus Imperator, & Othardus, maioribus collectis copijs redeuntes, transmissa sylua ferro ac

*Gnesne.*

flamma cuncta vastarunt. Bisetislaum armis diffidentem intra Pragæ mœnia clausum obsederunt. Seuerus tunc episcopatum vrbis gerebat, iureiurando Imperatori obnoxius, ex cuius indulto pontificali sede præerat. Is noctu cum pluribus ad Henricum confugit, obtinendæque vrbis viam ostendit. Quare fractus animo Bisetislaus, errati veniam petijt: dictæ sunt pacis leges quas voluit Imperator, & trium annorum tributum pensum: Slesia sub annuo tributo, auri triginta, argenti cl. marcarum Bohemiæ principi tradita: secundo & quinquagesimo anno post millesimum à Christi saluatoris aduentu. Pace cum Imperatore composita, Hungariam sibi subigere Bisetislaus aggreditur: cuius populus suis vtens legibus, Romanorum imperium contemnebat. Sed ingressus hostilem prouinciam, mox ardenti febre correptus, vltimum instare diem intelligens, vocatis Bohemiæ primoribus, Spitigneum primogenitum successorem suum designat, reliquos filios Morauia inter eos diuisa, parêre fratri iubet. Atq; his demandatis, vita decedit quarto Cal. Maij. Corpus eius Pragam translatum apud parentes sepultum.

## *De Spitigneo decimo nono Bohemorum Duce.*
## *Caput XX.*

SPitigneus vt regnum primùm potitus, omnes Teutonici generis Bohemia excedere iubet, nec matri potestatem manendi facit. Exinde Moraviam infestis petens armis, fratres bello aggreditur. Vratislaus audito germani aduentu, relicta in Olomucio coniuge, ad regem Andream in Hungariam confugit. Conradus & Otho fratri se dedunt. Vxor Vratislai capta, aliquandiu in vinculis habita. Postremò suadente Seuero Episcopo dimissa, dum virum in Hungaria petit, vicina partui in itinere decedit. Mœstus ea re coniunx, ab Andrea rege consolationem accepit, qui filiam suam Adilheidam nuptam ei tradit. Quod quum Spitigneus accepisset, veritus ne vires Hungaricas in se frater armaret, missa legatione, sine causa illum ex Morauia abijsse dicit, nihil hostile timendum fuisse. Nam cur frater fratrem oderit, secundo post se loco genitum? Seruasse se abeunti bona, non abstulisse: redire eum ad suos debere, cuncta ei salua esse. Nec frustratus est fratrem, redeunti quæ armis abstulerat, cuncta restituit. Iutha verò à filio deiecta, quum secundo nupsisset, breui mortua est: cuius corpus in Bohemiam translatum, in sepulchris principum condidêre.

## *De Vratislao vicesimo Bohemorum Duce.*
## *Caput XXI.*

SPitigneo vita defuncto, Vratislaus successit. Qui Morauia rursus inter fratres diuisa, Iaronurum, quem pater ecclesiæ dedicatum exortem regni fecerat, in diaconum vel inuitum ordinari iussit. Is relicto Christi habitu, ad Poloniæ duces confugiens, militarem disciplinam sectatus est. Fuerunt Vratislao ex Adilheide tres liberi, Bisetislaus, & duæ fœminæ, Ludimilla, & Iuditha. Verùm Adilheide mortua, vxorem alterâ ex Polonia duxit, nomine Suaranam, ex qua Boleslaum, Borziuislaum, Vladislaum, Sobeslaumque suscepit. Inter hæc Seuerus Episcopus, qui Bohemiam Morauiamque sacerdotio tenuerat, Iohanne in Morauorum ecclesia sibi substituto, iam grauis senio ex vita decedit. Ob quam rem Conradus & Otho Vratislaum precibus onerant: Iaronuro fratri vt ecclesiam Bohemiæ ab Imperatore impetret. Annuit Vratislaus, neque Imperator aduersatus est. Iaronurus ex Polonia reuocatus, relicta militia, episcopus ordinatur, ac mutato nomine * Gebardus appellatur

tur. Qui mox ſpiritu ſuperbiæ inflatus Morauiam non minus ſibi quàm ſuo anteceſſori debitam dicit, illum exterum, ſe ciuem: illum infimo loco natum, ſe regia ſtirpe ortum. Ingreſſus Morauiam, Iohannem epiſcopum, qui cedere nollet, contumelijs & verberibus afficit. Vratislaus, qui Ioannem amaret, ea re commotus, Romanum pontificem contumacia Gebardi vti corripiat, ſcriptis hortatur. Miſſus eſt in Bohemiam Rudolphus Cardinalis, qui cauſa cognita delictum puniat. Is vocatum Gebardum, quum minimè pareret, ſacerdotio abdicauit. Sed rogatus à clero, dignitatem ei reſtituit, iubens & ipſum & Iohannem intra annum coram ſummo ſacerdote ſe exhibere. Paruerunt ambo. Sacerdos maximus ambobus auditis, Gebardum amouere ſacerdotio ſtatuit: feciſſetque, niſi preces interueniſſent Mathildis virginis, filiæ Bonifacij ducis Lucani, quæ tum Romæ fuit, ex Bohemorum ſanguine nata. Hæc eſt illa Mathildis, fama inclyta, & apud hiſtoricos latè memorabilis, quæ à Radicofano Senenſis agri oppido vſque Ceperanum interiacentem terram donauit eccleſiæ: poſteri patrimonium S. Petri appellarunt. Huius ergo interuentu Romanus præſul vtrumque ſacerdotem ſua diocœſi contentum eſſe. ac remiſſis iniurijs in patriam reuerti iuſſit. *Mathildis.*

*Vratislaus dux, Maguntiæ in regem creatur per Henricum Imp. quartum, regnoq; Bohemiæ Poloniam, Sleſiam, Luſatiam, Morauiamq; adiecit.*

*Caput XXII.*

INter hæc Leopoldus Auſtriæ Marchio Morauiam latrocinijs magis quàm iuſto bello infeſtam reddit, nec Conradi aut Othonis, qui tunc prouinciæ præſidebant, preces audit. Illi fraterna ſolatia expetunt. Vratislaus collecto raptim exercitu, Auſtriam ingreſſus, inſtar horridæ tempeſtatis obuia quæq; proſternit: occurrentem Leopoldum prælio victum in fugam conuertit, ipſe onuſtus ſpolijs domum reuertitur. Poſt hæc anno ſexto & octuageſimo ſupra mille ab ortu ſaluatoris Chriſti, apud Maguntiam in concilio principum ab Imp. Henrico, eius nominis quarto, Vratislaus rex declaratur, Morauorum regno, quod ſupra extinctum diximus, in Bohemiam translato: Polonia, Sleſia, Luſacia, Morauia, Bohemorum imperio adiectæ. Gilbertus, Treuirorum Archiepiſcopus cum eo Pragam miſſus, qui coram prouincialibus regem inungat, regalibusq; adornet inſignibus. Id eodem anno factum acclamante populo, Vratislao regi ſalus, honor atque victoria. Suatana quoque regina cum eo coronata. Mortuus eſt per idem tempus Iohannes Morauorum epiſcopus, cuius eccleſia inſtante Gebardo Pragenſi vnita eſt. Quæ res illi maioris inſolentiæ fomentum fuit, adeò, vt præſente rege intereſſe diuinis minimè dignaretur. Ob quam cauſam Vratislaus, indulgente Alexandro Papa tertio, natione Senenſis, collegium Canonicorum regularium in arce Pragenſi erexit: in quo dum res agitur diuina, non præpoſitus tantùm, ſed decanus & ſacerdos, diaconusq; & ſubdiaconus rem diuinam facientes, epiſcopalibus ornamentis vtuntur. Et præpoſitus quidē cancellarius regni appellatus, principis honore defungitur. In fundatione autem eius eccleſiæ regem ſuis humeris duodecim cophinos lapidum geſtaſſe ferunt. Religioſum principem, dignumque qui primus inter Bohemos regio diademate vteretur. Gebardum verò indies magis atque magis inſoleſcentem, ac propterea à Morauorum plebe repulſum, dum per Hungariam ad Romanum pontificem queſtum iniurias proficiſcitur, apud Strigonium morbo correptum interijſſe, Coſmúmque illi ſuffectum. Fuerunt Vratislao & cum Saxonibus, & cum germano, qui Morauiam obtinebat, inimicitiæ. Illos pet filium vicit: germanum ipſe ex Morauia armis expulit, vrbemq; Olomucenſem poſſidendam filio tradidit. *Primus Bohemorum rex.*

*De Conrado viceſimoprimo, Bizetislao viceſimoſecundo, ac Boleslao viceſimotertio, nec non Borziuislao viceſimoquarto Bohemorum Ducibus.*

*Caput XXIII.*

VIta functus Vratiſlaus, non filium, ſicut optauerat, ſed Conradum fratrem habuit ſucceſſorem. qui ſeptimo menſe potitus imperio, morbo correptus, nepotibus ex fratre locum fecit. Quinque eos fuiſſe diximus, qui ſibi inuicem pro natiuitatis ordine ſucceſsêre. Duos ex his Vrbuicenſes, perpetui regum hoſtes, fraudibus interceptos necauêre.

*De Vlatislao viceſimo quinto Bohemorum duce, & rege ſecundo.*

*Caput XXIIII.*

PEnultimus Vladislaus nomine, ex Biſetislao fratre nepotem ſui nomi-
** aliàs quinti.* nis, cum ccc. galeatis equitibus auxilio Henrici* ſexti Romanorum Imperatoris Romam miſit, qui plurimas inde reliquias ſanctorum reportauit. Inueni in hiſtoria Bohemorum, poſt Vratislaum primum regem pluribus annis interregnum fuiſſe. Nam Conradum fratrem eius, ac deinde Vratislai filios non regis nomine, ſed ducis tantùm vſos, tanquam regni decus homini, non prouinciæ datum fuiſſet. Vladislaum verò quarto loco Vratislao natum, à Friderico primo, ſibi & poſteris regiam dignitatem obtinuiſſe, & quum in expugnatione Mediolanenſi egregiam operam nauaſſet, Imperatori mirificè gratum, leonem rubeum bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris inſigne regium accepiſſe: candelabrum quoque Salomonis ex Mediolano aſportatum in eccleſia ſancti Viti Pragenſis recondidiſſe. Pontem ſuper Multauiam, quo vetus Praga minori iungeretur, magni operis ædificaſſe, quem Ratiſponenſi præferunt, in quatuor & viginti arcus, vt antea diximus, protenſum.

*De Sobieslao vigeſimoſexto, & Friderico vigeſimo ſeptimo, nec non Conrado vigeſimooctauo, ac Bizetislao vigeſimonono, atque Venceslao triceſimo Bohemorum ducibus.*

*Caput XXV.*

POſt eum Sobieslaum quinque annis ducatu functum, à prouincialibus exactum, in exilio interiiſſe. Exin Fridericum Vladislai filium ſucceſſiſſe, poſt Conradum, qui apud Apulos in Italiam ſequutus Imperatorem deceſſit. Conradum Biſetislaus ſequitur, qui & Henricus dictus eſt. Et quum eſſet Pragenſis epiſcopus, ſedecim annis pontificatum ſimul & principatum Bohemiæ tenuit. Poſt eum ducatum obtinuit Venceslaus frater eius. Hos quoque regis nomine abſtinuiſſe conſtat, ſiue quia magis vi quàm iure imperauerunt, ſiue quòd Imperatoris Romani indultum ſumendæ coronæ more maiorum obtinere non valuerunt.

*De Primislao triceſimo Bohemorum duce & rege tertio.*

*Caput XXVI.*

VEnceslaum tribus menſibus ducali authoritate functum, Primislaus Vladislai ſecundi regis filius, armis deiecit, & à Philippo Rom. Imp. Friderici ſecundi fratre, quem Romana eccleſia non accepit, tertio loco inter Bohemos reges coronatus eſt.

*De Ven-*

*De Venceslao Bohemorum rege quarto, & de Othocaro Bohemorum rege quinto,*
*Caput XXVII.*

PRimislao duo fuerunt filij, Venceslaus & Othocarus: Venceslao regnum Bohemiæ cessit: Othocaro marchionatus Morauiæ. Fuit autem Venceslaus vnoculus, & sine liberis decedens, regnum Othocaro reliquit: qui & alio nomine Primislaus appellatus est, inter Bohemiæ reges v. belli appetens, & magnorum operum effector, cui nec animus in rebus arduis, nec consilium defuit. Imperium quod à fratre susceperat, ex mari Balthico, quod falsò plerique Oceanum putauêre, (est enim mediterraneus sinus) vsque ad Danubium protensum, ad internum nostrumque mare, quod Adriaticum dicimus, extendit. Nam quum obijsset Fridericus dux Austriæ sine liberis, soror eius Margarita hæreditatem accepit. Nupserat hæc olim Henrico Imperatoris Friderici secundi filio, eoque sine sobole vita functo, in patriam redierat. Eadem iam anus Othocarum sibi virum asciuit, qui non tam coniugis ætatem, quàm dotem animo voluens, sterile matrimonium contraxit, & principatum nobilem consequutus, more humano, quanto plura possedit, tanto maiora concupiuit. Vlricus eo tempore Carinthiorum principatum tenebat: qui quum virili sobole careret, accepta ex Othocaro pecunia, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Sclauonicam, & portum Naonis tradidit. Veronenses, exinde Feltrenses, Taruisini, & multi ex Foroiulij vltrò sese ei submiserunt. Bellum Hungaris indixit, commissoque prælio, victor ingentem prædam reportauit, Stiriamque prouinciam illis ademit. In Prussia, quam veteres * Vlinrigiam vocauêre, superatis Tartaris, vrbem condidit, quam Kunisbergium, id est, Montem regium vocant. Sed quantum aucta eius potentia est, tantum etiam insolentia creuit. Qui viuente legitima vxore, & quæ sibi tantum imperium adiecerat, alteram superduxit Cunigundam regis * Maschoriæ filiam. Vocatus per principes electores ad imperium, contempsit: palàm inter suos iactitans, pluris Bohemiæ regem, quàm Rom. Imperatorem esse. Rodolphus itaque Habsburgi comes, qui magister curiæ Othocari fuisset, non minus belli quàm domi clarus, Christianæ Reipublicæ præfectus est. Is missis ad Othocarum legatis, Austriam & Carinthiam, cæterasque vicinas Italiæ prouincias tanquam iuris imperij repetit, quando nec Austria muliebre feudum esset, nec Carinthiam iniussu Cæsaris Vlricus venundare potuisset. Renuit Othocarus & Imperatori, qui aliquando sibi seruiuisset, impacato respondit animo. Sed interuenientibus amicis, ea lege reconciliati sunt, vt Austria Imperatori cederet: exin datis acceptisque filiabus, affinitas vtrinque iungeretur: prouinciæ de quibus lis esset, dotales fierent. Adeptus Austriam Rodolphus, Othocarum in verba sua more maiorum exposcit. Id superbo regi grauius visum, tanquam ex domino seruus fieret. Exoriuntur nouæ lites, exin bellum indicitur. Cumq; iam duo exercitus ad milia passus alter alteri proximus conuenissent, veritus Othocarus Rodolphi potentiam, iniustamq;. belli causam animo voluens, legatos mittit, qui se iuraturum dicant, si modò intra tentorium imperiale honoris sui causa fieri Rodolphus velit. Accipit conditionem Imperator potius, quàm belli fortunam experiatur. Suggestum in tentorio sublime paratur, ibique aureum solium eminentiori loco erigitur. Rodolphus diademate & imperialibus insignibus conspicuus, considentibus electoribus imperij, cæteris baronibus circumstantibus, aduenientem regem sedens expectat. Ille cum paucis regni sui optimatibus ingressus, conscenso suggesto, ad pedes Imperatoris genua flectit: proinde ex veteri consuetudine, admotis sacrosanctis iureiurando se adegit. Interea tentorium erat arte compositum, à summo vs-

* aliàs Vlmerigiam.

* Masouiæ

Rodolphus in Imp. electus.

què deorsum in quatuor prosciſſum partes, decidit, regemque, vt erat in alto loco ad Imperatoris genua ſupplex, videndum exercitibus præbuit. Stabant circum armatæ acies, rei exitum expectantes: ſed quàm læti Theutones glorioſum Imperatorem ſuum intuebantur, tàm mœſti triſtesque Bohemi regis ſui vecordiam atque ignauiam excipiebant, qui ſeruire Imperatori magis quàm præliũ experiri voluiſſet. Stupefactus ea re Othocarus, quamuis dolo magis quàm caſu cecidiſſe tentorium non ignoraret, ſubticendum tamen in præſentia cenſuit: petitaque ab Imperatore venia, plenus irarum domum redijt. Quem, tametſi ſua ſponte ſatis fureret, magis tamen ac magis vxor incendit: quæ cognito rerum ſucceſſu, aduenientem regem hiſce verbis alloquuta fertur. *Vxoris ad Othocaũ oratio.* Hæccine nobis ſpolia, hæc belli adorea domum refers? Dediti omnes hodie tua opera, veluti mancipia, veluti pecudes ſumus, Regina prouinciarum Bohemia tributaria facta. Quũm te olim ſuperaſſe Tartaros, exuiſſe caſtris Hungaros, Stiriam armis adeptum eſſe, Italiam cum exercitu penetraſſe audiueram: felicem me quæ tali nupſiſſem viro: patrem, qui me regi magnanimo tradidiſſet, ſapientem exiſtimabam, neque reginam eſſe vllam orbe toto, cui me cedere oporteret. Nunc faſſa omnia experior: nam quæ mulier me infelicior? quis te virorum omnium ignauior? Auſtriam prouinciarum nobiliſſimam, tot vrbibus, tot proceribus inſignem, nulla neceſſitate coactus, è manibus tradidiſti: Stiriam, Carinthiam, & quas poſſidebas in Italia ciuitates, turpi metu reliquiſti, cum comite Habsburgenſi infimi generis affinitatem contraxiſti. Poſtremò ei qui ſatelles quondam tuus fuerat, iureiurando exhibito te ſubmiſiſti, & ſeruus ſerui factus, tu ſimul ac maiorum tuorum gloriam offuſcaſti. En virum, qui magnitudine animi tenuiſſe imperium videri vult. Laudarem, ſi te illi non ſubieciſſes. Agè, ſi tibi animus virilis deeſt, neque gladios exertos intueri potes, ſine me regem eſſe, experiar profectò, Bohemis an Theutonibus regnum debeatur? Sunt Poloni, ſunt Saxones ac Francones, qui noſtra ſigna ſequuntur: ſunt Sleſitæ, Morauique, & verebimur belli tentare fortunam? Vtinam aut tibi meus animus fuerit, aut mihi obedientia quam te habere animaduerto, ſentiret profectò Rodolphus, neque vires aduerſus dominos valere, neque dolos. Othocarus, qui vxoris charitate teneretur, eamque veram loquutam animaduerteret, ſimulque animi magnitudine irrogatam contumeliam ferre non poſſet, accerſitis regni primoribus, collectisque nouis copijs, Rodolpho, qui dolo ſecum egiſſet, bellum indicit: neque ille certamen detrectat. Conueniunt ambo cum exercitibus in campis Auſtriæ, trans Danubium commiſſum eſt atrox prælium, diuque Marte dubio depugnatum, quum Bohemi multitudine ac robore, Sueui, quibus Rodolphus maximè fidebat, ordine ac arte ſuperiores eſſent. Cecidêre quamplurimi ex vtraque parte, maior tamen ſtrages Bohemorum edita. Ad extremum relictus à ſuis Othocarus, dum fortiter pugnat, inter confertiſsimas hoſtium acies occiditur. *Othocari interitus.* Ferunt Stirienſes duos domi nobiles, quorum frater ab Othocaro per iniuriam extinctus fuiſſet, cum toto prælio quæſitum, quum certis indicijs cognouiſſent, in vltionem fraternæ cædis obtruncauiſſe. Corpus eius, permittente Rodolpho, in Bohemiam translatum regio honore ſepultum. Prælium ipſa die B. Ruffi peractum, anno ab incarnatione verbi VIII. & LXX. poſt ducentos & mille. A populatione Bohemiæ Imperatorem abſtinuiſſe, quæ genero deberetur.

### *De ſancto Venceslao Bohemorum rege ſexto.*
### *Caput XXVIII.*

VEnceslaum Othocari filium ſeptem annos natum, ab Othone Marchione Brandeburgenſi in Franconia abductum, regnumq; tutorio nomine

ab eo

ab eo quinque annis gubernatum,reuersum puerum sub imperio matris fuisse.Illam Zauisium quendam ex baronibus potentem amasse,cuius nuptias adeptam,multas regni opes ad eum contulisse.Sed ipsa breui morbo extincta, Zauisium captum,neciq; traditum: regnum deinde ex Venceslai arbitrio ordinatum.Quo regnante, eo ipso anno quo Ptolemaida à Saracenis occupata, in hanc vsque diem tenetur.Pragam fermè vniuersam igne familiari exustam, liberalitate regis,ciuiumq; diligentia atque impensa ita instauratam, vt felix incendium fuisse videretur.Rodolpho Albertus filius successerat Imperator. Huic non minores inimicitiæ cum Venceslao quàm inter parentes eorum fuêre.Has Iutha Venceslai coniunx atque Alberti soror, mulier viro cautior, magno labore diremit.Charissimus apud Venceslaum Alexius quidam,pontificio iure consultus habitus est.Qui multa de Rom.nobilitate cum eo locutus, vsq; adeò animum regis illexit,vt Iutham filiam admodum paruulam, in clara Vrsinorum familia gentili cuidam matrimonio spoponderit. Hinc secuta inter Vrsinos & Bohemiæ reges amicitia, quæ apud Matthæum eiusdem familiæ Cardinalem plurimi fuit. Is enim rogatus à Venceslao, Gotium Vrbeuetanum, vtroque iure cons.in Bohemiam misit,quo regnum sub leges reduceret.Sed impediuêre principes quib. incerta esse omnia, lucrum. Huius Venceslai soror: nomine Agnes, Rodolpho nupsit Imperatoris Rodolphi filio,qui Pragæ moriens ibi sepultus iacet. Ex ea natus est Ioan. qui Albertum Cæsarem patruum suum circa flumen Rhenum nõ longè ab oppido Schaffhausen,dum simul amicè iter agerent,sua manu interfecit. Deinde pœnitentia ductus,Clementem quintum Pontificem maximum,qui sibi purgationẽ indulgeret apud Auenionem adijt. Pontifex Imperatoris occisorem ab Imperatore iudicandum ait. Venit igitur Pisas Ioannes,vbi tum Cæsar Henricus vij eius nominis Imperator considebat, à quo iussus religionem ingredi Eremitarum S.Augustini,in eaque perpetuò pœnitere,non recusauit. Mortuus est tandem in eadem vrbe, & in æde sui ordinis sepultus. Tumulum eius nos eo anno vidimus,quo iussi ab Imperatore Friderico tertio sponsam eius Leonoram ex Portugallia venientem,sororis tuæ filiam, cum alijs collegis ducturi Senas excepimus.Mater eius Iohannis cordata mulier fuit, & ingenio feroci. Quæ cùm accepisset germanum suum contentum regno Bohemiæ, delatum imperium recusasse.At ego inquit, si rerum potiar, glebaque vna mihi modò desit,aut quod reliquum est subijciam, aut imperio excidam. Ferunt in coronatione Venceslai non minus nouem ducenta equitum millia apud Pragam ex regia curia cibos accepisse;peditum verò infinitam multitudinem pastam. Subiecisse & Polonos sibi Venceslaum,à quibus inuitatus,in ciuitate Gnesno diadema susceperit.Filium quoque sui nominis xiij. annos natum,petentibus Hungaris regem dedisse.Sed quum Bonifacius Pontifex maximus Carolum adolescentem, Caroli regis Siciliæ filium eò misisset, & Hungarorum animi nutrarent,filium suum Albæ coronatum, & sacram simul coronam ad se recepisse, nec diu postea tertio & tricesimo ætatis suæ anno ex tabe obijsse. Mortem eius Bohemos magno mœrore prosequutos. Fuerat enim mansuetus & clementissimus princeps, & admirandus opinione sanctitatis, quæ postea vel miraculis confirmata traditur: Iohanni Brixiensi episcopo, si vera est fama,per quietem apparens, quum eum flentem tristemque reperisset, interrogauit,quæ nam esset causa mœstitiæ? Dicenti se mortem eius æquo animo ferre non posse,incredulitatem exprobrauit, qui sacris eloquijs fidem non adhiberet, in quibus hæc verba potuisset aliquando legisse. Quum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer,& habebis fiduciam proposita tibi spe,& defossus securus dormies. Requiescès, nec erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi, subiungensque paruam esse eius

*Albertus imp. occisus.*

*Ferociter.*

*Venceslai laus.*

fidem atque inanem, si mortem sanctorum miseram putaret: repentè dis-paruit. Episcopus excitatus, verba quidem sibi dicta memoriter tenuit, sed vbi nam scripta essent in sacro codice penitus ignorauit. Euoluto autem concordantiarum libro xj. apud Iob. capitulo, quod quærebat inuenit. Ad tumulum autem eius insignis latro quum accessisset, exprobrans mortuo vitam, lapideæ statuæ super sepulchrum iacenti colaphum incussit: nec mora, cæcitate percussus impietatis suæ pœnam dedit. Statua postmodum in sacrario erecta est, & alia ænea loco eius reposita, Iohannis Brabantini egregij statuarij nobile opus.

*De Venceslao Bohemorum rege septimo.*

*Caput XXIX.*

VEnceslao filius eius successit, quamuis eodem nomine, moribus tamen longè dispar. Qui quum ebrietati & turpissimæ parti corporis dies noctesq; indulgeret, & aliorum bona diriperet, aliorum vxoribus illuderet, apud Olomucium Morauiæ ciuitatẽ, dum solus in domo decani pontificalis ædis perambulat, tribus vulneribus confossus, duodeviginti natus annos interijt. Ignoratus est necis author, quamuis Conradus eques Thuringus, cruentum gestans pugionem, exire regiam visus fuerit. Nam is prius obtruncatus est populari tumultu, quàm crimen confiteretur.

*De Rodolpho Bohemorum rege octauo.*

*Caput XXX.*

VEnerat fortè eo tempore Pragam dux Carinthiæ Henricus, cui altera ex fororibus regis, nomine Anna, natu maior, iampridem nupserat. Hunc Bohemi regem sibi deligunt. Id ægrè fert Albertus Imperator, qui repentè coactis copijs, Bohemiam ingressus, Henricum regno deturbat, Rodolphumque filium suum regem constituit, Elizabeth senioris Venceslai relicta in matrimonium ei tradita, quò regnum eius solidius esset. Qui quum magna Bohemorum spe regnare cæpisset, subitaneo morbo correptus, primo regni sui anno absque liberis decessit.

*De Henrico Bohemorum rege nono.*

*Caput XXXI.*

POst obitum Rodolphi dissentientes inter se Bohemi, alij Fridericum Rodolphi fratrem, alij Henricum, quem deiecerant, petierunt. Vicit Henrici factio, trucidatis alterius partis authoribus. Et quamuis Albertus Imperator cum magnis copijs Bohemiam ingressus, regionem longè lateque afflixerit, Henricum tamen regno deijcere non potuit, prius à nepote, vt antè diximus, occisus, quàm meditata in Bohemos exequeretur. Successit Alberto Henricus vij. de quo paulò ante mentionem fecimus, comes Luzelburgensis, consilio & animo iuxtà potens. Hic Elizabeth alteram Venceslai sororem, decem & octo annos natam, clam iussam ad se venire, apud Spiram Galliæ ciuitatem Ioanni filio suo quatuor annis minori matrimonio coniunxit. Eodem quoque tempore tribus comparatis exercitibus, vnum ipse in Italiam duxit aduersus Brixienses, quos armis victos, imperata facere compulit, Lombardosque omnes in potestatem accepit. Alterum aduersus comites Vuirtenbergenses direxit sacro imperio rebelles, quibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis quæ obtinebant, duo & lxx. armis expugnata ademit. Tertium ex

Fran-

Franconibus ac Baioarijs comparatum, duce Petro Archiepiscopo Maguntino,cum filio in Bohemiam misit.Hic est ille Henricus,qui Romæ coronatus renitente Roberto rege Neapolitano Florentiam obsidione arctissima cinxit,Pisas, Senasq; in potestate habuit, & apud *Bohemicumconuentum in agro Senensi hostili fraude veneno extinctus fertur:cuius corpus in vetusto ac nobili Pisarum templo sublimi loco post aram maiorem amici condiderunt. Pugnatum est in Bohemia pluribus locis, quum alij Bohemorum Ioannem regnare cuperent, alij Henrico studerent, qui iam cum tribus Imperatorum filijs de regni possessione contendisset.Obsessa est denique Praga regni caput, diuq; oppugnata, quum Henricus & Marchio Misnensis haud pigrè mœnia tuerentur. Ad extremum tamen oppidanorum proditione Iohanni tradita, hostis in arcem sese recepit: nec multis post diebus Henricus in Carinthiam profugit. Ex eo tempore vsque ad Imp. Sigismundum Bohemia in potestate Lutzenburgensium fermè centum viginti sex annis fuit.

*Boncouentũ.

*De Iohanne Bohemorum rege decimo.*
*Caput XXXII.*

IOannes potenti manu regnum gubernauit, & patre in Italia agente apud Germanos vicario nomine administrauit imperium. Patre verò defuncto, quum plurimæ Italiæ ciuitates ei sese dedissent, penetrauit Alpes cum exercitu,easq; non paucis annis tutatus est: tum Fridericus Austriæ,& Ludouicus Baioariæ principes,de Romanorum imperio inter se contendunt. Fuerunt ei & cum coniuge graues dissensiones, Baronibus regni reginam à rege subtrahentibus,tanquam Bohemorum inimico, qui Theutones in primis haberet acceptos. Ventum est ad arma,affectum magnis calamitatibus regnum. Vix tandem compositę lites.Post hæc Egra à Ioanne recepta est:Vratislauiensium ciuitas,quam Dux Slesiæ occupauerat Henricus,Legnicium quoq; & quàmplures aliæ Slesiæ ciuitates Ioanni subijciuntur.Geritur & aduersus Australes bellum, in quo victor Iohannes suos milites præda non modica ditat.Quum regnum Poloniæ quietè obtinere non posset, Casimiro,acceptis xx.millibus marcarum argenti,ius suum cedit. Cracouiam tamen obsidione cingit: sed deficientibus commeatibus abire compellitur. Cæcus effectus à rege Francorum aduersus Anglicos in auxilium accersitus, cum lectissima equitũ manu consanguineo solatium tulit,prælioq; memorabili & cruentissimo se immiscuit,in quo cum multis millibus cęsus interijt:quum regnasset xxxv.annis. Bellum in celebritate S.Ruffi gestum. Hinc ea dies apud Bohemos atra atque innominabilis habita,quæ duos reges hostili gladio abstulisset.

*De Carolo Bohemorum rege vndecimo,qui & postea Romanorum Imperator factus, Carolus quartus dictus est.*
*Caput XXXIII.*

VNum & triginta annos agebat Carolus tum filius eius,ex Elizabetha coniuge natus.Is viuente patre aduersus Tartaros feliciter dimicauit: ciuitates Lombardiæ à patre acceptas armis tutatus est. Pugnauit adolescens cum Veronensibus, cosq; prælio fudit: in ea pugna bis equo deiectus,non dubitauit tertium conscendere,facinoraq; fortissimi militis edere.Ferunt eum iuueniliter lasciuientem,quum Parmæ ageret,alienos thoros non paucos polluisse, neq; increpatũ à patre abstinuisse.Fuisse per idem tempus Delphino Franciæ cum principe Sabaudiæ bellum, cui cùm rogatus Ioannes auxilium ferre statuisset,nocte,quæ decretum iter præcessit, visum esse in somnis Carolo,iuuenem forma conspicuum, militari manu raptum,eminentiq; loco,vnde vi-

deri ab omnibus posset vestimentis exutum, moxque virilia ei execta: quæsiuisse Carolum ex proximo adolescente qui specie supra humanam venerabilis astabat, eaque sic geri mandauerat, quisnam hic iuuenis esset tam crudeliter acceptus, & cur eo supplicio afficeretur? interroganti responsum datum, Delphinum esse regis Franciæ primogenitum, qui talibus modis acciperetur: sic plectendos esse, qui aliena matrimonia violarent. Experrectum Carolum summo mane patri somnium recitasse, rogasseque, ne frustra exercitum fatigaret, Delphinum enim non egere auxilio, quem interemptum esse non dubitaret. Contempsisse patrem verba filij, somnijsque nihil inesse ponderis respondisse, duorumq; dierum itinere cum exercitu profectum, certum accepisse nuncium, Delphinum in obsidione cuiusdam castelli, sagitta in incertum missa, confosso inguine expirasse, copias eius dissipatas esse. Carolum in villa Terentij Parmensis agri, quo in loco visum viderat, in honore beatæ Mariæ virginis collegiatam ecclesiam erexisse, magnificeq; dotasse, quæ adhuc extat. Patronus eius est præcentor ecclesiæ Pragensis, quemadmodum eiusdem Caroli literæ attestantur, quas nos vidimus legimusque. Nomen huic Carolo in Baptismo Venceslaus fuit, quod in confirmatione à Carolo Francorum rege mutatum est, apud quem pueritiæ rudimenta peregit. Fuit autem hic Carolus vir magnorum operum, qui regnum Bohemiæ tum religionis cultu, tum legum ac bonorum morum disciplina illustrauit. Nam schola liberalium artium ab eo in Praga erecta est, noua ciuitas mœnibus cincta, palatium regium magnificentissimè exædificatum, monasteria multa fundata, arces constructæ admirabiles, pax toti regno reddita. Adeptus imperium, rursus Italiam ingressus, Longobardos in potestatem accepit: Gibellinos, qui iam pridem Florentia exulauerant, eiectis Guelphis, in suum locum restituit: reliquis Hetruriæ partibus pro suo arbitrio leges dedit. Coronatus Romæ magnifico apparatu. Nouatores rerum, qui aduersus ecclesiam sentiebant, Romano Pontifici iudicandos tradidit. Iohanni fratri suo Morauiam possidendam concessit. Visse-gradum nouis muris ac propugnaculis communiuit: corpus S. Viti Pragam detulit. Pontem Multauiæ, qui exundationibus corruerat, in Praga restaurauit: ecclesiam Pragensem ad metropoliticum decus erexit, cùm antea Magun tino pontifici subiecta esset. Clarus profectò Imperator, nisi Bohemici regni gloriam magis quàm Romani imperij quæsiuisset. Illud quoque nomini suo non paruam inussit maculam, quòd Venceslaum ex filijs suis natu maiorem in imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est, idque pecunia. Nam cùm principes electores, haud facilè ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, precio comparauit, promissis cuiq; electori centum millibus aureis. Quos cùm repræsentare non posset, publica illis Rom. Reipub. vectigalia obligauit, perpetuum imperij malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac attollere caput imperium potuit, cùm principes electores omnia sibi retinerent: Imperatoremq; iureiurando adegerunt, ne pignora reuocaret. Sigismundus alter Caroli filius à rege Hungariæ Ludouico in spem regni adoptatus est, ibique tandem coronam adeptus, pugnauit feliciter contra Turcas: xxxij Turcarum regulos securi percussit. Tumultu populari captus, ac viduæ, cuius virum occiderat, in custodiam traditus, beneficio linguæ libertatem adeptus, regnum armis recuperauit. In quo fortunam vtramque expertus, inter viros claros enituit.

*De Venceslao Bohemorum rege xij. qui & rex Rom. extitit.*
*Caput XXVIII.*

VEnceslaus ætatis suæ anno secundo, permittente patre, regni Bohemici sceptrum assecutus: exin quindecimum agens annum, cum coniuge sua Iohanna

Iohanna apud Belgas ciuitate Aquensi, Romani regni coronam accepit. Quarto deinde anno pestis sæuissima Bohemiam populata est. In Praga verò quatuor mensibus in vna tantùm sancti Stephani parochia tria millia funerum & quinquaginta fuêre. Sexto deinde anno regina decessit: & altera superducta est ex domo Baioaria, nomine Sophia, longè viro suo præstantior. Inter hæc Pragenses populari tumultu excitati, atque in furorem acti, Iudæorum domus inuadunt, bona eorum diripiunt, domus incendunt, atque inter duas horas, non sexui, non ætati parcentes, infelicem gentem gladio cædunt. Perijsse aliquot milia feruntur, seruati complurimi infantes misericordia bonorum ciuium, baptismi gratiam acceperunt. Calamitosum genus hominum Iudæi inter Christianos agentes, qui vbi paululum abundare creduntur, mox tanquam Iesu Christi Dei nostri maiestatem contempserint, aut religioni illuserint, non fortunas tantùm, sed vitam quoque amittunt. Impune apud Pragenses flagitium fuit, tum quia populi haud facilè corriguntur scelera, tum quia Venceslaus desidia corruptus, præsenti rerum statu contentus, neque præterita corrigere, neque futura curauit præcauere. Fuit enim Venceslaus longè patri absimilis, voluptatum sequax, ac laboris refugiens, vini prorsus quàm regni curiosior. Ob quam rem captus à baronibus, xvij. hebdomadas in custodia habitus est. Iohannes dux Lusatiæ, & Procopius Marchio Morauiæ magno Reipublicæ malo eum libertati reddiderunt. Captus & secundò per Sigismundum Hungariæ regem fratrem suum, & Alberto Austriæ duci in custodiam datus. Custodia eius egregijs in ædibus apud Viennam habita, quibus exinde cognomen Praga datum, quòd eas rex Pragensium incoluisset. Sed quum parum diligenter custodiretur, fugam arripuit, regnoque rursus potitus est: neque tamen vitam mutauit, sed priori consuetudine vino cibóque marcens, lucemque dormiendo nocti coniungens, ab electoribus imperij, comprobante Romano Pontifice, imperio deiectus, domi torpens illaudatum egit æuum.

*Iudæorum clades.*

*Venceslai ignauia.*

## *De perfida secta Hussitarum, & damnatis articulis professionis illius.*
## *Caput XXXV.*

SVb hoc rege, nostra demum memoria, ætatis verò suæ anno circiter quinquagesimo, perfida Hussitarum insania ortum habuit: cuius & originem, & progressum hoc loco prosequi animus est, quando ea pestis omnem penè Germaniam conturbauit, neque adhuc extincta, regni Bohemici magnam partem occupat. Rexerant scholam Pragensem vsque in ea tempora Theutones: id molestissimum Bohemis fuit, hominibus natura ferocibus atque indomitis. Ex quibus vir quidam genere nobilis, ex domo quam Putridi pisces vocant, apud Oxoniam Angliæ ciuitatem literis studens, quum Ioan. Vuicleui libros offendisset, quibus De realibus vniuersalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria secum attulit. Inter quæ de ciuili, deq; iure diuino, de ecclesia, de diuersis quęstionib. contra clerum, pleraq; volumina, veluti preciosum thesaurum patriæ suæ intulit. Imbutus iam ipse Vicleuitarum veneno, & ad nocendum paratus, tum quòd erat familiæ suæ cognomen, Putridum piscem, id est, fœtidum virus in ciues suos euomuit. Commodauit autem scripta quę attulerat his potissimè, qui Theutonicorum odio tenebantur: inter quos Ioannes eminuit, obscuro loco natus, ex villa Hus, quod anserem significat, cognomentum mutatus. Hic cùm esset ingenio peracri, & lingua diserta, multumq; dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, auidè admodum Vuicleuitarũ doctrinam arripuit, eaq; Theutonicos vexare magistros cœpit, sperans eo modo confusos Theutones scholam reli-

ros. Quod cùm succederet, à Venceslao impetratum, vt Pragense gymnasium ritu Parisiensis gubernaretur. Ea res magistratum scholæ Theutonibus abstulit. Quam ob causam commoti magistri ac discipuli Theutonici generis, iureiurando adacti, vno die supra duo millia Pragam reliquêre. nec diu pòst circiter tria millia sequuti, apud Lipsiam Misnæ ciuitatem, trium dierum itinere à Praga distantem, vniuersale studium erexêre. Bohemis scholæ suæ gubernatio liberè patuit, quorum princeps est habitus Ioannes Hus, lingua potens, & mundioris vitæ opinione clarus. Qui vbi satis fidei comparatum sibi existimauit, venenum, quod iam pridem occultè conceperat, palàm euomuit. Fundauerat opulentus quidam ciuis in vrbe Pragensi sub nomine Sanctorum Matthiæ & Matthæi haud ignobile templum, quod Bethlehem appellauit, reditibus additis, ex quibus duo prædicatores alerentur, qui festis profestisque diebus verbum Dei Bohemico sermone plebibus insinuarent. Horum alter Iohannes assumptus est. Qui quum se libenter audiri animaduerteret, multa de libris Iohannis Vuicleui in medium attulit, asserens in eis omnem veritatem contineri, adijciensque crebro inter prædicandum, se postquam ex hac luce migraret, in ea loca proficisci cupere, ad quæ Vuicleui anima peruenisset, quem virum fuisse bonum, sanctum, cœloq; dignum non dubitaret. Cuatè Sequebantur Ioannem clerici ferè omnes, ære alieno grauati, sceleribus ac seditionibus insignes, qui rerum nouitate euadere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli doctrina celebres iuncti erant, qui cùm in ecclesia consequi dignitatem non potuissent, iniquo animo ferebant, sacerdotia maiorum censuum his committi, qui quamuis nobilitate præirent, scientia tamen viderentur inferiores. Excacauit eos inuidia, vt qui viderant nõ viderent, & qui intellexerant, nõ intelligerent. Proruperunt in blasphemias, & cùm aliquibus ignauis fortasse ac vitiosis maledicere possent, in omnes latrare sacerdotes cœpêre: & ab ecclesia catholica recedentes, impiam Valdensium sectam atq; in- Hußitarum dogmata. saniam amplexi sunt. Huius pestiferæ ac iampridem damnatæ factionis dogmata sunt: Rom præsulem reliquis episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen, Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritũ efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas euestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inueniri. Vanum esse orare pro mortuis, & auaritiæ sacerdotalis inuentum. Dei & sanctorum imagines delendas. Aquarum palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones inuenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuiq; prædicationẽ verbi Dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali vitandi gratia tolerandũ. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neq; seculari, neq; ecclesiastica dignitate potiri, neq; parendum ei. Confirmationem, quã chrismate pontifices inducunt, & extremam vnctionem inter ecclesiæ sacramenta minimè contineri. Auricularem confessionem nugacem esse: sufficere sua quemq; Deo in cubili suo conqueri peccata. Baptisma fluuialis vndæ, nulla interiecta sacri olei mixtura recipiendum. Cœmiteriorũ inanem vsum, quæstus causa repertum: quacunq; tegantur tellure humana corpora, nil distare. Templũ Dei latè patentis ipsum mundum esse: coarctare maiestatem eius, qui ecclesias, monasteria, oratoriaq; construunt, tanquam propitior in eis diuina bonitas inueniatur. Sacerdotales vestes, altariũ ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaq; huiusmodi nil habere momenti. Sacerdotẽ quocunq; loco, quocunq; tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusq; ministrare: sufficere, si verba sacramentalia tantùm dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari, quæ iuuare non possunt. In canonicis horis cantandis dicendisq; frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi

niſi quæ dominica nunc appellatur. Celebritates ſanctorum prorſus reijcendas. Ieiunijs quoque ab eccleſia inſtitutis, nihil ineſſe meriti. Subinco, cognomine Lepus, claris parentibus apud Bohemos ortus, per idem tempus Pragenſem eccleſiam pontificio retinebat, conſilio & animo illuſtris. Qui orienti calamitati obuiam ire cupiens, priuſquam amplius debacharetur, libros Ioannis Vuiclei ad ſe ferri, omneſq; doctorum virorum conſilio adhibito publice concremari iuſſit. Supra CC volumina fuiſſe traduntur, pulcherrimè conſcripta, bullis aureis tegumentiſq; precioſis ornata. Ioanni prædicatio interdicta, & adiectæ minæ, ſi quando priores in populum errores vulgare auderet. Ipſe Praga excedens, apud villam vnde ſibi origo fuit ac cognomen, permittente loci domino, qui eius inſaniæ fauebat, vocare plebes, ac docere non deſtitit: multa in Romanum præſulem, multa in reliquos eccleſiæ pontifices maledicta congerens. Vtq; populi animos ſibi magis ac magis conciliaret, decimas haud aliter quàm eleemoſynas ſacerdotibus debitas, liberum eſſe prædia poſſidentibus, ſi velint eas dare: ſi nolint, nullo iure cogi poſſe. Nondum error de ſacramento altaris irrepſerat, ſed attulit nouam peſtem Petrus Dreſdenſis (id oppidum Miſnæ ſuper Albim ſitum) qui cum alijs Theutonibus paulò ante Bohemiam reliquerat. Cognitus inter ſuos, quia Valdenſi lepra infectus eſſet, patria pulſus velut hæreticorum aſylum Pragam repetijt, puerorumq; docendorum curam accipit. Apud eccleſiam ſancti Michaelis per id temporis populum prædicando inſtruebat Iacobellus Miſnenſis, literarum doctrina & morum præſtantia iuxtà clarus. Petrus hunc aggreſſus, mirari ſe ait doctum & ſanctum virum, qui diuina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertiſſe communionis euchariſtiæ, qui iam pridem eccleſiam peſſundaſſet, in qua ſub vna tantùm ſpecie dominicum corpus populo miniſtraretur, quum apud Ioannem euangeliſtam & apoſtolum Chriſto dilectiſsimum, ſub duplici ſpecie, panis viniq; ſumi iubeatur, dicente apud eum ſaluatore: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotus his Iacobellus, quum perquiſitis vetuſtis ſanctorum doctorum codicibus, Dionyſij præſertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inueniſſet, prohibitus apud ſacellum archangeli Michaelis prædicare, in templo maiore ſancti Martini cathedram ſortitus, publicè cõmouere populum cœpit, ne deinceps communionem calicis, ſine qua ſaluari nemo poſſet, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici conſenſerunt, haud modica geſtientes lætitia, quòd articulum inueniſſent in euangelica lege fundatum, per quem Romanæ ſedis vel ignorantia, vel nequitia coargui poſſet. Odioſo quanuis hæc animo rex intelligeret, deſidia tamen corruptus, & inertia torpens, impunè debacchari ſinebat hæreticos. Subinco archiepiſcopus vbi nullum aduerſus tantum emergens malum in Venceſlao præſidium inuenit, ad Sigiſmundum Hungariæ regem confugit, obſecrans atque obteſtans, vt negligentiam fratris emendet, neque labefactari orthodoxę fidei ſacramenta permittat. Dat fidem Sigiſmundus, petiturum ſe breui Bohemiam, eccleſiæ catholicæ conſulturum. Sed quum dies die ducitur, Subinco apud *Poſtinium in Hungariam moritur, & Albicus ei ſufficitur, natione Bohemus, arte medicus, & Sigiſmundo propterea charus, vnicum extremæ auaritiæ barathrum. Qui claues cellæ vinariæ nulli alteri quàm ſibijpſi credidit, & animalia viuentia dono accepta mox vendidit. Et quia ſumptuoſos eſſe coquos didicerat, abiectam anum popinæ ſuæ præfecit. Interrogatus aliquando, ſonorum omnium quem moleſtius audiret: Maxillarum, inquit, oſſa frangentium. Idoneus profectò pontifex, qui ſurgenti fomentum hæreſi daret. Infeſtabat ea tempeſtate Romanam eccleſiam Ladiſlaus rex Neapolitanus aduerſus quem

Subinco

Petrus Dreſdenſis

Subinco

Aliàs Poſonium

Albici ſordes

Ioannes papa tertius & viceſimus bellum decernens, plenariam peccatorum remiſſionem indulſit his,qui ad tuendam eccleſiam arma induerent. Recitabatur in eccleſia Pragenſi decretum pontificis. Quod quum quidam ſordidæ artis homines audiſſent,Ioannem papam antichriſtum eſſe magna voce clamauerunt,qui crucem contra Chriſtianos decerneret. Eos eueſtigio ſenatus in carcerem rapi iuſſit: populus verò ſuſceptis armis dimitti omnes petijt.Sed placatus oratione ſenatus,tanquam vita captiuorum in tuto eſſet, ſuam quiſque domum rediere. de illis clam ſupplicium ſumptum. At quum ſanguis extra prætorij ianuam defluens iudicium necis feciſſet,iterum accurrens populus interemptorum corpora rapuit,& aureo circumuoluta panno per omnes vrbis eccleſias detulit, clamantibus eiuſdem ſectæ ſacerdotibus: Iſti ſunt ſancti,qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt.Exin cadauera in ſacrario apud Bethleem repoſita, quaſi martyrum reliquiæ aromatibus condita.

## *De Ioanne Hus & Hieronymo hæreſiarchis, in Conſtantienſi concilio igni traditis.*
## *Caput XXXVI.*

DVm hæc aguntur, generale conſilium apud Conſtantiam Sueuorum vrbem cogitur.In quo de rebus Bohemicis ſermo habitus,patrum mentes ingenti cura confecit, volentium animo, quonam modo ſanari prouincia poſſet. Placuitq; tandem, Sigiſmundo imperatore ſuadente,Ioannem & Hieronymum ad ſynodum euocari, qui tum cæteris eiuſdem regni doctiores,tum populi ductores, ac hæreſum principes habebantur. Venerunt ambo,non tam verecundè aliena diſcere,quàm ſua impudenter ingerere parati: docendi quippe quàm diſcendi cupidiores, & popularis amantes auræ. Auditi ſunt in conſeſſu patrum.Ioannes ætate & authoritate maior habitus,doctrina ac facundia ſuperior Hieronymus.Lecti ex omni natione patres,diuini atq; humani iuris doctores:ſæpe cum his colloquium habuêre:dogmata eorum à lege diuina aliena eſſe monſtrarunt, neq; bonis conducere moribus. Rogauerunt ne plus ſapere quàm eccleſia vellent, ſed ſaperent ad ſobrietatem:peregrinas opiniones relinquerent: ingenia ſua,quæ quidem eſſent nobiliſſima, Vuicleuitarum inſania ne fœdarent: eloquentiam qua prædíti eſſent,in corroborandis eccleſiæ inſtitutis,non euertendis:in edocendis populis,non dedocendis exercerent: poſſe eos & in conſpectu Dei, & in eccleſia militante ſublimem conſequi locum, ſi reiectis nouitatibus patrum veſtigia ſequerentur,inuentioneſq; ſuas vniuerſali concilio ſubmitterent. Stetere in propoſito pertinaces Bohemorum animi, neq; victi rationibus vinci voluere.Se veraces,ſe ſancti euangelij æmulatores, ſe Chriſti diſcipulos eſſe:Romanam eccleſiam,cætetaſq; per orbem diſperſas, longè à traditionibus apoſtolorum abijſſe,quæ opes ac delitias ſectarentur,dominatum in populo,& primos in conuiuijs accubitus exquirerent, canes, equos alerent, eccleſiarum bona,quæ Chriſti pauperibus deberentur, per laſciuiam luxumq; conſumerent: aut neſcire prorſus diuina mandata, aut ſcientes contemnere. Primores magnæ ſynodi, vbi pertinaciam & immutabiles animos perditorum hominum animaduerterunt, membra eccleſiæ putrida, quæ ſanari non poterant,ne reliquum corpus inficerent,reſecanda cenſuerunt. Lata eſt in conſeſſu patrum aduerſus contumaces ſententia: Cremandos eſſe qui doctrinam eccleſiæ reſpuerent. Prior igitur Ioannes combuſtus eſt,Hieronymus diu poſtea in vinculis habitus, quum reſipiſcere nollet, pari ſupplicio affectus. Pertulerunt ambo conſtanti animo necem,& quaſi ad epulas inuitati

ad

ad incendium properarunt,nullam amittentes vocem quę miseri animi posset facere indicium. Vbi ardere cœperunt,hymnum cecinêre,quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quàm isti incendium. Pogius Florentinus,ætatis nostræ nobilis scriptor,de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicolai conciuem suum elegantem scripsit epistolam: quamuis paululum sua consuetudine in mores cleri inuectus videatur. Cineres exustorũ ne raperentur à Bohemis in lacum proiecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulêre in quo ignis fuit,eamq; veluti sacram secum attulêre in patriam. Ioannes ac Hieronymus apud Bohemos martyrum honores meruêre, nec minores quàm Petrus & Paulus apud Romanos habiti. Nunciatis enim in Bohemia quæ Constantiæ gesta fuerunt de Ioanne ac Hieronymo, discipuli eorum sequacesq; omnes in vnum conuenientes,memoriam in primis defunctorũ consecrant, celebrandamq; quotannis decernũt. Exin per amicos nonnullas sibi ecclesias à rege tradi poscentes extorquent, in queis suæ prędicari plebi,sacramentaq; ministrare liberè possint. Neq; hoc modo contenti,apud*Sclauoniam nobile monasterium fratrũ Prædicatorum extra mœnia oppidi situm,à fundamẽtis deiciunt:eaq; prima ecclesiarum ruina in Hussitarum nouitate facta,decurritur in ecclesias monasteriaq; passim: nobilissima superis dicata templa ferro atq; igne vastantur. Nullum ego regnum ætate nostra in tota Europa tam frequentibus, tam augustis,tam ornatis templis dicatum fuisse quàm Bohemicum reor. Templa in cœlum erecta, longitudine atq; amplitudine mirabili,fornicibus tegebantur lapideis, altaria in sublimi posita,auro & argento quo sanctorum reliquiæ tegebantur onusta, sacerdotum vestes margaritis textæ, ornatus omnis diues, preciosissima supellex: fenestrę altæ atq; amplissimæ conspicuo vitro & admirabili opere lucem præbebant. Neq; hæc tantùm in oppidis atq; vrbibus, sed in villis quoq; admirari licebat. Fuit inter cætera monasterium aulæ regiæ apud ripam Multauiæ, qua Mosa fluuius illi iungitur, situm,in quo regum corpora condebantur, singularis excellentiæ:nam præter ædem, magni & memorabilis operis amplum dormitorium, cæteraq; monachorum officinas magnificè constructas:quadrata porticus fuit,quæ non paruum conclusit hortum,ambitum vocauêre. In huius lateribus vetus nouumq; testamentum ab initio Geneseos vsque ad Apocalypsim Ioannis literis maiusculis in tabulis scriptum continebatur, notis quo altius iret paulatim crescentibus, ita vt à summo vsq; deorsum facilis lectio præberetur. Sed hoc decus post Venceslai mortem Hussitarum rabies deleuit. Qui postquam ecclesias quamplurimas deiecerunt,monasteria incenderunt, castellum petentes cui Bechingne nomen est, octauo ferè miliario ab oppido quod nunc Thabor appellant,triginta circiter milia hominum conuenêre,atq; ibi trecentas mensas in patentibus campis erexêre,ex quibus populo sacramentum calicis ministrarunt. Terruit ea congregatio Venceslaum,verentem ne tumultu facto in se arma conuerterent,regnumque sibi adimerent. nec sua res periculo caruit. Venceslaus ei saluti fuit cognomento Coranda singulari facundia presbyter,& in plebibus auditus. Qui dum populum de republica admoneret,inter cætera quæ loquutus est, Quanquam,inquit, viri fratres, ebriosum atque inertem sortiti regem sumus, si tamen cæteros expẽdere principes pergimus,nemo est quem nostro regi anteferamus,quem rectè omnium regum specimen dixerim, quietum, benignum, nostri amantem: nam quis eo regnante nos lacessere audet? licet nobis ex voto viuere nostro. Si non est eadem sibi quæ nobis de religione sententia, ritum nostrum neq; ipse perturbat,neq; alios perturbare sinit. Quibus de rebus par esse arbitror preces pro eo ad Deum fundamus, vtq; singuli ei vitam rogemus,cuius

*Aliâs Glaceniam

Coranda oratio.

desidia, nostra salus, nostra quies est. Quòd quum ab exploratoribus rex cognouisset, quieto animo fuit, & factus ex tepido frigidus, Corandam inter amicos habuit. Per idem fermè tempus surrexit & alius Pseudosacerdos apud Pragam, Ioannes quidam ex ordine Præmonstratensium impius monachus, & ad omne scelus audax: qui quum prædicaret apud sanctum Stephanum in Piscina, neq; bene sapere videretur, inde amotus monasterium Carmelitarum inuasit. Hoc suasêre hæretici, vt suam potentiam ostentarent. Singulis fermè diebus sacram euchariſtiam per suas ecclesias circumuectabant: quas quum paucas esse dicerent, ductore Nicolao viro nobili eius loci domino, vnde Ioannes Hus originem trahere diximus, in regiam tumultuariè prorumpentes, Venceslaum orauêre, sibi vt ampliores ecclesias elargiretur, qui iam populi maiorem partem obtinerent. Audiuit rex benignè Nicolaum pro multitudine loquentem, vtq; in posterum diem redirent, iussit. Deinde misso populo, ad Nicolaum qui remanserat conuersus: Tu, inquit, qua me regno ejiceres orditus es telam: at ego laqueum inde efficiam, quo te postea strangulem. Ille è regis conspectu abiens, populares magis ac magis incendit. Rex in arcem Vissegradensem vrbi vicinam, paruoq; tantùm fluuio disiunctam, sese recepit, & paulò post in castellum nouum quod ipse construxerat, quinto distans lapide, cum paucis abijt, missis ad fratrem oratoribus, qui eius auxilium implorarent. Consulibus autem nouæ ciuitatis Pragensis, ne vlterius ab hæreticis dominicum corpus in pompa deferri sinerent, imperauit.

Ioan. Præmonstratensis

## *De morte Venceslai regis.* *Cap. XXXVII.*

AT hæretici pridie Cal. Iulij apud ecclesiam Carmelitarum conuenientes, ad eadem sancti Stephani euchariſtiam per plurimas plateas atque ecclesias armati circumtulere, ibiq; domum sacerdotis suis ineptijs non consentientis diripuere: & sublato clamore ingenti, furentes prætorium petiere. Consules XI metu perculsi fuga saluati sunt: septem qui remanserant, & cum his iudex vrbis, atq; alij nonnulli ciues raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forum præcipitati, lanceis ac verubus irati populi excepti, dirum spectaculum dilaniati præbuêre, stante in foro Ioanne monacho, & sacrum Christi corpus sanguinario populo ostentante. Camerarius regni, qui cum trecentis equitibus ad sedandum tumultum accurrerat, vbi furentem plebem animaduertit, de sua vita solicitus, fuga sibi consuluit. Ea quum regi nunciarentur, cunctiq; circumstantes attoniti facinus detestarentur: At ego, inquit pincerna, futura hæc præscieram. Quem rex indignatus correptum repentè ante pedes suos prostrauit, & arrepto pugione conatus est interficere. Sed impeditus à circumstantibus, ægrè illi vitam dimisit: nec mora, paralysi correptus ægrotare cœpit, atq; infra x v i i j. dies signatis nominibus hæreticorum, quos neci destinauerat, fratrem assiduè vocitans, & amicorum auxilia anxius expectans, antè vita excessit quàm vocati principes adessent, quũ regnasset annis L V, vixisset duobus amplius. Consueuerunt corpora regum apud Bohemos priusquam sepelirentur, octo diebus aromatibus condita per sacraria vrbis circumferri, plangiq;, & sequentibus amicis ac Baronibus conclamari. Hoc in Venceslao neglectum, non audente regina nouam ingredi ciuitatem. Delatum est cadauer ad ecclesiam S. Viti in arce, & inde ad aulam regiam, de qua paulò antè meminimus, ibiq; conditum in sepulchro quod ipse sibi delegerat. Sed postea quum monasterium ipsum ab hæreticis diriperetur, & sepulchra regum effringerentur, cadaueraq; abijcerentur, piscículos. quispiam cognomine Musca Venceslao vendere solitus, regis quem amauerat corpus clàm collegit, & in loculo apud se domi condidit. Interiecto deinde

Venceslai mors.

de tempore, rebus in meliorem formam redactis, quum Venceslai corpus inquireretur, acceptis xx aureis illud reddidit, tumq; circumgestatio ex more facta, & iustum regi funus exhibitum.

## *De Ioanne Ziſca, hæreticorum Hußitarum capitaneo, in armis ſtrenuißimo ac victorioſißimo.*
## *Caput XXXVIII.*

RECens obierat Venceslaus, quum Ioannes Ziſca nobilis genere, ex loco cui Troſnouia nomen, cenſu tenui, in curia regis à puero enutritus, & bellis exercitatus, vno carens oculo, quem ſtrenuè pugnans iam pridem amiſerat, infectus Huſſitarum veneno, & rapinarum auidus, collecta perditorum hominum multitudine, in eccleſias quæ reſtabant, impetum fecit, ſimulachra ſanctorum & imagines magni Dei perfregit: monaſterium Carthuſienſium Pragæ vicinum inuaſit, & direptum incendit: monachos eius ordinis tanquam populo inutiles, qui veluti ſues in clauſtro ſaginarentur, migrare alio iuſſit. Venêre per idem tempus ex montibus Pragam CCCC circiter viri cum mulieribus lepra Huſſitarum infecti, atque in foro ſedentes, cibum ex magiſtratibus petiêre. Conſulatus metu plebis, quæ aduenarum miſerabatur, cibaria eis publicitùs miniſtrauit. Ziſcha hos ſibi adiunxit, & arcem Viſſegradenſem, quæ negligenter cuſtodiebatur, inuadere cupiens, ad locum quem Cruces appellant, profectus eſt. Ibi ſupra quadraginta millia virorum ex hæreticis conuenere. Qui ſuam multitudinem conſpicati, animum ad omne facinus audacem ſumpsere. Multa ibi aduerſus Sigiſmundum Cæſarem, quem regni hæredem ſuis conatibus infenſum norant, excogitata atque decreta. Exin Ziſcha, duce Coranda, de quo ſuprà meminimus, Pelzinam, vbi complures eſſe ſuæ factionis amicos non ignorabat, raptim contendit, eamque vrbem in poteſtatem receptam valido præſidio munijt: qui apud Cruces remanſerant, arcem Viſſegradenſem inuasêre. Sophia interim anxia quo ſe pacto tueretur, crebris nunciis ac literis Sigiſmundum vocare, vicinorum auxilia petere, atq; in omnes partes mentem dirigere. Sigiſmundum malo vſum conſilio, in Turcas, qui ſe iam pridem caſtris exuerant, arma prius mouere, quàm Bohemiam petere libido inceſſit. Quod ſi mox exercitum Pragam duxiſſet, antequam vires hæreticorum concaluiſſent, nunquam ea incendia quæ poſtea vidimus, Germaniam exuſſiſſent. At dum ille Turcas laceſſere parat, Bohemiam amiſit, & Hungariam non defendit. Ea propter quum ſerum eſſet eius auxilium, regina cum Cenchone Vuartenbergenſi regnum gubernans, ex theſauro regio copias comparauit: arcem Pragenſem & minorem ciuitatem quæ arci adiacet, præſidio firmauit: ponti Multauiæ, ne tranſitus illàc eſſet hæreticis, ligneas turres ac ianuas adiecit. At illi paſſim per regnum conuentus agitare, ſollicitare populos, hos minis terrere, illos blandicijs allicere, implere nouam ciuitatem ſuis hominibus, dies noctesque conſultare quibus modis ſummam ſibi rerum acquirerent. Cum quibus Petrus Sterembergius apud inſulam Benedicti confligens, æquo Marte prælium diremit. In Praga aucta hæreticorum colluuie, pro ponte pugnatum, multiſque vtrinque cadentibus, pons denique in poteſtatem Huſſitarum factus, & pars decliuior Pragæ minoris: fideles in altiorem ſeſe partem receperunt, atque inde conuerſi acribus animis inſtaurauêre certamen. Pugnatum eſt die noctuq; continuis quinque diebus ſæuiſſimis ac crudelibus auſibus: multi vtrinque cæſi, magnificæ domus exuſtæ, prætorium infimo loco ſitum, incenſum

atque deletum.

*De Sigiſmundo Bohemorum rege xiij, & Roman. Imperatore.*
*Caput XXXIX.*

QVum hic eſſet rerum ſtatus, legati Sigiſmundi ſuperuenêre, qui regni gubernationem accipientes, cum ciuitate Pragenſi ea lege inducias fecêre, vt arce Viſſegradenſi reddita, liceret ciuibus ad Sigiſmundum oratores mittere, deq; re ſua cum eo tranſigere. Ziſca Pelzinam, Pieſtam, & alia quæ occupauerat loca reſtitueret. Conditionibus acceptis atq; completis, externi hæretici vrbem reliquêre: conſulatus ex priſco more gubernationem iniit, quietior reddita ciuitas: non tamen catholici qui exceſſerant, redire auſi. Expectabant enim Sigiſmundi aduentum, cuius præſentia ſeſe tutos fore arbitrabantur. Sed interruperunt ſpem omnem literæ ab eo miſſæ, in quibus ſcriptum erat, ipſum breui venturum, regnumq; eo modo gubernaturum, quo pater Carolus prouinciam gubernaſſet. Quibus ex verbis intellexerunt hæretici ſectam ſuam excluſum iri, quæ regnante Carolo nondum ortum habuiſſet: proinde magis ac magis indignari. Sigiſmundus autem ad feſtum natiuitatis dominicæ Brunnam, quod eſt Morauiæ oppidum petiit: ibiq; Pragenſibus veniam petentibus ea lege pepercit, vt catenas & repagula tota ex vrbe deponerent, ſuoſq; magiſtratus acciperent. Paruit attonita ciuitas, quũ primores regni eleuatis in cœlum manibus aduentum noui Regis gratulabundi expoſcerent, eiuſq; rectores ſine controuerſia reliquæ vrbes admitterent. Nec dubium videbatur quin tota Bohemia Huſſitarum labes exceſſiſſet, ſi ex Brunna Sigiſmundus rectà ſe Pragam contuliſſet. Sed diuertit ille, vt fortaſſe in fatis erat, Vratiſlauiamq; Sleſiæ caput acceſſit. Quo in loco populus vrbanus non diu anteà conſulatum à Vencaſlao fratre ſuo conſtitutum per ſeditionem obtruncauerat, cuius ſceleris authores ſecuri percuſſit. Quod vbi Pragæ renunciatum eſt, diffiſi de venia ciues, exemplum Vratiſlauienſium veriti, manifeſtò deſciuerunt, & allecto præmijs Cenchone, qui arci Pragenſi præerat, in totum regnum literas dedere, ne quiſpiam Sigiſmundo aditum præberet, qui Dalmaticæ linguæ hoſtis eſſet, nec alia cura teneretur, quàm regni perdendi, qui * antiquam Prutenorum ciuitatem ordini iure pignoris obligaſſet, Brandenburgenſem autem à corona Bohemica alienaſſet, Ioannem ac Hieronymum in Conſtantienſi concilio cremari non ſolùm permiſiſſet, verumetiam procuraſſet: dogmata fidei quæ ipſi ſequerentur, totis conatibus impugnaret.

*Alijs Marchiam nouam Prutenorum, &c.*

*De ciuitate Thabor & extructione eius, fratribusq; Thaboritis.*
*Caput XL.*

ZIſcha dum hæc aguntur, relicta ex fœdere Pelzina, bis à fidelibus inuaſus, bis verſutijs vſus, ex penè victo victor euaſit. Erant aſpera loca, in quibus pugnare oportuit, hoſtes in equis, milites ſui omnes pedites: nec certamen committi niſi pedeſtre potuit. Vt ergo deſilière ab equis aduerſarij, mulieres quæ de more ſuum exercitum ſequebantur, proijcere pepla in terram iuſſit: quibus implicati per calcaria equites, prius extincti ſunt, quàm pedes expedire valerent. Ipſe deinde Auſcam perijt, oppidum ad Luſinitium amnem in ripa ſitum, ex quo Procopius & Vlricus fratres, veræ fidei cultores, eiuſq; loci domini, non paruam populi partem eiecerant cum hæreticis ſentientem. Id Ziſca prima quadrageſimæ nocte aggreſſus armis expugnauit, diripuit, incendit. Sed & Litium caſtellum, ab eo loco mille paſſuum diſtans, quò ſe Vlricus receperat, vi cepit: Vlricum familiamq; ſuam gladio occidit, vni tantùm vita retenta, qui reliquos obtruncaret. Quumq; ciuitatem quam inco-

*Stratagema.*

incoleret, muro cinctam non haberet, locum natura munitum ad eundem amnem elegit, vix octo stadijs ab Auscha separatum. Hunc mœnibus cinxit, & vt quisque tentoria fixerat, ita ædificare sibi domos imperauit: ciuitati Thabor indidit nomen: nam & comites eius, fratres Thaboritæ appellabantur, tanquam cum tribus apostolis saluatoris Christi transfigurationem in monte vidissent, indeque suas opiniones mutuati essent, quas fidei Veritates appellant. Ciuitas quamuis altis defensa rupibus, muro tamen & antemurali cincta est. Lusinitius amnis maiorem vrbis partem alluit: quod reliquum, torrens non modicus ambit. Qui quum rectà in Lusinitium tenderet, saxeo colle impeditus quàm longa est ciuitas flectere ad dexteram iter coactus, in fine vrbis maiori fluuio miscetur. Spatium quo per terram acceditur (nam peninsulam duo amnes efficiunt) vix pedes x x x protenditur. Hic fossa profunda manu facta, & triplex murus ea crassitudine, quæ nullis effringi machinis queat. Turres in mœnibus crebræ, & propugnacula, quæ ipsi Thaboritæ, expugnandarum vrbium magistri, excogitauerunt, locis opportunis constructa. Hic refugium omnium hæreticorum, arcemq; Zischa primus erexit: qui eum sequuti sunt: pro suo quisque ingenio munimenta vrbis auxerunt. Nos qualem vidimus ciuitatem descripsimus. In amne Lusinicio auri grana reperiuntur, ciceris æquantia magnitudinem, quæ nullo egent purgamento. Nondum equites apud Thaboritas militauerant, quum essent omnes fermè infimæ plebis homines, & qui non tam nouam fidem sequuti, quàm iudicia & carceres fugisse videbantur. Nicolaus magister monetæ, quem Sigismundus ad res curandas in Bohemiam miserat, primus omnium equorum copiam Thaboritis fecit, qui cum mille equitibus in vico, cui Vogize nomen est, nouis Zischę motibus occursurus confederat. In hunc nocte ipsa Paraseues Zischa ex improuiso prorumpens, omnes illi equos ademit, arma surripuit, vicum incendit, milites suos equos ascendere, saltare, currere, flectere in girum docuit: neque posthac absque alis equitum copias duxit. Nicolaus in arce saluatus est.

Thabor

## *De Adamitis hæreticis.* *Caput XLI.*

INter hæc & alia apud Bohemos nefanda & inaudita prius emersit hæresis. Piccardus quidam ex Gallia Belgica, transmisso Rheno per Germaniam in Bohemiam penetrauit, qui præstigijs quibusdam fidem sibi concilians, breui tempore non paruam mulierum virorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere iubens, Adamitas vocauit: & occupata insula quadam, amne Lusinicio cincta, filium Dei se dixit, & Adam vocari. Connubia eis promiscua fuere: nefas tamen iniussu Adam mulierem cognoscere. Sed vt quisque libidine incensus in aliquam exarsit, eam manu prehendit, & adiens principem: in hanc, inquit, spiritus meus concaluit. Cui princeps: Ite, respondit, crescite & multiplicamini, & replete terram. Aiebat quoque cæteros homines seruos esse, se verò, & qui ex eis nascerentur, liberos. Ex ijs quadraginta viri insulam exiere: & intrantes vicinas villas, euaginatis gladijs supra ducentos agrestes interfecere, quos diaboli filios asserebant. Zisca ijs auditis, quamuis sceleratus, scelus tamen exhorruit: habet enim hoc natura hominum, vt aliena magis quàm sua quisque vitia perhorrescat: neque summa mala diu inulta manent, vltoremque mali sæpe malum cernere licet. Duxit igitur in eos exercitum, expugnataque insula, Adamitas omnes gladio deleuit, duobus tantùm reseruatis, ex quibus gentis superstitionem cognosceret. Audiui ego ex Vlrico Rosensi præstanti regulo, quum agerem in Bohemia, fuisse apud se viros & mulieres eius sectæ captiuos, & mulieres

Piccardus

quidem palàm dixisse, non esse liberos qui vestibus, & præsertim femoralibus vterentur, easque in carcere apud se peperisse: quas quum anno elapso simul cum viris igni tradidisset, ridentes cantantesque flammarum incendia pertulisse.

*Quomodo Sigismundus Bohemiam ingressus coronam regni acceperit, minúsque feliciter pugnauerit.*

*Caput XLII.*

SIgismundus interea conuocatis Slesiæ ducibus, ingressus Bohemiam, Grecium, exinde Cuthnam infesto exercitu petit. Cenchonem vt arcem Pragensem sibi reddat magnis sponsionibus allicit: equitum quatuor millia qui vrbem lacessant ibidem collocat. Cencho bina proditione insignis domum reuertitur. Pragenses Zischam accersunt, qui cùm Thaboritis nihil moratus, vrbem accepit in potestatem. Duo tantùm ex Baronibus, Hilco Crussina Lituburgensis, & Hilco Valdesteinensis, ac pauci nobiles, Pragensium signa sequebantur: reliqua multitudo ex plebe collecta. His primum studium fuit arcem oppugnare, locus ipse natura munitus, non aliter quàm fame vinci posse apparebat. Clausi aditus, ne quid commeatus importaretur. Sigismundus ferro iter aperuit, obsessisq; necessaria præbuit: nec diu postea ciuitatē ipsam, accersitis ex imperio auxiliis, obsidere decreuit. Fuerunt in castris eius Saxoniæ duces, Marchionesq; Brandenburgenses, & gener eius Albertus Austriæ princeps. Oppugnata est ciuitas sex hebdomadibus. Ipse verò Sigismundus in æde metropolitica, quæ in arce sita est, regni coronam accepit. Conradus natione Vuestualus archiepiscopus, qui postea in hæresim prolapsus est, sacris solennibus ritè peractis, diadema ei imposuit. Albicus enim iampridem dignitate cesserat, quum familiam edentem bibentemque ferre non posset, & minori contentus officio, auaritiæ seruiebat. Oppugnabatur summis viribus hęretica ciuitas. Medio tempore reguli Rosenses, & Chrageri Thaboritæ castra tenentes, à Nicolao Hus, quem Zischa cum parte copiarum eò miserat, prælio victi castris exuuntur. Grecium quoque reginæ ab hæreticis expugnatum. Imminet vrbi Pragensi sublimis mons, quem Videchonis appellant, hunc ne hostes occuparent, Zischa præsidio munierat. Cum quibus Marchio Misnensis congressus, magnam militum suorum partem amisit. Misnenses enim quum iam montis cacumen occupassent, in partem coacti, quæ prærupta erat, acrius oppressi, vbi retinere impetum non valuere, alij cæsi sunt, alij ex monte deturbati per abrupta dilapsi perierunt. Sigismundus obsidione dimissa Cuthnam se recepit. Per idem tempus vulgauerant hæretici, ipsa die Pentecostes ignem de cœlo casurum, qui vrbes Bohemicas omnes exureret: ob quam rem magna ex parte ciuitatum mœnia relicta, populariter in agris erratum. Sed quum dicta die imbres tota fermè Bohemia vehementes fuissent, religio in risum conuersa, multum opinionis hæreticis detraxit: vicit tamen obstinatio eorum, quos rapinarum cupido magis quàm fidei scelus pellexerat. Zischa apud Pragenses degens, ex consilio suorum sacerdotum omnes basilicas delere adorsus est, quæ sanctorum nominibus dedicatæ fuerant: neque enim fas dicebant, alteri quàm soli Deo templa sacrari. Hinc plurima monasteria & nobiles ecclesiæ vno impetu in ciuitate disiectæ. Id Pragensibus ægrè fuit, quibus seruandum ædificiorum decus videbatur. Orta dissensione, iurgioq; sensim obrepente, Zischa cum suis abijt, & ad Thaboritas reuersus multa fidelium loca expugnauit. Inter quæ Pragatini præpositi Vissegradensis oppidum diripuit, in quo viros ac mulieres cum pueris & infantibus cunctosque loci sacerdotes in ecclesia conclusos immisso igne combussit.

De

*De Orebitis hæreticis. Caput XLIII.*

FVit & alia in Bohemia hæreticorum factio, fratrum Orebitarum appellata, quæ territorium Gresense vicinasq; gentes Romanæ ecclesię cultum obseruantes magnis affecit cladibus, pestifera atq; immanis, neq; Thaboritarum crudelitate vlla ex parte inferior. Aduersus quam Martinus V. Pont. Max. nominatim crucem decreuit, neque tamen in plures annos extirpari potuit. Huius sectæ homines quotiens sacerdotes nostros intercepere, aut igne cremauerunt, aut nudos rigenti hyeme super glaciem colligatos dimisere: quos parui momenti existimarunt, desectis virilibus abire permiserunt. A Pragensibus inter hæc summis viribus arx Vissegradensis oppugnatur. In qua quum cætera abessent, equinæ carnes aliquandiu pro cibo fuere. Ad extremum, nisi ad certum diem Sigismundus auxilium ferret, deditio promissa: verùm ea lex adiuncta, vt veniente Sigismundo Vissegradenses prorsus quiescerent. Affuit inter diem dictum imperator, ignarusq; conditionis locum ingressus arctum sub arce, in quo facilè ab obsessis defendi poterat: quum illi datam fidem obseruassent, inuasus repentè à Pragensibus, ingentem perpessus stragem, rebus infectis retrò abijt. Ceciderunt ex Morauis xiiij proceres, ex Hungaris cæterisque gentibus quamplurimi, arx Pragensibus dedita.

*De multis prælijs & victorijs Ioannis Ziscæ. Caput XLIIII.*

ZIscha dum hæc fiunt, Booslaum regulum, cui Cygneo cognomen fuit, qui multis antea cladibus hæreticos affecerat, in oppido suo munitissimo vi cepit, & in hæresim suam pellexit. Qui ad Rhetium paucis post annis in Austria dum hæreticorum copias ducit, vulneratus interijt. Erant in territorio Pelzinensi complura cœnobia, opibus & structuris insignia, ex quibus Zischa quinque combussit. In monasterio verò Claronensi, quod munitius fuit, præsidium posuit. Huc Sigismundus exercitum admouit. Zischa autem in eum copias ducente, turpi fuga recessit, nec diu postea, Bohemiam quoque reliquit. Zischa ad Pelzinam duxit. Sed quum ciuitatem egregiè defensam expugnare desperaret, inde soluens Comitauiam petijt, non parui nominis oppidum. Quo vi capto, populares cum sacerdotibus in ædibus ligneis reclusos frustrà veniam petentes exussit. Quum verò ante oppidum, cui Rabi nomen est, cõuocatis fratribus Thaboritis & Orebitis castra teneret, obsessosq; summa vi oppugnaret, oculum quo vno lumen cœli videbat, sagitta confossus amisit. Inde Pragam ad medicos vectus, quamuis ex vulnere curatus vitam retinuit: lucem tamen haudquaquam recuperauit. Nec propterea castrensem laborem, aut rei militaris curam omisit. Cæco populo cæcus placuit ductor: res apud posteros plus admirationis habitura quàm fidei. Pragenses autem Veronam, vbi magnum inerat Sigismundi præsidium, armis ceperunt: & paucis vita reseruatis, puberes vtriusque sexus interemerunt. Expugnarunt & Brodam Teutonicam, interfecto præsidio: mox Cuthnam, pluresque alias ciuitates dedentibus oppidanis in potestatem acceperunt. Quum verò ad oppidum cui Pons nomen est, & à Misnensibus possideretur, copias ducerent, occurrentibus Saxonibus non audentes congredi redierunt. Post hæc Sigismundus principibus electoribus diem statuit, vt in celebritate diui Bartholomęi ad Occidentalem plagam Bohemiam cum copijs ingrederentur, ipse ad Orientale latus cum Hungarorum exercitu aggressurus. Venêre Moguntinus archiepiscopus, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ duces, Marchio Brandenburgensis, & plurimi ex Alemania pon-

tifices,cæteri ſuos miſere.Caſtrametati ad oppidum Sozium munitiſſimum locum expugnare non potuere. Vaſtatus eſt vndiq; per circuitum ager.continuata obſidio ad feſtum vſq; ſancti Galli: tumq; ſoluta quum Sigiſmundus ad promiſſum diem non adeſſet.Ille autem collecto ex Hungaris,Auſtralibus ac Morauis exercitu,circa ſolennia dominicæ natiuitatis Bohemiam intrauit,& aliquot oppida vi cepit,Cuthnenſes per deditionem accepit. Sed irruente in ſe Ziſcha quamuis cæco, pauidus trepiduſq; multis ex ſuis interfectis nobilibus, & amiſſis impedimentis effugit. Prius tamen Cuthnam exuſſit, quam Thaborenſes propter argenti fodinas crumenam Antichriſti vocabant. Ziſcha itinere vnius diei imperatorem ſequutus,magna fugientiũ præda ditatus eſt:& oppidum Brodam,quod Teutonicorum vocatur,vi captum incendit,quod poſtea xiiij fermè annis ſine habitatore permanſit.Imperator amnem Iglariam ponte tranſmiſit.Piſo Florentinus,qui equites in eam expeditionem xv millia ex Hungaria duxerat,per glaciem iter habuit,quæ multitudinis pondere diſſoluta multos mortales in profundum rapuit. Hac victoria elatus Ziſcha magis ac magis in eccleſias deſæuit: nec iam amplius vllam pati aut ſtatuam ſanctorum,aut picturam poterat,nec tolerandum eſſe putabat,qui priſco more ſacerdotalibus indutus veſtibus,rem diuinam conficeret. Ob quam rem maiores quàm prius inter eum & regni proceres inimicitiæ obortæ. Conſules verò Pragenſes inſolentiam Ioannis apoſtatæ Prę-

*Ioannes Præmonſtratenſis.*

monſtratenſis iniquo ferentes animo,eum in prætorium vocauêre,& nouem ſimul ſcelerum principes tanquam de republica cum his aliquid acturi, intromiſſos ſtatim gladio percuſſere: & quaſi nihil actum eſſet pacatam ciuitatem arbitrati, domos quiſq; ſuas petieruut. Sed miniſtri parum cauti, dum atrium aqua proluunt,cruorem interemptorum per aquęductum in forum tranſmiſere. Eo viſo non latuit populum res geſta. Tumultus eueſtigio factus,expugnato armis prætorio, vndecim primarij ciues, qui rei authores putabantur, occiſi: collegium Caroli direptum, & nobilis bibliotheca diſiecta. Mulieres,quæ Ioannem monachum veluti diuinum habebant, caput eius intercipientes, pluribus diebus vlulantes, per vrbis eccleſias circumtulerunt, beatum vociferantes, ſanctum & Deo plenum virum, qui pro veritate & patrum traditionibus occubuiſſet.Contrà verò ſacrilegos,nepharios,Deo atque hominibus odibiles, qui ſacro & optimo ſacerdoti manus inieciſſent: poſtremò inter ſacras reliquias aromatibus conditum ſeruari Ioannis caput

*Purgellinum.*

obtinuere. Per idem tempus caſtellum Purgellinum,in quo paruum Sigiſmundi erat præſidium, & quò multi Pragenſes rectæ fidei cultores cum liberis & vxoribus confugerant,per incuriam arſit:qui ſuperfuerunt incendio, Pelzinam ſe contulêre. His actis nonnulli Bohemorum reguli,& conſulatus Pragenſis legatos ad Vitoldum Lituaniæ ducem misêre, eumq; ſibi regem aſciuerunt, aduerſante Ziſcha, eiuſque factione, qui liberis hominibus regem habendum eſſe negabat, & eum potiſſimè qui gentium ritu viueret. Vitoldus Sigiſmundum Coributum cum duobus millibus equitum in Bohemiam miſit, qui apud Pragenſes magnis exceptus honoribus, ciuitatem breui ad meliorem formam redegit: nobilibus & qui quietè viuere vellent, blandus atque amicus: in inſidioſos atque facinoroſos aſperrimus vindex. In huius aduentu munitiſſimum caſtellum in monte ſitum oppugnare placuit, quod lapidem Caroli vocant. Hic Sigiſmundus quartus centurias militum præſidio liquerat. Caſtra tribus locis poſita ſunt:obſidio ſex ducta menſibus, neque die neque noctu omiſſa oppugnatio: quinque baliſtæ maiores ingentia ſaxa per omnes horas intra mœnia iactauerunt: vaſa circiter duo mil-

*Fœtor dentibus inimicus.*

lia cadaueribus, & humano excremento plena in hoſtes emiſſa, tantùm miſeris obſeſſis fœtorem attulere, vt omnibus infectis dentes aut deci-

derent

derent aut nutarent: tolerauerunt tamen forti animo, & in hyemem vsq; protraxerunt certamen, accepto clàm ex Praga medicamento, quo dentes continueri possent. Fons erat extra mœnia in medio præruptæ rupis, vnde aquam oppidani necessariam hauriebant: & turris desuper vetusta, qua tuerentur aquantes. Hanc Pragenses diruere machinis conabantur. Fama est, in potestatem obsessorum primarium quendam inter Pragenses ciuem, casu factum, eumque in turris culmine deligatum, dato per irrisionem in manum flabello, quo lapides balista missos quasi muscas abigeret: parsuros quippe conciui suo Pragenses arbitrabantur. Illos nulla misericordia flexos, saxa ingentia quamplurima proiecisse: Hominem verò, quum diem integram intactus perseueraſſet, hostium magis misericordia, quàm ciuium suorum humanitate seruatum. Interea Fridericum seniorem, Brandenburgensem principem, magnis copijs Bohemiam ingressum, longè lateque prædas agentem, Pragenses ab obsidione discedere compulisse: Vitoldum verò rogatu Vladislai, Poloniæ Regis, qui cum Sigismundo Cæsare in finibus Hungariæ conuenerat, patruelem suum Coributum ex Bohemia reuocasse. Putauit ea re Sigismundus hæreticos externis auxilijs destitutos, mox imperata facturos, sed longè deceptus est. Nam illi magis ac magis insolescentes, subactis intra regni fines catholicæ fidei cultoribus, exercitum extra Bohemiam duxêre, vicinas latè gentes populati. Ferunt Zischam in Austriam profectum; *Stratagema* quum agrestes armenta quæque nauibus in insulam Danubij transportassent, vitulos, sueſq; nonnullos per negligentiam in villis dimissos, ad ripam fluminis tamdiu deuerberasse, donec pecus insulam depascens, mugitum, grunnitumque audiens, desiderio similis animantis fluuium transnatauit, eoque modo magnam prædam abactam. Per idem tempus Sigismundus Imperator Alberto duci Austriæ genero suo Morauiam, ne defensore careret, dono dedit: quamuis iam plerique illius prouinciæ proceres ad Hussitarum insaniam defecissent. Eo quoque tempore Ericius rex Daciæ, & infans Petrus regis Portugalliæ germanus, Iacobi Cardinalis sancti Eustachij excellentis & clarissimi viri pater, Imperatorem accedentes, ambo rei militaris peritissimi, exercitum eius & copijs & auxilijs auxêre. Ob quam rem castra ad Lutembergam Morauiæ oppidum, Hussitarum peste infectum, statim posita: obsidio tribus mensibus eo loco ducta Eques apud Pragenses cognomento Aqua, satis opulentus fuit, & inter suos ciues authoritate præditus. Is sororis filium nomine Procopium quum sobole careret in suum ad- *Procopius* optauit, eumq; grandiusculum, ad Galliam, Hispaniam, Italiam, demum Hierusalem secum adduxit, reuersus in presbyterum ordinari curauit. Qui, surgente in patria Hussitarum nouitate, Zischæ adhæsit, & quum esset robustus, & manu promptus, nulliusque fugax laboris, magno loco apud eum habitus, primos ductauit ordines, malus malo aptissimus. Hic est ille Procopius, qui postea ob res fortiter gestas Magni cognomen obtinuit. Huic prouincia Morauiæ commissa est, & Lutemburgensium defensio. Qui non parua militum manu accepta, inuitis obsidentibus, commeatum in obsessum oppidum importauit, irritamque Sigismundo fecit obsidionem. Dederat Imperator Marchionibus Misnensibus Pontem & Auscam super Albim fluuium, vt eas ciuitates præsidio tuerentur. Obsederunt Auscam Zischa simul cum Pragensibus: Fredericus Marchio Misnensis pater eorum, qui modo prouinciam regunt, & frater eius Lantgrauius Thuringiæ, collecto ex Saxonia, Thuringia, Misnia, & vtraque Lusacia milite, obsessis auxilium ferre statuerunt. Commissum est ante vrbem prælium: incerta diu victoria pependit, quum fortissimi vtrinque caderent, & nunc illi, nunc isti victi victoresque viderentur. Ad extremum cæca cæcum sequuta penes hæreticos fuit. Burggraui

Alàs Chiburgenſes.

Miſnenſes & *Chirpogenſes, & comites Glichenſes, multiqúe nobiles in eo prælio ceciderunt. Ex quibus plerique proiectis armis, flexis genibus fruſtrà vitam ſupplices petierunt. Nouem millia ea pugna ex fidelibus cæſa: Auſca capta, & funditùs deleta. Elatus ea victoria Ziſcha, inſolentius indies agere, eccleſias paſſim delere, ſi quæ reſtabant: ſacerdotes qui more maiorum ſacra peragerent, crudeliter perſequi: nobilibus infenſus eſſe, ciuitatibus grauia imperare tributa: Pragenſium qui detrectarant eius imperium vicos & villas incendere. Ob quas res Pragenſes Baronum auxilio freti, aduerſus eum copias eduxere. Ille cùm ſe armis imparem animaduerteret, ad Albim vſq; profugit, eratq; penè comprehenſus, niſi pater Georgij eius qui nunc regno potitur, per Poggiebracium oppidum tranſitum ſibi præbuiſſet. Nec ſic ſua res facta eſt. Patuerunt & hoſtibus alio loco pontes, per quos Albim tranſmiſerunt: ſed Pragenſes fugientes vltimum agmen inſectati, complures Thaboritas necauêre. Peruentum eſt denique ad montes, vbi Ziſcha vallem ingreſſus, quum loci anguſtias eas eſſe noſſet, in quibus explicare hoſtes ſuas acies minimè poſſent, ſtare ſigniferum iuſſit. Exin commilitones pro tempore hortatus, pugnæ copiam fecit. Certamen atrox commiſſum, victor Ziſcha tria millia Pragenſium cecîdit, reliquos in fugam vertit. Nec moratus, Cuthnam à Pragenſibus inſtauratam iterum vi cepit, atque incendit, & qui Pragenſes inerant, eodem igne conſumpſit. Mox ſucceſſu rerum tumens, infeſtis ſignis Pragam petijt, & ad ſagittæ iactum caſtrametatus obſidere vrbem cœpit. Erant & in ciuitate & in exercitu plurimi, qui hoc diſſidium deteſtabantur, & alij Ziſcham, alij Pragenſes accuſabant. In caſtris quoque tumultuatum eſt, dicente milite, indignum eſſe eam vrbem armis premi, quæ caput regni eſſet, neque de religione ſecum diſſentiret, caſuram breui Bohemorum potentiam, ſi ſe hoſtes diuiſos norint. Materiam belli ſatis magnam à Romano Imperatori præberi, ſtultum eſſe conſilium in ſe arma vertiſſe.

Ziſchæ oratio ad populum.

Accepit Ziſcha quæ vulgò dicebantur, & aduocata in concionem multitudine, vas vinarium quod fortè aderat conſcendens: Nolite, inquit, amari ſuper me fieri fratres, & hominem accuſare, qui vobis ſalutem peperit. Recentes victoriæ ſunt, quas me duce conſequuti eſtis, nunquam ego vos in aliquem locum duxi, vnde victores non redieritis. Vos clari, vos diuites facti: ego veſtri cauſa lumen amiſi, & iam in tenebris ago, nil mihi ex tot bellis feliciter actis, niſi nomen inane ſupereſt. Vobis pugnaui, vobis vici: nec laborum pœnitet, nec mihi cæcitas dura, niſi quòd rei veſtræ priore ex more conſulere nequeo. Nec ego Pragenſes mei cauſa perſequor, ipſi veſtrum ſanguinem, non meum ſitiunt. Parum eis fuerit me iam ſenem & vtroque caſſum lumine perdidiſſe: veſtras illi manus timent, & feroces in periculis animos. Aut vos certè, aut illos perire oportet, qui dum mihi parant inſidias, veſtras animas expetunt. Domeſtica vobis arma timenda magis quàm externa, ciuiles auferre ſeditiones oportet. Pragam prius expugnabimus, ſeditioſoſq; ciues exterminare licebit, quàm Sigiſmundo diuiſionis noſtræ nuncius afferri poſſit. Cum paucis eiuſdem animi tutius imperatorem expectabimus, quàm ſi nobiſcum dubij Pragenſes in caſtris militent. Verùm ne me amplius accuſetis, liberam vobis conſulendi facio poteſtatem. Si libet Pragenſibus pacem dare, non abnuo, inſidiæ modò abſint. Si bellum decernitis, præſto aſſum. In vtramuis partem declinaueritis, Ziſcha veſtri conſilij adiutor erit. His dictis mutati militum animi, bellum decreuere, multitudo arma capere, feſtinare, muros adire, prouocare hoſtem, pro portis vrbis pugnam ciere, egredientes ciues in vrbem repellere, Ziſca ad oppugnationem vrbis cuncta parare.

*De Iohanne Rochezana presbytero hæretico.*

*Caput XLV.*

OPpidum est Pragensis ecclesiæ,non longè à Pelzina, cui Rochezana est nomen. Ex hoc loco puer obscuris parentibus,censuq́; tenuissimo natus,Iohannes nomine,Pragam venit, mendicatuque victum quærens,grammaticam & dialecticam didicit. Quum adoleuisset,nobilis cuiusdam pueri pædagogus factus est: & cùm valeret ingenio, linguaque promptus esset, in collegio pauperum receptus,auditor Iacobelli fuit.Postremò presbyter ordinatus, prædicare verbum Dei Pragensibus cœpit, ex oppido vnde ortum habuit,Rochezanæ cognomen ducens. Et iam nomine & authoritate valebat,quum Zischa Pragam obsideret.Exijt ergo consentientibus ciuibus,& in castra profectus, ciuitati Zischam conciliauit.

*De morte Iohannis Zischæ:*

*Caput XLVI.*

SIgismundus autem vbi Zischæ cuncta ex sententia cedere animaduertit, & iam illum esse vnum, ex quo res Bohemiæ penderent, clam sibi eum conciliare tentauit, gubernationem sibi totius regni, militiæ quoque ducatum, & ingens auri pondus quotannis promittens,si se regem nominaret,& in verba sua ciuitates iurare cogeret. In magnam profecto regiæ maiestatis ignominiam,& imperialis gloriæ dedecus,atque infamiam Reipublicæ Christianæ sempiternam.Sigismundum pluribus regnis præfectum, ex Imperatoribus natum,& ipsum Imperatorem,cuius nomen Italia, Gallia,Germania,& omnis Europa venerata est, quem barbaræ nationes timuerunt, supplicem vidit nostra ætas homini ex parentibus haud admodum nobilibus nato, seni,cæco, hæretico, sacrilego, & in omne scelus audaci,pecuniam & summos honores offerre,vt suarum esse partium dignaretur. Sed auertit diuina pietas eam pestem,& tantum malum è medio Christianorum eripuit. Nam Zischa conditionibus annuens,dum conuenta completurus Sigismundum petit,inter eundum apud Castellum Priscouiam diuinitus, vt par est credere,pestetactus,expirauit:monstrum detestabile,crudele,horrendum,importunum: quod postquam manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illum quum ægrotaret interrogatum,quo nam loco mortuus sepeliri vellet:iussisse cadaueri suo pellem adimi, carnes volucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri,eoq; duce bella geri:arrepturos fugam hostes,quàm primùm eius tympani sonitum audiuerint. Thaborenses, qui reliquas picturas abominantur,Zischæ tantummodò & angeli cuiuspiam calicem manu tenentis effigiem supra portam vrbis pinxêre,eique sacra quotannis agunt.

*De Orphanis hæreticis, qui se post mortem Zischæ separauerunt à Thaboritis.*

*Caput XLVII.*

ZIscha mortuo ingens mœror inuasit exercitum, trepidare,lamentari milites, accusare fortunam, quæ ducem inuictum, morti vincedum dedisit.Nec mora,duæ factiones exortæ. Altera Procopium magnum, quem Rasum quoque vocauêre,cuiusque supra meminimus, sibi ducem præfecit. Altera nullum inueniri posse dictitans, qui iure Zischæ succederet, selectis pauçis, qui communi consilio bellum administrarent, sese Orphanos appellauê-

re inter quos potior habitus est Procopius, cognomento Minor. Atque ita Thaboritæ in duos exercitus diuisi, alij vetus nomen retinuêre, alijs Orphanorum, vt diximus, ob mortem ducis, inditum nomen. Qui etsi aliquando inter se dissentirent, vbi tamen extrinsecus vis ingruit, iunctis viribus in vnis castris sese defenderunt. Muro circundatas vrbes nisi necessariorum emendorum gratia perraro ingredi, cum liberis & vxoribus in castris vitam agere: carros quamplurimos habere, his pro vallo vti. Procedentes ad pugnam, duo ex his cornua facere, in medio peditatum claudere, alæ equitum extra munitiones prope adesse. Vbi congredi tempus visum, aurigæ qui cornua ducerent, ad Imperatoris signum, comprehensa sensim qua voluerunt hostium parte, ordines quadrigarum contrahere: intercepti hostes quibus sui subuenire non possent, partim gladio à peditatu, partim missilibus ab his qui erant in carris, viris ac mulieribus necari. Equitatus extra munimenta depugnare, quem si fortè hostis oppressisset fugientem, mox aperti currus excipere, indeque velut ex ciuitate mœnibus cincta defendi, eoque modo victorias quamplurimas consequi: cùm eam pugnandi peritiam vicinæ gentes ignorarent, & ager ille Septentrionalis latè patens, ad explicandos bigarum quadrigarumue ordines peridoneus haberetur. Egrediebantur duo exercitus, alter Sleſiam, alter Morauiam populabatur, vicinasque regiones assiduis excursionibus infestabant. Theutones per circuitum habitantes, alios Philisteos, alios Idumæos, Moabitasq; vocabant. Bohemiam terram promissionis esse dicebant. Cumq; in proximam prouinciam exissent, prius cum præda depopulatis agris reuertebantur, quàm hostis cognouisset aduentum. Erat & tertius exercitus, quem fratrum Orebitarum appellari diximus. Huic ductor fuit Bredricus presbiter Strasmicensis, natione Morauus, qui bellis assiduis Sleſiam affectauit. Hic etiam hodie viuit, & vrbem Coloniam appellatam possidet. Qui spreta religione Christiana, calcatoque pontificio iure, vxorem publicè duxit, & illa mortua, alteram ex Polonia superduxit, ex qua filios suæ nequitiæ sectatores sustulit. Quum obsiderent Suetlam oppidum in Austria, Thaboritæ simul & Orphani duabus noctibus & vna die absque intemissione mœnia oppugnauêre. Superueniente autem Alberto eius terræ principe cum exercitu, vt auxilium oppidanis afferret, pugnatnm est quatuor fermè horis, nutante hinc atque illinc victoria. Ceciderunt ex vtraque parte primi bellatores. Postremò ita discessum est, vt currus Thaboritæ suos amitterent: Albertus castris exutus abiret, quod negligentia Roberti Vallensis factum credidêre, qui tum ductor exercitus fuit. Redijt tamen paulo pòst Procopius Rasus, & oppidum Retium in Austria celebri obsidione cinxit. Pragenses eius signa secuti, & Boheslaus Cygneus, cuius suprà meminimus, qui eo loco sagitta confossus interijt. Retium vi captum, direptum atque exustum, in quo multi mortales periêre, Burggrauius Magdeburgensis, loci dominus, captus, & Pragam ductus, in carcere diem obijt. His gestis, vocati ab Imperatore Bohemorum principes, ad eum vsque Posonium profecti sunt. Id oppidum Hungariæ, in finibus Austriæ atque in ripa Danubij situm. Neque ingressi mœnia, in tentorijs è regione vrbis mansere. Egressus ad eos Sigismundus, multa de iure suo locutus, paternum atque auitum regnum repetere, si qua essent, quæ prouincialium mentes ab sese alienarent, ea ablaturum, Bohemis, ex quibus natus esset, pacificum, benignumque regem futurum. illi se armis ab eo sine causa imperitos dicere, ciues suos in Constantia contra publicam fidem exustos inauditos, Bohemiæ primores tanquam hæreticos à Romana ecclesia damnatos, regnum sacris contumeliosè interdictum: non esse tam exiguam Bohemorum potentiam, quæ suo nequeat honori consulere. Responsum à Sigismundo benignè datum ad obiecta, oblatumque generale concilium, in quo suam innocen-

nocentiam Bohemi ostendere possent, si se vniuersalis ecclesiæ iudicio submittere vellēt. Bohemos, qui armis vincere consuesset, verbis vinci non tulit, infectisque rebus domum abijt.

*De expeditione in Bohemiam contra hæreticos & rebelles, per Martinum Papam quintum instituta: & de infelici pugna contra eosdem.*

*Caput XLVIII.*

AT Martinus pontifex maximus, vbi armatam hæresim crescere indies animaduertit, priusquam pestis amplius inualesceret, Cardinalem Vintoniensem natione Anglicum, regia stirpe natum, in Germaniam proficisci iussit, qui contra Bohemicam labem vicinas gentes in arma conciret: cui & Imperator adiumento fuit. Instituti sunt tres exercitus. Saxoniæ duces, & quas vocant stagnales ciuitates in primo militauere: secundum ex Franconibus constitutum Marchio Brandenburgensis ductauit: tertio præfuit Otho Treuirensis Archiepiscopus, quem Rhenenses sequuti sunt. Baioarij quoque & ciuitates Sueuorum imperiales. Ingressi Bohemiam tribus locis: postquam syluam penetrauere, iuncti simul, ante Misnam castrametati sunt. Hanc vrbem *Prichicho Elenotensis, inter hæreticos quantum doctior ac facundior, tantum crudelitate ac perfidia nequior, præcedenti nocte ex fidelium manibus se eripuerat. Erat igitur consilium exercitus, hanc vrbē prius recuperare, quàm vltra procederent. Sed quum hæretici collecto raptim milite, in eos properare nunciarentur, non visum hostem fugerunt: Thacouiamque petentes, instrumenta bellica cum præda ibi dimiserunt. Nondum Cardinalis in exercitu fuerat: sed ad Thacouiam fugientibus occurrens, admiratus est tot ducum, tot fortium virorum pauidam fœdamq; fugam, magnis precibus vt redirent in hostem omni ex parte debiliorem hortatur. Quod cùm frustra niteretur, & ipse turpis fugæ comes effectus. Vix syluam ingressi erant, cùm superuenientes Bohemi postremum agmen lacessere cœperunt. Facta est profusior ac pauidior fuga, nec prius Theutones fugere, quàm Bohemi persequi destiterunt. Hostes impedimentis direptis, Thacouiā expugnantes, machinisq; bellicis potiti sunt. Exin Misnam populati, quum per Franconiam redirent, ne Bambergensem agrum Norinbergensemq; vastarent, pecunia placati, diuitem exercitum reduxere. Sigismundus his cognitis, Norinbergam profectus, noua principum auxilia comparat. Martinus quoq; Pontifex maximus Iulianum Cardinalem S. Angeli, literis ac moribus excellentem, cum ea legatione in Theutoniam mittit, vt Bohemis bellum inferat, & adueniente tempore in Basiliensi concilio, quod propediem futurum erat, nomine apostolico præsideat. Is Germaniam ingressus, mox Norinbergam ad Sigismundum se confert: quo in loco frequentes Germanorum reguli conuenerant. Decreta est noua in Bohemos expeditio ad octauum Calendarum Iulij. Dux belli Fridericus Marchio Brandenburgensis declaratus, qui Cardinalem sequeretur. Ingressus est Bohemiam per viam quæ ducit ad Thopam. Institutus Albertus Austriæ princeps, suas copias per Morauiam ducere iussus est. In ea expeditione Albertus & Christophorus Baioariæ, & Fridericus Saxoniæ duces fuere. Iohannes & Albertus Brandenburgenses principes cum patre, quem penes belli summa erat: Herbipolensis, Bambergensis, Eistetensis episcopi, societas Sueuorum, quam Sancti Georgij vocant, & imperialium ciuitatum magistratus, Maguntinus, Treuerensis, & Coloniensis antistites auxilia miserūt, & cum his prouinciarum suarum primores. Supra quadraginta milia equitum fuisse traduntur. Peditum minor erat numerus, Nam Germani

* *aliàs Priercho Clenouensis.*

patentibus freti campis, equeſtres plerunque pugnas agitant. Promiſerat & Renatus Lotharingiæ princeps in eam expeditionem ſeſe venturum. Sed domeſtico bello implicatus, dum comitem Videmontenſem oppugnare nititur: neque promiſſo ſatis fieri poteſt: neque comes Palatinus Rheni, qui Videmontenſi opem tulit, aduerſus Bohemos ire permittitur. Cardinalis dum eos opperitur, ad Calendas vſque Auguſti profectionem ſuſpendit. Albertus interea ex Auſtria ducens, cùm ad dictum diem adeſſe Cardinalem minimè intelligeret, impar Bohemicæ potentiæ retroceſſit. Ingreſſus deinde Cardinalis, numeroſum exercitum ductans, multas hæreticorum villas incendit, oppidáque diripuit, in quibus non auaritia tantùm, ſed crudelitas etiam militum graſſata eſt, qui mares cum fœminis obuios, ſenes, puerosque paſſim necauêre. In extremis tamen regni partibus ea calamitas deſæuit, cùm duces copiarum interiora petere formidarent. Bohemi, qui iampridem hoſtem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coegerant, & vbi fidelium domicilia reperiebant, ea ferro atque igne vaſtabant. Inter quæ Stiltiuergium oppidum ab Orphanis expugnatum ac direptum, puberes ad vnum necati. Interea ſiue proditio in exercitu fidelium fuit, quod plurimi putauere, ſiue inanis ſua ſponte mentes hominum pauor inuaſit, totis caſtris trepidatum eſt, & priusquam hoſtis vllus in conſpectu daretur, fœdiſſima cœpta fuga. Mirari Iulianus vnde hic timor, quæ ratio tantum exercitum fugere ſuaderet, ambire duces, hortari arma expedirent, aciem inſtituerent, forti animo hoſtem expectarent. Non de regni gloria, aut agrorum poſſeſſione certari: de vita, de religione, de Chriſti honore, de animarum ſalute bellum geri. Turpe Germanis eſſe, quorum nobilitatem virtutemque totus orbis celebraret, ex prælio fugere: mori ſatius, quàm hoſti nondum viſo cedere. Neque ſecuros intra mœnia habitare poſſe, qui campos hoſti relinquerent, arma viros non muros tegere. Niſi gladijs modò libertatem ſuam tueantur, aut caſuros breui hoſtili ferro, aut ſeruitutem morte miſeriorem laturos. Sed fruſtra apud eos cohortatio fuit, quorum pudorem metus euicerat. Ablata ſunt raptim ſigna, & tanquam nullus eſſet in exercitu ductor, tumultuosè quiſque non expectato imperio, non ſalutato comite, multi etiam proiectis armis, non aliter quàm ſi hoſtis à tergo inſtaret, rapido curſu fugam maturauêre. Quibus & Cardinalis inuitus ſeſe comitem dedit. Hoſtis paulò poſt ex metu alieno factus audax affuit, impedimentisque omnibus, quibus per ſyluam non erat facilis exitus, & ingenti præda potitus eſt. Albertus tamen quum accepiſſet intraſſe Bohemiam Cardinalem, & ipſe iterum raptim ex Auſtria coactis copijs, in hæreticos duxit. Præzoroniamque munitum oppidum oppugnare adortus eſt. Sed fuga Cardinalis cognita, ab incepto deſtitit, & per Moraniam, quæ nondum ei parebat, infeſta ſigna circumferens, ſupra quingentas villas ferro atq; igne deleuit. Oppida multa vi cepit atque diripuit: mortalium maximam cædem fecit, adeoque gentem illam afflixit, vt iugum eius accipiens, parêre ſibi ea lege promiſerit, vt circa religionem id ſequi teneretur, quod Baſilienſe concilium decerneret.

*Iuliani ad fortitudinem oratio.*

### *De inchoatione Baſilienſis Concilij, & de vocatione Bohemorum ad ipſum Concilium, vt fidei ſuæ rationem redderent.*
### *Caput XLIX.*

EXactus ex Bohemia legatus, Baſileam ſe contulit, ibique concilium celebrauit Sigiſmundus, qui per tempus expeditionis Norinbergæ ſe contulerat. Ad coronam imperij Romæ ſuſcipiendam iter ingreſſus, primoribus regni Bohemiæ literas dedit, in queis ſcriptum erat, ſe natione Bohemum nulli

nulli genti magis quàm ſuæ affectum, Romam non aliam ob cauſam petere, quàm coronæ ſuſcipiendæ gratia. Id decus Bohemorum genti accidere, cuius honeſtandæ ſibi maxima ſemper cura fuerit. Cœptum eſſe iam ſua opera Baſileæ concilium, hortari eos, qui ſe audiri de religione cuperent, eò proficiſci, nec plus ſapere vellent quàm mater eccleſia catholica: auditurum benignè conuentum rationes eorum, tantùm operam darent, vt cum ſynodo de religione conueniant, ſibique redeunti pacatum regnum reſeruent: neque enim ſe arbitrari Bohemos eius imperium fugere, cuius frater, pater, auus apud eos regnauerint: nec ſe alia lege regnaturum quàm cæteri Chriſtiani reges. Scripſit & ipſa Baſilienſis ſynodus Bohemis, vt legatos mitterent, qui fidei ſuæ rationem oſtenderent, ſecuritatem itineris & dicendi quæ vellent libertatem promittens. Fuerunt inter Bohemos duæ ſententiæ: Orphani & Thaboritæ & plebs fermè omnis, eundum eſſe negabant, Ioannis & Hieronymi exemplum in medium afferentes, qui Conſtantiam ad ſynodum profecti ſub fide Sigiſmundi, publicè combuſti fuiſſent. Nobilitas verò Mainardum ſequuta principem Nouæ domus, virum cordatum & ingenio dextro, petendum eſſe concilium prorſus aiebat, nec tolerandos videri, qui nouas peregrinasúe de fide ſententias, nouumque ritum religionis inueniſſent, niſi dictorum factorumque rationem vniuerſali eccleſiæ redderent, & quæ vulgo inculcauerant, coram doctis defenderent. Vicit hæc ſententia. Legatio CCC equitum Baſileam miſſa, cuius principes fuêre Gulielmus Coſca, non tam equeſtri dignitate, quàm eccleſiarum direptione inſignis: Procopius cognomento Raſus, idemque magnus multis victorjjs, magnisque ſceleribus nobilitatus: Iohannes Rochezana, pſeudo Pragenſium apoſtolus: Nicolaus Galecus Thaboritarum ſacerdos, & Petrus Anglicus patria profugus, ac ſolis elenchis in diſputatione confidens. Effuſus extra mœnia vrbanus populus, ex ſynodo quoque complures, aduentum fortiſſimæ & iam fama celebratiſſimæ gentis pro portis expectauêre. Alij frequentes in plateas quà tranſitus eſſet conuenere: matronæ, pueri, puellæ feneſtras atque tecta compleuere: alij hunc, alij illum digito deſignare: peregrinos habitus, non viſa prius veſtimenta mirari: horribiles hominum facies, truces notare oculos: non eſſe alienum dicere, ab ea hominum ſpecie facta, quæ fama prodiderat: in vnum tamen cuncti Procopium defigere lumina: illum eſſe qui toties fidelium fudiſſet exercitus, qui tot oppida ſubuertiſſet, tot hominum milia neci dediſſet, quem ſui pariter atque hoſtes metuerent: inuictum ducem, audacem, intrepidum, neque labore neque timore ſuperandum.

*Sigiſmundi literæ ad Bohemos.*

*Bohemorum legatio.*

*Procopius.*

## *Oratio Iuliani Cardinalis ad Bohemorum legatos, reſponſiuaq; eorundem.*
## *Caput L.*

EXceptos Bohemorum legatos hoſpitaliter, poſtridie in concione accerſitos Iulianus Cardinalis benignè alloquutus, & longa & luculenta oratione, quæ adhuc extat, ad ea quæ pacis & vnionis eſſent cohortatus eſt: eccleſiam Chriſti ſaluatoris ſponſam omnium fidelium matrem eſſe dictitans, claues ligandi atque ſoluendi habere, candidam ſine ruga, ſine macula, in his quæ neceſſaria ad æternam vitam eſſe creduntur, errare non poſſe: qui eam contempſerit, alienum, prophanum, & quaſi ethnicum publicanumque cenſendum: eam nuſquam melius quàm in generali concilio repræſentari. Statuta conciliorum eccleſiæ placita exiſtimari: concilijs non minus quàm euangelijs credi oportere, quorum authoritate & ipſa ſacrarum literarum eloquia recepta ſunt: Bohemos, qui ſe filios eccleſiæ dicerent, vocem matris audire

debere, quæ filiorum obliuiſci non poteſt: eos iampridem ſeorſim à matre vixiſſe: neque id nouum eſſe. Complures aliquando fuiſſe, qui matrem reliquere, rediſſe tamen qui ſalutem optauere: regnante diluuio, omnes periiſſe qui extra arcam remanſere: dominicum agnum in vnis ædibus comedendum: extra eccleſiam non inueniri ſalutem: hanc eſſe concluſum hortum, ſignatumque fontem, cuius aquam ſi quis biberit, non ſitiet in æternum. Ex re ſua feciſſe Bohemos, qui eius aquæ flueuta apud concilium requiſiuerint, matremque tandem audire ſtatuerint. Faceſſere iam odia debere, ponenda eſſe arma, omnemque belli materiam procul abiiciendam: audituros benignè patres quæcunque Bohemi pro ſua cauſa dicere velint: tantùm parati animo ſint, ne bene conſulta ſanctæ ſynodi conſilia reſpuant: quibus non Bohemos tantùm, ſed omnes Chriſti fideles conquieſcere oportet, ſi modò æternæ vitæ participes eſſe velint. Audita eſt Cardinalis oratio ſummo patrum conſenſu. Bohemi pauca reſpondere, quibus par facundia non eſſet: Se neque concilia neque eccleſiam contempſiſſe: aduerſus inauditos ſententiam Conſtantiæ latam: nihil de religione Chriſtiana detrahere: incorruptam apud ſe patrum authoritatem manere: quodcunque Bohemi aſſerant, ſacris literis atq; euangelio confirmari: veniſſe vt innocentiam ſuam vniuerſali eccleſiæ pateſaciant, petereque publicam audientiam, in qua laici quoque adſint. Neque id negatum. Interrogati quænam illa eſſent, in quibus à Romana eccleſia diſſentirent, quatuor articulos propoſuere. De communione diuinæ Euchariſtiæ, quam ſub ſpecie panis & vini ſumendam his qui ſaluí eſſe velint neceſſariò affirmabant. De ciuili dominio, quod clericis interdictum diuina lege dicebant. De prædicatione verbi Dei, quam liberam permiſſamque paſſim omnibus arbitrabantur. De publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putabant, etiam maioris mali vitandi gratia. Nam quamuis plurima ſint, quæ Huſſitarum perfidia aduerſus catholicæ fidei veritatem aſtruere ac prædicare non dubitat, coram concilio tamen doctorumque patrum cœtu, hæc tueri tantummodo poſſe arbitrati ſunt, eaque regni nomine dicta. Verùm quum legatus alia quoque de Bohemis accepiſſe ſe affirmaret, quæ Chriſtianas aures offenderent: inter quæ illud eſſet, quòd religiones Mendicantium inuentum eſſe diabolicum prædicarent: aſſurgens Procopius, Neque hoc falſum eſt, inquit: nam ſi neque Moyſes, neque ante eum patriarchæ, neque poſt eum prophetæ, neque in noua lege Chriſtus dominus, neque apoſtoli mendicantes inſtituêre, quis non intelligit diaboli tenebrarumque opus eſſe? Excepta eſt ingenti auditorum cachinno Procopij vox: Legatus verò vt erat manſuetiſſimus pater, argumentationem indocti hominis placidè diſſoluit: neque enim patriarcharum prophetarumque placita, & quæ Chriſtus inſtituit, quæ ſanxerunt apoſtoli duntaxat à Deo eſſe docuit, verùm eccleſiæ quoque decreta, quæ ſancto dirigente ſpiritu ducitur, opera Dei eſſe monſtrauit: quamuis & aliunde Mendicantium vita ex euangelio ſumpta videri poſſit. Selegerunt Bohemi quatuor magiſtros, qui ſuos articulos ex diuina lege ſumptos oſtenderent. Qui eos confutarent, ex cœtu patrum totidem aſſumpti viri præſtantes, & ad dicendum parati. Diſputatum eſt quinquaginta diebus: multa in vtramque partem adducta. Poſtremò quum victa Huſſitarum perfidia vinci nollet, ad tractatus ventum: tentatumque ſi fortaſſe amice trahi poſſent.

*Bohemorum reſponſio.*

Miſſi & oratores ex concilio in Bohemiam viri doctiſſimi, & qui gentis verſutiam noſſent. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis ſpes facta, nunc belli metus.

De vi-

*De victoria Bohemorum fidelium, & debellatione mortęq; Procopÿ, ac aliorum hæreticorum.*

*Caput LI.*

DVm hæc aguntur, Thaboritæ & Orphani Mainardo cæterisque nobilibus infensi esse cœperunt, eorumq; suspectas actiones habere, tanquam concilio auscultarent. Neq; vana opinio. Conuenere namq; sæpe inter se Barones, errorem suum recognoscere, miseros se dicere: qui quum regis imperium abdicauerint, Procopij iugum ferant: illum dominum esse, illum pro sua libidine prouinciam regere, vectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum quò velit ducere, rapere, spoliare, occidere, nullum pati qui suis consilijs aduersetur, nobiles iuxtà atq; ignobiles ei mancipia esse, nullum hominum genus infelicius esse Bohemis, quos semper in castris versari oportet: æstates atq; hyemes sub diuo agere, in duro iacere solo, arma in omnes horas versare, nunc ciuilibus bellis, nunc externis agitari, aut bellum geri, aut belli metum impendere. Excutiendum tandem crudelis tyranni iugum, neq; ferendum, vt qui cæteras gentes armis vicerint, Procopio seruiant. Placet accersire publicè conuentum procerum & ciuitatum, in quo regni status reformetur. In eo Mainardus ei regno bene esse dicit, in quo neque per ocium marceant homines, neq; per bellum atterantur. Bohemos hactenus expertes fuisse quietis, attritum assiduis calamitatibus regnum: periturum breui nisi occurratur: incultos iacere agros: homines atq; armenta sensim deficere: id accidere quòd omnia in potestate vnius sita essent, qui sine consilio procerum ciuitatumq; pro suo arbitrio rem gereret. Illi salubre bellum esse: nam si paci locus sit, imperium eius statim casurum. Deligendum vnum esse ex nobilitate ducem, cuius potestas annua sit, nonnullosque ei adiungendos, quorum consilio domi belliq; rempublicam administret. Ne verò vsurpare sibi Barones imperium viderentur, ex media nobilitate assumendum ducem consuluit. Itum est fauente conuentu in sententiam Mainardi, Alscio Riemburgensis antiquæ nobilitatis homo, sed tenui censu, dux gentis declaratus, quem Capitaneum vocauêre. Cæterùm maiestatis insignia penes eum fuere, authoritas apud Mainardum extitit. Procopius his cognitis, Orphanos & Thaboritas in expeditionem ducens, ad vrbem Pelzinam, quam fideles incolebant, castra ponit, atq; vndecim continuis mensibus pertinaci obsidione, crebrisq; oppugnationibus vrget. Oppidani extrema omnia passi, ac iam fame pereuntes, ad synodum Basilienſem misêre oratum, ne fidelem vrbem in manus hæreticorum peruenire sinerent. Patres, quibus non esset publicum ærarium, ex priuato argento symbolum dedere, auri octo milia numûm Mainardo mittentes, qui collecto exercitu subueniret obsessis. Per idem tempus, ea pars Pragæ, quę Noua ciuitas appellatur, ab Orphanis impósito præsidio tenebatur cuius præfectus erat presbyter Lupus Rochezanæ infensissimus: aduersum quem prædicando plebem incitabat. Ille in veteri ciuitate, apud ædem sanctæ Mariæ ante lætam curiam habitabat, Lupumq; suis & ipse sermonibus probrosisq; maledictis lacerabat. Ob quam rem crescentibus odijs, clausêrunt Orphani aditus veteris ciuitatis in nouam: turresque ligneas plurium tabulatorum erexêre, quibus oppidanos in aduersa ciuitate missilibus infestarent. Ea occasione vsus Alscio conuocata nobilitate, nihil esse imperium suum dicit, quòd Thaboritæ Orphaniq; contemnant, regnum maturè periturum, nisi magistratibus pareatur. Rogat proceres in medium consulant. Placet omnibus cum ea manu militum, quam Mainardus comparauerat, Pragam peti. Nec morati, veterem ciuitatem ingrediuntur, ligneas turres amoueri, pareręque omnes Alscioni iubent. Negant Orphani ducem esse, quem neq; ipsi, neque

*Pulchre*

*Alscio.*

Thaboritæ ſuſcepiſſent.Fit tumultus,committitur in vrbe prælium. Lupus vbi ſuos cedere animaduertit,pluresq; cadere,ſalutem pedibus petijt.Diſiectæ turres ciuitatis omnes,in poteſtatem Alſcionis factæ. Pelzinenſes re cognita, Procopio è muris illudere,hortari ſuis ciuibus opem ferat,alienos ne laceſſat. Stultum eſſe eum qui ſua tueri nequeat,infeſtare aliena: niſi ſuopte ingenio ab obſidione diſcedat,venturos breui proceres,qui nolentem cogant.Ficta ea Procopius credere,atq; oppidanis ad ferendam fortius obſidionem blandimenta oblata. At vbi certum nuncium de geſtis Pragenſibus accepit, ſoluta mox obſidione,plenus irarum, cũ omnibus copijs verſus Pragam iter dirigit. Properanti communes amici occurrunt,de pace inter eum & nobiles agunt: diuiſum inter eos regnum ſtare non poſſe,conſulendum communi quieti,neque concordiam ſine viribus,neq; vires ſine concordia ſufficere: ciuitatibus eius populi inexpugnabile munimentũ eſſe,qui concordib. animis arma tractaret: lites ex arbitrio ducis componi poſſe,delectis ex vtraq; parte pari numero viris,quorum conſilio leges pacis dicerentur. Procopius demum ita ſe pacem habiturum reſpondet,ſi noua Praga ſibi reſtituatur:ſi munitiones deiectæ reficiantur:ſi Pelzina eo in ſtatu reponatur,in quo fuerat ante diſſolutã obſidionem:nam commeatus iam eò importati fuerant.Nobiles vbi res factu difficilimas peti vident,Procopiumq; vincula,verbera,cædes minari, cùm alia via pax inueniri non poſſet,armis decertare conſtituunt. Relicta itaq; ciuitate,cuius nutare animos non ignorabant,obuiam hoſti pergunt. Ventum eſt ad locum inter Brodam Bohemicam & Burim, quatuor milibus & quingentis paſſibus à Praga diſtantem, in agris latè patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt,& ſublato clamore,alteri alteros cõtumeliosè compellant. Decreuerat Procopius haudquaquam pugnæ copiam facere,niſi ex occaſione prærogatiua daretur.Erat ei animus recta via Pragam petere, vbi non dubitabat nouam ciuitatem ſibi portas aperturam. At equitatus nobilium munitiones eius prætergreſſus, dum fortè vltimam partem apertam videt, raptim ingreditur,cædemq; magnam facit. Hoſtes improuiſo malo præuenti,quid agant neſciunt.Trepidatur totis caſtris:inſolita res terrorem auget.Neq; enim intra munitiones curruum intraſſe prius equites aliquando viderant.Cæduntur paſſim pedites,fit fuga aperta ex altera parte mole quadrigarum. Inſtant nobiles,ſternuntur vbiq; fugientes. Procopius vbi ſuos retinere non poteſt, nec audire hortamenta periculum metusq; ſinit, inter confertiſſimos hoſtes dilapſus,cum cohorte quam ſibi ex fortiſſimis magis quàm amiciſſimis delegerat,aliquandiu hoſtis impetum ſuſtinet:multisq; cæſis,victoriam penè hoſtibus eripuit.Sed circumuentus multitudine equitum,non tam victus quàm vincendo feſſus,telo in incertum miſſo transfoditur.Pari modo & alter Procopius,quem minorem appellari diximus,in eodem globo fortiter pugnans occumbit.Atq; is finis duobus illis pernicioſiſſimis ac deterrimis monſtris fuit. Sic Thaboritarũ & Orphanorum ſcelerati exercitus,inuicti prius,victi ac deleti ſunt.Procopiũ Raſum quis occiderit ignoratũ eſt, quamuis Coſcha de quo ſuprà meminimus,id facinus honeſtum dignumq; præmio ſuum dixerit,quitum partes nobilium ſequebatur.Primus eius victorię author habitus eſt Mainardus,poſt eum Ptarſconis magna virtus viſa.Coapcho verò,qui Thaboritarum equitatum ductabat,rei militaris apprimè peritus,& qui multis aliquando damnis Prutenos affecerat, & à rege Poloniæ vocatus,vſque Gedanum & mare Baltheum, victorem exercitum duxerat, ex hoc prælio dilapſus, cum magna parte equitatus in Coloniam ſeſe recepit. Confecto bello cum multa milia captiuorum eſſent,Mainardus concilio procerum accerſito,perdere peſſimam plebem ſtatuit,quæ nutrita in armis, omnem ætatem in caſtris egerat, nec ſub legibus victura crederetur, rapinis & cædibus atq; adulterijs aſſueta.

*Procopiorum interitus*

Qua

Qua ſtante,pacatum regnum ſtare non poſſet. Sed veritus ne ſimul innocentes interficeret,qui ex agris coacti ad pugnam venerant, voce præconis edici iubet,nondum bellum peractum eſſe,fugiſſe Coapchonem, Coloniam expugnari oportere,vicinasque per circuitum gentes quæ regnum populārentur, armis domandas. Ad eam rem neceſſarios, qui ſub Procopijs militaſſent,viros fortes,& in bello exercitatos : decretum eis ex publico ſtipendium,donec regnum pacaretur.Proinde omnes qui ſtipendia facere vellent,in horrea ſeſe proxima reciperent,cauerent,ne rudes inexpertosq; belli ſecum admitterent: illos ſua rura ſuosq; lares repetere poſſe. Introierunt horrea, quæ apud Bohemos in villis ex maceria culmo tecta, frequentia ſunt, pleraq; Thaboritarum & Orphanorum milia, homines nigri, ad ſolem & ventum indurati, aſpectu tetri atque horribiles,& qui circa fumum in caſtris vixiſſent, aquilinis oculis, impexo crine,promiſſa barba,corporibus proceris, membris hiſpidis, cute adeò dura,vt ferrum quaſi lorica repulſura videretur. Clauſa ſunt confeſtim oſtia,& ignis immiſſus horreis,quo fex illa & colluuies hominum,ignominioſum agmen,poſt multa quæ patrauerat ſcelera,exuſta,contemptæ demum religionis pœnas dedit.

## *Quomodo Sigiſmundus Romæ coronatus, poſt multas diſſenſiones & bella cum pace & gaudio à Bohemis ſuſcipitur.*
### *Caput LII.*

Sigiſmundus interim ab Eugenio Pont. max. Romæ coronatus, Baſileam petierat,diſſidioque patrum quod tunc erat cum Eugenio ad tempus ſedato,Vlmam ſe contulerat. Ea eſt Sueuiæ ciuitas, ad vlteriorem Danubij ripam ſita. Licius amnis, qui Sueuos à Baioarijs diſterminat, eregione vrbis in maiori flumine exoneratur. Hic audira Thaboritarum Orphanorumq; clade,legatos in Bohemiam mittit,regni proceres commendat,qui viros nocentes deleuerint.hortatur regni quietem procurēt,ſeq; regem ſuſcipiant, quem fratri ſucceſſorem ius gentium dederit. Illi magno numero apud Ratiſponam eum conueniunt,regemque ſalutant. Venerunt & ſeorſum Coapcho & Iohannes Rochezana,de ſuis rebus acturi. Legati quoque Baſilienſes,qui Pragæ fuerant, & cum Bohemis certo modo conuenerant, eò ſe contulere. Sigiſmundus auditis quæ de religione in communione placuerant, conuenta probauit,eaque ſeruari mandauit. Exin poſcentibus Hungaris, nauibus per Danubium vectus,Budam petijt,vbi reformato rerum ſtatu, vocatis ad ſe Bohemorum principibus,in Alba regali ſexaginta milia numûm inter eos diſtribuit,pecorumque maximum numerum. Dicta die qua vellet Bohemiam ingredi,non moratus Iglauiam venit:vbi concilio cum Bohemis habito,conuenta legatorum ſynodalium iterum comprobauit firmauitque. Ea huiuſcemodi fuere. Bohemis ac Morauis eccleſiaſticam vnitatem, pacemque complectentibus, ſeq; in cæteris, omnibus præterquam in vſu communionis vtriuſque ſpeciei vniuerſalis eccleſiæ fidei ac ritui confirmantibus, authoritate domini noſtri Ieſu Chriſti & eccleſiæ ſponſæ ſuæ, ſub duplici ſpecie panis ſcilicet ac vini,his qui conſueuiſſent,diuinæ euchariſtiæ communicare licebit.An verò ex præcepto Dei id fieri debeat,generale concilium in Baſilea congregatum diffiniet & quod vtilitati fidelium ſalutiq; congruat, lege in perpetuum valitura conſtituet. Quo facto ſi perſeuerauerint Bohemi in eiuſmodi communionis deſiderio,idque miſſa legatione petierint, ſacer conuentus Bohemiæ ac Morauiæ ſacerdotibus communicandi ſub vtraque ſpecie perſonas ſibi ſubiectas,& in annis diſcretionis conſtitutas,& quæ id reuerenter poſtula-

uerint,libertatem impartietur: ea conditione adiecta, vt inter communicandum plebem publicè inſtruant,non ſub ſpecie panis carnem Chriſti tantùm, nec ſub ſpecie vini ſolùm ſanguinem, ſed ſub qualibet ſpecie totum & integrum contineri Chriſtum. Breuis concordiæ notula, verùm tot ſententiæ, quot verba,quibus peregrinæ de fide ſententiæ,diuerſiq; de religione ritus eliminari iubentur:& quod eccleſia vniuerſalis credit,quod ſeruat,genti Bohemorum credendum ſeruandumq; præcipitur: circa communionem tantùm permiſſa nouitas. Cæterùm inter Bohemos & Imperatorem aliæ pactiones interuenere,quibus eccleſiarum prædia occupatoribus iure pignorum relicta ſunt,donec certa pecunia redimerentur. Religioſis vtriuſque ſexus, quibus adempta monaſteria eſſent:exulibus quoque ſpes reditus interdicta, Rochezanæ Pragenſis eccleſiæ præſulatus promiſſus, de diſponendo eccleſiarum Bohemicarum regimine, ſummo pontifici facultas oblata. His ſic conſtitutis,Rochezana cum alijs quatuor presbyteris, nomine totius cleri ſibi adhærentis,ſedente Sigiſmundo pro tribunali in foro ciuitatis erecto, aſſiſtente Alberto genero, magnaq; procerum & oratorum circumſtante corona,obedientiam Romanæ eccleſiæ ſeſe præſtare profeſſus eſt.Sequenti verò die haud abſimili ſolennitate abſoluti ſunt ab anathemate, cæterisque cenſuris hæretici,& in eccleſiam per concilij legatos introducti. Vbi quum diuina celebrarentur,Rochezana perfidiæ ſuæ non immemor,altare accedens,diuina re peracta,vni quem iuſſerat ex laicis adeſſe,ſecramentum ex calice dedit. Et quamuis Ioannes Polomor,alter ex concilio legatus in aliena eccleſia id ſibi non licere aſſereret,eumque prohiberet,in propoſito perſtitit. Ob quam rem penè in irritum conuenta ceciderunt.Compoſita tamen iis eſt,ex eo conuentionis capite,quo ſancitum erat,ne paucis pacta violantibus,communis concordia rumperetur.His compoſitis,Sigiſmundus vj.Cal.Septem. anno vj & xxx.ſupra milleſimum & quadringenteſimum ab ortu ſaluatoris domini,Pragam venit: vbi,qui paulò antè Bohemorum hoſtis euaſerat, ex adulterio natus,antichriſti fillus,ſacrilegus,publicis hominum votis perdendus cenſebatur, extremis honoribus exceptus eſt. Barones ac ciuitates in eius verba iurauerunt,& magiſtratus ſuos quos ipſe cõſtituit acceperunt,certantes inter ſe,quis alter alteri ſuo regi obſequentior videretur,vt eſt humanum ingenium vtranq; in partem immodicum,ſiue perſequi,ſiue obſequi malit.Philibertus epiſcopus Conſtantienſis,natione gallicus,& collegæ ſui ex Baſilea miſſi,eccleſiaſticos introducere ritus,ſacerdotes inſtituere,ex miſſarum ſolennib.vulgaria verba,cantilenasq; detrahere, ſanctorum imagines reducere,aquam benedictam in ædibus ſacris reponere,baptiſmatis fontes ſacrare,altaria ornare, ſpurcitias omnes abolere.Paruere complurimi,quib.mens ſanior fuit. Rochezanæ complices reſiſtere,obloqui,blaſphemare,plebem modis omnib.auertere.Ipſe quoq; incentor malorum ex parochia S. Mariæ ante lætam curiam, quã propria temeritate inuaſerat, amoueri minimè potuit: neq; laniare ſermonib.ſuis inter prædicandum Romanam curiam prætermiſit, legatisq; ſæpe necem per inſidias machinatus eſt. Sigiſmundus aũt cùm eccleſias pollutas intrare nollet, templum S. Iacobi, quod fratrum minorum fuerat, & in quo machinæ bellicæ tum ſeruabantur,reſtitui ſibi popoſcit.Annuit ciuitas,& aliquot monachi introducti ſunt, qui verbum Dei prædicarent. Id olim ne Ziſcha ſubuerteret, armati carnifices defendêre, ſepulchris maiorum conſulentes. Redierunt & alij mendicantes,tum Celeſtini,Sclaui,Serui ſanctæ Mariæ,Theutones,Hieroſolymitani,& nonnullorum monaſteriorum abbates. Sacerdos quoque ſancti Georgij in arce Pragenſi, quæ principis honore defungitur,& paſtorali baculo vtitur,ſacris præfecta virginibus,ab exilio remeauit.Hæc ex veteri more quotannis in celebritate ſancti Viti nouellum regi panem offerre tenetur.

Reſti-

Restituti sunt & cathedralis ecclesiæ canonici, ac vicarij & mansionarij, ornamenta altaribus reddita, diuinum officium instauratum: Legati Basileam missi, qui declarationem super articulo communionis expeterent: quumque nulli essent ecclesiæ redditus, ex quibus ali templorum ministri possent, iussit Imperator ex fisco regio per singula canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum distribui, minoribus clericis dimidium dari. Ea res annuè aureorum sex millia apud ecclesiam cathedralem absumpsit. In alia quoq; templa donaria collata. Noua iam facies vrbis, nouus populus, verus redijsse religionis cultus apparebat. Quibus ex rebus liquet, Imperatorem, quæ fœdera cum hæreticis percussit, necessitate magis admisisse quàm voluntate: voluisse illum paternam hæreditatem quoquo modo intrare, sensimque regni possessione accepta, more maiorum sub veram Christi religionem prouinciam reducere. Iam reges ei populique Christiani de regno recuperato congratulabantur, eiusq; nomen in omni ecclesia magnum erat. Eugenius quoq; Pontifex maximus auream rosam indicem suæ lætitiæ ad eum misit. Thaboritæ qui superioribus cladibus superfuerant in oppido conseruati, ea lege in gratiam recepti, vt quinquennio toto suis moribus viuerent, religionis cultum mutare non cogerentur, iura ciuitatis haberent, signum ferrent, in sigillis rubra cera vterentur, tributi nomine singulis annis sexagenas decem penderent. Sed cùm nefandas eorum consuetudines Sigismundus accepisset, quibus illi circa rem diuinam vterentur, quinquennium haudquaquam expectaturum se dicere, correpturum propediem scelerate ciuitatis insaniam, Rochezanam hortari, Romanæ ecclesiæ se subijceret, sic posse pontificatum ei committi: superbienti, & aliena de fide sapienti ascensum desperandum esse, quin vel consecratus episcopus eiici deberet. Ille mente superba, & opinione sua inflatus, dietim peior, dietim venenosior effici, monachorum reditum ægerrimè ferre, quorum sermones non minus quàm suos acceptum iri verebatur. Ob quam rem occurrente inter prædicandum sermone de monachis, Veniunt, inquit, noui dietim ad nos dæmones, quos monachos vocant: his studium est eijcere nos de veritate: at si viri fuerimus, prius sanguinem effuderimus. Id Sigismundus vbi accepit, Imò nos, inquit, Rochezanæ sanguinem non inuiti ante aras libabimus. Non latuit Rochezanam Sigismundi sermo, qui ex amicis commonitus clàm aufugit. Eius ecclesia Rapusconi bono & docto viro commissa, quem nos postea exulem, perturbatis iterum rebus, in noua domo vidimus. Priusquam Bohemiam intrasset Sigismundus, Iohannes Rohacius, nobili loco natus, ingenio malo, mente pessima, non longè à montibus Cuthnis, intra syluas in edito colle castellum exædificauit, vocauitque montem Sion, asserens ex eo loco veritatem aliquando exituram, quæ gentem Bohemicam libertate donet. Euntibus ad Iglauiam cæteris nobilibus Imperatorem suscepturis, ipse domi manens, vicinis infestus prædas agitat, instigantibus nonnullis baronibus, quibus pax noxia, bellum salubre videbatur. Sigismundum quoque lacessit, armenta boum & * ouium, quæ illi aduehebantur ex Hungaria rapit. Itinera quoq; insecura infestaq; reddit, neque à purpuratis regibus abstinet. Sigismundus Henricum Ptarsconem qui hominē corripiat cum exercitu mittit: obsidio quatuor ducta mensibus, castellum summa vi occupatum. Sed in cacumine montis situ, vallo, fossa, murisq; opportune munitum, difficile superatu erat. Eriguntur turres, quæ munitiones murosq; superent, tela intra iaciuntur, multi vtrinq; cadunt, obsidentium plures, in quos tela haud frustra cadebant. Accessum ad muros altior fossa prohibebat, quæ licet aqua caruit, laboriosum tamen periculosumq; militi erat, sagittis vndiq; cadentibus in eam descendere, atq; inde rursum vallum quo muri præcingebantur ascendere. Cuniculis igitur aditus in fossam paratur, relicto terræ ali-

Rohacius.

*aliàs uinâ.

quanto,ne fraus intelligi posset instar ostij ante fossam. Expectatur ventus qui ex castris in castellũ spiret. Is vbi vehemens datus est, armati aditum ingrediuntur, tormenta ænea quàm plurima simul incenduntur, ventus fumum in castellum rapit, milites aperto cuniculorum repagulo in fossam prosiliunt, & admotis scalis vallum ascendere nituntur. Prandebat tum fortè Rohacius: pauci qui pro muris excubabant, clamorem attollunt. Fit tumultus, concurritur vndiq; ad defendendum vallum. Rohacius quoq; relicto cibo, sumptis armis auxilio suis ex arce aduolat: pugnatur eodem tempore pluribus locis acerrimè. Vbi Rohacius adest, hostis ex alia parte vallum superat, stragemq; latè faciens castellum ingreditur. Rohacius dum redire in arcem festinat, præcluso itinere capitur, arx quoq; vi rumpitur, latronibus qui eò confugerant interceptis, sacerdotiq; Hussitarum vesaniæ participi, qui sacramenta ministrabat hæreticis, indita vincula: ducti omnes Pragam suspendio vitam finiêre. Furcarum, quibus damnati pœnas dedere, triplex differentia fuit: è sublimiori Rohacius pependit, imam tenuere latrones circiter nonaginta: media sacerdotem arripuit nomine Medium: atque ita Medius in medio furcarum damnatam animam deuotamq; Satanæ reddidit.

*Rohacij interitus.*

## *De morte Sigismundi Imp. & quem reliquerit in testamento hæredem.* Caput LIII.

AEgrotare interea Sigismundus cœpit, exaugente morbum senectutis incommodo. Barbara imperatrix de retinendo imperio solicita, Henricum, Ptarsconem, Sterenbergium, Georgium Poggiebracium, & alios plerosq; barones, quorum authoritas apud Bohemos potior, clanculum ad se vocat, Sigismundum breui moriturum asserit, futuras in regno turbas, nisi rei suæ quàm celerrimè consulant: quietis vnicam viam esse, si se viduam rex Poloniæ ducat vxorem. Id ei suasu facile. Nam quis matrimonium renuat, quod dotalia duo regna sequantur, eaque maxima & opulentissima? Suo nomine & in Hungaria & in Bohemia oppida munitissima custodiri, comites Ciliæ alterum fratrem, alterum nepotem auxilia præbituros, multosq; in Hungaria proceres suas partes complexuros. Placet Bohemis imperatricis consilium, datisq; dextris fœdus ineunt. Mulier iam anus, nouum coniugium mente complexa, filiam, quę in spem regni creuerat, & Alberto duci Austriæ nupserat, ex animo dimouet, nec aliud, quàm noui concubitus gaudia meditatur. Inexhaustam fœminæ libidinem, quæ tumulo quo propior est, eo genitalis thori, nuptialisq; facis cupidior & curiosior redditur. Non latuerunt Imperatorem furentis fœminæ excogitatus. Qui postquam referentibus medicis moriendum sibi esse cognouit, ex Bohemia cuius sibi dubia fides erat, in Morauiam se vehi iussit, visurus filiam priusquam vita excederet. Illa cum viro ad eum in ciuitatem venit, quam Snoima vocant. Ibi mox Barbara virum sequuta, custodiæ traditur. Vlricus Ciliæ comes præmonitus, fugam arripuit. Imperator vocatis in cubiculum Hungariæ ac Bohemiæ primoribus, aduentasse resolutionem sui corporis, nec iam amplius se viuere posse affirmat, iturum se patrum viam. Cæterùm priusquam oculos claudat, de salubri statu regnorum suorum velle cum eis agere. Albertum Austriæ ducem, generũ suum esse, & virtute præstantem, & generis nobilitate sublimem, cum se non minus amare quàm filium, successorem itaq; suum nominare, rogare supremam voluntatem suam exequantur, beatum id regnũ futurum, cui Albertus imperauerit. Exin legatos nominat, qui se mortuo Bohemiam petentes, in cõuentu procerum testamentũ suum patefaciant. Inter quos Gaspar * Slik princeps fuit, matre Italica ex comitibus Collisalti agri Taruisini, patre Theutonico natus, ex familia Lazana prouin-

*Barbara.*

*In anilem libidinem.*

*aliàs Silichius*

prouincię Franconiæ, ingenio dextro, facundia suaui, doctrinę cultor, ad omnia genitus quæcunque ageret. Quem vique adeò fortuna & virtus extulit, vt quod erat prius inauditum, trium Cæsarum successiuè regnantium cancellariæ præfuerit, vnus ex ducibus Sleſiæ filiam sibi in matrimonium tradi non recusauerit. Sigismundus illi Egram & Cubitum, & alia in Franconibus oppida dono dedit: Albertus in Hungaria Calesium, & Albam ecclesiam: Fredericus in Austria Grecium. Versatile profectò ingenium, & naturæ bonitas singularis, quæ inter tot Imperatores, moribus prorsus dispares, pari gratia viuere potuit. Nos huius amicitia in curia Frederici Cæsaris vsi, si quid profecimus, quod scimus quàm tenue est, adiumento eius sequuti sumus: episcopatum certè Tergestinum, vnde reliquæ dignitates prouenêre, ipse nobis primus committi curauit. Mortuus est Viennæ ex apoplexia, & apud Carmelitas cum coniuge sepultus. Sigismundus supremis suis ordinatis, inter amicorum manus defecit.

## *De sepultura Sigismundi Imperatoris.*
## *Caput LIIII.*

ALbertum barones qui aderant ex Hungaria & Bohemia, concordibus animis regem salutauêre. Ipse missis in Bohemiam suis à Sigismundo delegatis, versus Posonium iter flexit. Miserabile spectaculum, & humanarum rerum singulare documentum, Imperatrix captiua, & Imperatoris cadauer vnà vehitur. Occurrunt lugubres Hungari, nec tenere lachrymas in tanta rerum nouitate possunt. Hic defuncti Regis corpus fletum elicit: inde reginæ vincula commiserationem excitant. Solatur tamen miseros noui Regis electio, cuius virtutis multa extabant documenta. Duo inter se pugnantes curæ occurrebant, altera sepeliendi regis, plena mœroris: altera coronandi, lęta iocundaq; Iusta prius defuncto regi persoluta, corpus eius in Varadino, vt in vltima voluntate placuerat, sepultum. Albertus in Alba regali, cum coniuge sua Elizabeth, kalen. Ianuarij summo consensu & applausu populi coronatus est.

## *De Alberto Bohemorum Rege quartodecimo, & etiam Romanoum rege.*
## *Caput LV.*

LEgati in Bohemiam profecti, vulgato Sigismundi testamento, Albertum vicinum, potentem, nobilem, virtute præstantem, Bohemis amicum, regem assumi petunt. Ioannis, Caroli, Venceslai, & ipsius Sigismundi erga regnum merita commemorant. Natam ex earum sanguine Elizabeth, non esse paterna hæreditate priuandam. Inter Bohemiæ reges & Austriæ principes fœdus extare, procerum consensu & imperiali authoritate firmatum: vt deficientibus in altera domo masculis hæredibus, altera regnum accipiat. Defeciſſe masculos in Bohemia regiæ stirpis, successorem ex Austria vocandum. Neque alium regno idoneum viderunt, quàm Albertum, qui & vxoris, & suo iure, & soceri iudicio præferendus sit. Futurum eum regem, quem Bohemi ex cœlo missum putent. Hungari quem cupidè regem acceperint, Bohemis haud aspernandum. Flectitur his Bohemorum conuentus. Albertus pridie nonas Maias rex designatur. Verùm proceres qui cum Barbara conspirauerant, non alio pacto in Albertum consentiunt, quàm si postulatis suis morigeratur. Alscio Sternenbergius eorum nomine Albertum adijt: sed frustra eius preces fuêre. Albertus ea fermè Bohemis, quæ socer, affirmauit. Interea Barbara, dimissis quæ possidebat in Hungaria inexpugnabilib. castellis, libera

tati reddita est,duodecim millia aurea nummûm,locis patentibus,quoad viueret ei singulis annis constituta. Ptarsco de voluntate Alberti ab Alscione certior factus, accersitis ex factione sua primoribus,quorum pars potior hæretica fuit,Hussitarum sequax erroris,Casimirum regis Poloniæ germanum, tredecim annos natum, regem appellat, missisq; oratoribus auxilia petit, quibus nobile regnum ei conseruari possit. Inter hæc & electores imperij apud Francfordiam conuenientes, rem Romanam Alberto commendant. At illi acceptare imperium iniussu baronum Hungariæ haudquaquam licebat.Id enim eis promiserat,quum se regem accepêre.Vocati primores regni, negabant ex vsu esse Hungariæ regi, Theutonicis cæterisq; gentibus imperare:dum Sigismundus Romanæ rei consulturus, Italiam, Germaniam, cæterasque prouincias peragraret, Hungariam Turcarum direptioni patuisse. Multa in vtramque partem dicta,postremò victi precibus Frederici ducis Austriæ tunc adolescentis, assensum dedere: imperium summa Germanorum congratulatione ab Alberto susceptum. Nec mora,legati ad regem Poloniæ, nomine gentis Bohemicæ missi, Ioannes Rabensteinus, & Henricus Placius, oratum ne fratrem turbare Bohemiæ regnum patiatur,meminerit inter Bohemos ac Polonos veteris amicitiæ: Albertum ex Sigismundi testamento,& prouincialium decreto, regem esse, non potuisse paucos qui Casimirum vocauêre,ius regni in alterum transferre. Si pergat alienum regnum fratri parare,caueat ne de suo certare cogatur. Polonus ad ea,Bohemos sibi amicos esse fatetur, cupere beneuolentiam perpetuò stare: at fratri quem primarij barones regem vocauerint, ius auferre non posse:Polonis ac Bohemis vnam esse linguam, & vnam vtriq; genti originem: cum Theutonicis nihil Bohemis esse commune: nihil prouincialibus incommodius, quàm sui regis vocem non intelligere,atq; in omni colloquio interpretis egere. Regnum sibi suum satis tutum fidumq; esse,neq; se externam vim vllam timere. Proinde orare,vt fratrem potius ipsi recipiant, quàm ipsi ab eo recipiantur: donatósque preciosis pellibus,vt est mos gentis,oratores dimisit. Legatis autem alterius partis,missurum se propediem auxilia pollicitus.Albertus medio tempore Iglauiam petit,quo in loco ab Vlrico Rosensi,Mainardo,plurimisq; Bohemiæ proceribus percupidè expectabatur. Ptarsco verò per nuncios eum rogat,ne prius regnum ingrediatur,quàm sibi factioniq; suæ faciat satis. Neque enim passurum se regem esse, quem ipse non elegisset. Albertus quod maior pars regni statuisset, id ratum esse debere respondit: hortari ne regni quietem interturbet. Inuenturum benignum regem,si paci consulat: sin pergat res innouare, plus belli reperturum quàm velit.Exin motis castris Cuthnam occupat, quam Ptarsco sine præsidio reliquerat. Petenti Pragam frequens populus occurrit,atq; vt hostium victori congratulantur. Et quamuis iterum Ptarsconis factio conuentum peteret, prius quàm rex coronaretur, reiectis precibus,tertio kalendas Iulij solenni pompa coronam accepit. Ptarsco verò Coloniam,& alias suæ factionis ciuitates impigrè muniuit. Quumq; duo millia equitum ex Polonis ad eum veniissent,populari eorum agros cœpit, qui regem introduxerant: & tanquam diu Bohemia quieuisset, nouo exultans bello, adeò gloriabundus in campos exijt, vt captiuos nobiles quos fortè interceperat,ea conditione iuratos dimitteret,vt se non prius representarent,quàm castra muris Pragensibus admouerentur. Albertus & si auxilia ex Austria Hungariaq; asciuerat,illis tamen non expectatis,hosti copiam pugnandi fecit. Quam Poloni detrectantes, per montes Cuthnæ,& Sobesla uiam, ad Thaboritas se contulere, amicam sibi ciuitatem, castrisq; ante vrbem positis, Albertum expectauêre. Ipse cum copijs egressus,per Beneschauiam ad eos festinans, legatos præmisit, qui Polonis dicerent, Inter Casimi-

*Albertus Imperator factus*

rum.

rum,cuius cauſam agerent, ſeq; belli præmium Bohemiam eſſe, cauerent ne incendia agitarent. Experirentur prælio,cuius prouincia eſſet:cultam potius quàm deſertam mallent: ſeſe moram minimè facturum, quin pugna litem regni definiat. Poloni ad hæc huiuſcemodi reſponſum dedere. Aequo ſe ferre animo Alberti arrogantiam pugnam petentis: nam ſuperos ſuperbis infenſos eſſe. Venturum,non defuturum prælium, Polonos faciem hoſti,non terga oſtentare ſolitos. Lætus eo nuncio Albertus,quadrato agmine in conſpectum hoſtis aduolat. Quo intra caſtra ſe continente,& ipſa caſtra ſua è regione Thabor ad iactum lapidis tormentalis metatus eſt. Pugnatum ſingulis diebus in campo, qui medius inter bina caſtra iacebat:nunquam totis viribus in fortunam belli ventum, Polono non tam facilè egregia manu facinora ædente, quàm verba magnifica ore iactante. Erant in caſtris Alberti, Chriſtophorus Baioariæ princeps,qui poſtea regno Daciæ potitus eſt,Fredericus Saxoniæ dux,& Albertus Marchio Brandenburgenſis, cuius nomen ab eo tempore cultum, magnumq; fuit. Triginta millia militum Alberto parebant:Polonis quatuordecim millia,quorum caſtris iuncta ciuitas,magno adiumento erat. Tormenta quoq; ænea in vtriſq; caſtris plurima,maiora apud Albertum fuere.Ex quibus vni quod erat maximum,ignem admoueri iuſſit, cuius lapis emiſſus miræ magnitudinis,quum præter opinionem in caſtra hoſtium cecidiſſet,multos mortales interemit. Vidiſſes paſſim corpora ſine capite iacentia,capita quoq;, pedes,membraq; ſine corpore in cruore fluitare, iumenta humi procumbere mortua.Neq; enim primo ictu duntaxat,ſed multiplici ſaltu pluribus in locis decidens ſaxum ſtragem fecit.Quare conſternati Poloni,relictis caſtris intra vrbem ſe recepêre. Georgius Poggiebracius per idem tempus quum Thaboritas peteret: nam & ipſe Ptarſconi iunctus erat, in alam quandam Alberti equitum fortè incidens, commiſſo prælio hoſtem proſtrauit,atque hinc primum homini nomen datum. Albertus verò quum expugnari Thaboritæ aliter quàm fame nequirent,ſoluta obſidione,Pragam rediit:Poloni exhauſti argento, amiſſis equis, pedibus in patriam abiêre. Fredericus Saxonum princeps,dimiſſo rege domum rediens,in hoſtium inſidias incidit. Sed nihil improuiſa re motus,ordinata raptim acie,ea conſtantia eaq; fortitudine pugnam iniit, vt penè victus captusq; vicerit,cæſisq; quampluribus,captos abduxerit. Rex Poloniæ nondum cognitis, quæ in Bohemia ſuis acciderant, cum duobus magnis exercitibus Sleſiam ingreſſus, in Bohemiam properabat. Sed intellecta ſuorum fortuna, popularis hoſtium agris domum rediit: Albertus autem relicto qui regnum gubernaret Vlrico comite Ciliæ per Sleſiam Gorlicium venit. Vratiſlauienſibus verò (ea eſt ciuitas nobilis ac præpotens,& Sleſitarum caput) Albertum marchionem Brandenburgenſem petentibus belli ducem dedit, qui Poloniam ſæpe infeſto exercitu petens,longè lateq; prędas egit.Non multis poſt diebus actum de concordia. Rudericus Burgenſis epiſcopus, natione Hiſpanus, doctrina ac virtute præſtans,arbiter litis ex Baſilienſi concilio miſſus, Albertum conuenit. Diſceptatum eſt inter legatos partium: non conuenientibus,indutiæ belli dictę, conuentus in aliam diem apud Vratiſlauiam ſtatutus. Eò veniens Albertus, ex gradu fortè prolapſus, grauiter læſus, pluribus diebus ægrotus decubuit. Exin claudus effectus,infecta pace,per Morauiam in Auſtriam rediit. Interea comes Vlricus, qui Bohemiæ præerat, inter barones de vendicando ſibi regno agere cœpit. Albertus cognito eius ſtudio,properatim ſtipendia ſubtraxit,gubernationem dimiſit.Ille materia adempta,qua Bohemorū animos ſibi conciliabat,ex prouincia diſceſſit:nec vltra remiſſus eſt,regni cura Mainardo & Vlrico Roſenſi commiſſa. Per idem tempus Deſpotus Seruiæ,quam Raſciam vocant,cum ſacerdotibus & nobilibus in Hungariam profugerat, Tur-

carum impetum veritus, vno tamen relicto filio, qui caſtellum Sinderouiam in ripa Danubij ſitum, & à Turcis obſeſſum tueretur. Albertus ab Hungaris inuitatus, obſeſſis opem laturus, Budam petijt. Interea Georgius Palotius, Strigonienſium pontifex, diem obijt, qui coronam regni, diuitemq; regum ſupellectilem in arce ſeruauerat. Qua re cognita, Albertus eò ſe confert: arx reginæ deditur. Quæ dum theſaurum regni coram baronibus ad eam rem ſelectis recognoſcit, coronam beati Stephani regis, quam ſacroſanctam putant, clam ſurripuit, anuiq; cuſtodiendam tradit, cætera obſignatis occludit arcis.

*De morte Alberti inclyti Regis.*
*Caput LVI.*

ALbertus Budam reuerſus, non expectatis auxilijs, aduerſus Turcas exercitum ducit: caſtra inter Titiam amnem ac Danubium collocat. Interea Turcarum Imperatore victo caſtello, excæcatoq; Deſpoti filio, cuius ſororem in matrimonium duxerat, domum abijt: crudelis, qui neque coniugij affectum ſenſit. Verùm Turcis matrimonij neceſſitudo leuis, apud quos ſinguli pro opibus plures vxores habent: regibus eo amplius nubere licet. Ita animus multitudine diſtractus, nullam pro ſocia, pariter omnes viliter habet. Albertus vbi expugnatam Sinderouiam, Turcas abijſſe cognouit, dimiſſo exercitu, Budam redijt. Sed inſolito feruentis Auguſti calore vexatus, dum peponibus nimium oblectatur, in ventris ſolutionem incidit, ſentiensq; periculum, moriturus in patria, Viennam repetere ſtatuit. Iter ingreſſus, quum iam Strigonium præterijſſet, in villa quæ Longa dicitur, condito teſtamento vi. kal. Nouembris deceſſit, princeps liberalitate ac fortitudine clarus, & qui cæteris rebus longè religionis ſtudium antepoſuit.

*Quomodo Bohemi poſt mortem Alberti eligunt in regem Albertum Baioraiæ ducem, ſed electioni conſentire noluit.*
*Caput LVII.*

BOhemi qui Alberti regis cauſa inter ſe diſſidebant, cognita morte, apud Pragam conuenientes, vnum totius regni corpus efficiunt, atque ad eligendum nouum regem ad viij. kalendas Maias diem ſtatuunt. Rochezana qui dudum apud Grecium exulauerat, domum reuertitur, ſuoq; more inſaniens, Romanam eccleſiam, cardinalesq;, patriarchas, cæterosq; per orbem epiſcopos blaſphemans, apud ſolos Bohemos incorruptæ veritatis inueniri ſacramenta dicit: precioſiſſimum Chriſti ſanguinem paruulis ac dementibus præbet. Sacerdotes ſuæ temeritati aduerſantes, domo pellit: popularibus communionem ſub ſpecie vini recuſantibus, eccleſiaſticam ſepulturam interdicit. Redeunt damnata tempora, ſuumq; placitum, ſuumq; quiſq; ingenium recepit. Regina Elizabeth iam filium ex Alberto pepererat viij. kalend. Martij, Ladiſlaum nomine, atq; Hungarorum ei coronam impoſuerat. Mittuntur ad eam legati, qui dicant, ad eligendum regem diem ſtatutam: ſi quid iuris in regno Bohemię ad ſe ſpectare confidat, oratores mittat, qui rem ſuam agant. Regina natum ex Alberto filium in cunabulis oſtendit, rogat ne paterna hæreditate pupillum exuant. Tempus mittendi legatos arctum eſſe, neque enim amplius quàm dies quindecim ſupererant. Si prorogetur terminus, miſſuram qui pueri iura ediſſerant. Erat inter legatos Procopius Rabenſteinus nobilis eques, doctrina ac morum lenitate præſtabilis, cuius nos amicitia pluribus annis oblectauit. Is quum Alberto ſeruiſſet, habiturum ſe

curæ

curæ ait,quæ regina mandaret.Reuersus in Bohemiam,eos primùm adijt,qui partes Alberti fouerant. Exponit reginæ desiderium, suadet conuentum. Res digna exauditione videtur. Verùm Ptarsco,& qui Alberti recusarant imperium,quum iam Pragæ conuenissent,regno consulendum quantocyus esse dixêre. Reginam spernere,instare,properare,vocare absentes:Illi diẽ ex die consulto proferre,moræ causas nectere. Interea legati ab regina veniunt,fit frequens conuentus. Intromissi oratores proceres rogant,Sigismundi & Alberti suorum regum meminerint, nepotem filiumq; ne respuant: contra ius gentium paternam hæreditatem puero ne adimant: fœdera cum Australibus percussa ne violent:pupilli atque orphani misereantur. Sunt non pauci qui læto fauore legatorum postulata suscipiunt.At qui Albertum oderant,filium regem negare, cuius patri tanquam regi non paruissent. Infantem regno inutilem esse,regem à regendo dictum: qui regendus sit, regem vocari non posse. Antequam Ladislaus adolescat,longum tempus effluxurum,posse interim regem assumi, qui per se regat. Satis esse Ladislao,si post quatuor & viginti annos ad regnum vocetur: medio tempore locum alteri faciat. Reges regno dari, non regna regibus. Fredericum Austriæ ducem, iam Romanorum regem electum, Bohemis indulsisse, vti quem vellent regem sibi asciscerent. Vicit hæc sententia. Albertus itaque Baioariæ dux,maiore procerum voto rex declaratur, qui apud Venceslaum quondam nutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittuntur ad eum primores regni,inter quos Vlricus Rosensis,homo semper se tempori accommodans,princeps fuit: qui licet Alberti partes olim defenderit, huius tamen sententiæ suasor extiterat. Quibus ea res indigna videretur,hi Procopium ad Fridericum Cęsarem clàm ire iubent,rogantes nobile regnum ne pupillo negligat,cuius tutelam susceperit. Iam enim Elizabeth Hungarorum inconstantiam verita,qui ad Poloniæ regem defecerant, Ladislaum ad eum miserat educandum. Fredericus audito Procopio, missis ad Albertum Baioariorum nuncijs, hortatur ne regnum sibi alienum vsurpare præsumat: quod quum difficile, tum ignominiosum fuerit Bohemis, quibus defuncti regis hæres esset,non licuisse alium eligere, neque se potestatem eam dedisse, quemadmodum in Bohemorum conuentu nonnulli ementiti fuerant.Procopium verò in Bohemiam remittit,qui ius Ladislai haudquaquam se neglecturum asserat. Albertus ea virtute atq; animi moderatione vsus est, quæ postquam reges esse cœpere, rarissima semper fuit. Nam venientibus ad se Bohemorum legatis,amplum & nobile regnum offerentibus gratias egit,qui se vnum ex omnibus elegissent, cui parêre vellent, dignumq; tanto imperio iudicassent. Multa se idcirco debere Bohemis, neque id vnquam beneficij obliuioni daturum. At quum regis Alberti soboles extet, indecorũ esse cum alterius iniuria regnum quærere, paternam hæreditatem nulli auferendam: qui pupillos suo iure dispolient, dijs atq; hominibus inuisos pœnas aliquando patrati sceleris dare:cognouisse se non vano rumore fœdus antiquum inter Bohemos & Australes extare,deficiente mascula sobole principem ne foris assumant: fidem seruare pulchrum,ne cui temerè noceatur cauendum.Sceleſtam execrabilemque vocem illorum, qui regnandi causa ius violandum astruunt. Atque ita maiorem se spreto regno monstrauit, & si verum fateri licet, clarissimum egit regem.Nam regnum apud eos est qui spernunt,non qui cupiunt.

*Alberti modestia.*

*De Ladislao infante Bohemorum Rege.*
*Caput LVIII.*

BOhemi ab Alberto repulsi, iterum conuenientes, legatos ad Cæsarem mittunt,petentes tutorio nomine vti regnum accipiat.Is in Belgicum se

iturum dicit, coronæ ſuſcipiendæ gratia, quum redierit, de reipſa tranſacturum. Reuerſum potentiſſimi ex Bohemia proceres adeunt, inter quos Ptarſco quum eſſet Alberti filio infenſus, ſeorſum Fredericum alloquitur, regem vt ſeipſum faciat hortatur, facilè id futurum, ſi tutelam pupilli reijciat. Nam quum cæteri deſint. Bohemos ſuopte ingenio regnum ſibi oblaturos, cui ex fœdere tanquam ſeniori Auſtriæ principi debeatur. Negauit Fredericus orphani, cuius tutelam gereret, hæreditatem ſe quoquo pacto inuaſurum. Nec tamen Bohemiam tutorio nomine adminiſtrare voluit, quam ſine profuſione magna pecuniarū retinere non poterat. Nam Bohemi niſi ex regibus quotidiana munera accipiant, ab officio recedunt. Neq; regnum eſt cuius fiſcus abundat: regiæ poſſeſſiones in priuatas manus peruenêre, argentifodinæ vnde opes regiæ in immenſum creuêre, maiore ex parte perierunt. Diſtracti cenſus, vectigalia prorſus extincta: niſi populares in ſumptus regios pecuniam conferant, quam vocant Bernam, aut rapere vnde viuat regem oportet, aut precariò regentem mendicare. Suaſit igitur imperator ipſi per ſe prouinciam regerent, donec pupillus adoleſceret, donatosq; oratores à ſe dimiſit. Domum reuerſis. gubernatores eligere placuit, inter quos Ptarſco & Mainardus priores habiti. Stetit aliquandiu concordia diſcors. Nam licet Mainardo Ptarſconiq; factionum capitibus parum conueniret: & alter conuenta cum concilio habita ſeruanda eſſe diceret catholicarum tutor partium, alter ſperneret Rochezanæ amicus: ab armis tamen abſtinuêre, mediumq; quoddam temperamentum inuentum eſt, quo partium cuique ſuo voto liceret viuere. Verùm Ptarſcone vi morbi repentè extincto, Mainardi poteſtas aucta eſt, cui quum Pragenſes, tum potiores regni ciuitates paruêre. Id ægrè fuit aduerſæ parti, quæ Ptarſcone defuncto ad Georgium Poggiebracium ſe contulerat, eumq; ſibi ducem elegerat, iam tum rei militaris peritia, rebusq; ſtrenuè geſtis inſignem. Orare igitur ne iacere ſuas partes ſinat, Mainardum indies creſcere, Pragam in poteſtate habere regni Metropolim, ſacerdotes qui Romanum ritum introducant magnificare, qui veritates patrum ſequerentur perſequi. Occurrendum temeritati hominis, qui peregrinos mores patriæ anteponat, Pragam ei auferendam, neq; id eſſe difficile: ciuibus non placere Mainardi regimen, Rochezanam multos habere amicos, qui excitato tumultu arma capeſſant: audendum eſſe fortibus viris, fortunam ipſam aperire victoriam. Georgius ipſe qui ſuapte natura magna cuperet, collaudatis ſuaſoribus nonnullos in vrbem ire iubet, qui pertentatis ciuium animis quæcunq; inuenerint ad ſe referant. Poſtquam multi aures adhibent, coniuratione facta, inuadendæ vrbis dies conſtituitur. Coniurati incendium in parte vrbis admodum remota excitant, concurritur ad reſtinguendum ignem. Interea Georgius ex aduerſa parte cum copijs muros inuadit: nec mora, proditores in id inſtanti portas aperiunt: extollitur clamor vt in capta vrbe ſolet. Hinc tremor ſuprema timentium, inde exultatio victorum exaudiri. Trucidantur paſſim reſiſtentes. Mainardus in eo tumultu captus in arcem coniectus, ibique tandem obijt, ſiue tædio diutini carceris, ſiue vt pleriq; putauerunt, exhauſto veneno. Ex illo tempore Praga ſine controuerſia in poteſtate Georgij fuit, neque poſthac aduerſari palàm voluntati eius ex baronibus quiſquam præſumſit, quibus poteſtas ſuſpecta viſa: durum imperium, in concionibus laudare hominem, probare regimen, blandiri, vnum eum eſſe dicere, qui randem regni calamitatibus modum imponat. Id nulla via rectius fieri poſſe, quàm ſi rex in regnum veniat, precari, numen obteſtari, id patriæ non deneget legatos ad Cæſarem mittat, inſtet, vrgeat, facturum tutorem denique quòd in pupilli rem ſit: ſi pergat aduerſari, nihil Bohemis imputandum alium regem quærentibus. Sententia quamuis ingrata Georgio, accepta in auribus populi

Berna

Praga per proditionem capta.

Mainardi mors.

puli refelli non potuit. Missi ad Cęsarem oratores nihil impetrauêre: pupillaris ætas excusationem prębuit, quaquam sæpius idem tentaretur. Venêre plurimi ex Bohemis ad Fredericum visendi Regis gratia. Inter quos Georgius cognomine Giscra, armorũ gloria clarus, qui partes eius vnus fermè defẽderat in Hungaria, quum Rex Poloniæ regnum inuasisset, * prædones sæpe acie fuderat: Ioannem Huniadem bis castris exuerat: rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat. Is vbi ad conspectum Regis intromissus est apud Nouam ciuitatem, quo in loco tunc aderamus, astantibus pluribus illachrymans, Ladislai manum exosculatus, in hunc modum verba fecit: Video te tandem teneoq; mi Rex, si scires quę pericula propter te adiui, quibus me laboribus implicui, quot aduerso corpore vulnera accepi. En cicatrices testimonio sunt, patri ego tuo tibiq; vitam deuoui. Nulla vis est, nulla fortuna, quæ alienare animum à te meum possit, officia mea sola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatem non intelligis. Et subridens: Quod ergo, inquit, mihi præmium fidei ac laboris erit? & quod das mihi tuo stipendium? Sextum tunc annum agebat Ladislaus: qui postquam Giscra finem dicendi fecit, oculos huc atq; illuc circumuoluens, loculos Ioannis magistri cameræ suspiciens ex phylacterio pendentes, qua ille numos more Theutonico pauperibus erogandos asseruabat: hanc tacitus arripuit, æraq; sex tantùm, neq; enim plura inuenit, illinc deprompta Giscræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & prouidum & liberalem futurum iudicauêre. Giscra innexos postmodum auro numos è collo suspendit, regię gratitudinis monumentum. Hungari qui mortuo Alberto Regem Vladislaũ ex Polonia vocauerant, diu imperium Ladislai obtrectauêre, bellumq; aduersus Turcas infeliciter gessêre, in quo Vladislaus fortiter pugnans obtruncatus est. In conuentu deinde ciuitatum procerumq; Ladislaus Rex appellatus: missa legatio ad Fredericum Cęsarem in qua regni primores fuêre, decretum electionis exposuit, Ladislaũ in Hungariam mitti coronandũ postulauit. Responsum est, rectè Hungaros egisse, qui Regem tandem suum recognouerint, electione tamen haudquaquam opus fuisse in eo, quem natura Regem dedisset, neq; coronandum esse, qui semel coronatus sit. Puerum adhuc egere tutore. nullius tutelam salubriorem esse, quàm Frederici Imperatoris & proximi consanguinei: Expectarent ętatem regno idoneam, interea per se regnum administrarent. Diu inter Hungaros & Imperatorem ob negatum Regem inimicitiæ fuêre, & armis quoq; tentata res est. Ioannes Huniades infestis copijs Austriam ingressus, quamuis ferro atque igne agros vastauerit, Regem tamen coronamq;, & quæ repetebat in Hungaria castella, obtinere non potuit. Pugnauit iterum contra Turcas, à quibus magno prælio victus, humilior factus Cæsaris beneuolentiam & petijt & impetrauit. Ob quam rem quamuis sæpe & ab Hungaris & à Bohemis Ladislaus peteretur: res tamen ad duodecimum eius annum protracta est. At quum Fredericus imperialis coronæ suscipiendæ gratia Italiam petere statuisset, rursus Bohemi, Hungari, & Australes, legationibus seorsum missis, Imperatorem fatigauere, Ladislaum reposcentes: postulata omnibus negata sunt. Ad Bohemos, qui ea de re conuentum Pragæ habituri erant, ac ferocius agere videbantur, Regem alium electuri, nisi mos eis geretur, legatos mittere placuit, quibus & nos additi sumus, Prouinciales, quibus apud Pragam dies statuta fuerat, grassante illic peste, in Beneschauia conuenêre, quos in frequenti conuentu, præsidente Georgio Poggiebracio, in hunc modum alloquuti sumus, Petiuistis ex Cæsare viri Bohemi, Ladislaum Regis quondam vestri filium ad vos mitti: idem Hungari, idem Australes importunis precibus exigunt. Si vobis mos geritur, illos offendere necesse est: si preces aliorum audiantur, contemnere vestras oportet: si necessarium sit alterum ex duobus, vestram ami-

*Giscra. Alias Polonos.*

*Legat. imperatoris oratio.*

citiam præferet Imperator. Vetus enim maiorum suorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum vltrò citroque beneficiorum memoria recens. Sin virtus claritasq; pensitanda est, quis Bohemico nomini non inuideat, cuius victorias tempestate nostra plures numerare licet, quàm reliquæ gentes omnibus seculis comparare potuerint? Verûm Cæsari hoc tempore in hanc electionem descendere haudquaquam necessarium videtur, quando ea pueri ætas est, quæ neq; vobis neq; Hungaris vsui esse potest. Esto, veniat in Bohemiam Ladislaus, quod inde regno emolumentum cedet? Illéne ius litigantibus dicet? statum Reipublicæ reformabit? aduersus hostes copias ducet? belli, pacísue munia obibit? Nihil horum præstare potest, cui rectè tutela opus est. Illud in primis eius aduentus faciet, Regis pompa ducenda est, ornanda regia, adhibendi ministri, curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecunia opus. Vobis nullum ærarium esse audio, nullos census, nulla vectigalia publica. Ad vestras igitur opes recurrendum, vos præstare sumptus, vos Regem alere, vos inexplebilem curiam & insatiabiles ministros explere oportebit. Video præterea inter vos non paucos esse proceres, consilio, authoritate, atque opibus benè pares. Cura Regis vni committenda erit, non omnibus: ille dominus, ille Rex vester iudicabitur, qui Regis corpus in potestate habebit. Et quis vestrûm est, qui non eum honorem sibi quàm alteri malit? Semina inter vos discordiarum petitis, nisi prius in vnum conueneritis, qui Regis curæ præsit. Vos his incommodis Fredericus liberat, qui suo sumptu pupillum regni gubernans, dissensionum vobis fomitem aufert. Nec vos latet, quandoquidem tenera Regis ætas est, corpus eius in potestate Cæsaris rectius esse quàm in alterius cuiuspiam. Ille enim consanguineus est, ex eadem familia natus, & Imperator. Et quis pupillo Regi conuenientior tutor detur, quàm princeps principum? Si sit inter vos & Hungaros contentio coram extraneo iudice, de custodia corporis Regis, par causa vestra atq; illorum iudicabitur. Vtriq; Regem petitis, vtriq; fidelitatis documenta præstatis. Verùm in hoc illi superiores erunt, quia natum apud se Regem coronatumq; dicent. Apud Cęsarem vestra causa longè iustior est, quàm Hungarorum: seipsum tamē in cura patruelis vobis pręfert. Curate regnum, pupillum sibi dimittite, quem postquam pubes fuerit, vobis in primis credet. Quòd verò oratores vestri dixêre, alium Regem accersendum à vobis esse, id magis terroris incutiendi causa dictum Imperator existimat, quàm quòd animo vestro ea sententia sedeat. Neque enim vestra fides incorrupta prius, hoc repromittit, neq; progenitorum Ladislai in vos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens eius ætas quicquam demeruit. Cæterùm voluite animo prius vt sapientes decet, quémnam Ladislao præferre possitis? cuius sanguinem, si matris originem memoria tenetis, quatuor Romanorū Imperatores produxêre. Si paternam prosapiam exquiritis, quinquies imperatoria dignitas in Australi domo resedit. Obscuritatem quęrat necesse est, cui tanta claritas non satis facit. Addite potentiam, amicitias, clientelas. Austriam vobis vicinā possidet, Morauia, Slesia illi parent, Hungari, & si res nouas moliri videantur, ab officio tamen non recedent. Imperator à quo regnum vestrum dependet, sanguini suo non deerit, nec ius familiæ suę negliget. Boioarię Saxoniæq; duces, Marchiones quoq; Brandenburgenses, & omnes fermè Germanię principes, Ladislaū propinqua necessitudine attingunt. Non potest hic pupillus offendi, nisi & tota Germania lædatur. Hæc superfluè vobis commemorari non ambigo, verùm ita iussit Imperator. Ille in Italiam pupillum secum adducet: reductum, puberemq; factum, si perstiteritis in fide, ad vos primùm mittet. Vos interea pro grauitate integritateq; vestra, quòd in rem Bohemici regni, pupilliq; sit, consulere admonet. Verisimilis oratio visa, neq; sine fauore

excepta

excepta est:acceptioremq; Procopius noster collega reddidit,qui patrio sermone latinæ linguæ ignaris verba nostra interpretatus est. Iussi sumus ex conuentu paululum abire, mox reuocatis responsum datum. Redditæ Imperatori gratiæ, qui eam legationem misisset, atq; in dimittendo rege, Bohemos præferret cæteris. Accipere se bene consulta consilia,missurus ex nobilitate sua primarios iuuenes, qui Cæsarem Italiam petentem sequantur, eiq; ministrent. Expectaturos quietè reditum,quem felicem faustumq;superûm benignitate futurum exoptent.

## *De morte Barbaræ imperatricis uxoris Sigismundi.*
## *Caput LIX.*

APud Grecium Barbara imperatrix ea tempestate decedit, inexhaustæ,libidinis mulier, quæ inter concubinos illaudatum æuum publicè agitans,sæpius viros petijt quàm peteretur, neq; Christianæ neq; alteri cuipiam religioni astricta, quippe quæ superos inferosq; vllos esse negabat. Ferunt eam ancillas suas sæpe orantes ieiunantesue increpasse, quæ corpus suum frustra macerarent, fictumq; cœli numen placari verbis crederent. Viuendum suauiter dum vita suppetit, fruendumq; voluptatibus. Id tantùm homini datum,cuius anima cum corpore simul extinguitur:somniare,qui alteram vitã sibi promittunt. Congrua moribus sententia. Nam qui relicto animi cultu, voluptati corporis se dedere,grauati vitiorum sarcina,non quibus explicent,vitamq; corrigant,sed quæ cœptum iter approbant,ea dogmata facilè imbuunt. Neq; inquinatis mentibus solamen vllum valentius,quàm si totum extingui morte hominem opinentur. Vna salus desperanti cœlum, inferos non timere.Corpus Barbaræ quamuis infidelis fœminę,Bohemi Pragam tulêre, peractoq; funere, in sepulchris regum condidêre. Nec defuêre sacerdotes,qui prophanum cadauer ecclesiastico ritu sepelirent. Non sunt regibus scriptæ leges,nec in Bohemia quicquam non permissum. Fredericus postquam quieturos Bohemos intellexit, quorum motus in primis verebatur,reclamantibus Hungaris & Australibus, assumpto secum Ladislao rege, Italiam ingressus,Australem coronam à Nicolao quinto Pont.Max.Romę accepit. Exin visitato apud Neapolim Rege Alphonso, cuius tum opes florentissimæ fuerunt,cuiusq; neptem in matrimonium duxerat,Leonoram Regis Portugalliæ * filiam,moribus ac forma præstantem,domum redijt. In eo itinere Ladislaus sæpe fugam molitus est,consilio pædagogi fretus,cum quo postea captus,vsque in hunc diem custoditur in vinculis.

*Barbaræ impietas.*

*Aliàs sororem*

## *Quomodo Australes Ladislaum regem ab Imperatore petentes,non exauditi bellum mouent,Nouamq; ciuitatem obsident.*
## *Caput LX.*

AVstrales interea, suasore Vlrico Eizingero,sumptis armis præsides prouinciæ à Friderico institutos vi pellunt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt,summam rerum Eizingero committunt.Incentorem quoq; nouitatum, alterum Vlricum Ciliæ Comitem in societatem accipiunt, auxilia ex vicinis gentibus accersunt, reuersum Imperatorem missis legatis, aut Regem Ladislaum tradere, aut bellum expectare iubent. Postulatis non tam rejectis quàm suspensis,impatientes magis morę quàm belli,infestis signis Nouam ciuitatem petunt.Cõmittitur primo aduentu atrox pro portis prælium: nullus sagittis modus,cadunt sine numero tela. Bombardæ stragem hostium horrendam edunt. Miserabile visu,disiecta passim membra equorũ atq; ho-

minum cernere,cruorem latè fluentem aſpicere. Quà denſiſſima fuit,vnus perfregit aciem lapis emiſſus, idem alius atq; alius fecit,proſtratis quicunq; occurrêre,inermibus atq; armatis:nec tamen intermiſſa pugna. Conglobati hoſtes,magis ac magis inſtitere. Vbi re gladio geri cœpit,ac vir virum manu prehendit,equus equum impulit,pugnatum eſt aliquandiu æquo marte. Poſtremò Cæſarianorum acies non tam virtute quàm multitudine ſuperata, terga dedit,atq; in vrbem trepidè ſe recepit, vnius militis Andreæ Poumkircher,poſtea à Cæſare ad Baronatum ſuffecti audacia ciuitatem tutata eſt. Qui ne victores cum victis vno agmine irrumperent, tamdiu pro porta ſolus impetum tenuit,donec conuerſi fugientes, globo facto ex loco difficili hoſte repulſo ianuam clauſere. Firmata eſt deinde obſidio, & oppugnata machinis mœnia. Ex Bohemis ſolus Henricus Roſenſis cum ducentis equitibus,peditibus fermè octingentis in caſtris fuit. Hungari nondum venêre. Neq; enim per inducias bellum inferre Cæſari licebat. Auſtrales circiter duodecim millia milites expeditos in armis habuêre.Georgius Poggiebracius Cæſari cuius erat amicus,opem laturus, * ſedecim millia militum congregauerat: ſed audita concordia, in agrum regulorum Roſenſium exercitum duxit,villasq; latè populatus eſt.Imperator enim interuentu Caroli marchionis Badenſis,Sigiſmundique.Saltzburgenſis archiepiſcopi,Ladiſlaum è manu ſua dedit,Auſtralibus multa promittentibus, quæ poſtea barbara fide negauerunt. Inter cætera conuentum erat ad tertium * idus Nouembris conuentum Viennæ habere,in quo vocati vtriuſq; partis conſanguinei, Bohemi quoq; atq; Hungari, de tutela Regis nondum puberis iudicarent: Ladiſlaum interea in poteſtate Comitis Ciliæ extra Viennam degere, nihil prius adminiſtrare quàm conſilij decretum fieret. Verùm puer poſtridie in vrbem ductus,ſummis nouiſque honoribus exceptus, eueſtigiò magiſtratus in ciuitate creauit: præfecturas tota prouincia inſtituit: ſacerdotia donauit:regio more curiam erexit. Hungari ad eum venêre, inter quos Ioannes Huniades fuit, qui tum Comitatum Hiſtricenſem regia beneficentia conſequutus, haud aliter quàm principes conſueuêre, nouæ dignitatis inſignia ſuſcepit. Accerſiunt & Regem ſuum Bohemi cum Georgio Poggiebracio,quibus non minora Ladiſlaus pollicitus, quàm pater atq; auus promiſerant. Poſtquam dies affuit cum Imperatore conſtituta, Ludouicus Baioariæ, & Gulielmus Saxoniæ duces,Albertus quoq; Marchio Brandenburgenſis, Carolus Badenſis, & multi ex Germania prælati ac principes aduenêre. Frequens conuentus habitus. In quo præſidente Ladiſlao, oratores Imperatoris, inter quos & ipſi fuimus, ita auditi ſunt,vt victi apud victorem. Fruſtra æquitas,fruſtra honeſtas in medium deducta. Cuncta ex arbitrio Comitis gerebantur. Ipſe pro Rege verbum facere ac reſpondere,qui neq; leges neq; pacta victorem obligare poſſe aiebat. Fredericum & iure ſimul & bello excidiſſe, armatis ac fortibus iura cauere. Poſtremò infectis rebus conuentus diſſolutus. Nicolaus cardinalis ſancti Petri,doctrina & vitæ integritate conſpicuus, ad componendam pacem apoſtolico imperio miſſus, ab Auſtralibus reiectus eſt. Ladiſlaus quamuis Rex appellaretur, alieno tamen arbitrio ductus, in regnis ſuis triumuiratum deduxit. Ioannes Huniades Hungariam rexit, Poggiebracius Bohemiam,Vlricus Auſtriam.Penes hunc maior authoritas, qui Regem in poteſtate habens, illis quoq; imperare poſſe videbatur. Promiſerat Vlricus & Hungaris & Bohemis Regem ad eos propediem venturum. Hungaris primùm ſatisfacere ſtatuit,diem illis apud Pozonium conſtituit,eoq; Regem ducit. Conueniunt frequentes Hungari, res ibi pro voluntate Huniadis ordinantur. Potentiori omnia parent.Vlterius regnũ ingredi neq;Regi neq;Comiti viſum.Fit reditus in Viennam.Bohemis dies ſtatuitur,qua Regem coronandũ Pragę ſuſcipiant.

*Paumkircher.*

*Aliàs xi.*

*Aliàs Kal.*

*Ladislai inauguratio.*

*Triumuiratus.*

Erat

Erat inter Bohemos Ioannes Smiricheus, homo nobilis, & facundiæ gratia inter primos constitutus. Is postquam regem Bohemiam ingressurum cognouit, literas huiuscemodi ad eum dedit; Ioannes Smiricheus Ladislao regi salutem. Venturum te quamprimùm in regnum tuum probo, si modò imperaturus veneris, non pariturus. Inermem impotentemq; intrare non laudo, nisi bicipitem mater peperit, vt ex duobus capitibus vnum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale. Epistola comiti reddita est, qui cognito tenore Georgio eam remisit. Ille accersito procerum concilio, inter quos Ioannes non in postremis erat, literarum sensum suppresso scribentis nomine recitat, quid mereatur scriptor percunctatur. Dignum morte primi iudicant: nec Ioannes suo loco sententiam dicere iussus, aduersari audet: proditorem & ipse patriæ, afficiendumq; summo supplicio censet, qui ea scripsit. Profertur mox epistola eius manu conscripta & impressum annuli signum recognoscitur. Damnatus ore suo, comprehenditur: duarum horarum tempus datur, in quo, si velit, & animæ suæ saluti, & domesticis rebus consulat. Nec diutius vitæ dimissus, gladio percutitur. Sic vir magis eloquens quàm cautus, dum alienam seruare vitam studet, perdidit suam.

*Smirichei fortuna.*

## *De eiectione Comitis Ciliæ, & priuatione administrationis suæ.*
## *Caput LXI.*

COmes interea, vt quàm splendidè regem in Bohemiam duceret, haud ignauè operam dabat: ad eam rem non parum auri necessarium erat. Publicum ærarium exhaustum: qui eam summam crederent, neq; negociatores, neq; proceres inueniri. Mos est Australibus, quoties repentina principi necessitas ingruit, ex subditis pro modo facultatum pecuniam exigere, quam vocant Steuram. Id tamen iniussu prouincialium haud permissum. Huc ergo recurritur. Conuocantur apud nouum Triticiburgum pro veteri consuetudine quatuor ordines, sacerdotes, barones, nobiles, ciuitates. Ibi Comes præsente Rege conuocationis causam edicit. Iter in Bohemiam Regi necessarium ostendit, qua pecunia sit opus exponit, principi suo vt subueniant hortatur, neq; inopem mendicantiq; similem ad coronam suscipiendam ire permittant. Conuentus deliberandi copiam petit. Ibi Eizingerus, qui iam pridem à Comite spretus, extra Regis gratiam eiectus, occasionem qua se vindicaret expectabat, idoneum nactus tempus, vocatis seorsum primoribus, quos sibi fidos, Comiti infensos credit, ita locutus fertur: Quid agimus viri Australes, sempérne Cilienſis mancipia erimus? Imperatoris iugum excussimus, vt Comiti seruiremus? Moderatius certè illius regnum fuit, tolerabilior dominatio: Ille in Austria natus, nostrorum principum sanguis erat: & si verum fateri libet, nostri domini dominus. Quia tamen ex re sua magis quàm principis nostri prouinciam rexerit, arma sumpsimus, præfectos eius eiecimus, regem nostrum vindicauimus. Hic alienigena nostra demum ætate principatus honore donatus, nos omnes pro seruis habet. Cui nostrum de Republica consilium creditur? Iniussu nostro rex in Hungariam ductus est, superis gratia qui remiserunt incolumem. Nunc nescientibus nobis promissus Bohemis, Hungarica Bohemicaq; negocia solus Comes pro libidine sua ducit. Neque contentus duorum regnorum gubernatores vectigales sibi fecisse, Austriam solus exhaurit. Nam quota portio est, quam regius sumptus accipit? Quicquid reliqui est, Comiti cedit. Maior ei quàm Regi familia seruit. Taceo concubinam instar reginæ cultam, cuius virum conciuem nostrũ ô Vienenses interfecit. Plena prædonibus & meretricibus domus eius: inter hos regias opes effundit. Magistratus, præfecturas, sacerdotia vendit: vbi non sufficiunt

*Steura.*

*Eizingeri oratio.*

*Tyrannidis imago.*

publica furta,ad priuatas facultates manus admouet. Quicquid olim peccauêre opulenti,hodie plectitur: nulla vetuſtas impunitatem criminis habet. Neq; tuta innocentia eſt,inconuicta puniuntur ſcelera. Et offendiſſe maieſtatem conuincitur,quiſquis diues habetur. Nemo ſuæ ſubſtantiæ certus dominus. Equi,ſerui,liberi,cõiuges veſtræ,pro libidine Comitis auferuntur. omnia ei licent,neq; pauciora vult quàm poteſt. Nunc ſumptus regij petuntur,quibus in Bohemiam pergat. Fateor non iniqua poſtulatio eſt,ſi fraus abſit. Cautiorem me Comitis artes ac verſutię reddunt. Sibi hęc pecunia,nõ regi quæritur: nouum aliquod bellum,nouum argẽtum pariet. Noſtris alitur malis,ſua quies,pax eius,noſtrum bellum eſt. Inſecurum facit noſtra ſecuritas. Pudet me patientiæ noſtræ,qui ſi viri eſſemus,facilè opprobrium hoc è noſtris oculis ejiceremus. Sed fuit hactenus prohibita conuentio: nunc ſimul congregatis Reipublicæ licet conſulere. Reſumite alacres ſpiritus,amicos quiſq; veſtros communitos reddite, ad imperium præſto cum armis adſint. Accingimini mecum,aut vobis libertatem,aut mihi mortem parabo. Illud in primis mihi ex vſu videtur, multitudo ne regi poſtulata deneget, paucos ex primoribus eligat, qui regem adeuntes, ſemotis arbitris prouinciæ neceſſitates exponant. Non dubium quin vobis mihiq; id muneris demandetur. Ego, ſi regis alloquendi facultas detur, excluſurum me Comitem nequaquam ambigo. Placet Eizingeri conſilium,dant inuicem dextras,iureiurando ſe aſtringunt, alterum alteri non defuturum, donec Comes ejciatur. In conuentu prouincialium,quæ volunt ex ſententia ordinant. Nec morati,regem adeuntes,daturos argentum prouinciales offerunt: eſſe tamen quæ ſoli ſibi mandata perferant, Rempublicam Auſtriæ concernentia. Iuſſis exire cæteris,ſoli apud regem manent. Ibi Eizingerus regem Auſtrali ſanguine natum dicit, nullos ſibi fideliores Auſtralibus eſſe. Imperium eius illis naturale, cæteris violentum. Conſilium ab his recipi oportere qui amant. Moleſtè ferre Auſtrales,principis ſui negocia non bene adminiſtrari, expilari prouinciam, vexari ſubditos, vicinorum odia prouocari. Comitem ditare ſuos, regem ad inopiam redigere: Ladiſlaum regem vocari, Comitem regnare. bellum ab eo cum Imperatore nutriri. Gubernatorem autem Hungariæ annua quatuor & viginti millia nummûm regi pendere, comiti duodecim millia. Id ipſum reliquos prouinciarum præſides facere,omnes Comiti vectigales eſſe. Nihil dubium quin ea mens hominis ad regnum quoq; aſpiret: amouendum cum priuſquam meditata perficiat. In atrocibus delictis etiam cogitationes plectendas eſſe. Poſſe haud difficile Comitem ejci,verùm taciturnitate opus. Aperto conſilio poſtquam regi cuncta placent, intromiſſo Comite deliberatio conuentus exponitur: promiſſa pecunia dicitur. Viennam tamen dum exigitur eſſe petendam, ordinandam ciuitatem,ne quid in abſentia regis turbarum exoriatur. Ficta pro veris pleriq; referunt. Commendat deliberata Comes. Eizingerus Viennam præcurrit,ſenatum de mente regis edocet,cuius reditus ciuitati iucundiſſimus fuit. Nihil prima die actum. Poſtera ſummo mane Eizingerus regiam adit, collocatis in proximo diui Auguſtini templo mille armatis, qui præſto ad ſignum erumpant, alios tectis armis intrare palatium iubet. Conueniunt frequentes conſiliarij,regem in cubiculo ſalutant,proceres exiturum in aulam expectant. Ex familia Comitis nemo intromittitur. Vltimus omnium adeſt ipſe Comes,qui apud concubinam dormierat: nec tam citò veniſſet,niſi vocatus ab amicis, & nouas res in palatio parari accepiſſet. Pulſanti fores non patuere,donec furens calcibus inſultauit. Vbi ad regem ventum eſt,ſilentium aliquandiu ſeruatum. Deinde Eizingerum innuente rege,ita loquutũ accepimus. Ab hac hora Comes regiam tibi curiam interdictã ſcito, abi quò libet gentiũ. Neq; poſthac gubernatoris nomen

*Eizingeri accuſatio.*

neque

neque consiliarij, neque regij familiaris vsurpes. Hęc me tibi dicere Rex iussit. Ad ea Comes, nihil mutato vultu, forti & constanti animo, indignum se cui talia dicerentur respondit. Aemulorum suorum ea esse, non regis: solere principes qui de se benemeriti essent, his meliora referre: se patri Alberto, se matri Elizabeth, se ipsi Ladislao summa fide seruiuisse, pro eo prius fudisse sanguinem quàm nasceretur. Bella eius causa difficilima confeciſſe: fuisse in carceribus, patrimonium profudisse, Imperatoris odium incidisse, vt regnum ei conseruaret: scire se benignum regem habere, & accepti beneficij memorem. Quæ dicta essent verba, moribus suis non conuenire. Einzigerum ea excogitasse, qui iam pridem sibi fuisset infensus, quoniam pro sua libidine expilare regis bona non potuisset. Orare ne plus inimicorum odia quàm sua merita valerent: ne bonitatem regiam aduersariorum malignitas vinceret. Fit silentium loquuto Comite: non satis certo senatu, an rex in sententia persisteret, & mutatum eius animum ratione Comitis verebantur, inclinaturi quò ille se verteret, ex cuius nutu pendere victoriam norant. Eizingerus de statu suo solicitus, nihil cunctandum ratus, priusquam rex Comiti responderet, ita inquit, Ego mandante rege verba feci, nihil de meo loquutus sum: ipse adest, ipse me iudicet. Dabo merito pœnas, si meam tibi Comes, non regis voluntatem exposui Effare tandem rex optime, nec nos vltra suspensos teneto. Tum rex placidè, vt consueuit, Ex mea, inquit, intentione ac voluntate loquutus est Eizingerus: atque his dictis subticuit. Vidisses erectas Australium mentes, & iam Comiti tanquam victo eiectoque insultantes. Ille ad proceres exiens, quos in aula congregatos diximus, eiectionis suæ contumeliam exposuit, consilium atque auxilium expetens. Quibus in voluntate regis omnia sita respondentibus, ad sororem regiam se contulit: ab ea præter lacrymas & muliebrem eiulatum nihil extorquet. Et iam vndique per palatium ire armatos animaduertit. Cedendum itaque potenti inuidiæ censuit, neque parum putauit, ex inimica ciuitate saluum corpus educere. Clientes eius audita rei nouitate, sibi quisque fuga consuluerant. Tacitus igitur & confuso similis cum quatuor tantùm comitibus ex aula discedens, in patriam suam concessit. Albertus Marchio Brandenburgensis, ne populares saxa in eum iacerent, ad portam vsque tutum iter fugienti præbuit. Verùm queis prohibitæ manus fuêre, linguæ libertate vsi probrosa in abeuntem maledicta omnis generis congessere. Inconstantis fortunæ singulare documentum. Nam qui paulò antè tutor regis & secundum in Austria caput erat, in quem omnium oculi respiciebant, qui belli pacisq; munia solus agebat, vnico regis verbo potestate priuatus, inops consilij, & animo confusus abijt.

## *De coronatione regis Ladislai.*
## *Caput LXII.*

REx paulò pòst magnificentissimis apparatibus Bohemiam petijt, atque in Praga summos consequutus honores, regni coronam accepit, Bohemi in eius sumptus suorum quisque censuum tertiam partem contulere. Ex ea pecunia coronationis solennia peracta sunt, supportata curiæ onera, & nonnulla coronæ castra redempta, quæ vel Georgio Poggiebracio, vel amicis eius commisere. Mansit ibi non paruo tempore Ladislaus, nec vnquam hæreticorum ecclesias quamuis sæpe rogatus intrauit, neque sacris eorum interfuit. Presbyter quidam ex factione Rochezanæ, in sacello arcis rem diuinam facturus, sacerdotali veste ornatus ad altare conscenderat. Rex eo in loco sacra quibus interesset, celebrare iusserat. At vbi hæreticum id muneris occupasse, nec velle alteri locum facere didicit, misso magistrato militum, prophanum sa-

cerdotem nisi abiret,rapi extra sacellum, & de proxima rupe præcipitari iussit.Illi charior vita quàm contumacia fuit.Rochezanam in celebritate corporis Christi sacram euchariſtiam per vrbem deferentem ex feneſtra conſpicatus,nullum reuerentiæ ſignum præbuit. Percunctantibus amicis, vt quid ſacramentum inhoneſtaſſet? Non me latet,inquit, diuiniſſimum Chriſti corpus dignius eſſe,quàm per me ſatis honorari poſſit, nec mea reuerentia gloriam eius auget,neq; dehoneſtatio decus imminuit. Verùm mihi cauendum fuit, ne dum Chriſtum honoro,ſacrilegum presbyterum Rochezanam popularibus approbaſſe videar,quorum plerunq; mores ex principe pendent. Nec illi me Deum contempſiſſe putabunt,cuius ſacratiſſimum corpus in catholici presbyteri manu ſummis me ſemper honoribus proſecutum vidêre. Grauis hæreticæ factioni iam mora regis in Bohemia eſſe cœperat, cuius ſacramenta ab eo & à cęteris principibus dietim confluentibus contemnebantur. Et iam qui decepti errabant,aliorum contemplati mores,ſuas ineptias cognoſcentes, relicta Huſſitarum perfidia, ad eccleſiam reuertebantur. Ob quam rem cupientem in Auſtriam reuerti regem, nullus hæreticorum eſt aduerſatus. Prius tamen quàm rediret, Vratislauiam nobilem vrbem reuiſit,Sleſitarum caput. Ibi quum diuinis intereſſet in æde pontificali, frequentesq; principes conueniſſent, Poggiebracius quoque proximus Regi aſtaret, fama eſt, eaque peruulgata, Chilianum quendam paraſitum,ex his qui ſtultitiam ſimulantes alios ſtultos faciant,Poggiebracium his verbis compellaſſe. Quo vultu ſacra noſtra inſpicias,planè aduerto:animum non intueor.Fare obſecro, nónne ſatis nitida tibi noſtra videtur religio? Vidés ne quàm multi & magni principes,& ipſe rex noſter vnum ritum ſequantur? Cur non his potius quàm Rochezanæ conſentis? An plus ſapere paucos Bohemos quàm reliquam Chriſti eccleſiam cenſes? Quin relicta incondita plebe, nobilitati te iungis nobilem? Ad quem Poggiebracius: Si tua hæc ſunt verba,inquit,non es quem ſimulas,tibi tanquam prudenti reſpondeo. Sin aliena, ſatisfacere me illis oportet: audi ergo. Eccleſiaſticas ceremonias ſua quiſque pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quæ credimus Deo grata: neque noſtri arbitrij eſt credere quod velimus. Victa magnis rationibus mens humana, volens nolensque capitur: vtque natura inſtituta eſt,altera facilè trahitur,altera elabitur. Mihi perſuaſa eſt meorum ſacerdotum religio.Si tuam ſequar,homines fortaſſe fallam,animæ meæ contrarius: Deum qui corda inſpicit,nequeo fallere. Neque me tui ſimilem eſſe decet. Aliud hiſtrioni, aliud verò nobili conuenit. Hæc vel tibi habeto ſi ſapis, vel his referto, qui te ſubmiſere. Comes Ciliæ dum hæc geruntur, fractus animo & omni ſpe reliqua deſtitutus, ab eo petere ſalutem coactus eſt, cuius ſaluti fuerat inſidiatus. Ad Fridericum igitur confugiens, malo ſe vſum conſilio dicit, qui dominum ſuum reliquerit atque impugnauerit,recepiſſe ſe patrati ſceleris pœnam,regia curia deiectum,& in alienis hoſpitijs auxilia mendicare coactum,Pœnitere quamuis ſerò prioris vitæ,dignus tamen cuius Cæſar miſereatur, qui non tam nocuiſſe quàm prodeſſe poſſit. Reſtituturum Auſtriam,ſi ſuo conſilio fides ſit:nam ſecum primores prouinciæ ſentire. Petit errati veniam, & in poſterum magna pollicetur, ſi priſtinam in gratiam recipiatur. Cæſar,cui verba dare difficillimum eſſet,multa ſe Comitis defectione paſſum damna commemorat,eaque reſarciri expoſtulat. Neque Auſtriam ſibi promitti ſufficere, quæ non eſſet in Comitis poteſtate: ſi ſua quæ poſſideret Comes traderet, poſſe reconciliationem ſequi: ſin minus, non placere pœnitentiam, quæ non ſentiret pœnam. Diu res agitata eſt. Poſtremò cùm Fridericus facta cuperet, Comes verba tantùm offerret, infecto negocio diſceſſum eſt. Erat per idem tempus inter Franciſcum Sfortiam Mediolani ducem, & Rempublicam Venetorum, graue atque atrox bellum.

*Chilianus hiſtrio*

*Poggiebraci grauis oratio*

*Comitis Ciliæ purgatio*

Al-

Alphonſus Siciliæ rex Venetos adiuuabat: atque ob eam cauſam Florentinos Franciſci amicos armis premebat, eumque Senenſes ſequebantur. Nec dubium erat,quin Franciſci conditio multò inferior videretur. Quod quum ipſe aduerteret,externa ex Gallis auxilia accerſiuit,conducto grandi ſtipendio, Alphonſi æmulo, Renato Lothoringiæ duce, qui paulò ante ex regno Siciliæ fuerat expulſus.Huius aduentu magna fortunæ inclinatio facta eſt:& Venetorum exercitus loco pulſi, debiliores viſi ſunt. Senſit hæc Ciliæ Comes,atque hunc ſuæ miſeriæ finem ſperare cœpit. Miſſisque ad Venetos legatis, venturum ſe cum ingentibus Bohemorum copijs auxilio pollicitus eſt, & finem bello impoſiturum,ſi ſtipendia darentur.Neque id erat difficile:nam Bohemi nouarum rerũ cupidi,& in armis educati,nullo imperio domi teneri queunt, ſi quis militantibus mercedem offerat. Adhibuerunt aures Veneti. Sed cùm longinqua militia multum auri expoſceret,oblatam potius cum hoſte pacem accipere,quàm dubium emere bellum voluerunt.Fruſtratus ijs Comes, poſtquam foris nullum exilij ſui præſidium reperit, per amicos reconciliari Ladislao quærit. Neque amplius aduerſata fortuna eſt. Inuiſus Baronibus Eizingerus, quorum auaritiæ atque rapinæ obſiſtebat, conſeruare gratiam Regis nequibat:quum illi modò per ſeipſos, modò per filios,qui regi diu noctúque aſtabant,Eizingerum criminarentur, & indignè pulſum Comitem dicerent,Regi propinquum,& qui ſibi regnum reſtituiſſet. Libuit igitur ab exilio reuocare Comitem.

## *De reductione Vlrici Comitis Ciliæ & reſtitutione amminiſtrationis ſibi factæ.*
## *Caput LXIII.*

COmes Ciliæ ijs geſtis per amicos clàm Regi reconciliatur, reuerſurusque Viennam magno & ſplendido apparatu, mille ducens equites expeditos armis,adit : Aduenienti Rex obuiam extra vrbem factus eſt. Proceres, nobiles, populares omnes ſecuti, ſalutare, amplecti, laudare Comitem : certare inuicem,contumelioſius eiecerint,an magnificentius reuocauerint. Mira rerum mutatio. Qui paulò antè mœſtus in exilium ierat, in triumphantis modum reuertitur. Eizingerus,qui culmen potentiæ conſecutus eum deiecerat,quod in alium ſtatuit,in ſeipſum pati cogitur. Intrante namq; vrbem Comite, ipſe cum amicis egreditur: ſponteneum exilium eligens.Lubricus apud reges primus eſt locus, nec ſolida poteſtas vnius, voluntate ſubnixa. Ferunt Comitem, Eizingeri cognito receſſu, laudaſſe hominem, qui fortunæ ludibrio ſe ſubtraxerit : paratam ei turpiſſimam fuiſſe mortem, ſi iudicium expectaſſet. Vſurum optimo conſilio,ſi curiales procellas perpetuò declinauerit. Nec etiam ſibijpſi curiæ mores placere: fluxa incertaq; omnia eſſe, omnibus horis inſtare pericula,acceptam ſuperiori anno ignominiam menti ſuæ ſemper hærere, ſemper ante oculos eſſe turpem eiectionem, contumelioſum exilium, probroſa verba: mirari quòd non peiora pertulerit.Deo gratias agere,qui priſtinum ſibi ſtatum reddiderit: ſatisfactum honori ſuo eſſe, nec plura cupere. Manſurum tamdiu apud regem, donec eiectionis infamiam glorioſi reditus rumor extinguat : potentiam deinde & regis amicitiam & populares aures malle ſe dimittere quàm perdere. Nõ tam fortiter ea fecit,quàm dixit ſapienter.Potentiam qui conſecutus fuerit,nemo tam facilè deponit,quàm damnat. Retinent amici,implicat gloriæ cupido,obſtat inimicorum metus:ſemper eſt quod craſtinare compellat.Facilius Gordij famoſum in Aſia nodum quis ſolucrit, quàm potentiæ regniq; blandicijs ſeſe explicarit,

*Comitis reſtitutio.*

*Eizingeri exilium.*

*De dolo Comitis Ciliæ, Ioannem Hunniadem ab administratione regni Hungariæ cupientis amouere.*
*Caput LXIIII.*

HVngari postquam regem in Austriam redijsse accipiunt, legatos ad eum eueſtigio mittunt, vtque in Hungariam veniat, suum regnum visitatum petunt. Ioannes Huniades per idem tempus Hungariam ferè vniuersam in potestate habuit: regiæ arces in manu eius fuêre: equestres pedestresque copiæ vni ei paruêre. Id nonnullis regni baronibus inuidiosum ac molestum erat, atque in primis Comiti Ciliæ, qui locum eius optabat, nec post electionem ab eo promissum acceperat aurum. Criminari ergo Ioannem, regi odiosum efficere, illum regem esse, non Ladislaum, vectigalia ad eum cuncta deferri, munitissima regni oppida, arces, equos, arma in potestate eius esse. Nihil dubium quin regni coronam quærat, si nequeat per Christianos, conaturum per Turcas, quibus bis magnos Hungarorum exercitus prodiderit. Palàm Turcis infestum videri, clanculum esse amicum. Bis fidem ab eo violatam, reginam Elizabeth, introducto rege Poloniæ, contra ius fasque repulsam: Polonum quem accersierat, in bello desertum. Si pergat in Hungariam Ladislaus, eius manu aut vi, aut veneno periturum. Id solùm quæri, dum regis in Hungariam transitus petitur: qui prouincias ex arbitrio suo regunt, eos sine fraude dolisue superioris præsentiam non expetere, insidias proculdubio in caput regis paratas esse. Præueniendum facinus, & in authorem vertendũ scelus: promittendum in Hungariam iter, prius tamen Ioannem sub specie pacandi regni ad curiam euocandum, venientem capiendum atque necandum: sic Ladislaum paterno regno perfrui posse. Tutissimum illud consilium ac salubre visum: compositis insidijs, Ioannes ad Regem vocatur. Ille ab amicis de fraude certior factus (difficulter enim res magnæ silentur) pariturum se regi in Hungaria respondit, iturumque quocunque iusserit: extra regni fines non esse obnoxium. Mittuntur igitur ad eum primores curiæ cum Comite Ciliæ, qui se-
*alias Gorzæ cum in finibus Hungariæ conueniant ad oppidum *Coziæ, conenturq; Vienam abducere: si nequeant, intra oppidum arte tractum interficiant. Ioannes ad iactum teli cum duobus milibus equitum constitit, colloquium in campis offerens. Comes Ciliæ se regis vicem gerere ait: gubernatori eos adire qui regis mandata perferant, haud indecorum esse, neque se ita ignobilem, vt cedere Ioanni debeat, colloquium intra oppidum & quietius & honestius haberi posse. Ioannes legationem ad se missam dicere, legatos ei cedere ad quem mittantur, de nobilitate non esse in præsentia certandum. Cæterùm in Hungaria Comites Ciliæ regni gubernatorem sequi solitos: postremò munita se oppida minimè ingressurum, nisi præsidium intus habeat, æquè vt Comes. Ita rebus infectis discessum. Noua deinde fraus excogitata. Vicerunt Iohannem communes amici: aduentus eius in Viennam promissus, si modò Rex principesque nominati suis literis securitatem facerent. Oblata sunt omnia quæ optauit. Ille ad octo milia passuum Viennæ appropinquauit. Ad quem Lambergius nobilis eques iussu comitis egressus, properare cum festinè iussit: iam enim Rex magno comitatu obuiam exisset, & cum eo Comes, qui literas publicæ fidei afferret. Motus eo nuncio Iohannes, triginta fermè stadia versus vrbem profectus est, inspiciensque latè campos, quum neminem exire obuiam cerneret, in propinqua villa consedit. Tanti per moratum, Comes cum quadraginta tantùm equitibus adijt, & ne Regem occurrentem moraretur, equum repente ascendere, festinareque iussit. Cui Ioannes: Latè, inquit, campi patent, neque ego vel regem, vel alium quempiam video venientem. Tum Comes æstum causatus, Regem intra vineas & arbores expectare in vmbra

dixit

dixit. Interrogatus de literis, apud regem eas esse respondit. Intellexit fraudem inesse Ioannes, seque verbis incassum duci. Conuersus ad Lambergium, Rectè, inquit, mentitus es mihi. Cui Lambergius, Quæ iussit Comes, ea dixi: si quis error inest, eum argue. Ipse suam causam agat, qui mandauit: mihi parêre necessarium fuit. Rursus Iohannes Comitem intuens: Siccine ludificare homines pergis? Fraude me appetis: ego te vi possem perdere. Incideras in foueam quam fodisti, si vellem. Quis prohibere potest, quin ego de te vltionem accipiam, dignaque tuis factis præmia reddam? Reuerentia regis te saluum facit, illi tuã vitam dono, non tibi: caue posthac meos ante oculos veneris. Atq; ita rursum conueniendi spes adempta. Multa posthæc inter Hungaros & regem agitata sunt: & cum ipso Ioanne pactiones habitæ, arces nonnullæ regi redditæ, rex ipse Budam profectus.

*Magnanimiter.*

## *De cruce signatis & pugna eorundem contra Turcas, victoriaq; apud Albam in Hungaria.*
## *Caput LXV.*

INterea mortuo Romæ Nicolao quinto Pont. Max. qui Eugenio quarto successerat, Calixtus tertius Petri cathedram est adeptus. Qui cognita Mahumetis Turcarum Imperatoris voluntate, Hungariam sibi armis subiicere cupientis (iam enim Constantinopolim Græciæ culmen expugnauerat) Ioannem cardinalem sancti Angeli, virum industrium ac magnanimum, cum legatione in Germaniam misit, Septentrionis vires in Turcas concitaturum. Coactus est exercitus, non tam armatus, quàm fidelis. Vulgus incompositum, populares, inopes arma sumpsêre, quos æternæ vitæ præmia commouerunt: opulenti homines, præsenti rerum statu contenti, domi mansêre. Odiosus plerunque potentibus sermo diuinus: quibus desunt facultates, leuis in cœlum volatus. Mahumetes autem Constantinopolitana victoria superbus, congregatis ingentib. copiis in Thracia, per Triballos in Hungariam properans, centum quinquaginta milia pugnatorum ducere ferebatur. Et inflatus opinione sui, tantoque tumens exercitu, nil dubitare, quin deuicta Hungaria, Illyricos penetrare sinus, atque intima rura, Regna Liburnorum & fontem superare Timaui, rerumque caput Italiam atque Romam vno impetu subigere posset. Verùm parua vrbs, & alioquin ignobilis, tantos eius conatus retinuit, Taurinum appellauere maiores, nostra ætas egiam vocat Albam, ad cõfluentes Danubij Sauique sitam. Hanc primam oppugnare statuit, propter opportunitatem transeundi fluminis. Ioannes Capistranus ordinis Minorum professor, vitæ sanctimonia clarus, ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qui vbi appropinquare Turcas accepit, nihil moratus, in Albam se contulit, haud paruam crucesignatorum manum adducens. Ioannes quoque Huniades contractis raptim copiis, eò profectus est. Cardinalis Budæ remansit, auxilia vndique ciens. Rex vbi aduenisse Turcas cognouit, nec vires Hungaris esse, quæ tantam vim ferre possent, mobiles gentis animos veritus, neque satis tutam Budę moram arbitratus, sub specie venationis vrbem egressus, in Austriam properè se recepit. Turca interim apud Albam castrametatus, summis viribus eam vrbis partem oppugnare adoritur, qua planus patuit aditus, dispositisque tormentis æneis raræ atque insolitæ magnitudinis priores muros aperuit. Vacuum haud paruum spacium intus erat vsque ad murum alterum. Hic crucesignati stationes habuerunt. Parum tecta armis acies, gladiis, hastisq; tantum hispida, verùm ferocitate animi, & cœlesti auxilio tuta. Ingressi per muri ruinas Turcæ, atrox cum his prælium commisêre. Capistranus ex turri clamitãs, Christianos hortati, vexillum crucis ostendere,

*Taurini oppidio.*

*Taurinum h Belgradum maiores Danubij*

*Capistrani uirtus.*

*Prælium atrox.*

opem de cœlo promittere, maledicere hostibus, Dei præsentiam implorare. Hunniades modò huc, modò illuc cum globo militum currere, instaurare ordines, pro fessis validos, pro saucijs integros sufficere, imperatoris ac militis officium exequi. Pugnatum est summa vtrinque vi, modò nostri, modò Turci pedem referre. Hinc vincentium clamor, inde morientium exaudiri gemitus. Audaciores, primique bellatores confossi gladijs cadere, super cadauera passim strata belligerari: pulsi extra mœnia hostes instante suo Imperatore, vrgente atque acriter castigante: Turcæ iterum irrumpere, iterum pugnare, Christianos in vltimum discrimen adducere. Postremò Christiana virtute repulsi, denuò periculi magis quàm pudoris anxij, oppidum fœda fuga relinquere. Rursus sequentibus crucesignatis, extra muros pugnam instaurare. Mox eo proposito fugere, vt quàm remotissimè ab oppido Christianos protraherent. Interim aciem à latere immittere, quæ reditum in vrbem egressis intercipiat: furentes nostri ac victoria exultantes, in quod præcipitarentur discrimen non aduertere, paululum processuris & à fronte & à tergo periculum imminere. Vidit ex muris Capistranus transuersam hostium aciem, insidiasque cognoscens, reuocare suos cœpit. Quum parùm exaudiretur, tympanis ac tubis confundentibus vocem, præceps in pugnam dilabitur: atque inter duas acies, inter tela volantia percurrens, clamoribus ac signis crucesignatos redire coegit: apud quos nulla erat Hunniadis vel fides vel authoritas: quorum magna pars Theutonica fuit, Hungarico infensissima generi. Fraudati magna spe Turcæ in castra redierunt, cùm quatuor & viginti horis interdiu noctuque nunc muros quatientes, nunc manu pugnantes prælium protraxissent. Multi ex vtraque parte cecidêre, plurimi ex Turcis, & hi quidem præstantiores. De cæsis hostibus varia sententia est. Quidam supra quadraginta milia perijsse tradiderunt: nonnulli viginti milia, alij ad summum quatuor milia cæsa esse affirmant: quod nobis infra verum fuisse videtur. Neque enim in tanto exercitu videri clades ea occidio potuisset. Maior profectò iactura tantum imperatorē fugere compulit, qui sequenti nocte incensis castris ac machinis, cum toto exercitu trepidus abijt. Nec tam audax superbusq; venerat, quàm timidus dimissusq; fugam arripuit. Traditum est sub papilla confossum salutem desperasse, vulnus eius obsidioni finem dedisse, inter fugiendum plures quàm in acie perijsse. Victoribus ea tantùm præda relicta est, quæ non potuit ignis absumere, tormenta scilicet ænea, & arietes ferro graues, machinarumq; ingens vis. Hunniades & Capistranus huic bello interfuêre, vterque rem gestam scripsit, neque alter alterius mentionem fecit; alteruter solidam sibi rei gestæ laudem vsurpauit. Ingens dulcedo gloriæ, facilius contemnenda dicitur, quàm contemnitur. Spreuerat Capistranus seculi pompas, fugerat delitias, calcauerat auaritiam, libidinem subegerat, contemnere gloriam non potuit. Qui summo Pontifici bellum atque exitum belli describens, nulla Hunniadis, nulla Cardinalis facta mentione, totum suum esse dixit, quod gestum erat, quamuis Deum in primis victoriæ confessus fuerit authorem. Nemo est tam sanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna viri excellentes quàm gloriam * contemnunt. Verùm paulò pòst & Huniades & Capistranus alter morbo alter senio obiere. Felices animæ, quibus tam claro peracto prælio, tanto populorum fauore quæsito, ægra relinquere corpora datum est.

*Capistrani ambitio.*

** aliàs partiuntur.*

*De interfectione Comitis Ciliæ per Ladislaum Hunniadis filium patrata.*
*Caput LXVI.*

LAdislaus audita Hunniadis morte, suadente Ciliæ Comite, in Hungariam redijt, duobus, vt sibi videbatur, æmulis liberatus, altero qui fraude, altero qui

qui vi ſuum regnum appeteret. Comiti non minus Hunniadis obitus, quàm Turcarum conflictus cordi fuit, qui ſublato aduerſario Hungariam iam ſibi parêre non dubitabat. Cæca humanæ mentis iudicia, ſæpe læta pro triſtibus, pro lætis triſtitia ducunt: futuri nulla homini certitudo. Nemo nouit quid ſerus veſper vehat, nemo tam ſuperis amicus eſt, vt craſtinam ſibi lucem promittere poſſit. Multi dum ſe credidere deiectos, in ſublime rapti ſunt: multos exilia claros fecere, & optata conſequutis ſæpenumero exitio turpitudiniq; fuerunt. Comiti multò ſalubrius fuerat Hunniadem vixiſſe, qui Hungariam ſuæ neci deſtinatam clauſiſſet. Nunc metu vacuus, regem in Albam ducit, hoſtium ſpolia recogniturum, & campos viſurum vbi prælia geſta, vbi barbara caſtra fuêre. Eam vrbem Ladislaus Hunniadis filius valido præſidio retinebat. Qui venienti regi purpuratus togatusq; portas aperuit, armatorum circiter quatuor milia ab ingreſſu prohibuit. Hic dum mora trahitur, rem diuinam ſpectante rege, conſilium de more in abdito conclaui proceres ineunt. Vocatus eò Comes, an iret aliquandiu hæſitauit. Exin diploide vix penetranda ferro indutus, proficiſcitur. Venientem Ladislaus proditorem compellat, qui patri ſæpe necem parauerit, infenſumque ſibi regem reddiderit, nunc diem veniſſe, quo ſceletum pœnas luat. Sunt qui Comitem prius arguiſſe Ladislaum dicant, tanquam regi rebellem, qui eius armatos intrare oppidum vetuiſſet. Illud conſtat, Comitem arrepto ex manu armigeri gladio, Ladislai caput petentem, nonnullos interiectæ manus digitos amputaſſe: exorto clamore, Hungaros irrupiſſe, defendentemque ſe magno animo Comitem, multis confoſſum vulneribus obtruncaſſe: nec moratos, ea nouitate regem perculſum adeuntes, occiſum regni hoſtem dixere, digna meritis præmia reddita. Regi nihil timendum eſſe, cuncta eius imperio parêre: nunc regnum eius incipere, prius apud Comitem fuiſſe. Rex quanquam vehementer commotus erat tam atroci facinore, ſuprà tamen quàm eius ferebat ætas, dolorem atque iram compreſſit: nec dubitauit vi cæſum Comitem profiteri. Amicis verò circumſtantibus, ferendumque quodcunque id eſſet dicentibus: atqui ſic neceſſitas, inquit, exigit. Ferendum eſt, quicquid vitari non poteſt. Ademptam Comiti vitam reddere non poſſumus. Ille ſuo fato functus eſt, nos nunc noſtra manent, quæ Deus optimus maximus meliora faxit. Iuſſitq; defuncti cadauer plauſtro impoſitum Ciliam deferri, atq; in ſepulchris maiorum condi.

*Humana fragilitas*

### *De laude Iohannis Hunniadis per regem Ladislaum pronunciata. Caput LXVII.*

IPſe autem Rex, Alba relicta, comitante Ladislao, Budam repetere ſtatuit: inter equitandum ad oppidum Hunniadum peruenit. Ibi coniunx Hunniadis obuiam facta eſt, ob mortem mariti lugubri veſte induta, puellæque quæ circa eam erant, deiectis in terram vultibus, pullis amictibus mœrorem præſe ferebant. Rex matronam complexus, indigna ſunt, inquit, hæc veſtimenta, quæ ob mortem viri tui deferas. Ioannes Hunniades de morte tranſiuit ad vitam. Ille Hungariam Chriſto, mihi regnum ſeruauit: Chriſtiani nominis hoſtes fudit, fugauit, perterruit, pacem Hungaris peperit, ſalutem cunctis fidelibus aperuit. Fortia eius facta etiam hoſtes admirati ſunt, & vitam & mortem poſteritas conſecrabit. In prælio ſtrenuus, domi mitis: in bello vicit hoſtes, in ægritudine ſeipſum ſuperauit. Conſilio ac manu ſuas acies ſuſtentauit, perfregit hoſtiles. Vbi adeſſe extremum vitæ tempus agnouit, & vrgere vim morbi, non eſt paſſus dominicum corpus ad ſe deferri: neque enim dignum exiſtimauit ſeruum à domino viſitari, ſurrexit è lectulo, quàuis labentibus mẽbris: & quũ deficiente virtute, ſuis pedibus ire non poſſet, in ædem ſe vehi ſacram

*Luctus ſolatium*

iussit. Ibiq́ue de more Christiano, si qua extabant humanarum vestigia sordium, confessione detersit, & sacrosanctam accipiens eucharistiam, inter sacerdotum manus terrena fastidientem animam exhalauit. Et quò illum migrasse credimus, nisi ad eum pro quo tot bella depugnauit? Ad Imperatorem suum perrexit fortis miles, cum Christo regnat, qui pro Christo tot periculis se obiecit. Iampridem debitum sibi cœlum tenet, non est cur diuinitate fruentem lugere oporteat. Congaudere gaudenti æquius censeo. Facessant intempestiuæ lacrymæ, superuacaneiq́ue luctus: absit omnis mœror, atque in primis lugubres habitus, pullasq́ue vestes exuite. Atque his dictis, purpureas tunicas auro distinctas afferri iussit, easq́ue viduæ ac filijs dono dedit. Puellas quoque pro sua dignitate donatas, mutare habitum imperauit, totúmque diem lætitiæ dari. Conuiuia deinde splendidè apparata, inter epulas & vina saltatum cantatumq́; quasi celebres nuptiæ per luxum & iocum actæ.

## *De captiuitate filiorum Ioannis Hunniadis, & decollatione Ladislai filij eiusdem senioris.*

### *Caput LXVIII.*

His blandimentis allecti Hunniadis filij, nihil iamdudum ex cæde Comitis in caput suum verti posse confidebant. Itaque posito metu, regem vsque ad Budam sequuti sunt, aulamq́ue in primis æstimati cultiq́; frequentabant. Verùm amici Comitis regias aures dietim pulsare, illustrem principem auunculum regium sine causa necatum conqueri, maiestatem grauissimè læsam dicere. Inultum atrox scelus relinquendum non esse, corrigendum audacem iuuenem, ac temerariam audaciam nisi maturè coerceatur, in furorem verti. Nullum inueniri clementem virum, qui iuuentutem crudelitate insigniuerit. Arma in manus nefarij adolescentis periculosa esse, ausurum proculdubio etiam in regem, qui regi proximum obtruncauerit. Iam illi regnandi spem factam: patrem eius idem concupiuisse, animum seni, non voluntatem defuisse: grauiorem ætatem discrimina quæq; metiri: iuuenem quodcunque libuit facto facillimum credere, per æqua & iniqua ad regnum tendere. Occurrendum priusquam malum amplius serpat. In Ladislao & facta & meditata inueniri facinora vltimo supplicio digna. Rex siue ijs motus, siue suapte natura incensus, designata hora, qua filij Hunniadis ambo in regiam concessissent, armata iuuenũ manu portas claudi iubet, adolescentesq́; captos in carcerem rapi: cum quibus & Ioannes episcopus Varadinensis, raræ virtutis ac facundiæ, & plerique alij comprehensi sunt, tanquam cædis Comitis & insidiarum quæ Regi pararentur conscij. Ladislaus quatuor & viginti natus annos, egregio corpore adolescens, flauis de more crinibus super humeros passis, reuinctis post tergum manibus, talari atque aurea veste indutus, & eadem fortasse, quam sibi paulo antè Rex donauerat, in publicum producitur. Erecta ceruice oculis huc & illuc spectantibus, impauidus atque intrepidus ad supplicium pergit. Vbi ad locum ventum est, quo ceruix amputanda erat, iussus genua flectere, pauca prius pro sui excusatione locutus, carnifici paruit. Præco, cui damnatorum crimina publicare mos est, impetrato silentio, nihil aliud dixit, nisi eo modo corrigi, qui domino suo infideles essent. Carnifex religata Ladislai coma, ne collum impediret, iussus percutere reum, nutans labansq́ue, vix tandem quatuor ictibus candidam ceruicem abscidit: atque ita nobilis adolescens occiso Comiti parentauit. Frater eius in vinculis retentus est. Episcopus Varadinensis, multum instante Cardinale sancti Angeli, qui tum legatum Apostolicum agebat, Dionysio episcopo Strigonensi, eidem

eidem quoque cardinali & pari legatione fungenti, secundum canones iudicandus traditur. De cæteris captiuis suspensum iudicium, qui tamen paulò post effractis carceribus euasêre. Rex Budæ non diu moratus in Austriam se recepit, Mathiam Huniadis filium coæuum captiuum ducens. Quum per Strigonium iter faceret, vocatum ad se Ioannem Varadinensem præsulem, bono animo esse iussit, his verbis vsus: Quum essem Budæ, feci quod voluere barones, neque enim mei iuris eram. Quod te cepi, illorum fuit: quod te supplicio culpaque libero, meum est. Spectata mihi tua virtus, nihil de te siniſtrum credere sinit. Abi, & quem gessisti hactenus episcopatum, gere.

## *De coniuge Regi tradenda.*
## *Caput LXIX.*

IN Austria de coniuge regi tradenda diu agitatum, multę virgines offerebantur, tantum coniugium expetentes. Verùm nobilissimo regi quæ coire merito posset, nulla dignior visa est * Magdalena, Caroli regis Franciæ filia, tum propter ætatem conuenientem, egregiam formam, pudicos mores, tum propter sanguinis excellentiam, raram que nobilitatem, & maiorum eius latè vulgatam gloriam. Placet legatos mittere, qui sponsam petant. de loco nuptiis eligendo contentio exoritur: Hungari Budam, Australes Viennam, Bohemi Pragam tantæ celebritati deputandam aiunt. Diu res trahitur nutante rege. Ob eam causam Georgius Poggiebracius cum octingentis expeditis equitibus in Austriam vsque ad Danubium proficiscitur, magna se habere dictitãs, quæ regi pandat. Tranare iussus, atq; vrbem ingredi, Viennam sibi suspectam ait. Rogatus per nuncios quæ velit pandere, negat se alteri quàm regi arcana dicturum: non esse abs re trans fluuium regem pergere. Eundúmne fuerit, aliquantisper hæsitatum. Senatui non placebat tantum licentiæ dare subditis, insolentes eo modo fieri, & maiestatem vilescere. Ladislaum gubernatoris mouebat autoritas, & aliquod subesse arduum existimabat. Neq; latebat eum honestatem vtilitati cedere, ac tempori seruiendum esse. Perrexit igitur inermis ad armatum, tria milia equitum sequuta, togatus magis quàm loricatus exercitus. Tentoria in vlteriore Danubij ripa protensa, dimisso spacio inter bina castra, & tabernaculum in medio collocatum, in quo rex cum gubernatore conueniret. Quatuor diebus colloquium productum est: rex per noctem in vrbem rediit. Primus congressus publicus fuit, in quo salutatio de more facta, & honos regi habitus. In altero atq; item altero, duo tantum sermoni testes adhibiti. In quarto semotis arbitris, solus cum rege Georgius tabernaculum introiuit: verba inter eos habita non sunt prodita. Ex iis tamen quæ postea sequuta sunt, manifestum, de transitu regis in Bohemiam fuisse tractatũ. Vbi sermone sæpius habito, nõ coiere voluntates, indignabundus Poggiebracius, minabundusq; retro in Morauiam iter flexit. Regi haud salubre consiliũ visum est, dimisisse hominem male pacatum, quem penes regni potestas esset, qui nocere pariter ac minari posset. Misit ergo primos ex curia proceres, qui placatum retraherent: sin minus, facturum postulata regem promitterent. Inuentus in itinere, nec de reditu verbum fieri passus est, nec de sententia sua quicquam detraxit. Promissus itaque in Bohemiam regis transitus, & nuptiarum solennitas Pragæ destinata. Nec dicto fides defuit. Ordinatis Austriæ rebus, etiam ante diem dictam ingenti rex apparatu Bohemiam petiit. Intranti Pragam, Rochezana cũ sacrilego presbyterorum comitatu pompam ducens, obuiam venit: & habita oratione, pro fausto fœliciq; reditu congratulatus est. Vix admonente Poggiebracio, rex gratias egit: hæreticum ac pestiferum toruis oculis clerum inspiciens. Vbi verò maioris ecclesiæ sacerdotes sacra

* *aliàs margarita.*

ferentes occurrerunt: Hos, inquit, Dei miniſtros agnoſco: atque ab equo proſiliens, conſalutatis omnibus, ſacram crucem oſculatus eſt. Erant enim Romanæ fidei ſectatores, qui pro teſtamento Dei exilium longo tempore paſſi, Sigiſmundi tandem vocatione ſua loca recuperauerant. Hæc Ladislai pietas multorum offendit animos, qui Rochezanæ ſtudebant ineptijs. Suppreſſum tamen ac diſſimulatum odium. Inde duæ legationes miſſæ, altera ad Imperatorem Fridericum de pace actura, in qua princeps fuit Eizingerus: altera ad Carolum Franciæ Regem, eius filiam petitura. In hac primas partes geſſit Vlricus Patauienſium præſul, moribus ac doctrina præditus, quem tradunt octoginta equos albicantes duxiſſe. In ea legatione ſeptingenti equites profecti ſunt, quadrigæ auratæ, matronæ ac virgines ſplendido apparatu, quæ ſponſam ducerent: veſtes præterea donaque tanto matrimonio digna miſſa. Tertia quoque legatio ad Calixtum Pont. max. decreta erat, quæ controuerſias de religione dirimeret, regnumq; Bohemorum Rom. eccleſiæ coniungeret. Super his quarta cura Regis vrgebat animum, comparandi contra Turcas validi exercitus, quo tandem noſtra ætate ſcelerata Mahumetis ſuperſtitio pelli ab Europa poſſet. Iam de concordiæ formula cum Friderico conuenerat. inſtruebantur regiæ nuptiæ maximo ſumptu, ſplendidiſſimo apparatu. Imperator & Auguſta vocati, ambæ Regis ſorores cum viris eam celebritatem acceſſuræ ferebantur. Saxoniæ, Bauariæ, Sleſiæ, Franconiæ, Rheni principes: multo quoque ex Gallia reguli venturos ſe promiſerant: non ſolùm nuptias ornaturos ſua præſentia, verùm etiam de tuenda Republica Chriſtiana contra Turcas acturos. Sed hos tantos cogitatus, has ſpes pulcherrimas, tantum rerum ordinem immatura mors ac repentina Regis interrupit. Incertæ vanæque cogitationes hominum: futurum quicquid cæca caligine Deus occuluit, ipſe ſibi gubernacula retinet vniuerſi. Nihil ſine ſuo nutu morrales agitant: ſapienter ab eo iuſteq; cuncta reguntur: ſæpe in conſpectu eius æquiſſima ſunt, quæ nobis videntur iniqua. Nihil perperam, nihil temerè diuina maieſtas agit: nos cæci verſamur in tenebris, minimum eſt quod cernimus. Ad regimen animæ noſtræ liberum nacti ſumus arbitrium: ad ſaluandas animas lux reddita Chriſtianis. De regimine ciuitatum, de mutatione regnorum, de orbis imperio, minimum eſt, quod homines poſſunt: magna magnus diſponit Deus.

*Prouidentiæ diuinæ uis.*

## *De infirmitate & morte Ladislai Regis.*
## *Caput LXX.*

LAdislaus igitur x. Cal. Decembr. hora circiter xij noctis ægrotare cœpit. Sunt qui vlcere peſtifero percuſſum inguine dicunt, pleriq; nullum peſtilentiæ ſignum apparuiſſe. Verùm ita mihi res conſcripta eſt ab his, qui diligenter cùm medicos, tum cubicularios audiuêre. Sed erat in iudicio Rex, quod de nobilitate inter Poggiebracium & Cernhaoram Morauum magnis contentionibus agebatur, ita vt alter alterum ad duellum prouocarit. Neque de more ſuo indutus prodierat, linea tantùm indumẽta ſuſceperat, & deſuper Perſicum habitum quem vocant Schubam. Neque toto auditorio ridere viſus, triſtem vultum notauere omnes. Id ſignum præſagientis ægritudinis iudicatum. Dimiſſo tribunali, cœnauit inter purpuratos, compoſito ac graui ſermone vſus. Poſt multam noctem in cubiculum ductus, rapulas, quæ apud Bohemos dulciſſimæ ſunt, auidè comedit, ſiceramque bibit: ſermones haudquaquam triſtes inter cubicularios miſcuit. Priuſquam lecto decumberet, orationem de more ad ſuperos habuit: qua finita, grauatum ſe dixit, & ſtomachum vehementer dolere. Cui vnus ex cubicularijs natione Bohemus, Aſcende, inquit, ſtratum, dolorem ſomnus excludet. Paruit rex, quietique ſe tradidit.

*Schuba.*

Cum-

Cumque ad horam dormiuisset, vocato iterum cubiculario, vim doloris, qui sensim crescceret, intolerabilem esse ait. Ille de se iudicium faciens, nihil somno melius affirmare, sic dolorem cessurum dicere. Iam noctis hora xiij. fermè effluxerat, regi nulla quies dabatur. Ne tamen cubicularijs molestus esset, dolorem indiem tacitus pertulit. Tum medici accersiti, quod suarum partium erat, desperata salute fecerunt. Georgius & ipse vocatus, percunctari ex Rege cur doleret, quid morbi esset, spem bonam præbere, ne sibijpsi deesset hortari, peteret quæcunque vellet: omnia in arbitrio suo posita, mandaret parêre cupientibus. Ad quem Rex: Tua mihi Georgi iampridem cognita fides, spectataque virtus est, per te Bohemus vsque in hanc diem me Regem appellauit. Speraui me potiturum regno, quod ipse praueras: nunc contrà superi iubent. Mihi moriendum est, regnum in tua manu erit. Duo ex te peto: alterum, vti prouinciales iustè regas, pupillis, viduis, imbecillisque rectum iudicium patrociniumque ne subtrahas: alterum, vt qui me sequuti sunt ex Austria, cæterisque prouincijs, in patriam suam inuiolatos remittas. Hoc mihi supremum beneficium ne deneges. Præmaturas Regis cogitationes Georgius esse respondet. Futurum breui sospitem, ex suo arbitrio regnaturum, desineret ea proloqui, quæ & sibi incommoda & alijs forent molesta. Tum Rex apprehensa manu: Aie, inquit, promitte, quod cupio: nam me mori certum est. Si feceris quæ iubeo, Deum propitium tibi reddam. Neque enim ita vixi, vt cœlum mihi negari putem: pro cœlestibus terrena relinquo: tu caue postulatis aduersere. Non potuit tenere lacrymas Poggiebracius, deditque fidem facturum quod Rex imperasset. Finito sermone, intromissis sacerdotibus, de curatione animæ actum: Christiano more sacramenta exhibita. Rex ornamenta sua Pragensi ecclesiæ legauit, iussitque crines in auri modum fulgentes, ne qua superesset vanitas, amputari. Id ministri causas moræ nectentes neglexere. Vbi anima ægra amplius demorari non potuit, sacram candelam petijt, eamque manu prehendit, & intuens saluatoris imaginem crucifixi, orationem dominicam dicere orsus, ad finem vsque perduxit: pronunciatisque vltimis verbis: Sed libera nos à malo: nihil amplius loquutus, non extrema pati, sed quietem arripere visus, mortalis vitæ lumen reliquit. O imbecillem humanæ naturæ conditionem, ô inanem mortalium gloriam, ô cæcæ hominum mentes, quid iactamur? quid extollimur? Quid est quod dignitates, opes, potentiam tantopere flagitamus? Perpetuò his frui cui datum? Ladislaus nobilissimus adolescens duo de viginti natus annos, in ipso ætatis flore, in ipso gloriæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot delitijs atque opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra sex & triginta horas postquam ægrotare cœpit, extinctus est.

*Ladislai pia oratio.*

*Ladislai mors.*

## *De opinione & causa infirmitatis & mortis regiæ.*
## *Caput LXXI.*

MOrtem eius alij morbo, alij veneno imputauere. Medici Theutones, quorum potissima corporis cura fuit, in Austriam reuersi, palàm dixêre, quam primùm ægrotare Rex cœpisset, se vocatos, manifesta mortis ac veneni signa comprehendisse, neque ausos in aliena terra manifestare quæ viderant, timuisse potentiam eorum, quorum scelere Rex perijsset, Regi clàm aperuisse omnia: respondisse illum, non ignorare toxicum datum: silentium imperasse, ne regiæ morti suam adijcerent. Senatus Vienensis vbi vulgari eam famam animaduertit, medicorum sermonem prohibuit, ne Bohemorum aduersus se ferociam prouocarent. Qui violentam mortem dicunt, Poggiebracium & Rochezanam criminantur. Poggiebracium iam tum Regi fuisse infensum,

quum ad Danubium vsque profectus, Viennam ingredi noluit, non sine causa suspectum ei Regem fuisse. Conscias mali mentes metum implere: queis integer est animus, his omnia tuta videri: ab eo tempore regiæ vitæ paratas insidias. Rochezanam nunquam Regi placuisse, idque palàm factum, quum sicut antè diximus, sacra ferentem contempsit. Nec me latet fama vulgatum esse, idcirco Regem apud Pragam nuptiarum celebrationem decreuisse, vt concurrentibus eò catholicis principibus potenti manu hæreticos comprehenderet, finemque tandem Hussitarum insaniæ daret. Id præsensisse Rochezanam & Poggiebracium, necemque regi pro sua salute machinatos. Mihi quid horum verius videatur non facilè dixerim, neque incerta pro certis ausim affirmare. Aliorum dicta recenseo, & plura scribo quàm credo. Illud constat, præter Rochezanam, cui regiam mortem nemo non acceptissimam iudicauit, & Georgium, reliquos regni proceres extincto rege in magno mœrore fuisse, & publicum toto regno luctum, qui ad vij. kal. Decembres continuatus est. Tunc regia pompa peractis exequijs, defuncti corpus in sinu proaui sui diui Caroli quarti Romanorum Imperatoris sepultum: circumuectio per vrbem more maiorum neglecta. Dum hæc scribo, Alphonsi Regis Aragonum, cui præsentem historiam dedicaueram, multis formidatus, pluribus expectatus, mihi quidem acerbissimus nunciatus est obitus; v. kalend. Iulij, clausisse oculos traditur, Hispaniæ atque Italiæ rebus aliam formam præbiturus. lugendumq; Camenis fatum, & ingens disertis iactura viris. Vtinam successori par cura virtutis sit, minorque seculo nostro calamitas ingruat quàm timemus. Nos operi quod iam finem requirit, summā admoueamus manum. Georgius ea die quæ inter mortem Ladislai & funeris eductionem media intercessit, accersitis proceribus gubernationem suam non expirasse Regis obitu dixit, prouinciam vsq; ad Pentecosten commissam sibi fuisse affirmans. Arma tenenti nemo finitum morte mandantis imperium obijcere ausus, Pragenses gubernationi suæ nihil morati se commisere. Matthias Hunniadis filius ex Vienna ductus qua die rex obijt, Pragam applicuit, atque in potestatem Georgij factus est. Nec diu postea Rex Hungariæ designatus, magnis sponsionibus dimissus è carcere volauit ad regnum. Aduenæ, qui Ladislaum sequuti fuerant, suam quisque domum petiêre.

*Regis Aragonũ laus, mors.*

## *De Poggiebracio Rege Bohemorum sextodecimo.*
## *Caput LXXII.*

EXinde constituta die, qua nouus Rex eligeretur, multi tractatus habiti. Carolus rex Franciæ, qui filiam Ladislao desponderat, regnum alteri ex filijs suis petere, aut ei * committi, cui filiam tradere non dedignaretur. Casimirus rex Poloniæ sororem defuncti Regis sibi nuptam esse aiebat, eique regnum deberi. Pari ratione Gulielmus Saxoniæ dux vtebatur, cui soror natu maior nupsisset. Fridericus Imperator eiusdem regni ordinationem suam esse affirmabat, in qua feudi solennia neglecta fuissent. Nec sine spe Sigismundus & Albertus Austriæ duces fuêre, qui deficiente Rege Bohemiæ sine virili sobole ex Austria vocandum veteri fœdere principem norant. Rochezana venenorum sator, crebris sermonibus vsurpare, aut Regem suæ professionis eligendum esse, aut si nemo tanto fastigio dignus videretur, Hebraico more iudices assumendos, veteris legis exempla cõmemorans. Vbi dies constituta illuxit, audítis legationibus in conuentu procerum, vtilitate regni discussa, Georgius Poggriebacius rex pronunciatur, militiæ domique apprimè clarus, cui ad res gerendas nec consilium nec ætas deesset. Ea res necati Regis suspicionem maximè auxit. Ipse ex prætorio primùm in ædem beatæ Mariæ vbi Rochezana

*Aliãs comitis*

chezana præsidet, solenni pompa deductus Deo gratias egit, ibique nouello Regi publica salutatio exhibita. Mira rerum mutatio, & nouus syderum influxus. Duo potentissima regna eodem tempore Rege orbata ex nobilissimo sanguine ad mediocris generis homines peruenêre. Sic Deo placuit: ludere fortunam dixisset antiquitas. Nos diuinæ prouidentiæ cuncta tribuimus. Vtriusque Regis electionem nonnulli calumniantur, vim adhibitam dicunt, neque iure valere quod metus extorserit. Nobis persuasum est, armis acquiri regna, non legibus.

# ÆNEÆ SYLVII, QVI ET PIVS II. PONTIFEX MAXIMVS FVIT, BREVE ELOGIVM.

PIVS Secundus, Aeneas anteà vocatus, cognomento Piccolhomineus, natione Italus, Senis oriundus, patre Syluio, matre Victoria Corsiniani nascitur, cum pater eius à plebe Senensi cum reliqua nobilitate è republica deiectus ad fundum gentilitium Corsinianum vallis Vrciæ oppidum, se contulisset. Nato puero Aeneas Syluius nomen pater indidit. Puerpera autem per quietem visa est sibi infantem mitratum parere, quæ (vt pronæ sunt semper in peius hominum mentes) verita est ne somnium illud puero & familiæ ignomiam portenderet: neque anteà huiuscemodi suspitione leuari potuit, quàm postea intellexerit, filium Tergestinum Episcopum designatum: quo nuncio omni prorsus metu liberata, immortali Deo gratias egit, quòd defunctum meliore fato, quàm ipsa coniectauerat, filium sibi videre contigisset. Prius tamen cum per ætatem licuit Corsiniani singulari memoria & summa docilitate grammaticam didicit; parce adeò ac duriter vitam ducens, vt omnia ruris officia ob inopiam adire sit coactus. Annum verò decimum octauum agens, Senas proficiscitur, vbi à necessarijs & cognatis adiutus, Poetas primò, mox Oratores adiuit, quibus facultatibus tantum ingenio & diligentia valuit, vt breui præclara poemata Latina & Etrusca lingua ediderit, ludens credo in amorem quo ætas illa maximè conflictatur. Inde verò ad ius ciuile se contulit, quod profecto non ita multò post deserere coactus est. Orto namque inter Senenses & Florentinos bello, caritatem annonæ veritus, & nobilitatem plebi Senensi suspectam cernens, voluntarium sibi velut exilium adsciuit: sequutus amplissimum virum Dominicum Capranicum, qui tum Senis iter faciens ad Basilienſe concilium proficiscebatur, questum iniurias ab Eugenio Pontifice sibi illatas, propter denegatum galerum Cardinalatus insigne, quo etiam absentem Martinus ob eius virtutem & integritatem merito donauerat. Huius igitur contubernio vsus post longos itineris labores, superatis alpibus cœlo vicinis per Inferni pontem & Lucernæ lacum, Heluetiorum campos, Basileam tandem peruenit. Quo in conuentu & si multa negocia Aeneæ Dominici secretario obuenerint, semper tamen est aliquid oci suffuratus, quod literis traderet. Dominicum deinceps paupertate & inopia circumuentum, quippe cui beneficiorum & paternæ hæreditatis prouentum omnem Eugenius denegabat, relinquere non

ſine lachrymis cogitur, Bartholomæum Nouarienſem Epiſcopum ſequutus: quo cum Florentiam, vbi Eugenius pontifex erat, peruenit. Sed hunc quoque ob crimen læſæ maieſtatis ab Eugenio accerſitum, Aeneas relinquere compellitur, Nicolaum S. Crucis Cardinalem ſecutus, patrē certè optimum, ac omnium opinione ſanctiſſimum qui Atrebatum profectus, pacem inter Ducem Burgundię & Regem Franciæ cōpoſuit. Quo in Italiam redeunte, Aeneas non admodum Eugenio gratus, Baſileam proficiſcens magno ſemper in honore apud omnes eſt habitus. Fuit enim ſcriba in Synodo illa celeberrima, & literarum apoſtolicarū abbreuiator: Duodecimuir in tanto conuentu Cenſorius habebatur. In eo autem conuentu perſępe orauit: ſed illa eius oratio egregia & elegans eſt habita, qua in eligenda Concilij ſede idonea, Auenioni, Vtinæ, Florentiæ Papiam anteferendā oſtendit, rerum opportunitate, ſitu loci, ædium priuatarū magnificentia, cœli benignitate & clementia, cōmoditate rerum omnium, quę vbi poſſunt importari, liberalitate Philippi Ducis. Legationes verò plures concilij cauſa obiuit. Argentinā tertiò, Tridentum ſemel, Conſtantiam ſecundò, Francofordiā ſemel, in Sabaudiam iterum mittitur. Deſignato autē poſt longam conſultationem in pontificē Felice, Eugenioq; excluſo, cum octouiri ex vnaquaq; natione deligerentur, quibus ſumma poteſtas in rebus conciliaribus permitteretur, Aeneas pontificis ſecretarius, magiſtratum illū vltrò oblatum renuit. Orator deinde ad Fridericum Imp. à Felice miſſus, tantū dexteritate ingenij apud hominē valuit, vt eum corona poetica donatum in amicos & protonotarium receperit (Ita eos Germani appellant, quos principes ſecretis adhibent) Relatus deinde in Senatorū ordinem, quem princeps in rebus grauibus conſulit, tantum valuit doctrina & authoritate, vt facilis in quauis re ad ingenium pertinente primus haberetur, licet æmulos & obtrectatores multos habuerit. Imperatorem verò Fridericū cum Eugenio diſcordantem, vltrò citroq; ſæpius remeans ſua dexteritate & prudentia ita compoſuit, vt Fridericus eum iterum Romam miſerit, qui Eugenio publicè diceret, ſe & Germanos omnes in humanis diuinisq; ei deinceps obtemperaturos. Mortuo autem eo tempote Eugenio, dum alter pontifex in locum demortui eligeretur, Aeneas conclaui prępfuit: nullus enim orator tunc in Vrbe fuit tāto munere dignior. Creato Nicolao pontifice, dum in Germaniam iter facit, Epiſcopus Tergeſtinus moritur, in cuius locum Aeneas, ſiquidem inſcius à Pontifice & Imperatore ſuffectus eſt. Philippo prętera Vicecomite ſine hærede mortuo, à Cæſare ad Mediolanenſes orator mittitur, apud quos orationem habuit de imperio vrbis hæreditario, deq; fide ſeruanda: cui quidem ſi populus ille obtemperaſſet, adhuc fortaſſe libertate vteretur. Deinde iterum Mediolanum Cęſaris nomine reuerſus dum obſidione à Franciſco Sfortia arctiſſimè premeretur, maximo cum periculo ingreſſus, re infecta, eiuſdem Cæſaris mandato ad Alphonſum Neapolitanum regem proficiſcitur: quo tempore Epiſcopus Senenſis, vnde originē ducebat, à Nicolao creatur. Compoſita deinde inter Alphonſum & Imperatorem affinitate, in Germaniam rediens Cęſarem adhortatus eſt, vt primo quoq; tępore in Italiam proficiſceretur ad accipiendum Imperij coronam. Fridericus iter in Italiam ingreſſus, Aeneam præmiſit, qui Leonoræ vxori ex Luſitania venienti ad littus Etruſcum honoris gratia occurreret. Is verò Piſas contendens quò Luſitanos applicuiſſe intellexerat, puellam vni ſibi creditam, ad Imperatorem, qui tunc Senis erat perduxit. Romam deinde proficiſcens, & priuatim & publicè (dum Cęſar cum vxore corona Imperij donarētur) egit omnia. Imperator pręterea ad Alphonſum Neapolim tendens, Ladiſlaum regium adoleſcentem, quem Pannonij & Bohemi furtim ab eo abducere, ſæpe tentauerant, Romæ ſub tutela & cuſtodia Aeneę, cui plurimam fidem præſtabat, reliquit. Imperatorve

tor verò rediens, vbi Germaniam attigisset, Aeneam statim ex mandato Pontificis, in Bohemiam & Germaniam oratorem cum summa potestate mittit, & ad omnes Austriæ ciuitates. Orta namque erat inter eas & Imperatorem, controuersia pro Ladislao rege, quem illi ad se mitti postulabant. Sublata autem tanta cõtrouersia, ac pace inter vtrosq; composita, Aeneas haud ita multò post ad conuentum Ratisponensem mittitur, vbi Imperatoris vices gerens, præsente Philippo Burgundiæ Duce, & Ludouico Baioariæ, de immanitate Turcarum & calamitate reip. Christianæ tanta contentione dixit, vt omnibus gemitus & lacrymas excusserit; præcipuè aut Philippum Burgundum ad eam expeditionem animare visus est adeò, vt bellum statim omnium consensu decerneretur, quod postea omissum est eorum ambitione & stultitia, qui cuncta sibi deberi putabant. Missus iterum à Cæsare ad conuentum Francfordiam eadem de causa: vbi visus est, omnes quidem cõmouere, verùm hoc natura compertum est, eorum animos citò residere, quorum affectus perfacilè mouentur. Tertius item in Noua ciuitate conuentus habetur, in quo Aeneas mirificè manibus & pedibus annixus est, rem ex sententia perficere, priuatim & publicè vnumquenq; ad id bellum cohortando, quo salus Europæ principum, & populorum libertas & dignitas Christiani nominis continebatur. Nec aberat à spe perficiendæ rei: cùm subitò nunciatum est, Nicolaum Pontificem, è vita migrasse, cuius in morte disturbata sunt omnia. Calisto verò subrogato in demortui locum, Imperator Aeneam Oratorem mittit: inde verò iter in patriam facturus Roma abiens à Calisto retentus est, à quo etiam non multò pòst patrum omnium consensu in numerum Cardinalium refertur. Apud Calistũ verò tantæ authoritatis & gratiæ fuit, vt hominem impulerit, Oratores ad Senenses, qui tum ciuili discordia laborabant, vt populum tumultuantem ad pacem & concordiã adhortarentur, mitteret. At verò dum in Balneis Viterbianis valetudinis causa esset, historiamq; Bohemicã inchoasset, mortuo Calisto Romam statim redijt: cuius expectatio tanta fuit, vt magna pars populi Romani officij causa obuiam progressa, hominem (quasi diuinarent) vt Pontificem salutant. Ad hunc enim consensu omnium Pontificatus deferebatur. Ingressus itaq; conclaue patrum omniũ suffragijs Pontifex Maximus renunciatur. Acceptaq; deinde pontificia corona, qua tertio nonas Septembris pontificali apparatu Basilicam Petri ingressus est: & cum Deo immortali gratias egisset, se totum, confirmata prius ecclesiæ ditione, ad curam reipub. Christianæ conuertit. Sed rebus his omnibus omissis, quæ plurimę & memoratu dignissimæ sunt, pauca de eius studiis literarijs, magis ad rem nostram facientibus delibabimus: non enim in tanto fastigio constitutus, literarum studia intermisit. Ab adolescentia enim & nondum sacris initiatus, vt diximus, poemata edidit, lasciuiæ magis & festiuitati accommodata, quàm pressa & grauia: surgit tamen nonnunquam, & dum iocatur mordacitate non caret. Extant eius epigrammata referta salibus. Ad tria millia variorũ versuum scripsisse dicitur: quorum pars magna Basileę perijt. Orationi solutæ reliqua vita se totum dedit; magnitudine rerum inuitatus. Delectatus est etiam mixto scribendi genere, & ad philosophandum aptiore. Libros in dialogo edidit De potestate concilij Basilien sis. De ortu Nili. De studio venandi. De fato. De præscientia Dei. De hæresi Bohemorum. Reliquit Dialogum imperfectum contra Turcos inchoatum, pro defensione fidei Catholicæ. Epistolas digessit in tempora: & quas profanus, quas sacris initiatus, quas antistes, quas Pontifex Maximus scripserit, voluminib. separat. His Reges, nationes, ciuitates, principes, atq; omne genus hominum ad religionis arma incendit. Extat eius Epistola ad Turcũ, qua hominem adhortatur, vt posthabita Mahometana perfidia, veram Christi Iesu religionem sequatur. Libellum edidit De miseria au-

licorum. Scripsit etiam de Institutione artis Grammatices, ad Ladislaum adolescentem Hungarorum Regem. Orationes circiter duas & triginta habuit ad pacem Regum, ad concordiam Principum, ad tranquillitatem nationum, ad defensionem Religionis, ad quietem totius orbis terrarū spectantes. Bohemicam historiam perfecit: Australem imperfectam reliquit. Aggressus est historiam rerum vbique locorum sua ætate gestarum, quàm negociorum multitudine oppressus imperfectam reliquit. Commentariorum de rebus à se gestis libros xij scripsit, tertium decimum inchoauit. Scribendi genus lene est ac temperatum. Conciones habet splendidas & rei accommodatas. Mouet affectus, ac eos denique sedat. Candorem & ornatum orationis nunquam intermittit. Describit appositè situs & flumina: varios pro tempore sumit eloquentiæ vultus. Cognitionem rerum antiquarum non omittit. nullius oppidi occurrit mentio, cuius originem non repetat, situm non notet: qui duces, qua ætate claruerint diligentissimè perscribit. Mimos etiam ad voluptatem notauit. Sententias in prouerbij modum reliquit multas: quorum partem aliquam, quòd ad institutionem humanæ vitæ pertinere visæ sunt, subiungere placuit:

Diuinam naturam credendo melius quàm disputando intelligi, ac comprehendi posse, dicebat.

Omnem sectam authoritate firmatam humana ratione carere.

Christianam fidem etiam si miraculis non esset approbata, honestate sua recipi debuisse.

Vnius diuinitatis tres esse personas, non qua ratione probetur, sed à quo dicatur animaduertendum.

Mortales mensores cœli & terræ audaces magis videri quàm veros.

Siderum inuestigare cursus, pulchrius esse quàm vtile.

Amicos Dei & hac & futura perfrui vita: sine virtute nulli solidum esse gaudium.

Neque auarum pecunia, neque doctum cognitione rerum vnquam repleri. cui plura nosse datum est, eum maiora sequi dubia.

Plebeis argenti, nobilibus auri, principibus gemmarum loco literas esse debere.

Bonos medicos non pecuniam, sed bonam valetudinem ægroti quærere.

Artificiosam orationem stultos non sapientes flectere.

Sanctas esse leges, quæ vaganti frena licentię imponunt.

In plebem vim habere leges, in potentes mutas.

Res grauiores armis, non legibus diffiniri.

Vrbanus suam domum, ciuitati, ciuitatem regioni, regionem mundo, mundum Deo subijcit.

Lubricum esse primum apud Reges locum.

Vt in mare flumina omnia, sic vicia in magnas aulas fluere.

Assentatores maximè quò volunt Reges ducere.

Nulli magis principes aures, quàm delatori præstare.

Pessimam Regibus pestem adulatoris linguam.

Regem qui nulli fidit inutilem esse, nec meliorem qui omnibus credit.

Qui multos regit, à multis regatur oportet.

Non esse regio nomine dignum, qui suis commodis publica metitur: neque qui sacra negligit, ecclesiæ prouentum: neque Regem qui iuridicundo non assidet, vectigalia digna petere.

Litigatores aues, forum area, iudicem rete, patronos dicebat aucupes.

Dignitatibus viros dandos, non dignitates hominibus.

Magistratus alios mereri & non habere, alios habere & non mereri.

Gra-

Graue pontificis onus,sed beatum ei qui bene fert.
Indoctum Episcopum asino comparandum.
Corpora malos medicos,animas imperitos sacerdotes occidere.
Vagum Monachum Diaboli mancipium esse.
Virtutes clerum ditasse,vicia pauperem facere.
Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri.
Fideli amico nullum thesaurum anteferendum.
Vitam amico,inuidiam morti comparandam.
Hostem in se nutrire,qui nimis filio ignoscit.
Nulla in re auarum placere hominibus,nisi in morte.
Vicia hominum liberalitate obtegi,nudari auaritia.
Mentiri seruile vicium esse.
Vini vsum & labores & morbos auxisse mortalibus.
Vinum quod mentem excitet, non quod obruat sumendum.
Libidinem ætatem omnem fœdare,senectutem extinguere.
Quietam vitam non aurum ipsum,non gemmas præbere.
Dulce bonis,durum iniquis mori.
Generosam mortem turpi vitæ, omnium philosophorum sententia anteferendam.

*Hæc sunt ferè, quæ uisa sunt, ex infinitis ferè dictis & factis à Pio II. Pont. max. in medium afferre: qui plura cupit,is Platinam de eius uita perlegat à quo ista omnia decerpsimus.*

FINIS.

MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA



DUBRAVII
HISTORIA
BOJEMICA

Aeneae Sylvii
de Bohemorum
origine